DE VISITATIONE
CUJUSCUMQUE
PRÆLATI REGULARIS:
ET SIMUL
De Jurisdictione ejusdem, extra actum visitandi.

DUBITATIONES POSTHUMÆ.

AUCTORE

P. FRATRE GAUDENTIO DE JANUA.
Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ, & Examinatore Apostolico in Urbe, & Supremæ Inquisitionis Qualificatore &c.

TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ M.DCC.LIII.
Typis Octavii Puccinelli, in Typographia S. Michaelis ad Ripam.
SUPERIORUM PERMISSU.

Venundantur apud Nicolaum Roisecco Bibliopolam in Platea Agonali.

AD LECTOREM.

SI secundus hic de *Prælato Regulari Visitante* Tomus, serius quam sperabatur, lucem aspiciat, caussa omnibus nota justam habet excusationem. Inopinata quippe, totique Provinciæ nostræ acerba Cl. Auctoris mors in caussa fuit, cur tardius Opus hoc prodiret in lucem. Quo autem pacto id acciderit, paucis accipe.

Vulgaverat jam Vir eximius anno 1748. priorem Tomum de *Visitatione cujuscumque Prælati Ecclesiastici*, deque *illius Jurisdictione extra actum Visitationis*, quem maximo Ecclesiasticorum, ac Regularium Præsulum plausu exceptum vidimus. Alter proinde restabat, ut Opus absolutum foret, de *Prælato Regulari Visitante* inscriptus, quem summo studio, assiduisq. vigiliis elaboratum, emendabat, expoliebat, perficiebatque, in lucem propediem emittendum. Quum ecce *Suriani* iter agressus, Evangelicæ Prædicationis officium illic obiturus, erysipilatis morbo, quo pridem Romæ laboraverat, paulatim ingravescente, acutissima febre correptus Vir aliunde robustissimus, infra dies quinque vita decessit ad IV. nonas Martii, anni 1751. in nostro Monasterio S. Mariæ *de Podio* ibidem sito, omnibus, qui eum noverant, amarum sui desiderium relinquens. Non est hujus loci in laudes tanti Viri excurrere. Illud solum breviter dixero, magni eum fuisse nominis, non solum apud suos, verum etiam apud Exteros; maximæque in Romana Curia auctoritatis, atque existimationis.

Autographum itaque, quod in scriniis prope confectum reliquerat, statim inventum est; sed tali charactere, talique manu, ac vacillantibus, ut ita dicam, litterulis descriptum; mendis etiam, atque inspersis hinc inde lituris plenum, ut legi, intelligique vix ac ne vix quidem posset. Arcessiti sunt aliquot, qui illud attente perlegerent, atque etiam, si fieri posset, exscriberent; sed vano prorsus, irritoque conatu. Jam animum despondebant Superiores illud Typis edendi. Quando unus forte fortuna inventus est id genus scriptionis longe peritissimus. Huic statim cura demandata editionis hujus Operis; quam in se suscepit Vir laboris patientissimus, animos ipsi addente Typographo, qui litterarum ac manus Auctoris aliquantulam peritiam habebat ex lectione prioris Tomi, quem antea Typis suis vulgaverat. Editio itaque cœpta est; sensimque progrediebatur, donec tandem absoluta est tota. Quanto autem studio, diuturnoque labore confecta res sit, nos, qui editoris patientiam, & Ty-

pographi operam ſæpe vidimus , & teſtes , & Judices ſumus . Utinam dextris avibus exeat quod tot laboribus , vigiliiſque elaboratum perfectumque opus eſt !

Hic porro tomus , Lector optime , is ipſe eſt quem prælo jam paratum reliquerat Vir clariſſ. ; adeo ut talis a nobis detur, qualis ab ipſo conſcriptus eſt: quod ex ipſius ſtyli, ſermoniſque, ac totius operis , ſi cum priori conferas , conſenſu tute judicare facile poteris. Complectitur autem hic Tomus Dubitationes VIII. priori bus quidem longe pauciores numero , ſed non minoris certe momenti . Initium namque petit a privilegiis Regularium , modumque tenet eos inter , qui privilegia ejuſmodi aut nimis amplificant , aut nimis deprimunt . Tum Prælati Regularis poteſtatem ſigillatim expendit , formamque tradit ab ipſo in viſitando præſtandam . Deinde , quæ Viſitator inquirere , quæ ſubditi denuntiare teneantur ; quo pacto vitia corrigenda ſint , vitioſique coercendi ; quibus de cauſſis a Viſitatione paterna ad judicialem deſcendere liceat; quo demum ordine appellationes faciundæ ſint , copioſe ſimul docteque diſſerit . Poſt hæc Regularis Prælati juriſdictionem extra actum viſitationis fuſe lateque perſequitur: ejuſque qualis & quanta ſit in regendo præcipiendoque poteſtas , in coercendo auctoritas , in abſolvendo ac diſpenſando facultas , accurate metitur , demonſtratque . Ubi aliqua etiam addit de illius poteſtate circa Monialium ſibi ſubjectarum viſitationem , directionem , ac regimen . Quæ omnia Regularibus Prælatis in viſitando , regendoque ſibi ſubditos , quanto uſui futura ſint , nemo eſt qui facile non intelligat. Opus demum claudit breve perſpicuumque *Formularium* , ut vocant , Viſitationis generalis paternæ a Prælatis Regularibus , ſtatis temporibus , faciendæ .

Hæc ideo præfati ſumus Lector humaniſſime , tum ut cauſſa tantæ moræ Tibi ignota haud eſſet ; tum vero maxime, ut, quæ in hujus Operis editione errata ſunt , facile ignoſceres : quam veniam *petimuſque* , *damuſque viciſſim* .

AP-

APPROBATIO OPERIS.

JUssu Reverendissimi P. Raphaelis à Lugagnano ex Ministri & Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ Fratrum Minorum S. P. Francisci, attente legimus Secundum Volumen Operis *De Visitatione cujuscumque Prælati Ecclesiastici, deque ejusdem extra actum visitandi Jurisdictione*, à bonæ memoriæ Cl. P. Gaudentio a Genua Reformatæ Provinciæ Romanæ Lectore Emerito, S. Inquisitionis Qualificatore, ac Cleri Romani Apostolico Examinatore elaboratum, nihilque in eo deprehendimus, quod Catholicæ Religioni, Sacrorum Canonum, ac morum disciplinæ adversetùr; quin potius omnia summo studio, diligentia, & labore collecta, atque discussa invenimus. Opus itaque tanti Patris memoria dignum, Prælatisque omnibus, maxime vero Regularibus utilissimum, ut publici juris fiat, dignum adjudicamus. Ex Conventu Sancti Francisci ad Rypas Tyberis die 12. Junii 1752.

Fr. Carolus Christophorus Romanus in Collegio S. Petri in Monte Aureo Controversiarum Fidei Lector.

Fr. Hermenegildus a Roma Sac. Theologiæ Lector.

FR. RAPHAEL A' LUGAGNANO Lector Emeritus, Ex-Minister Generalis, ac totius Cismontanæ Familiæ Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Commissarius Generalis, Visitator, & Reformator Apostolicus, & Servus.

CUM juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones, a duobus Patribus Theologis de Ordine Nostro revisum, & approbatum fuerit Secundum Volumen Operis de *Visitatione cujuscumque Prælati Ecclesiastici &c* à Patre Gaudentio a Genua nostræ Reformatæ Provinciæ Romanæ Lectore Emerito, Sac. Inquisitionis Qualificatore, ac Romani Cleri Examinatore compositum, præsentium tenore facultatem concedimus, ut servatis servandis Typis illud mandari possit. Datum Romæ ex Aracœli die 13. Junii 1752.

FR. RAPHAEL A' LUGAGNANO
Commissarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De Mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Paulus Joannes a Bastia
Sec. Generalis.

Se-

Secundum Volumen Operis posthumi *De Prælato Regulari visitante*, *ejusdemque extra actum Visitationis jurisdictione* exaratum dum viveret a Cl. Viro Gaudentio Ordinis Minorum Reformatorum Alumno, Sanctæ Romanæ Inquisitionis Qualificatore, & Cleri Romani Apostolico Examinatore, jussu Reverendissimi Patris Josephi Augustini Orsi Sacri Palatii Apostolici Magistri legi diligenter, ac sedulo, neque solum in eo nihil reperi quo quisquam vel leviter offendi possit, verum e converso quamplurima deprehendi, quibus Prælatorum Regularium jurisdictio clariùs elucescat & Regularis Observantia maximopere foveatur. Opus itaque Auctoris jam demortui famæ perhonorificum, Prælatisque Regularibus utilissimum dignum puto quod publici juris fiat. Ex Monasterio S. Stephani supra Caccum de Urbe 3. Idus Decembris 1751.

Carolus Lucarellus Abbas Ordinis S. Benedicti Congregationis Sylvestrinæ Sac. Rit. Congr. Consultor.

Jussu Reverendissimi P. Joannis Augustini Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistri attente perlegi Secundum Volumen Operis de *Visitatione cujuscumque Prælati Ecclesiastici & de jurisdictione ejusdem extra actum visitandi* a b. m. Reverendissimo P. Gaudentio Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ S. R. Inquisitionis dum viveret Qualificatore, ac Cleri Romani Apostolico Examinatore elaboratum, in quo nihil reperi quod censoriam animadversionem mereatur, quinimo ob plurimas in eo quæstiones accuratè discussas, dignum arbitror, ut in lucem prodeat si ita Paternitati Suæ Reverendissimæ videatur. Hac die 22. Septembris 1751.

Cosmus Torretti Eminentissimi ac Reverendissimi D. Cardinalis Tamburini Auditor & Academiæ Theologicæ Censor.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.
F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolit. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. Mag. Sac. Pal. Apost. Soc.

ELEN-

ELENCHUS DUBITATIONUM,

Quæ in hoc Secundo Tomo differuntur.

CAPUT SEXTUM.

De Prælato Regulari Visitante.

CAPUT SEPTIMUM.

De Potestate Prælati Regularis extra Visitationem.

Sectio

TO-

TOMUS SECUNDUS
De Prælato Regulari.
CAPUT VI.
DE PRÆLATO REGULARI VISITANTE.

Placuit numerum capitum, ac dubitationum inceptum in primo Tomo, continuare in hoc Secundo; & ita, cùm caput ultimo absolutum contigerit numero quintum, & dubitatio completa fuerit decimatertia, in qua agebatur de Parocho, aggressuri de Prælato Regulari tractatum, immediatè adjungimus capui sextum. Nec sine ratione hanc prosequimur methodum: dubitationes namque proœmiales capiti Operis præfixæ unum, & alterum Tomum respiciunt, tamquam integrum corpus: unde unum eumdemque ordinem variare videatur incongruum. Quia insuper de cæteris Prælatis agendo, jurisdictionem prius eorumdem in actu visitationis; deinde in actionibus reliquis, quoad competentes sibi facultates exposuimus; hinc in plures dubitationes pariter visitationem Prælati Regularis tangentes distribuetur caput ipsum sextum, priusquam septimum caput de Poteslate ejus extra visitandi actum arripiamus. Prælatus autem Regularis visitans, non secus ac Prælati quicumque alii, ad munus, quod explet attendere debet, quid præseferat, videlicet ad quæ se extendat, quatenus Potestate sibi competente in hujusmodi actu legitimè queat uti. Idcircò, quæ subsequitur ad ultimam in primo Tomo, scilicet decimam tertiam completam, instituitur

DUBITATIO XIV.
DE MUNERE PRÆLATI REGULARIS VISITANTIS IN ACTU EXERCITO.

Potestatem Regularium Prælatorum, tum in visitando, tum in cœteris actibus, plus, quàm fas est, amplificant alii, atque extollunt; alii verò nimis deprimunt, & quasi ad nihilum redigunt. Quoniam verò, ut, plurimùm, affirmatio, vel negatio potestatis ejusmodi, sive controversiæ quoad eandem in suppositione fundantur privilegiorum, in majori, vel minori amplitudine Regularibus, atque eorum Prælatis concessorum; hinc, ultra ea, quæ in hac materia tradidimus *tom. I. dub. X. sect.* 1. *per tot.* quædam iterum juvat in præsenti dubitatione, ac sectione explanare, nec non, quatenus opus sit, quæsita difficiliora innovare, ut securius, quantum ad solutiones eorundem, & aliorum inde pendentium procedatur. Privilegia namque duplicis generis occurrunt consideranda principaliter in casu, concessa nimirum

Regularibus ante Concilium Tridentinum, vel post idem Concilium de novo elargita, atque per Sedem Apostolicam confirmata. Itemque, ex ipsis privilegiis, quatenus post Tridentinum quædam de facto vigeant, adhuc alteri subsunt distinctioni; quod videlicet alia possunt considerari, ut communicabilia, & alia non. Ne igitur ad propositum, de Potestate Prælatorum Regularium, quæ super privilegiis concessis fundatur, tractatum instituamus inanem, scilicet de subjecto non supponente, necessarium profecto erat, ipsummet suppositum prius examinare per duo quæsita, in quorum discussione absolvetur integre.

SECTIO I.

An post Concilium Tridentinum Regulares adhuc gaudeant privilegiis? Et quatenus affirmativè, ista sint communicabilia?

SUMMARIUM.

1 Privilegia Regularium *diminuta; sed non penitus extincta, post Tridentinum.*

2 *Privilegia contraria Tridentino, & per Summos Pontifices exclusa quænam sint censenda?*

3 *Explicantur verba Concilii in fine capitis 22. sess. 25 de Regularibus, una cum Bulla Pii Papæ IV.* In Principiis §. 1. *& referuntur recentiores* §. 11.

4 *Controversia hujusmodi videtur prorsus inanis. Et quid de distinctione privilegiorum insertorum, aut non in corpore juris.*

5 *Adhuc post Tridentinum, quod vigent privilegia Regularibus de novo concessa remissivè.*

6 *Examinatur Constitutio specialis in hac materia Urbani PP. VIII. , & dictis non obstare concluditur.*

7 *An exemptio cum adnexis privilegiis competat Regularibus a jure?*

8 *Quomodo verificetur substantialiter exemptio. Et parum curandum de terminorum varietate.*

9 *Diversa Doctorum placita contra communicabilitatem privilegiorum inter Regulares.*

10 *Privilegia concessa Regularibus ante Tridentinum, nec revocata per idem Concilium, adhuc communicantur inter illos.*

11 *Viget etem communicatio inter Regulares privilegiorum concessorum post Tridentinum; nisi eadem in iis expressè vetetur.*

12 *Communicatio privilegiorum non censetur abrogata per Tridentinum, ac Bullam Pii IV. Nisi inquantum privilegia ipsa revocentur, aut censeantur eo modo, quo supra, Concilio contraria.*

13 *Privilegia uni Ordini concessa cum privativa, aliis nequaquam communicantur; nisi de novo communicatio simul cum privilegiis concedatur.*

14 *Communicatio eadem nullatenus potest asseri Tridentino contraria absolutè loquendo. Ubi, quod in nova concessione privilegii Concilio licet adversantis, non sit necessaria expressa Tridentini derogatio.*

15 *Quare sit necessaria derogatio expressa aliorum Conciliorum Generalium, non autem Tridentini.*

16 *Privilegia communicantur inter Regulares, non obstante, quod asserantur speciali nota digna ex eo quod difficulter, & raro concedantur.*

17 *Excluduntur contra datam doctrinam irrationabiles replicæ.*

18 *Sunt incommunicabilia tamen inter Regulares privilegia illa, quæ peculiares important circumstantias communicationi obstantes.*

19 *Neque deducitur privilegiorum incommunicabilitas ex eo quod sint præjudicialia tertio, signanter jurisdictioni Episcoporum absolutè loquendo.*

20 *Respondetur ad probationes adductas in contrarium a Monacello, & primo quantum ad incommunicabilitatem privilegii non solvendi quartam funeralem Parochis.*

21 *Neque relevat secunda ratio Monacelli desumpta ex privilegio non communicabili usus Pontificalium.*

22 *Respondetur ad alia duo exempla adducta per Monacellum, quod non communicetur privilegium absolvendi a quibuscumque censuris neque privilegium Altaris portatilis.*

23 *Replicatur non excludi generaliter a communicatione inter Regulares privilegia, quæ jurisdictioni Episcoporum apparenter præjudicant; ubi etiam de privilegiis revera non communicabilibus. Cætera remissivè.*

1 DE privilegiis, eorumque natura, divisionibus, interpretatione, communicatione, usu, confirmatione, revocatione, amissione fusè egerunt plures. P. Anacletus, signanter Reiffenstuel interCanonistas celeber omnia ad hujusmodi titulos quæsita, ac spectantia dubia eruditè, atque solerter explanavit in lib. V. decret. *tit. 33. de privil.* Et post ipsum exuberanti de calamo recentiores duo; scilicet Rupertus Gueber Canonicus Regularis Lateranensis in opere posthumo, per D. Eusebium Amort ejusdem Instituti Canonicum aliquibus additionibus aucto; nec non P. Didacus ab Aragonia Ordinis Minorum strictioris observantiæ, olim in Provincia Romana Provincialis Minister. Nos verò de rationabilitate privilegiorum eorundem, quatenus Regularibus concessa subsistant, contra D. Zegerum Van-espen signanter, aliqualiter agere contenti fuimus in supracitato primo tomo *dub. X. sect. I.* At in præsentiarum ad titulum sectionis, famosum utique, & necessariò tractandum, brevem limitamus dissertationem: prout in decursu operis, ubicumque opportunitas urgeat, de aliquo peculiari controverso privilegio reassumemus sermonem. Quantum itaque ad primam tituli hujusmet sectionis partem, non negamus hic, privilegia quamplura, jampridem Regularibus concessa, per Tridentinum Concilium revocata fuisse, & abrogata: signanter, ut loco magis proprio differemus, ubi legatur clausula *non obstantibus privilegiis &c.* Cujusmodi habetur expressè in fine sessionis 25. de Regularibus *Cap. 22.* ibi: *Non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis &c.* taliter ut, neque in foro conscientiæ, possint Regulares quicumque privilegiis sic expressè revocatis ullatenus uti: attenta propositione ab Alexandro Papa VII. inter alias proscripta *n.* 36. Concedimus item prò licito usu privilegiorum verè revocatorum a Tridentino, parum juvare vivæ vocis oracula; utpotè per Constitutiones Gregorii XV. 27. & Urbani VIII. 157. generaliter revocata: nisi inquantum excipiantur in Constitutione subsequente ipsiusmet Urbani revocationem moderantis, & declarantis, a dicto Reiffenstuel tit. de privileg. §. 7. allegata, nec non a nobis loco item magis proprio uberius examinanda. Verùm, ad propositum, primam quæsiti partem in sectione expositi adhuc dividentes in duas, præcipuè, ac distinctè quærimus. Utrum post Tridentinum aliqua privilegia Regularibus pridem concessa, jugiter perseverent; ita ut non intelligantur per Concilium ipsum abrogata. Nec non; utrum alia post Tridentinum vigeant tamquam de novo elargita? Et sanè utraque subdivisionis pars videtur in favorem Regularium, veluti affirmativè resoluta ab Auctoribus supponi. Cum omnes admittant in Regularibus exemptionem ante Concilium manifestè possessam, per idem minimè sublatam: nec non a Summis Pontificibus post Tridentinum sæpiùs prægnantibus terminis quoad plura in Constitutionibus expressa, specificè confirmatam. Attamen ad casus, & effectus singulos descendendo in unoquoque fereo ipsorum sensim Regulares ita strangulant, ut exemptionem, & privilegia eandemmet concernentia intra claustra omnino occludant, immò ibidem quantùm possunt, illius vires infringant; ita ut post Tridentinum nihil exemptionis revera superesse appareat, nisi nomen. Etenim super hac re differens, & resolvens Gonzalez præsertim *lib. 1. tit. 11. cap. 3. n. 7.* licet exemptionem, & plura Regularibus privilegia collata nequaquam diffiteri queat, nihilominus quæ ante Tridentinum concessa fuerant, per idem Concilium sublata penitus substinere non dubitat; sed intra Auctores sic sentientes caput extollit ultramontes Bernardus Zegerus Van-espen *tom. 3.* suorum operum in opusculo signanter, cui titulus *Repagulum Canonicum part. 2.* memoratas exemptiones per plures regulas nigerrimo atramento, pungentique calamo insectans. Nec nugatur Monacellus, qui ubicumque in sui formularii quatuor tomis se offerat occasio, singula Regularium privilegia ad nihilum redigere; aut saltem odioso induere fategit operimento. Cardinalis item Petra *tom. V. ad Constit. 7.* Pii II., signanter *n. 28. & 58.* nonnihil Regularibus præjudicat, quamvis non in sensu proprio, sed relato aliorum possit asseri scripsisse; cum alioquin in quinque egregii operis Tomis, quæ privilegia verè subsistant sparsim tueatur.

§. Un. Sit igitur in proposito ad quæsitum in genere prima responsio: *Quod nequaquam Concilium Tridentinum omnia penitus Regularium privilegia antea concessa substulit, & abolevit; sed plurima eorum intacta, atque in suo vigore reliquit.* Pro cujus ineluctabili probatione asserti, non poterit equidem primò ejusdemmet Concilii auctoritas inanibus adversantium clamoribus non prævalere. *Cap.* Siquidem 7. *sess. 25. de Regular.* postquam aliqua præscripsit circa electionem Abbatissarum in Monasteriis, quibus

apertè signet præesse vel Episcopum, vel alium Superiorem sic terminat: ibi *In reliquis serventur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones*. Constitutiones autem Ordinum Regularium, vel Monasteriorum, quæ sub gubernio Superioris Regularis degunt, important evidenter exemptionem, & independentiam ab Episcopo: dependentiam immo, & subjectionem Superioribus Regularibus, quæ, præter excepta in ipsomet Concilio conferuntur Regularibus iisdem per privilegia in Mari magno Sixti IV. Prædicatorum, & Minorum Ordinibus signanter, ut legenti evidens est. Igitur privilegia sic concessa in casu Concilium Tridentinum supponit non tantum, sed apertè per verba imperativa confirmat. Similiter *Cap. 9. in fine*; cum præmiserit Concilium, quod Sanctimoniales Sanctæ Sedi immediatè subjectæ ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, subdit ibi = *Quæ vero a deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur*. Vel igitur cura, & custodia Sanctimonialium, & Monasteriorum competit dictis Regularibus a primæva institutione, vigore juris communis, vel per privilegium. Primam partem negant constanter Doctores contrariæ sententiæ, Van-espen præsertim, qui ab institutione gubernium, non modo Monialium, sed ipsorum Regularium Episcopis tribuit; propterea hosmet continuare vult respectu illorum, veluti Superiores Ordinarios, & minime delegatos: *in Repag. Can. tom. 2. pag. 302. ref.* 8. Si ergo exemptio Regularium, & Monialium per ipsos gubernatarum; seu Monialium cura & custodia Regularibus competit per privilegium, (quæ est altera dilemmatis innegabilis pars) ecce privilegium idem impostertum in suo vigore relictum, immò a Concilio Tridentino per allegata verba confirmatum. Item *Cap. XI.* ejusdem Sessionis de Regularibus Concilium subiicit Monasteria, quibus incumbit Cura Animarum, & personas tum sæculares, tum Regulares ibidem commorantes, quæ curam præfatam exercent in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni Episcopi Diœcesani; inde sic procedit, ibi = *Excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent; atque aliis Monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates vel alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent &c.* Porrò exceptiones hujusmodi domorum, & personarum Regularium, quibus cura animarum est adnexa, licet intra Diœcesim Episcoporum respectivè, non sunt certè, nec conceduntur nativæ, sed revera privilegia indicant, quæ ipsummet Concilium relinquit, & firmat in perpetuum duratura. Verùm, omissis aliis Concilii locis apertè nimis propositum in *Cap. XX. ejusdem sess. 25.* demonstratur. Cùm, postquam Monasteria Regularium, etiam commendata sub regimine, & visitatione superioris proprii Ordinis respectivè constituuntur, & stabiliuntur, habetur inibi in fine = *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt firma sint, & illæsa*. Nec indigent hæc argumentis, & illationibus; cum per se latinam locutionem intelligentibus nequeant non esse nota. Falsum ideo supponeretur immò affirmaretur a Concilio, quoties quæcumque privilegia idemmet abrogare intenderet; itaut plurima adhuc in suo robore primævo non perdurarent. Hoc ipsum habetur perspicuè in Constitutionibus Summorum Pontificum, in quibus confirmantur expressè privilegia Regularium, quatenus Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non sint contraria, ut in illa Gregorii XIII. incipien. *Ex benigna sub die* 10. *Maij* 1575. Et altera Pauli V. *Injuncti nobis sub die* 19. *Julii* 1607. Nec non Ven. mem. Innocentii XI. *Exponi nobis sub die* 5. *Decembris* 1686. Pro Minoritis, aliisque pluribus pro unoquoque ferè Regularium distincto Ordine. Cum namque exceptio, ut est notissimum, reliqua præter excepta stabiliat, ultra contraria Tridentini Decretis, privilegia alia, quæ minimè contraria sint, ideoque per dictas Constitutiones confirmata intelligantur, existere de facto necesse est ut supponamus.

2 At lis hinc emergit circa ea, quæ verè Concilio Tridentino contraria dici debeant, & proinde nequaquam in confirmatione Bullarum subsequentium comprehendantur; super quam acriter decertant inter se Doctores: alii siquidem omninò contendunt ea privilegia deprehendi Tridentino contraria, quæ vel expressè, vel tacitè, seu explicitè, vel implicitè ab eodem Concilio revocantur: expressè autem, & explicitè, quoties additur clausula *non obstantibus privilegiis*; vel *æquivalens*: tacitè, vel implicitè revocari, & esse contraria autumant, quando aliquid jubetur, & observari præcipitur per Concilium contra privilegia, esto de illis, aut eorum

rum derogatione mentio nullatenus fiat. Itaenim ex Regularibus Donatus *tom.* 1. *par.* 1. *n.* 2. *q.* 15. *a n.* 4. Peyr. *tom.* 2. *privil. ad Constit.* 1. *Gregorii XIII. n.* 3. & probabilius Lezana *part.* 1. *cap.* 14. *n.* 19. & *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 58. P. item Dominicus Viva ad proposit. damnat: *part.* 1. *prop.* 36. *n.* 11. P. Matteucci in Offic. Cur. *cap.* 31. *sub n.* 33. & *pag.* 273. *n.* 8. nec non extra Regulares Van espen signanter in Repagulo Can. *tom.* 2. *pag.* 304. §. 111. *una* cum Ventriglia *in prax. adnot.* 44. §. *un. num.* 2. Ricc. ad Cer. Archiepisc. Neapol. *part.* 4. *dec.* 93. *n.* 6. aliisque per hos citatis. Ratio autem istorum tota reducitur ad verba Concilii ultimò apposita Capite 22. *Sess.* 25. *de Regul.* Superiori numero relata, per quæ omnia præcedentis Decreti præcipiuntur observari cum clausula *Non obstantibus &c.* ideoque, quamvis hæc eadem clausula aliquibus præcedentibus decretis, (parsim per omnes, & singulas sessiones expresse, & explicitè adiuncta non inveniatur, vigore tamen appositionis ultimò additæ, tacitè, & implicitè saltem, intelligantur privilegia revocari, & non subsistere quoties & ubicumque contraria iisdem per Concilium totum perlegantur Decreta; Attenta pariter Bulla Pii Papæ V. *In Principiis tom.* 2. *Bullarii n.* 94. in qua idem Summus Pontifex omnia, & singula privilegia sub quacumque excogitabili forma concessa universaliter, & indefinitè revocat, & annullat in omnibus, & singulis, in quibus illa statutis, & Decretis Concilii Tridentini adversantur; & proinde, quoties privilegia Regularium de facto cuivis Decreto Concilii ipsiusmet non sint conformia intelligantur tacitè saltem revocata, & annullata; licet de iis non fiat expressa mentio; neque expressa ibi afferatur derogatio. Oppositum tamen sentiunt Doctores classici ponderi rationum innixi, & regulis generalibus inconcussis in jure; videlicet, quod privilegia contraria Concilio Tridentino, ejusque canonibus, & Decretis censeantur illa, quæ expresse, & explicitè in eo revocantur, non verò quæ præsumuntur revocata implicitè, & tacitè; sive, ut clariùs loquamur, tunc censeantur revocata privilegia, uti Tridentino contraria quando expresse apponitur in Decretis clausula derogatoria, *Non obstantibus*, vel æquivalens; non vero quando adest simplex prohibitio, seu mandatum super aliquod peragendum, vel non, absque dicta derogatoria expresse: ideoque privilegia illa quæ eademmet clausula expresse non percutiantur, adhuc in suo robore perdurare, & per Bullas subsequentes Summorum Pontificum intelligantur confirmari. Hoc itaque absolutè probant, quia esset novum in jure, quod per leges generaliter latas privilegia alicui Communitati elargita destruerentur, estò de his non fieret mentio; privilegia etenim in hac suppositione non aliqua essent in rerum natura nec eorum ratio foret imaginabilis; cum constet ea omnia esse præter, vel contra legem generalem, ideoque si sustineantur destructa per generalem legem, vel attenta legis renovatione generali, nullum eorum subsisteret, ut est evidens. Oportet igitur, quod per peculiarem mentionem ipsa revocentur, & aboleantur; itaut absque dicta mentione peculiari, nequaquam præsumatur Princeps, præsertim qui illa cum matura deliberatione, & ex certa scientia concessit, eorumdem extinctionem velle. Suarez *lib.* 8. *de leg. Cap.* 39. *n.* 2. Layman *lib.* 1. *tit.* 4. *Cap.* 13. *n.* 24. Pirringh. *de privileg. n.* 19. Abb. & alii Canonistæ *in Cap.* 1. & *Cap. cum Ordinum de rescript.* cum Gloss. *in Cap. Veniens* de præscript. Arg. *Cap. Veniens*, & *Cap.* 1. *de Constit. in* 6. notatque ibi Gloss. communiter accepta. Et, ut præscindamus ab Auctoribus Regularibus Menoch. *lib.* 1. *Cap.* 97. *n.* 2. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 8. §. 3. *n.* 15. Castropal. *tom.* 1. *tit.* 3. *disput.* 4. *punct.* 21. §. 4. *n.* 10. Gonzalez *ad reg.* 4. Cancell. Gloss. 9. §. 11. n. 6. Rot. dec. 354. n. 8. coram Peutinger. Barbos. ad d. Cap. 1. de const. in 6. cujus capitis tenor legendus apud Reiffenstuel tit. *de privil.* §. 6. *n.* 14.: Confirmantque rationem a pari de statutis, & consuetudinibus, quæ non intelliguntur destrui, & aboleri per generalia præcepta, & Decreta, quatenus de iis non fiat mentio specialis, quod admittunt doctores communiter etiam respectu Concilii Tridentini in proposito de consuetudinibus loquendo, & statutis peculiaribus, præcipuè ante Concilium idem suppositis. Hoc ipsum ergo concludendum esse inferentes de privilegiis antea concessis a supremo Principe, & per consuetudinem legitimam item introductis, utpotè majorem preseferant auctoritatem, quam consuetudo simplex per subditos ipsos continuata, aut statutum ab inferioribus conditum, de eisdem saltem privilegiis quod sit innegabilis eadem ratio, propterea eadem debeat valere juris dispositio: ex cap. *Inter corp. saltem de transl. Episc. Cap. consuetudo dist.* 1. ibi = *Eo vel magis, quod lex nequeat non habere locum*,

locum, ubi locum habet ratio legis, quæ est ejus anima. Et L. Cum ratio ff. de portionibus &c. L. cum Pater ff. dulcissimis ff. de legatis 11. ubi Bart. Abb. in Cap. Ad audientiam n. 2. de dec. Alex. Conf. 129. n. 5. lib. 7. Tuschus lit. R. Concl. 31. n. 15. Barbos. axiom. 197. n. 1. & 3. Farin. part. 1. Fragm. litt. E. n. 5. eum aliis ab his cit. Perpendentes ulterius, quod ubicumque, & quandocumque Concilium Tridentinum intendat revocare privilegia, ea nominat, & per verba sufficienter indicativa, sivè per clausulam derogatoriam declarat non obstare. Igitur ubi clausulam hujusmodi non apponit perspicuum sit, quod ipsa, prout extant, absque revocatione relinquat: cum alioquin adnotare cogeremur clausulam eamdem fore superfluam, quoties sine illa adhuc intelligerentur abrogata privilegia: contra naturam legum superfluitatem indeclinabiliter excludentium. Arg. Cap. 10. de privil. in 6. Item l. 112. §. 1. ff. de leg. 1. juncta Gloss. in Can. Si Romanorum dist. 9. & alia Gloss. in Cap. solitæ ℣. Tamquam de major. & obed. Barbos. axiom. 216. n. 4. cæteris concordantibus.

3 Quod si replicent adversæ sententiæ sectatores in casu verificari suppositum; videlicet omnibus Decretis, vel prohibitivis, vel præceptivis Tridentini apponi clausolam derogatoriam privilegiorum de facto, si non expressè, virtualiter saltem, & implicitè virtute nimirum verborum additorum in fine Capitis 22. sess. 25. de Regular. In quibus quidem num. primo recensitis, consistit principalior, & ferè tota ratio ipsorummet adversariorum; Replicant & ipsi Auctores mox citati, in casu verba Concilii in Cap. cit. 22. sess. 25. de Regular. referri non ad quæcumque, & singula Decreta Sessionum omnium præcedentium, sed ad Decreta dumtaxat ejusdem Sessionis 25. de Regularibus ipsis, & Monialibus edita: quæ responsio, ut ait doctissimus Reiffenstuel tit. dict. de privil. n. 145. non indiget probatione, aut ratione, cum sufficiat vel mediocriter intelligenti pro evidentia ejus Capitis textum, & contextum unicè perlegere, prout nos tetigimus item Tom. 1. Dub. X. n. 54. Ultra quam quod. Si verba recensita sic addantur, & omnia Decreta in toto Concilio edita afficerent, & ad ea clausula derogans referretor; non esset opus adversariis recurrere ad distinctionem privilegiorum revocatorum expressè, & revocatorum tacitè tantum. Fatendum namque est, privilegia quæcumque contraria Decretis omnibus Sessionis 25. per verba supradicta ad calcem ejusdem sessionis adjecta: Non obstantibus &c. esse abrogata, & revocata expressè: ideoque quoties ad omnia Decreta in Concilio præhabita referrentur verba derogatoria ipsamet; expressè omnia & quæcumque privilegia aboleta, revocata, & abrogata virtute verborum eorumdem, non tantùm tacitè, & implicitè nequaquam diffiteri possemus, quod est contra communem sensum, & plures S. C. C. cujus juris est, Concilium ipsum, ut infra dicemus, privativè interpretari, declarationes. Et sanè mirandum obvenit, quomodo P. Matteucci totam vim faciens in ipsa derogatoria Capit. 22. sess. 25. adjecta, absolutè pronuntiare non dubitat in Offic. Cur. Cap. 31. sub n. 33. sententiam primam tenendam esse in praxi: in expressis enim - ut ait non est locus conjecturis; ideoque nec distinctioni de contentis dumtaxat in Decretis dictæ sess. 25. quia eum totum dicit, nihil excludit. Responderetur namque, ipsum pro certo adducere quod est in controversia, nempe verba illa referri ad totum Concilium, atque afficere omnia ejus Decreta per omnes, & singulas sessiones sparsim edita, & non omnia dumtaxat, quæ continentur in dicta sessione 25. in cujus fine additur clausula; quod probare autumant Doctores alterius sententiæ ex textu, & contextu ipsiusmet capitis omnia includentis spectantia ad Monachos, Moniales, Regularesque in Sessione eorum propria, & nil excludentis in subjecta materia: juxta sensum etiam Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Concilii cui magis fidendum est quam Auctori privato: ex præmissis item a nobis Dubit. cit. 10. n. 54.

§. I. Similiter ad Bullam Pii Papæ IV. In Principis dicunt Auctores secundæ sententiæ, ipsam quidem annullare, irritare, & abolere quæcumque privilegia, indulta &c. quomodolibet concessa, quæ Concilio Tridentino quomodocumque sint contraria, & adversentur; sed secundum ejusdem Concilii mentem, & sensum, & non aliter. Cum ergo Concilium idem quædam privilegia revocet, & quædam non, quoad hoc se uniformare Concilio concludunt Bullam Pianam in confirmando, statuendo, ac decernendo, non sine profectò evidenti ratione. Non enim Bulla ipsamet confirmando Concilium intendit variare, & Capita, Decretaque in eo contenta invertere, proindeque neque destruere caput illud signanter, in quo expressissimè innuitur a Patribus S. Synodi in Sancto Spiritu congregatis: ibi- In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum Personas - Loca, & ju-

& Jura *concernunt firma sint, & illæsa*. Evidens est igitur, quod trahant dentibus ad proprium sensum ipsam Bullam ii, qui contendunt, per eamdemmet privilegia omnia etiam non expresè in Concilio revocata, irritari, aboleri, & annullari. Ita Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. qu.* 6. *art.* 7. Mirand. *in man. Prælat. tom.* 2. *qu.* 8. *art.* 3. *℣. Sed alii*. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 18. *in fine* Portell. *in dub. Regular. tit. Privilegii confirmatio*. Si deinde adhuc instent Bullam famosam hanc adducentes; per ipsam intendisse Pontificem aliquid aliud præter solam confirmationem Tridentini, prout extat: quia solam confirmationem jam peregerat in Constitutione prævia *n.* 73. *incipien. Benedictus Deus* Ideoque voluisse ultro procedere in Bulla secunda. *In Principis*. Nimirum, præter privilegia quæ expresè revocaverat Concilium revocare etiam alia quomodocumque eidem contraria, estò de iis in Concilio expressa mentio non fieret. Subderent secundæ opinionis assertores, deficere in Bulla Piana ad hunc effectum quandò privilegiis derogat, clausulam necessariam. *Etiamsi privilegia in casu a Concilio admittantur*. Ideoque quæ directè, vel indirectè a Concilio admittuntur de facto non posse dici eidem contraria; propterea que minimè asseri revocata per Bullam. Ulterius: cum non deessent post Concilium sentientes, quod in revocatione generali privilegiorum neutiquam comprehenderentur motu proprio concessa absque speciali mentione. Itemque; quod clausulæ derogatoriæ in fine *Capitis* 22. *Sess.* 25. neque afficerent omnia, & quæcumque Decreta ejusdemmet Sessionis; sed ea tantum in quibus de Cœnobiis, Monasteriis, Domibus, & Collegiis particularibus expresè agebatur: non verò quæ generale respicerent Religionum regimen, aut omnes in genere Regulares: nec non requiri prætendebant specialem mentionem aliquorum privilegiorum, Personis qualificatis in specie, vel in individuo concessorum: specialem per consequens revocationem, ut latè apud Garziam de benef. *part.* 3. *Cap.* 2. *n.* 305. Butr. *consf.* 2. Sarn. *in proœm.* Reg. Cancell. *qu.* 6. *n.* 6. Rot. *dec.* 161. *n.* 1. *part.* 1. *diversf.* Navarr. in *Cap. Si quando de rescript. except.* 1. *& Consf.* 7. *de privil. n.* 20. Hinc advertunt, secundæ assertores sententiæ Pium præfatum IV. rationabiliter addidisse novam Bullam *In Principis*, præter primam Concilii confirmativam: ad hoc scilicet, ut difficultates hasce de novo exortas in favorem Concilii solveret, atque prorsus de medio tolleret.

§. II. Porro D. Rupertus Gueber a nobis initio numeri primi in hac sectione citatus, inter Canonicos Regulares Lateranenses memoriæ commendabilis hanc agens controversiam in suo opere aliàs egregio de privilegiis Religiosorum, quod præ manibus habui post imprægentiarum scripta *tr.* 1. *disp.* 4. *sect. item* 4. *n.* 34. Juxta præmissa adductis iisdem fermè auctoritatibus, & rationibus sequens Anacletum præcipuè Reiffenstuel pro veritate resolvit. Nempe requiri mentionem privilegii per Tridentinum expresè revocati, sive clausulam appositam *non obstantibus* vel æquivalentem; ad hoc ut eidem Concilio contrarium posset rationabiliter sustineri. At immeritò ipsiusmet sententiam tamquam reiiciendam impugnat ibidem in sua additione D. Eusebius Amort Lateranensis, item Regularis Canonicus nil aliud relevans nisi centies repetitam per Adversarios reliquos auctoritatem Concilii *in Cap.* 22. *sess.* 25. omnium privilegiorum abolitivam, atque *Bullæ in Principis* Pianæ, similiter privilegiis quibuscumque derogantis. Immerito dixi, nam objectionem ipsammet a suavissimo socio ibi *n.* subsequenti 35. relatam, & enervatam melius observare fas erat: prout adhuc magis demonstrativè constat ex iis, quæ in hoc tertio numero, & præcedente secundo mox congesta sunt. P. Deinde Didacus ab Aragonia ab initio pariter citatus *in Dilucidatione privilegiorum tit.* 1. *Cap.* 4. *n.* 13. innuit *opinionem; quod minimè vigeant sed insubsistentia censeantur privilegia omnia Regularium quæ non modo expresè revocantur per Tridentinum; sed & ea, quæ Concilio eidem quomodolibet etiam implicitè contrariantur*, esse magis tutam, & usu receptam. Hoc autem dicit, & non probat. Affert namque Bullam Pianam *In Principis*; cui satis superque compertum est Auctores contrariæ sententiæ respondisse; nec rationibus in oppositum ipse respondet. Additque formulam concedentibus privilegia Constitutionibus apponi solitam: *Dummodo Decretis S. C. Tridentini non repugnent*. Verumtamen hoc est itidem petere principium, ut ajunt Logici: nam reddit quæsitum; An Concilio repugnent quæ non revocantur expresè. Et opportunè repetimus; duo inter se diversa debere perpendi, & resolvi quæsita. Primum. An privilegia Regularium Tridentino contraria, & repugnantia revera revocata censeantur. Secundum: An contraria censeantur Tridentino ea, de quibus non fit in Tridentino mentio, nec eis expresè derogatur? Primum affirmativè resolvitur, & com-

& communiter tenendum asseritur, propter clara Bullarum verba, illius præcipuè Pii IV. *In Principis*, & reliquorum Pontificum clausulas inuegabiles apponentium. Secundum è contra resolvitur negativè, ob rationes satis claré, & convincenter allatas; quibus per Adversarios non satisfit respondendo. Pergit ulterius P. ab Aragonia *loc. cit. num.* 15. & assignat recensetque loca omnia Tridentini, iu quibus Regulares tanguntur, & privilegia eorum tacitè, vel expresse revocantur, sed pace ipsius, nisi error ibi irrepserit Typographi iu multis non regit; ut observare obsecro Lectorem; uec distinguit loca ea, in quibus privilegia non obstare notantur; præter expressa, de quibus non est dubium, in tota *sess.* 25. de Regularibus, quæ adhuc confusè ibi citat. Meliùs ergo integrè transcripsisset a Portell. in dub. Regular. *V. Tridentinum*; ubi loca eademmet Regulares tangentia cum ordine, & debita animadversione describit. Cujus doctrinæ gratia repetere est opportunum, quod non tantùm privilegia Regularium minime valere dicuntur, quoad Decreta omnia sessionis 25. ob amplissimæ derogationis formulam inibi ultimò adnexam, sed quantùm ad alia Decreta plura in aliis edita sessionibus, ubi & Regulares nominantur, & eorum privilegiis expresse derogatur, ut legenti liquet. Immo superaddere non duco incongruum, quod etsi non adnectitur Decreto alicui verbalis, & diversa derogatio per clausulam *non obstantibus*, quoties tamen derogatio percipitur per contextum, adhuc privilegia concludendum est minimè obstare, cum magis sensus perpendendus sit quam materialitas verborum *cap. intelligentia*, *& cap. propterea de verb. signif.* Reiffenstuel *de Constit. num.* 386. *seq.* Hinc, quoties item legatur in decreto Regulares tangente, quod Episcopus contra illos inobedientes tanquam Apostolicus delegatus procedat uon abs tam puto a lege; quod privilegia contumacibus minimè faveant; nam delegatus Apostolicus induit eo casu Personam Papæ delegantis, in faciem cujus nequeunt militare privilegiorum subsidia. Navarr. *cap.* 12. *in novis sub tit. de Regul.* Sayr. in florib. decis. *sub eod. tit. dec.* 26. Rodericus *tom.* 2. *qu.* 2. *art.* 4. *& qu.* 63. *art.* 7. Azor. iustit. mor. *part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 4. *qu.* 3. Barbos. de Offic. & pot. Episc. *part.* 3. *alleg.* 105. *n.* 15. Quotiescumque similiter relevant verba prægnantia iu Decreto nominante Regulares; quod Episcopus sive ordinarius eosdem ad obediendum impellat, aut quod nominati una cum cœteris Regulares ab Episcopo puniantur, aut coerceantur; vi hujusmodi usurpatione verborum uon videtur negaudum Episcopo ipsi aliqua super Regulares tradita potestas: ne verba sic clarè sonantia ullo prorsus careant effectu. Barbosa cum innumeris *axiom.* 122 *n.* 11. *sup.* Reinffestuel. *de const.* §. 16. *n.* 394. *seq.* Cum addita insuper advertentia, quomodo non possit substineri placitum Portellæ aliorumque per se citatorum; circa decretum *de observandis, & evitandis in Sacrific. Missæ sess.* 22. Nempè uon derogari ibidem privilegiis Regularium, nisi Episcopus loci respective declaret eadem non obstare: eo quia tota facultas prohibendi &c. detur Ordinariis. & Episcopis in eodem Decreto verb. Tridentinum *sess. dicta* 22. *n.* 3. *&* 4. Non potest certe hæc interpretatio sustineri, utpote præter, & contra manifesta verba legis, scilicet ipsiusmet adducti capitis Concilii, ubi hortantur Episcopi, immò jubentur, considerato contextu ad providenda efficacia remedia omnibus inconvenientibus defectibus, & inobservantiis, quæ possint occurrere in tremendi Missæ Sacrificii celebratione, absque eo quod possint obstare privilegia quæcumque in contrarium; quin præsbiteri omnes, etiam Regulares teneantur ad parendum: atque ipsamet clausula: *Non obstantibus &c.* adjicitur Decreto eidem non secus, neque alio modo, sicut, & Decretis aliis &c. juxta sensum jurium passim, & Doctorum, ideoque eundem debent producere effectum. *l. Licet Imperator ff.* de legatis 1. & l. ille aut *illa ff.* de Legatis 111. *Gloss. in cap. cum dilectus* ♈. *jura communem de consuet. cap. Ad audientia* 12. *de dec. & cap.* 7. *de privileg.* Arg. *cap. Cum dilectus* 8. *&* Abb. ibi *n.* 6. *de consuetud.* Alexand. *cons.* 29. *n.* 5. *lib.* 7. Tusch. *lib.* 74. *concl.* 31. *n.* 15. Barbos. *ax.* 197. *n.* 5. *&c.*

4. Ceterum hanc ipsam controversiam, quæ apparet inter alias relevans nequeo ego non judicare ferè prorsus inanem. Prius sanè ratione suppositi in quo fundatur: supponit namque diversitatem privilegiorum aliorum expressè, aliorum tacitè revocatorum: at nulla Regularium privilegia esse sic tacitè revocata constat; cum nequeat dici Concilium revocare quæ, ut compertum est, in suo esse relinquit quatenus omnium, & quorumcumque privilegiorum antea concessorum revocatio prætendatur. Et quatenus sistamus in revocatione privilegiorum, quæ Tridentino ipsi censeantur quomodocumque contraria,

ria,

ria, neque habet locum distinctio de revocatione expressa aut solum tacita, quia ex vi Tridentini verba addiecta *cap. 22. sessionis 25.* æque revocarent, & quidem expressè, quæcumque privilegia contraria quibuslibet Decretis aliarum præcedentium sessionum, quatenus omnes & singulas dictas sessiones æqualiter afficerent ac vigesimam quintam, quod idem repetendum obvenit de Bulla *in Principis* Pii PP. IV. omnia & singula privilegia quomodolibet Concilio contraria æqualiter annullat, sicut & quæcumque ferè posterior constitutio Summorum respectivè Pontificum eadem Concilio contraria privilegia in successivis concessionibus & confirmationibus æqualiter excipit. Deficit item meo parvo judicio suppositum ex parte privilegiorum ipsorum super quæ cadat controversia. Non potest siquidem hæc institui super concessis post concilium ipsum licet huic contrariis, quia per novam Bullam Pontificis censeretur in ea parte Concilio derogatum, de quibus ex professo in numero proximè sequenti. Eorum autem quæ prætenduntur ex adverso contraria Tridentino, & tamen a Regularibus in suo robore permanere utpote antea concessa & minimè revocata sustineantur: tenuem ita invenio numerum, ut sentire cogar agi de multum paupere Regno, ut patebit item perquirenti. In omnibus etenim quarumlibet sessionum Decretis in quibus prohibendo vel præcipiendo de Regularibus fiat mentio, vix posse salvari concedo, quin & ipsi præceptis & prohibitionibus alligentur, cum derogatione indirecta, & arguitiva saltem privilegiorum; quotiescumque verò neutiquam specificentur, aut ex vi contextus minime veniant Regulares, qua ratione ad literalem intellectum ipsos trahere, & mandatis aut prohibitionibus indifferenter adigere cum imaginaria tantùm & præsumpta privilegiorum derogatione, contra omnes regulas in odiosis? Addo, quod si mandata Tridentini cadant super necessario observandis ob alias eventura absurda, aut prohibitiones super illicita, ruat etiam suppositum; nempe quod vigeat aut prætendatur inter Regulares privilegium contrarium in casu: id nimirum destrueret legem naturalem & divinam, aut legem peculiarem foveret irrationabilem & injustam *L. Filius qui ff. de condit. instit. & L. si stipuler ff. de verb. oblig. cum concordat*. Est inanis item controversia in se ipsa, si praxis attendatur; habemus namque interpretes proprios circa dubia exorta ex diversa S. C. Tridentini intelligentia, videlicet Eminentissimos Patres Sacræ Congregationis ad id deputatæ, quorum munus & auctoritas viget occurrentes recursus circa hujusmodi dubia excipiendi atque explicandi nec non accurate resolvendi. Quæ quidem Sacra Congregatio ad propositum, quod omnia Regularium privilegia minimè sint extincta apertè indigitat; nam in casibus peculiaribus plurima ab exemptione dimanantia, vel eidem adnexa sustinet; immo aliqua per Concilium non fuisse revocata interdum manifestè declarat, ut apparet inter alia in una *Nullius* Congregationis Sancti Joannis Evangelistæ Portugalliæ *sub die 7. Novembris ab anno* 1596. ubi rescriptum est Privilegium recipiendi Ordines extra tempora minime Concilii Tridentini Decretis fuisse revocatum. *Tom.* 8. *Decret. pag.* 193. Sicque in casibus cœteris quantum ad revocationem, vel non, privilegiorum in particulari ex Tridentino deducendam, seu circa controversam contrarietatem cujuspiam ex privilegiis Concilio eidem, superfluum atque inane reperterem in theorica & speculativa decisione insudare, cum securior pateret accessus ad Sacrum Purpuratorum cœtum, ut circumstantiis perpensis decernat absolute quid tenendum.

§. VII. Quoniam verò alia distinctione nonnulli utuntur: concedentes nempe annullari per Concilium privilegia ea quæ non sunt inclusa in corpore juris, non autem illa quæ in corpore eodem includuntur; cujusmodi enumerantur plura Regularibus elargita, propter eamdem rationem neque huic effugio locum esse in præsenti addendum est. Potest etenim dari casus, in quo perpensis circumstantiis privilegia adhuc in corpore juris inserta, quatenus Concilio sint expresse contraria, per ipsum & Bullam Pianam censeantur abrogata; ut ex dictis in primo Tomo *Dub.* 10. *sect.* 5. & dicendis inferius coniicere quis valeret. Hinc dubia hujusmodi una cum pluribus aliis peculiaris notæ, non a Doctore privato, sed a præfata Sacra Congregatione certò resolvendum fore cogimur replicare. Quamvis nil relevet ad propositum responsio eorum, qui negant privilegia Regularium inserta in corpore juris contrahere eamdem vim juris communis, sicut reliqua inclusa ibi: eo quia semper retineant rationem privilegii; apud Joseph de Prosperis de Territ. separato *pag.* 83. *n.* 31. *& seq.* Nil refert inquam hæc respon-

sio; licet namque privilegium in corpore juris clausum non deperdat naturam privilegii non diversimode a cœteris quæ ibi continentur; quemadmodum scilicet contractus retinet rationem contractus, electio non exuit electionis naturam, & sic de reliquis non mutantibus naturam propriam ex eo quod jure communi inferantur & in ejus corpore dicantur includi, nihilominus aliquam specialem inspectionem mereri, & vim distinctam requirere nemo inficiabitur, ne dicatur superflua prorsus ejusmodi inclusio, quod asserere absolute & auctoritatem lædit Summorum Pontificum tribuentium juri canonico & contentis in eo robur præcipuum in probando, & apparet vel primo intuitu contra fas. Et revera propter hanc ipsam rationem distincti acquisiti roboris, sub derogatione generali non venire privilegia inserta in corpore juris tenuerunt Doctores fundatissimi resistente videlicet præsumptione, quod Concilium sive Pontifex derogans voluerit uno generali verbo absque speciali expressione & declaratione abolere id, quod tot vigiliis post maturam deliberationem & ex certa scientia antecessores Pontifices moti sunt decernere, & ob majorem dictam firmitatem in corpore juris claudi jussere. Crit. *in Cap. Licet de Constit. in 6. n.* 34. Felinus *in Cap. Nonnulli n.* 6. *de for. compet.* Butr. *in Cap. fin. eod. tit.* Roman. *cons.* 498. *n.* 13. *vol.* 1. Suarez *de leg. lib. VIII. cap.* 38. *n.* 12. Lotter. de re benef. *lib.* 1. *qu.* 7. *n.* 26. Amostaz de Caus. piis *lib.* 5. *cap* 11. *n.* 10. Passerin. super 6. *in Cap. Licet de constit. n.* 317. cum seq. Cokier de jurisd. Ordin. in Exempt. *par.* 3. *qu.* 6. *n.* 1. & seq. apud Rot. in Firman. 15. *Maii* 1694. *n.* 6. *decis.* 40. Monac. *part.* 2. *pag.* 337. Hoc non obstante, dari casus in quibus privilegia in ipso corpore juris inserta, & majori firmitate munita per Tridentinum & Pontificias Sanctiones abolita intelligantur, non negamus; sed speciali difficultate occurrente Judices proprios fore Eminentissimos Patres repetimus Congregationis ad id provide institutæ: absque eo quod regulas pro omnibus in genere assignare intentent privati Doctores.

5 Per sufficientem itaque demonstrationem claré constito; quod non omnia privilegia Regularium fuerint per Tridentinum sublata, aut penitus extincta, sed plura remanserunt integra, & quoad exemptionem absolute a lege Diœcesana, quæ non controvertitur, & in pluribus a lege jurisdictionis; juxta praxim, & ante & post Concilium continuata replicatasque Sacræ Congregationis ejusdem Concilii declarationes; ad quam item spectat in dubiis peculiariter emergentibus, quænam Concilio sint contraria privilegia, & quæ nequaquam definire; resolvenda formiter occurrit altera pars quæsiti subdivisi, antequam de communicatione eorumdem privilegiorum controversiam aliam aggrediamur, & supra n. 1. expositi. Utrum scilicet adhuc post Tridentinum privilegia de novo fuerint & vigeant Regularibus concessa? Ad quem respondent primò fundati Doctores, posse dici & censeri de novo concessa post Tridentinum privilega ea ipsa Regularibus, quæ vel antea ipsis elergita dehinc per Summos Pontifices in forma specifica, & ex certa scientia, & de plenitudine potestatis inveniuntur eis confirmata. Nam confirmatio a Sancta Suprema Apostolica Sede in forma specifica & ex certa scientia &c. sic præstita operatur, ajunt, perinde ac si privilegia, super quæ cadit de novo concederentur: necnon, revalidat quoties ex quacomque causa cessassent revocata, aut alias invalida reddita fuissent. Ex cap. 1. de Transact. juncta Gloss. fin., & alii gloss. *in Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ* V. ℣. *Ab Ecclesia* de Constit. & Cap. Per venerabilem *de confirmat.*. Suarez de leg. lib. 8. cap. 18. n. 12. Card. Tusch. *V. confirmatio*. Barbos. ad rubr. *de confirm. util. n.* 8. Piringh. eod. *n.* 4. Roderic. *tom.* 1. *qu.* 8. *art.* 6. Donat. *part.* 1. *tract.* 11. *qu.* 4. *&* 7. quos sequitur P. Reinffenstuel de privil. *n.* 77. *& seqq.* Gueber item de privil. *tract.* 1. *disp* 3. *sect.* 1. *n. signanter* 3. P. Didacus ab Aragonia *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. *& seq.* Quod autem de facto privilegia Regularium, signanter Ordinis Minorum confirmata sint in forma speciali & ex certa scientia deque plenitudine potestatis, non semel ostendunt Constitutiones ipsæ plurium Summorum Pontificum; nempe Gregorii XIII. *Ex benigna* sub die 10. Maii 1575. Sixti V. incipien. *Etsi Mendicantium* 3. *Octobris* 1587. Pro quo adnotandum quod & alia emanaverit Bulla a S. Pio V. incipiens pariter *Etsi Mendicantium de Anno* 1567. sed illa reducta fuerit ad terminos juris a Successore Gregorio XIII. perinde ac si non emanasset. Et ista etiam omissa non desunt aliæ Clementis VIII. utique ad propositum incipien. *Ratio Pastoralis* 20. Decembris 1597. Pauli V. *Injuncti nobis* 19. *Julii* 1607. Et aliæ per dictum P. Reinffenstuel fideliter allegatæ, tit. de privileg. §. III.

§. *III. & IV.* Prout diligentissime quascumque citationes Bullarum confirmantium in forma speciali &c. privilegia omnibus & singulis Religionibus tum Mendicantium tum non mendicantium respective, affert laudatus Gueber loc. cit. *sect.* 1. *per tot.* Non obstante hoc attamen quod ejusmodi confirmatio, licet in forma speciali & ex certa scientia prægnantibus sic clausulis munita, deberet censeri absolute nova concessio, & privilegiorum deperditorum quamvis & aperte revocatorum, reintegratio, atque revalidatio non parum dubitarem nisi aliud ipsi in proposito superaddatur. Confirmatio siquidem de sui natura importat corroborationem in recto, proinde supponit indeclinabiliter rem, per se deinde roboratam in aliquo esse; per Hostiensem in sum. *de confirm. utili* Decium, aliosque antiquiores, Barbos. *ad rubr. item* de confirm. *Util. n.* 5. Pirhing. *Ibi n.* 1. Sannig. *eod. tit. n.* 2. una cum Canonistis communiter & Theologis; cum alias quod non est, confirmari nequeat; Et qualitas, puta confirmatio, supponat necessario subjectum, *ex L. Et quia ff. de jurisdict. omn. jud.* Et si esse privilegii supponatur deperditum perinde se habere in casu, ac si nullatenus existeret negari nequit. Quod igitur confirmatio ex certa scientia per se solam novum jus tribuat actui, eumque quatenus invalidus foret, firmum validumque reddat, seu, ut sine ulla ambiguitate loquamur; quod det novum esse privilegio extincto, & subjecto non supposito, asserunt, & transcribunt circumloquendo unus post alium Doctores, sed nequaquam demonstrative probant; opportet per consequens, ut alia notanda, ipsique actui confirmationis addita, & adnexa ad firmandam certitudinem legalem advertamus; videlicet *innovationem* primario & principaliter, qui terminus de facto confirmationi privilegiorum in casu quasi semper adjungitur per illa verba *confirmamus, & innovamus.* Supplementum item cujuscumque defectus juris vel facti, per clausulam illam sæpe repetitam in Bullis confirmantibus &c. *Supplentes omnes juris, & facti defectus.* Ad quem effectum etiam inservire clausulam apponi solitam Constitutionibus iisdem, scilicet. *Sublato &c.* tradit Barbosa *clausul.* 175. *n.* 22. Ad hoc, ut ex his colligamus confirmationem licet ex certa scientia per se solam non tribuere privilegio novum esse quoties deperditum & revocatum fuisse constet ex antecedentibus, nisi Princeps per adjuncta sufficienter exprimat se velle revalidare alias invalidum, & reponere in esse quod existentiam amiserat. = Præscindendo deinde a controversia; utrum per novam confirmationem privilegia de facto post Tridentinum acquirant novum esse, utpote intelligantur noviter concessa; de aliquibus eorum in particulari. Si quæramus an revera post Tridentinum concessa de novo legantur, extra, & præter, ea confirmata per Bullas & Constitutiones universales; patet resolutio affirmativa ex probatis in tom. 1. Dubit. 1. Sparsim per sectiones 3. 4. & 5. Ubi de Potestate Episcopi super Regulares, & de iis, in quibus per concessiones speciales hi sunt ab ejus jurisdictione exempti agebatur & magis explicabitur infra, juxta opportunitatem.

6. Non est prætereunda tamen in hac materia privilegiorum, eorum etiam quæ sint speciali nota digna, constitutio famosa a pluribus sub silentio recondita Urbani Papæ VIII. edita. *die v. Novembris* 1631. apud Lezanam per extensum in Summ. V. *Privilegia Regularium n.* 21. & tom. V. pag. 438. Nec non Passerinum de electione canon. cap. 26. qu. 6. n. 56. In qua clare præcipitur, quod quævis Generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ in concernentibus fidem catholicam, ejusque propagationem, ac Sanctum Inquisitionis Officium hactenus editæ comprehendant omnes & quoscumque Regulares quantumvis privilegiatos per privilegia concessa sub quibuscumque clausulis; scilicet inserta vel non in corpore juris, vel per modum contractus, & remunerationis, etiam speciali quacumque alia nota, & mentione digna sint: imposterum autem edendæ tam in præfata materia, quam in quacumque alia re comprehendant etiam ipsosmet Regulares, nisi in edendis Constitutionibus hujusmodi specialiter, & expresse excipiantur = *etiamsi ipsi privilegiati forent, & magis speciali nota, & expressione digni, eisque privilegia gratiæ & indulta a Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus & formis* (ita ibi); *& quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, atque aliis insolitis clausulis &c. ex certa scientia &c. de Potestatis plenitudine &c. ad instantiam etiam Imperatoris &c. & alias quomodolibet concessa respective sint.* Inde inferunt Doctores, quod nullatenus prodesse queant Regularibus quibuslibet absque ulla exceptione privilegia sub quibuscumque efficacioribus clausulis concessa, quia ipsamet includuntur in Constitutionibus Generalibus tangentibus materiam Fidei,

& Sanctæ Inquisitionis tribunal signanter concernentibus, & quæ in Congregatione Sancti Officii, & de Propaganda Fide coram Pontifice pertractantur, quocumque tempore, tum ante tum post dictam Constitutionem, quæ incipit: *Cum sicut*, unquam editis. In aliis autem constitutionibus prohibitivis, & præceptivis super quacumque re, & materia generaliter emanatis comprehendi negare quis nequeat etiam Regulares quoslibet quamtumvis privilegiatos sub quibuscumque formis, etiam specialissima nota dignis &c., quoties Constitutiones conditæ sint post citatam eamdem Urbani *Cum sicut*, datam ut supra sub *die 5. Novembris ann.* 1631. Ita citatus præsertim Lezana constitutionem referens *tom.* 4. *&* 5. ubi supra. Quæ notabilis equidem Constitutio miror, quod latuerit diligentissimum alias Anacletum Reinffenstuel, cum nullibi hanc inveniam allegatam ab eodem. Nihilominus perpendendum etiam occurrit quantum ad Constitutionem hanc ipsam; quod, præterquam in materiis concernentibus Fidem ejusque propagationem, de quibus non est difficultas, in aliis nequaquam feriantur per illam Regulares quoad privilegia quæ obtinuerant ante dictum annum 1631. quo editum fuit diploma sub dicta *die v. Novembris*; quia privilegiis ante dictum tempus concessis libere possint uti, & frui; quatenus sub alia, & distincta revocatione non cadunt: ut ex verbis Bullæ. Cum ergo privilegia omnia in quacumque materia, præter relatam, præcedenter ad ipsammet Urbani Constitutionem emanasse & concessa fuisse constet ex citatis Paulo ante Constitutionibus, ipsa adhuc perdurare in suo robore non est dubitandum. In cæteris deinde Constitutionibus etiam post datam Urbani editis & edendis, licet universalibus, & quascumque Ecclesiasticas personas tangentibus, opportere item non est dubium, quod materia Regularibus sit adaptabilis ad hoc ut ipsos comprehendant: veluti si præcipiatur quod omnes & quicumque Ecclesiastici cathedraticum Episcopo solvant, manifestum est non adaptari præceptum Regularibus nil possidentibus; aut quod omnes processionibus interveniant, eximerentur adhuc absque dubio viventes in solitudine vel Clausura, veluti Chartusiani: ob insubsistentiam siquidem suppositorum ruere funditus quamcumque ordinationem ob defectum intentionis Papæ sustinet Rot. *decis.* 193. *n.* 8. *part.* 5. *&* *decis.* 414. *n.* 1. *part.* 14. *recent.* Sed & ulterius advertunt Authores, quod, cum nequeat Pontifex Summus ligare manus successorum, quin parem exerceant in casibus authoritatem, & potestatem; nec intendant ligare proprias quin diversimode a latis decretis valeat ipsemet successive deffinire; hinc nil impediat, quod Summus alter Pontifex vel ipsemet Pontifex idem si velit omnia privilegia ab ovo iterum concedat Regularibus, vel concessa ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmet simul & innovet in terminis supra assignatis perinde ac si de novo concederet cum sola exceptione *dummodo non sint Tridentino contraria*: non obstantibus quibuscumque &c. etiam necessario exprimendis; inter quæ quidem privilegia sic confirmata relevat illud jam pridem ad dictam constitutionem Urbani concessum, & generaliter admissum, quod Constitutiones generaliter editæ minimæ comprehendant Regulares aut eorum privilegia exemptionemque respective destruant, nisi de iis peculiaris saltem sufficiens fiat mentio S.C.C. in Neapolitana 30. Dec. 1617. ex Decreto signanter relato per Barbosam ad d. Conc. *Cap.* 8. *sess.* 23. de Reform. itaut manifeste appareat intentio summi Pontificis includendi Regulares, eorumque prilegiis in distinctis respective casibus derogandi, ut probat cum aliis Reinffenstuel de privil. §. VI. n. 125. & magistraliter explicat juxta communiter hisce temporibus exercitam praxim laudatus Gneber Lateranensis Canonicus tract. 1. Disp. IV. sect. 3. n. 16. & seq. Cum igitur post editam Bullam Urbani de *an.* 1631. non loquendo de Pontificibus reliquis, alia ab eodemmet Urbano emanaverit confirmans & renovans prægnantissimis verbis & clausulis, omnia & singula privilegia Regularibus antea quomodolibet absolute concessa cum sola limitatione: *dummodo Tridentino non adversentur*: jam satis explicata; non est dubium, quod hæc ultima, & posterior Pontificis Constitutio prævaleat in casu & sit magis attendenda quam prima, ut tenent Doctores communiter: ex congestis pariter per Ursayam *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 18. *n.* 10. *&* *discept.* 26. *n.* 57. Invenitur inquam Bulla posterior ejusdem Summi Pontificis Urbani edita de anno 1634. quinto *Cal. Aprilis* in favorem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum inter Constitutiones ipsius n. 131. per quam in forma speciali & specialissima conceduntur, renovantur ampliantur & confirmantur omnia privilegia antea eidem Ordini elargita si-

signanter a Paulo prædecessore V. seu quibuscumque Ordinibus Regularibus prius concessa; itaut per communicationem absque limitatione, aut præservatione ulla idem præfatus Ordo gaudeat & fruatur & siquidem Bullæ nec apponitur incommunicabilitatis clausula ulla. Unde aperte deprehenditur, quomodo omnia & singula privilegia restituerit, confirmaverit, & de novo concesserit idemmet Urbanus prædicto Ordini, inter quæ relevat mentio specialis facienda in præceptis, & universalibus prohibitionibus; per consequens idem concesserit Ordinibus ac Religionibus reliquis attenta communicatione reciproca minime sublata; immo commemorata in eadem posteriori Bulla, prout legenti patere potest juxta doctrinam pariter laudati Gueber *loc. cit. n.* 16. & ut magis infra dilucidabitur quantum ad communicationem: quod insinuavit item, licet aliqualiter intricatus, Passerinus de elect. can. *Cap.* 26. *qu.* 6. *n.* 61.

7. Quædam pariter quæstiones moveri solent in hac materia, sed prorsus inutiles. Et principaliter, an exemptio cum privilegiis ipsam concomitantibus competat Regularibus a jure, itaut jus commune hujusmodi exemptioni assistat. Cui respondet præ cæteris Episcopus Barbastrensis in suo Pastorali Regularium part. 2. qu. 2. a n. 8. usque ad fin. *Negative*: taliter quod jus commune exemptioni præfatæ non modo non assistat, sed resistat, probans fuisse de jure communi Regulares omnes subjectos Episcopis; qui proinde contra illos habet intentionem fundatam ex eodem jure, allegatque Rotam *decis.* 78. *part.* 1. *divers. & decis.* 15. *part.* 1. *recent.* Adversus Patrem Bordonum asserentem, quod exemptione fruantur Regulares de jure communi, quia eorum privilegia plura in jure sunt inclusa. Et contra Caspedum ampliantem opinionem Bordoni, nimirum, quod Episcopis nullatenus competat jurisdictio in Regulares de jure communi, nec quoad legem Diœcesanam, nec quoad legem jurisdictionis. Respondetque Bordono Barbastrensis, aliud importare quod privilegia sint de jure, aliud quod sint in jure, concedens secundum, & negans primum, quam propterea quæstionem reduci ad purum nomen, quis non videt? Alterum vero Auctorem scilicet Caspedum Barbastrensis increpat, non esse audiendum eo quia sit evidens, quod Summus Pontifex eximens in multis Regulares a subjectione Episcoporum, in reliquis illæsam horum jurisdictionem relinquat, quæ absolute iisdem competere supponitur de jure communi præcedenter ad exemptionem juxta peculiarem doctrinam Fagnan. *in Cap. Nimis grave* n. 3. de excess. Prælat. post Innocent. Abbat. Soccin., quibus additur Lottarius de re benef. *lib.* 1. *quæst.* 24. *num.* 96. Rot. *decis.* 52. *numer.* 1. part. 5. recent. *Francus Cap.* 30. *numer.* 118. At ex alia parte replicarent Caspedus, & Bordonus, quod per jus commune non tantum a subjectione Episcoporum eximuntur Regulares, sed inde Sedi Apostolicæ immediate subjiciuntur per jus ipsum claris, & perspicuis verbis; unde Ordinarium proprium cognoscunt ipsum Pontificem Summum, & sic per jura jurisdictio ordinaria, si quam super Regulares habuerunt ab initio Episcopi, in Papam Sedemque Apostolicam absolute transfertur, seu ab ipsomet Papa sibi absolute assumitur, dum vult Regulares immediate sibi fore subjectos: quod idem, præterquam in antiquioribus decretis clare habetur in Bullis replicatis, quæ *Mare magnum* nuncupantur, & in aliis: Quod si deinde aliqua Episcopis supra Regulares per Concilium & Summos Pontifices demandantur, considerandi sunt in iis casibus Episcopi tamquam Sanctæ Sedis Delegati, ac Officiales subalterni ejusdem Summi Pontificis, cui Regulares præfati immediate semper subjecti esse intelliguntur: veluti de facto hoc nomine, videlicet, tamquam Delegatos sedis Apostolicæ, & Concilium ipsum, & summi Pontifices in Constitutionibus, & Sacræ Congregationes in decretis solent in iisdem casibus Episcopos appellare; & est notorium in Clement. 1. *de suppl. negl. Prælat. Trident. cit. sess.* 5. *Cap.* 5. *sess.* 6. *Cap.* 2. *de reform. & alibi*: *In Bulla Inscrutabili* Gregorii XV. Constitutione Innocentii X. *Instauranda*, ac subsequenti: Decreto: *Ut in parvis*; Clementis IX. de accessu ad collocutoria Monialium. Bulla item Clementis X. *Superna*; ac in aliis sane innumeris sacrarum Congregationum Decretis. Ex Barbosa *part.* 3. *de Off. & potest. Episcopi alleg.* 92. *n.* 1. Ubi hic Author signanter excludit adversantium effugium; quod redeat, sive restituatur in his casibus Episcopis Authoritas ordinaria propria; quoties namque vocantur delegati præcipue si a jure, & non ab homine adjiciatur præfata clausula, intelliguntur ii possidere jurisdictionem non ratione Officii, sed specialis Commissionis, seu Delegationis, ut ex ipsomet nomine constat, quod idem amplius patet ex *cap. licet in corrigendis de offic.*

offic. Ordin. ubi ratio Ordinarii in Episcopo assignatur diversa a ratione delegati, ibi *ab Episcopo, non tamquam Delegato, sed tamquam Ordinario faciendis &c.* nec non ex Bulla *Inscrutobili*, aliisque Constitutionibus atque decretis; in quibus distinguuntur ea, quæ valet operari Episcopus in Regulares tamquam Ordinarius, aut tamquam Apostolicæ sedis delegatus, ut per nos etiam *dubit.* 10. *praecedentis tomi, sectionibus* 3. 4., *&* 5. plnries dictum est, & juxta opportunitates subsequenter replicabitur: Proinde concluderent absque dubio præfati Authores, si deficit per jura & in jure Episcopis super Regulares authoritas & jurisdictio ordinaria, exemptio in his a potestate Episcoporum non potest non colligi a jure, & apertissime in jure fundatur.

8. Hæc vero, & quæcumque altera consimilis quæstio, in qua non agitur de substantia rei, sed de simplici circumstantia videtur ut prænotavi, inutilis prorsus & parum juvare ad propositum. Certum est namque quantum ad substantiam, Regulares esse & haberi de facto absolute & immediate Sedi Apostolicæ subjectos; & propterea a lege tum Diœcesana, præcipue Mendicantes, tum a lege jurisdictionis esse generaliter immunes respectu Ordinariorum, ut late ostendunt inter alios Emanuel Rodriguez *quæst. Reg. tom.* 2. *qu.* 64. *art.* 2. *& seq.* Barbos. de offic. & potest. Episc. *Alleg.* 105. *n.* 11. *&* 12. At utrum a jure vel in jure tantum dicenda sit hæc ipsa exemptio; non solum a lege Diœcesana, de qua nulla videtur difficultas. Can. *Si ex Laicis*. 10. qu. 1. & *Can. Inter cætera* 10. *qu.* 3. *Can. Cum pro utilicate* 16. *qu.* 1. *Can. Quam sit* 18. *qu.* 2. Gloss. *fin. in cap. Dilectus* 18. de Offic. Ordinarii. Abb. ibidem *n.* 4. & Fagn. *n.* 3. Engel. in privil. Monast. *priv.* 3. *n.* 2. sed etiam a lege jurisdictionis, quæ videtur magis favere Episcopis, quibus antiquitus Monasteria & personæ in iis degentes procul dubio subjiciebantur; parum aut nihil ipsorum Regularium debet interesse, tanto minus, quæsitum prorsus futile; de quo jure sint exemptiones Regularium, quas de jure divino affert Miranda in Manuali *Prælat. part.* 1. *qu.* 23.; refutatus tamen a P. Aluisset Benedictino in Murenula vermiculata *Cap.* 8. *n.* 11. Ulterius indubium est ex altera parte, exemptionem Regularium a lege jurisdictionis Episcoporum, quamvis simpliciter & in terminis generalibus enunciatam in antiquioribus jurium decretis, & Pontificiis Constitutionibus, valde diminutam & in pluribus abrogatam fuisse deinceps; ut ostendit item Rodriguez *quæst. Reg. tom.* 3. *qu.* 64. *n.* 11. Attentis Concilio signanter Tridentino in locis ubi privilegia aperte revocantur; necnon Constitutionibus Apostolicis & Decretis in quibus pariter non una vice privilegia Regularibus adimuntur; proinde ipsismet Episcopis non possit negari subjici Regulares quoad frequentes casus respicientes non tantum sæculares Diœcesanos scilicet subditos Episcoporum; sed eosdemmet Regulares inter Claustra demorantes, quos casus considerandos utique ennmerat Fagnanus in *Cap. Grave, nimis. n.* 37. *& seq. de Offic. Ordin.* Barbos. de Off. & potest. Episc. *part.* 3. *alleg.* 105. Tambur: *tom.* 3. *de jur.* Abbat. *disp.* 5. *qu.* 11. Quod deinde in hisce casibus Episcopus procedat aut se habeat tamquam Judex & Superior Ordinarius, aut S. Sedis Delegatus, parum etiam referre videtur, & potius quam Regulares, tangere controversia summum Pontificem ex una, Episcoposque ex alia parte; quis eorum scilicet in dictis casibus habeatur eorumdem Regularium pro vero Ordinario. Non omissa tamen in favorem Episcoporum duplici advertentia; quarum prima est, quod, quando clausulæ præfatæ, nimirum *quod procedant tamquam Sedis Apostolicæ delegati*, additur particula sive dictio *etiam* ex. gr. in Conc. Trident. sess. 22. Cap. 10. ibi. *Possit Episcopus &c. etiam tamquam Delegatus Sedis Apostolicæ*: idemque *sess.* 6. *Cap.* 4. *de reform.* nec non in Bullis, & quibuscumque decretis: tunc dictio hæc *etiam* quæ est implicativa & augmentativa &c. præter jurisdictionem Delegatam, simul involvit & Ordinariam; ita ut potestas ipsa Delegata expressa in Concilio alteri potestati Ordinariæ suppositæ in casu accumuletur Fagnan. *in Cap. Ad audientiam n.* 54. *de Eccles. ædific.* Barbos. de potest Episc. *part.* 3. *alleg.* 92. *n.* 11. & alii. Ad quam primam opportune additur altera secunda advertentia, quod in dubio censeatur Episcopus quoad occurrentes & sibi competentes casus, velle uti jurisdictione Delegata & non Ordinaria; tum quia Potestas Papæ delegata sit magis sibi honorifica. *Cap. sane quia nos* 11. *de Offic.*, *& potest. jud. Deleg.* tum quia a Potestate delegata non teneat aut concedatur appellatio, nisi ad Papam. Hinc rarius appellari contingat. Barbos. *alleg.* 92. *cit. n.* 14. Sanchez *lib.* 7. *in decal. cap.* 29. *n.* 181. En-

gel

gel *de potest. Iud. deleg. n. 5.*

9. Habet nunc locum secunda principalis difficultas in hujus sectionis titulo proposita. Utrum videlicet, post Tridentinum privilegia, quæ extant aut de novo sunt concessa inter Regulares, præcipue Mendicantes, communicentur? Ad quam, licet absolutam negativam, quasi nulli Authores dare attentent; nimirum nequaquam amplius vigere post Tridentinum privilegiorum communicationem inter Regulares; attamen concessam communicationem inextricabilibus nexibus adeo implicant, ut fere sit impossibile declarare & eam ullatenus ad praxim reducere. Quamvis antem nos etiam de eadem communicatione plura dixerimus incidenter *dubitat. 10. sect. 3. n. 27. sect. 4. n. 54. 60., & 61. sect. 5. n. 67.*; hic nihilominus, utpote agitatam jugiter & in obscuritate relictam, iterum tractandam reassumere & declarare duximus opportunum. Asserunt itaque inter Doctores non pauci privilegia non esse communicabilia inter Regulares, quæ fuere una vice per Tridentinum revocata, licet de novo postea alicui Religioni concessa. Ita Matteuccius, licet & ipse Regularis, in Offic. Curiæ *Cap. 27. n. 14.* Ubi etiam ait, ea privilegia non communicari, quæ requirunt specialem mentionem. Et quamvis loquatur ibidem de privilegio quodam peculiari, dictas regulas quasi in universali proponit, ut conclusionem ad sui intentum deducat. Alii magis distincte; quod privilegia nequaquam sint communicabilia, quatenus raro & cum difficultate conceduntur; ut Pignatellus *tom. 10. consult. 1. n. 32.* Cui consentire videtur Cardinalis Petra *tom. 5. pag. 396. n. 16.* Ad sensum Rotæ *dec. 8. n. 7. part. 8. n. 1.*; quod item asserit Matteucci loc. cit. sed fortius reiciunt communicationem privilegiorum inter Regulares quoties illa præjudicant tertio; signanter Ordinariæ Episcopi potestati & jurisdictioni, Authores adducti a Pignatello dicto *tom. 10. n. 32.*, & per Rot. *dec. 704. n. 13.* coram Buratt., *dec. 959. n. 6.* coram Merlin., & *dec. 105. n. 3.* coram Cavallerio. Omnes item limitationes dictas licet cum aliquo moderamine affert Cardinalis Petra pluribus in locis: *tom. 2. pag. 38. n. 11. & seq. tom. 3. pag. 322. n. 14. & seq. tom. 4. pag. 182. n. 3., & tom. 5. pag. supracitat. 296. n. 16.* Verumtamen acrius pro hujusmodi privilegiorum incommunicabilitate quoad omnes præfatas limitationes decertat Monacellus *tom. 2. pag. 83. n. 33. & seq.* ubi negat communicationem quoties præjudicent jurisdictioni Episcopi, prout *pag. 117. ejusdem tom. 2.* tangit, non suffragari hujusmodi communicationem generaliter in præjudicium tertii. Omnia deinde comprehendit privilegia *tom. 4. in supplemento pag. 80. n. 444.* ubi inter censuratas propositiones plurimas Classicorum Authorum, proscribit item ex se ipso quadragesimam quintam in ordine desumptam ex P. Octavio Maria a Sancto Joseph *tit. 180. de Regular. interrog. 85.* quæ est ut sequitur. *Omnia privilegia Mendicantium, etiam Jesuitarum communicantur ad invicem*, subditque perspicax Monacellus. *Cave ab ista universali, & erronea propositione: nam privilegia tam Jesuitarum, quam aliorum Ordinum Mendicantium, quæ involvunt præjudicium tertii, vel sunt aliis onerosa, aut speciali nota digna, vel quæ raro conceduntur, vel demum jurisdictioni ordinariæ Episcoporum sunt præjudicialia & læsiva, non conferuntur per solam communicationem; sed indigent speciali, & expressa concessione: non obstante, quod communicatio habeat clausulas prægnantes; ut late probat Pignatellus*, ait ipse, *consult. 1. n. 32. 33. & 34. tom. 10. Et pluribus exemplis*, sic concludit, *& Decretis comprobavi ego tom. 2. pag. 83 a n. 33. ad 57.* autumans in allegato a se loco & a nobis etiam mox citato, sufficienter demonstrasse incommunicabilitatem privilegiorum, quatenus de iis aliqua ex præfatis circumstantiis verificetur. Ut igitur sine ambiguitate procedamus, cum debito ordine reassumentes ea, quæ alias dubit. 10. primi tomi locis cit. præmisimus.

10 Respondemus ad difficultatem cum opportunis distinctionibus, & primum; Non posse negari, privilegia concessa Regularibus ante Tridentinum, nec per ipsum revocata, adhuc communicari inter Regulares post dictum Tridentinum. Ratio evidens est, eo: quia communicatio hæc privilegiorum legitur impertita Ordinibus pluribus Regularibus, signanter Mendicantibus ante Concilium idem Tridentinum; ut per Sixtum IV. *in Mare Magno* Prædicatorum apud Lezanam *tom. V. §. 52. In Mare Magno item Minorum n. 152.* Necnon in Bulla aurea sic nuncupata ejusdem Sixti PP. IV. §. 9. apud citatum Lezanam *tom. eodem V. in Mare magno pariter Eremitarum S. Augustini* Pontificis ejusdem apud dictum Authorem *n. 5.* Ordinis Carmelitarum Sixti ejusdem IV. apud Rodriguez *tom. 1. Bullar. Bulla 37.* Et Lazanam *tom. V. §. ibi 105. seq.* Atque in *Mare*

Mare Magno Servitarum per Innocentium Papam VIII. §. 67. In quibus Bullis, signanter in Mare Magno Prædicatorum exprimitur communicatio ipsamet omnium privilegiorum tum concessorum, tum concedendorum ibi: *Perinde ac si, quæ uni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, utrique simul nominatim concessa fuissent, aut concederentur imposterum.* Idque habetur ex Bulla Leonis X. *Dudum lo* 32. *tom.* 1. *Bullar.* Expressa nempe Ordinibus Mendicantibus *communicatio privilegiorum omnium, tum concessorum tum concedendorum; ita ut, eodem prorsus modo, quo conceduntur privilegia uni ex iis Ordini; intelligantur concessa, & aliis communicantibus*: juxta firmata itidem per Rotam *dec.* 194. *n.* 22. *port.* 5. *recent.* Et in una Valentina decimarum coram Lancellotto 28. *Novembris* 1603. In una pariter Bononien: Exemptionis coram Verospit 25. *Maii* 1608. De quibus etiam Oldradus *consf.* 200. Tamburin. de jur. Abb. *tom.* 1. *disput.* 15. *qu.* 18. *n.* 35. Suarez de leg. *lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 15. Lezana *tom. d.* 5. *in More Magno Carmelitarum* §. 105. Hujus autem concessæ communicationis inter Regulares fere omnes Mendicantium ac etiam Ordinum non Mendicantium reciproce ex Clemente VIII. in Constit. *Rotio Pastoralis*, Paulo V. *Injuncti nobis* & altera ejusdem *Religiosorum virorum*. Gregorii XV. *Ad uberes fructus* 18. in ordine, & aliis ipsimet *n.* 22. 33. & 42. apud Cherubin. *tom.* 4. Et videndis apud Lezanam *tom.* 4. *V. Mendicantes Regulares n.* 3. & 4. privilegiorum tum concessorum tum concedendorum non invenitur revocatio; nisi quatenus per Tridentinum multa revera privilegia annullantur, per consequens annullatorum communicatio evanuerit: sistendo in concessis ante ipsum Concilium. Est innegabile igitur, quod in privilegiis, quæ per Concilium non fuerunt irritata, quæque adhuc perseverant post Tridentinum ipsummet, & in quibus antea communicabant Regulares, adhuc communicent in præsenti: nisi velimus concludere, quod communicatio ipsa in Bullis Summorum Pontificum fuerit verbum otiosum quod non debeat attendi; utpote nihil omnino operetur; non obstante, quod ipsa etiam per Pontifices eosdem summos concessa fuerit, ut expressissimum & peculiare privilegium; quod sane asserere doctor privatus auderet contra omnia jura, contra communem aliorum sensum, & contra fas *Cap. in bis de privil.* juncta gloss. Sylvester Navarr. Azorius Suarez Salas, relati a Tamburino de jur. Abbat. *tom.* 1. *disp.* 16. *qu.* 5. & alii communiter. Quod si quæratur; quænam sint ista privilegia adhuc post Tridentinum perdurantia; utpote per ipsum non revocata, in quibus communicabunt antea Regulares, & continuo communicant? Replicandum foret, esse plura quam fortasse imaginetur inquirens, nec propterea sine prolixa nimis digressione posse hic numerari. Legenda proinde apud Ambrosium Coriolanum in Chronicis Ord. Eremit. Sancti Augustini Casambium in suo compendio. Rodriquez in Bullario, signanter in compendio privilegiorum Ordinis Minorum emendato per Patrem Hieronymum a Sorbo; in compendio item privilegiorum Societatis Jesu, & brevissime recensita apud Anacletum Reinfenstuel *tit. sæpe dicto de privileg. n.* 131. & *seq.* Nec deferendum Authoribus iisdem; sed Pontificiis diplomatibus, per eos adductis.

11\. Respondetur secundo. Vigere communicationem inter Regulares privilegiorum concessorum post Tridentinum, de quibus non constet communicationem eandem esse revera prohibitam. Ratio est quoque innegabilis; quia in præfatis Constitutionibus ante Tridentinum habetur concessa expressissime communicatio privilegiorum tum concessorum tum concedendorum inter Regulares: ex supracitatis apud Lezanam *tom.* 5. *in Mare Magno* cujuscumque Religionis, ubi non loquitur Lezana sed summus respective Pontifex, contra quem nullus sentiet, quod prævaleant Doctores peculiares. Respectu igitur privilegiorum concedendorum imposterum opportet quod ostendatur expressa revocatio a Sancta Sede ejusdem communicationis; ad hoc ut firma determinatio motu proprio, & ex certa scientia facta prius circa illammet, vim amplius non habeat seu præseferat in casu; quæ quidem Generalis communicationis revocatio difficulter invenietur. Ulterius post Tridentinum ipsum afferuntur pro Regularibus confirmationes, ac novæ concessiones communicationis privilegiorum inter ipsos, verbis claris rotundis & grammaticaliter intelligibilius plurium Summorum Pontificum. Verbis autem ita claris & grammaticalem sensum importantibus, perperam, & contra omne jus additur interpretatio, signanter contraria eorum sensui manifesto. *Ex l. Licet Imperator ff. de Legatis* 1. & *l. Illa, aut illa ff. de Legatis* 3. Gloss. *in Cap. Cum dilectus*. 8. *V. Jure communi de consuetud. ibi in verbis claris interpretationem desiderare idem foret ac nodum in scirpo quærere*.

Abb.

Abb. *Conf.* 97. *n.* 1. *lib.* 2. Tuschus *l. V. Concl.* 108. Barbos. *axiom.* 122. *n.* 32. Et in terminis privilegiorum, *in Cap. Ad audientiam* 12. *de decimis*. *Cap. Porro* 7. *de privileg.* ibi. *Quod totum inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potes; & secundum quod invenies ita observa*. Necnon *Cap. Recipimus eod. tit.* ibi. *Inspicienda sunt item privilegia & ipsorum tenor diligentius est attendendus*. Quod vero per clarissima verba excludentia sic omnem interpretationem privilegiorum communicationis, seu communicatio privilegiorum concedatur Regularibus, post Tridentinum, per Constitutiones publicas Summorum Pontificum in Bullario per extensum recensitas, non est opus hic controvertere; cum eos ad libitum quis legere queat & sufficit proinde nobis easdem indigitare. Incipiendo itaque a Minoribus; his impertitum legitur privilegium communicationis, post Tridentinum, cum omnibus aliis Ordinibus Mendicantibus atque non Mendicantibus in ampla forma & ex certa scientia; privilegiorum, indultorum &c. *Tum concessorum, tum concedendorum; perinde ac si, ipsimet Ordini Minorum omnia specialiter & verbatim concessa fuissent*; per Sanctum Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. per extensum in dicto Bullario, & apud Herinex *disp.* 4. *de leg.* §. 6. *n.* 73. In Bullis item recentioribus Clementis VIII. *Pastoralis sub die* 20. *Decembris* 1597. *la* 51. in Bullar. *tom* 3. Pauli V. *Injuncti nobis; sub die* 19. *Julii* 1607. Urbani *quoque* VIII. *In plenitudine &c.* Quæ Constitutiones: nempe Clementis VIII. signanter, Pauli V., atque Urbani VIII. fuere pariter in forma speciali confirmatæ & veluti renovatæ cum omnibus in eis expressis per *V.S.Dei* Innocentium Papam XI. in Bulla *Exponi nobis sub die* 8. *Septembris* 1686. Religio quoque Prædicatorum in privilegiis sibi concessis exhibet illud communicationis cum cæteris tum Mendicantibus tum non Mendicantibus per plures Summorum Pontificum Constitutiones post Tridentinum; signanter in Bulla Clementis VIII. *Injuncti Nobis* per extensum apud Donatum *part.* 1. *tr.* 11. *q.* 8. Similiter ejusdem Clementis VIII. Constitutio habetur in Bullario Patrum Carmelitarum Discalceatorum n. 2., ubi communicatio exprimitur privilegiorum cum Mendicantibus, & non Mendicantibus tum concessorum, tum concedendorum, relata item a Lezana *tom.* 5. *in Mari Magno Carmelitarum* §. 105. *n.* 524. Apud quem Authorem legitur etiam communicatio privilegiorum reciproca inter Mendicantes & non Mendicantes post Tridentinum per Bullas Summorum Pontificum a se citatas, cum extensione ad privilegia tum Mendicantibus tum non Mendicantibus *concedenda tom.* 1. *Cap.* 3. *n.* 17. & *tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 61. & 62. Privilegia pariter omnia Monachorum cum amplissima communicatione contulit Cistercienfibus Congregationis Sancti Bernardi Gregorius XIV. in Bulla incipien. *Romanus Pontifex n.* 16. Sicuti Cisterciensibus omnibus cujusvis speciei communicationi cum cæteris Ordinibus confirmavit idem Pontifex in Bulla *Exponi Nobis la* 54. *tom.* 3. *Bullar.* §.4. Fratribus autem Reformatis Discalceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum in forma speciali & specialissima habetur elargita communicatio privilegiorum omnium cum quibuscumque Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium per Paulum V. in sua Bulla *n.* 60 §. 2. sub die 15. *Decembris* 1609. Quæ Constitutio in terminis prægnantissimis confirmata & ampliata fuit ab Urbano Papa VIII. etiam ad Privilegia quæcumque Societati Jesu concessa: in Bulla *n.* 131. §. 3. *anni* 1634. quinto Calendas Aprilis; posterius ad Constitutionem derogatorum privilegiorum; si & quatenus; ejusdem Pontificis prius emanatam sub *die v. Novembris* 1631. Et superius per nos jam adducta n. 6. Cum igitur Predicatorum adhuc post Tridentinum Minorum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum & cæterorum fere Religiosorum Ordines, & Societates communicationem privilegiorum reciproca in Bullis sibi respective propriis, per clara & apertissima verba ostendant in casu; perinde ac si privilegia cujuscumque respective Ordinis &c. Alteri, & unicuique ex ipsis impartirentur & concederentur: non est profecto unde communicatio hæc eadem denegari valeat ab Auctoribus privatis: absque eo quod derogatio etiam clara Communicationis ejusdemmet in medium proferatur; nisi dicatur ut jam tactum est, quod clausulæ præfatæ communicationis verbis admodum prægnantibus expressæ nil prorsus operetur in Bullis; aut in isto casu communicationis privilegiorum jura despiciantur, nec communis attendatur Doctorum sententia, quod nimis frustranee, & infructuose reddi non possit indulgentia Principis. Arg. *Cap. in iis de privil.* juncta Gloss. ibidem ℣. *Ex indulgentia* Fagn. cum aliis in *Cap. cum propter* de Jurepatr. *n.* 41. & 53. Et quod verba legis in Bullis signanter Summorum Pontificum, aliquid debeant semper ope-

rari. *Cap. si Papa & de privil. in 6.* ibi *Cum verba aliquid operari debeant* & Cap. *si a Judice, 10. de appellat. in 6.* cum concordantiis ibi allegatis a Gloss. ℣. *Cum effectu*. Quod debere extendi ad unicum verbum; immo ad minimam syllabam: ne superfluere dicatur absque ulla operatione, docet Cardinalis Tuschus lit. V. Concl. 895. n. 4. 7. & 9. Barbos. axiom. 222. n. 12. cum cæteris ab eo citatis. Et legendus Anacletus Reinfestuel lib. 1. in Proem. n. 113. usque ad fin. §. VII.

12 At instant Doctores hujusmodi privilegiorum Communicationi infensi, quod ipsa sublata sit defacto per Tridentinum & per Constitutiones Summorum Pontificum plurimas. Verumtamen replicamus, derogationem sive abrogationem communicationis privilegiorum asseri quidem ab Auctoribus præcipue super allegatis absolute & juxta recensitas exceptiones & clausulas, sed minime exhiberi: nisi inquantum sola eorum propria auctoritas pluribus in casibus debeat prævalere, ut exactius adhuc examinabimus infra. Cæterum regulariter tolli communicationem, quoties tolluntur, & revocantur privilegia ipsa cum addita Clausula: *etiam obtenta per viam communicationis*, aut alia simili non, diffitemur. Quod si non adderetur hujusmodi clausula; adhuc communicationem tolli concedimus consequenter sublato & prohibito expresse privilegio, ex regula notissima *juris in 6. Cum quid probibetur, probibentur omnia, quæ sequuntur ex illo n. 39.* & alia *n. 84.* ibid. *Cum quid una via prohibetur alicui*; puta prohibitione absoluta, & universali. *Ad id alia non debet admitti*: Attamen quoties ex integro remaneat privilegium, quod non potest gratis asseri ejusdem sublata communicatio, nisi ex auctoritate concedentis, qui communicationem inhibeat vel alia urgente causa communicationem ipsam excludente prout explicabimus; merito probant Rodriguez *tom. 1. qu. Regul. qu. 5. art. 18. & qu. 55. art. 22.* Portell. Regul. V. *Privilegiorum communicatio n. 8. & 21.* Lezana *tom. 2. Cap. 1. n. signanter 52. 56. & 62.* Reinffestuel *tit. d. de privil. n. 87.* Quantum deinde ad Tridentinum; privilegia censeri per illud sublata, pariter concedimus, & per consequens communicationem in ipsis quoties revocatio inibi exprimitur eorum, vel contraria ipsimet Concilio juxta normam superius traditam, deprehenduntur, aut ut talia per Sacram Concilii Congregationem seu Eminentissimos ejusdem Concilii Interpretes declarentur; absque eo quod tamen comparat ive ad dictæ Congregationis judicium attendenda sit peculiaris Auctoris sententia: ex ostensis supra n. 4. Unde Clarissima deducitur ad propositum conclusio, quod circa ea privilegia, quæ Concilio Tridentino minime contraria reputantur & declarantur; attentis quamvis Concilio ipso, & Bulla Pii IV. *in Principis*, communicatio non prohibeatur; potius Summorum Pontificum, nec non præcedentium jurium auctoritas de communicatione, adhuc censenda sit perseverare juxta vulgatas regulas; quod, *Exceptio firmat regulam in contrarium ex l. In iis quæ ff. de legibus: & in 6. Decret. n. 16. & 17. Quod decet concessum a Principe beneficium esse mansurum: & quod in dultum a jure beneficium non sit alicui auferendum additis l. 4. §. si quis condemnet ff. de re judicata l. Adulter C. ad l. Jul. de adult. Cap. si super gratiam 9. de. off. deleg. Cap. si cui 36: de prebend.* Fagn. in *Cap. illa n. 31. Nè Sede vacante*. Barboff. cum ab eo allegatis, *axiom. 85. n. 4.* Juxta celebrem item regulam: quod *non censetur plus de priori lege mutatum quam sit expressum in posteriori ex l. Præcipimus C. de appellat.* cum concordantiis. Idemque prorsus respondetur, quantum ad posteriores Bullas, privilegiis & communicationi eorum derogantes: cum omni nempe reverentia & obedientia, Bullas & Constitutiones esse amplexandas & exequendas a Regularibus, sed inquantum Bullæ, & verba in iis sonant, & non ultra; & proinde exclusis privilegiis determinatis, quæ in ipsismet Bullis per viam communicationis, aut quamcumque aliam jam obtenta, revocantur, cætera adhuc vigere & inter Regulares communicari: absque eo quod tenor prohibitionis & revocationis a privata male affecta Auctoris auctoritate debeat aut valeat extendi: propter rationes etiam, quas non est necesse hic repetere, jam datas *tom. 1. dub. 10. n. 27. 61. & 67.*

13 Sed quid? Si revera in concedendo privilegio alicui Ordini Regularium Pontifex se declaret & addat Clausulam; quod nequaquam aliis Religionibus, sive Ordinibus Regularium communicetur. Respondetur, rarò inveniri Bullam concedentem alicui Religioni privilegia hujusmodi cum privativa; quoties tamen exhibeantur; non esse dubium, quod cæteri alii Ordines, quibus prohibita est expresse communicatio, excludantur; quia ejusdem, quia potest concedere privilegium, est simpliciter, vel cum limitatione illud impertiri, & ad eumdem, qui eximit aliquos a le-

a lege spectat subditos alios ad ejusdem legis obligationem reducere, vel ad sui placitum, vel libratis circumstantiis juxta æquitatem. Layman. *lib. 1. tr. 4. Cap. 23. n. 19. 25.* Azorius Sanchez Escobar alios referens *exam. 15. de privileg.*: nec super hoc difficultas ulla locum habet. Excipitur hoc non obstante casus, in quo per novam concessionem communicatio, quæ fuerat prohibita, iterum aliis Ordinibus impartiatur in terminis prægnantibus, qui importent dictæ privativæ derogationem, vel nova hæc concessio fiat ab eodem Pontifice, qui limitavit privilegium ad Religionem unicam, & communicationem ejus aliis Ordinibus inhibuit, vel fiat a Summis Pontificibus Successoribus. Etenim patet de eodem Pontifice, quod sicut limitationem apposuit, ita potest de medio eam tollere, & sicut communicationem inhibuit valet deinde noviter concedere. Quantum ad alios Successores Summos Pontifices probant facile Doctores; eo quia sint ejusdem potestatis ac ille qui prohibuit. Ad Textum *Cap. innotuit de elect.* & par in parem non habeat auctoritatem & imperium *Cap. Exlit. §. cæterum de Verb. signif.*, & est communis, ut non una vice præmissum est. Quod si super his oriatur difficultas, habemus Judicem; videlicet Sanctam Sedem Pontificem Summum & Sacram Congregationem; cui commissa est specialis facultas in occurrentibus hisce casibus, cum alioquin Auctor privatus quilibet possit equidem opinari, sed nequaquam ferre sententiam. Alia nihilominus non desunt motiva, præter expressam derogationem, & prohibitionem, propter quæ privilegia uni Religioni concessa, cæteris omnibus minime communicentur, vel de communicatione eorum dubium oriatur speciale. Et primo non est negandum, illa nequaquam communicari privilegia alicui Ordini, quæ Regulari ejusdem observantiæ sint contraria, seu sistemati, & institutioni illius non accomodentur; prout defacto in communicationibus concedendis hac limitatione usi sunt plures Pontifices Summi. Videlicet, *Dummodo suæ Professioni Regularis Observantiæ non sint contraria*. Ita Clemens VII. In Bulla quæ incipit *Dum fructus uberes* pro Minoribus. Ac S. Pius V. Sixtus pariter V., & novissime Innocentius S. M. XI. in sua Bulla *Exponi Nobis V. Septembris* 1686. ibi *dummodo Regularibus Ordinis prædicti institutis non adversentur.* Quod item Pontifices nonnulla in concedendo privilegia diversis aliis Ordini-

Tom. 2.

bus expresserunt. Si autem non exprimant, adhuc præsumitur idem motivum excipiendi communicationem in casu valere juxta exigentiam æquitatis. Quomodo etiam conveniat Religioni cuilibet Mendicanti usus Mitræ, & baculi Pastoralis? Quomodo Religioni Minorum facultas alienandi stabilia, quæ non possidet, & quid simile? Ex eo quia non sit æquum credere quod concedere voluerint Pontifices Religioni alicui privilegia, quæ in illius destructionem verterentur: ex Rodriguez, & Portello supracit. nec non Lezana *tom. 2. cap. 1. n. 56. & 62.* Et confirmat Eminentissimus Petra pluribus in locis, quod scilicet privilegium, ad hoc ut communicetur debeat esse adaptabile institutis, & moribus participantium: Joannes de la Crux de stat. Relig. *lib. 2. cap. 4. dubit. 1. & 3. & Cap. 8. dubit. 1.* verum sufficit uberrime Summorum eorumdem Pontificum allegata exceptio, & declaratio. Concedimus pariter non habere locum communicationem privilegii, quotiescumque non verificatur finis ejus peculiaris, & adæquatus, ut si concedatur Altare portatile præcise pro Missionibus in partibus Infidelium, certum est hujusmodi privilegium remanere incommunicabile Religionibus & Religiosis inibi Missiones non exercentibus: ex jam dictis *tom. 1. Dubit. 10. sess. V. n. 67.* Pro quo videndus Lezana tom. 4. *Verbo Privilegia Regularium* erudite clare & distincte differens. n. 14. & seq. ubi etiam de clausulis quas apponere solent Summi Pontifices in concessione eorum. Quomodo per non usum cesset privilegium, & ejus communicatio; ibi n. 15. per contrarium usum, aut per abusum n. 16. & 18. Anacletus item Reiffenstuel *lib. 5. tit. 33. §. VIII. n. 186. & seq. & §. X. per tot.* signanter quantum ad Communicantes in privilegiis §. 3. *n.* 69. atque ultimo Rupertis Gueber de privileg. tr. 1. nec pretenditur, quod deferatur in casu Authoribus Regularibus, sed ponderi rationum solummodo & innegabilibus textibus: ultraquamquod agitur de paupere Regno; de privilegiis scilicet parvi momenti, nullatenus præjudicium inferentibus jurisdictioni Ordinariorum erga proprios subditos; præsertim si substineantur in se communicabilia, ut distincte jam dubit. cit. & distinctius infra.

14 Nunc examinandæ, veniunt rationes allatæ ab opinantibus diversis: n. supra. 9. propter quas privilegia nequaquam sint amplius inter Regulares communicabilia. Et prima fuit adducta a Patre Matteucci; revocatio scilicet facta per Tridenti-

 num

num ita quod privilegium quod fuerit ab ipso Concilio sublatum; quamvis postea alicui Religioni seu Regularium Ordini concedatur iterum; non tamen aliis Ordinibus communicatur: super quod motivum, cum sufficienter fuerit disputatum *tom. 1. dub. 10. sect. IV. n. 61.*, non est opus hic longius progredi; sed iterum consideranda proponuntur hæc duo: primum, quod ratio per Matteuccium & alios fortasse allegata in casu probaret tantum quoad privilegia per Concilium sublata & abrogata; non tamen de aliis quæ expresse Concilium non revocavit; & adducere quod Concilium revocavit omnia est repetere verba sine ratione: juxta superius jam allegata & probata. Secundum autem, quod magis ad propositum animadvertendum replicamus; quantum ad privilegia revera per dictum Concilium expresse rejecta & abrogata, in hoc consistit, quod, sicut post Concilia aliqua privilegia, jam abrogata per ipsum Religionibus peculiaribus concessa inveniuntur; ita & ante & post Concilium fuerit concessa communicatio pluribus & fere omnibus Ordinibus privilegiorum *tum concessorum tum concedendorum*. Et quamvis in concessionibus privilegiorum noviter factis post Concilium legatur apposita clausula jam superius relata: *dummodo Concilio Tridentino non adversentur* aut aliqua similis. Nihilominus advertendum etiam venit; quod quatenus communicatio privilegiorum, sit & ipsa privilegium juxta alibi dicta; ipsamet communicatio privilegiorum tum concessorum tum concedendorum nullatenus invenitur per Concilium idem Generaliter revocata: unde non possit dici Concilio adversari, & propterea in subsequentibus Constitutionibus excipi juxta notissimam regulam, quod lex limitatoria dum certum casum a lege excipit censetur hunc declarare, & confirmare, saltem ipsi non derogare in reliquis. *l. quæsitum* §. *Denique ff. de Fundo instructo*. ibi. *Nam qui hæc excipit, non potest non videri de ceteris rebus, quæ in ea essent, sensisse*. *l.* Præter ff. de Judiciis Barbosa cum communi axiom. 136. *n.* 5. 6. & 7. Nec contra datam doctrinam potest allegari Constitutio Innocentii XIII. pro Regnis Hispaniæ emanata, incipiens. *Apostolici Ministerii*; & de hinc a Benedicto cl. mem. XIII. confirmata, & renovata. *sub die* 23. *Septembris* 1728. Ubi §. *Enixe* habentur sequentia verba: *Decernimus, & declaramus, nullum pro impedienda, aut suspendenda executione eorum, quæ in ipso Concilio sancita sunt, suffragari posse ac debere contrarium privilegium, quod ante prædicti Concilii promulgationem a Sede Apostolica obtentum fuerat; nisi etiam post ipsum Concilium erit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum vel noviter concessum &c.* Responderent namque Communicationem privilegiorum sustinentes, non plus probare hanc Innocentii & Benedicti Pontificum constitutionem; quam illam Pii Papæ IV. *In Principis*; videlicet abrogari tantum per eamdem privilegia ante Concilium concessa & huic contraria; at communicationem privilegiorum, quatenus subsistant, non esse Concilii contrariam; cum nullibi in ipso inveniatur generaliter prohibita: ideoque nil contra communicationem hanc eamdem privilegiorum subsistentium facere dictam Innocentii Bullam. Quinimmo per illam adderent probari mirifice intentum: cum enim agatur de privilegiis sublatis quidem per Tridentinum, sed postea ab Apostolica Sede confirmatis & noviter concessis; quoties hæc in præfata Constitutione excipiantur, & supponantur valere, etiam communicationis eorum per consequens tamquam privilegii noviter in forma specifica confirmati atque concessi non posse negari subsistentiam. Cæterum si super hoc puncto rationabilia emergant dubia, non esse sidendum, ipse repeto, Doctorum peculiarium placitis, sed Sedem Apostolicam fore consulendam; uti n. 4. cautum fuit.

§. Un. Qua occasione aliud hic incidens solvitur dubium pro pleniori notitia legentium; licet vel mediocriter peritis erit jam nota solutio. Utrum quoties concedantur in forma speciali alicui Ordini post Tridentinum nova privilegia, eidem Concilio contraria, & communicatio in iisdem cum aliis Ordinibus, necesse sit quod in nova Bulla præfati Tridentini expressa mentio fiat & derogatio; Hoc autem dubium opportune hic infero, eo quia Bernardus Zegerus Van-espen tom. 2. sui operis in Repagulo canonico pag. 305. §. 1. Ad secundum assertum, alte conqueritur, & exclamat contra Patrem Iacobum a Sancto Antonio Carmelitam pro parte aliorum Regularium sustinentem ibi. *Privilegia per Tridentinum non censeri revocata, nisi expressa eorum fiat revocatio. Per privilegia vero post Tridentinum concessa censeri eidem Concilio derogatum; licet non sit expressa hujusmet derogatio*. Adducitque Van-espen authoritatem Conciliorum pro indispensabili eorum mentione, quatenus ipsis derogatum censeatur; citans quæ præmisit

misit in Corrolariis ad Regulam quartam initio Capitis 2. pag. 303. Nec intrare prætendit quæstionem, An Pontifex Summus possit Conciliis Generalibus derogare, bene tamen sustinet in casu; quod, nisi in derogatione Generali Concilii Tridentini specialem faciat mentionem, minime eidem derogare velle deprehendatur. Etenim quantum ad primam partem assertionis per hunc Doctorem reprobatæ, quod nempe, privilegia per Tridentinum non censeatur derogari; nisi specialis eorum mentio sive derogatio fiat, jam satis diximus *tom.* 1. *dub.* 10. *n.* 61. & in hac ipsa sectione superius n. 3. Quantum ad secundam, quæ præsens quæsitum tangit, in vanum dolet Van-espen contra Jacobum Carmelitam aut contra Regulares, quasi ab his solis, aut illo probris asseratur, valere Constitutiones Summorum Pontificum; tum in concedendis privilegiis & eorum communicatione; tum in decernendis, & statuendis quibuslibet aliis Tridentino Concilio contrariis, seu adversus Concilii ejusdem sanctiones & decreta, esto de eodem Concilio expressam mentionem non faciant cum addita derogatione: perpendere namque attentius debuisset Concilium ipsummet; ubi hanc facultatem approbandi quæ in eo statuta & decreta sunt vel revocandi, & aliter disponendi Summo Pontifici competere apertè declaravit & sancivit sess. 25. *Cap. ult.* ibi. = *Sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse; ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*: accedente declaratione pariter Pii Papæ IV. in sua Bulla confirmatoria *Benedictus*; in qua facultas interpretandi, decidendi &c. Summo Pontifici præcise reservata decernitur. Ex quo proinde, in concursu Decreti conciliaris, & sanctionis Pontificiæ, diversimode, & contraria hinc & inde sententium, prævalere voluntatem Pontificis absque aperta ulla derogatione ac mentione Concilii; ad hoc, ut Sedis Apostolicæ authoritas sit salva, concludunt, præter Regulares, Mariscot. *lib.* 2. variar. resolut. *cap.* 38: *n.* 41. referens sic firmasse Rotam in una Ulisipponensi decimarum 27. *Novembris* 1572. coram Robusterio, & in una Oriolen. pariter decimarum 8. *Februarii* 1588. coram Orano. Gonzalez super regulam 8. *Cancell. Gloss.* 6. *n.* 120. & in terminis privilegiorum Gratian. discept. 940. *num.* 15. & 16. & discept. 990. *n.* 12. & 13. Rot. *dec.* 498. *n.* 27. *part.* 19. *tom.* 2. *recent.* Card. de Luc. adnot. ad Sacr. Conc. Trident. *disc.* 1. *n.* 15. Caval. *dec.* 601. *n.* 3. Fagn. *Cap. ex parte n.* 6. de privil. Adden. ad Barat. *dec.* 463. *a n.* 4. Et universaliter non esse necesse fieri expressam mentionem Concilii Tridentini, ut ei derogetur, declaravit S. Cong. ejusdem Concilii 2. *Martii* 1600. *lib.* 9. *decr. fol.* 86. Testaturque Bonacina de censuris *disp.* 2. *q.* 5. *part.* 2. *n.* 7. hanc propugnare sententiam Doctores omnes Romanæ Curiæ expertos, allegans inde plures Sacræ Rotæ decisiones & stylum Curiæ; & propterea ipsis magis standum concludens, quam Authoribus aliis oppositum tenentibus qui extra Curiam scripserunt. Accedit Cardinalis Petræ sententia *tom.* 4. *ad Constit.* 3. *Gregorii* XV. ubi observat, quod non tantum decretis S. Conc. Tridentini derogatum censeatur per derogationes generales, quæ sanctionibus Apostolicis quibuscumque solent apponi, sed adhuc per dispositionem aut concessionem contrariam iisdem Decretis, absque ulla expressa derogatione; idque ratio ipsa naturalis videtur suadere; quia Summus Pontifex non debet presumi ignorare Decreta Concilii Tridentini, quod inest continuò præ manibus singulorum Prælatorum; ut Bonacina subdit loc. cit. & signanter ignorare nequeat dictum *caput* 21. *sessionis* 25. ejusdem Concilii de reform. ubi Authoritas Apostolicæ Sedis supra præfata omnia Decreta dicti Concilii clarissimè excipitur & præservatur. Idemque repetit Cardinalis ad Const. 18. Innocentii IV. n. 20. Quamvis absque aliis citationibus sufficiat motus proprius Sancti Pii V. sub die 23. Decembris anni 1570. per Garziam de benef. part. 4. cap. 5. de verbo ad verbum relatus, ubi declarat S. Pontifex, non fore necessariam derogationem S. C. Tridentini pro validitate cujuscumque Constitutionis Apostolicæ manu Papæ firmatæ. Cesset igitur repeto, stupor & clamor in Doctore Zegero Van-espen quasi hujusmodi assertum sit prorsus novum & singulare Regularium commentum.

15 Non currit tamen paritas quoad alia cœtera Concilia generalia, pro quibus dici potest ejusdem Van-espen vigere doctrinam: nempe non valere privilegium contrarium Decretis Concilii alterius Œcumenici; nisi huic expresse fuerit derogatum, quod probat ex cap. *Ex parte* 3. *de Capell. Monach.* assignaturque de hoc ratio per Doctores, quia dispositiones aliæ Conciliares habent tacitas ad minus de-

roga-

rogationes ad futuras concessiones illis contrarias, ut sæpius determinavit Rota, signanter *dec.* 122. & 123. *part.* 1. & in Oriolen decimarum 21. *Maii* 1589. coram Orano, & *lib.* 2. *dec.* 192. coram Coccin. aliisque decisionibus, allegatis per Barbos. in tractat. de clausul. *clauf.* 83. *n.* 31. & 32. & in tract. de offic. Paroch. *Cap.* 28. *n.* 37. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. *disp.* 15. *qu.* 18. *n.* 38. Franciscus Ferentillus in adnot. ad decis. 577. Burat. n. 13. Eo vel magis; quod Pontifices ipsi hujusmodi vim Conciliorum generalium decretis contulere; ut patet ex cap. cit. *Ex parte*, quod fuit Honorii III. Propter quod Sixtus quartus in concedendis privilegiis, licet cum clausula *non obstantibus &c.* mentionem expressam facit Constitutionis Clementis V. quæ incipit *Dudum*, quia fuit edita in Concilio generali Viennen. & Constitutionis Bonifacii VIII. *Super Cathedra*, quæ etsi ab eodem Bonifacio edita, innovata tamen fuit a dicto Concilio in cit. *Cap. Dudum* Quamvis igitur Papa, in quo supponitur notitia Conciliorum Generalium; eo ipso quod contra aliquod ipsorum disponit, videatur præsumi illi derogare voluisse, ut jam censuit Salazar de jur. Iud. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 626. Rodean de reb. Ecclesiæ non alien. *vol.* 2. *qu.* 63. *in addit.* receptum tamen est, quod cessante specifica derogatione, gratia Concilio alicui generali contraria præsumatur per importunitatem impetrantium inter multitudinem negotiorum expiscata. *Ad text. in cap. ex parte*. Ubi Gloss. *V. occupationem de Capell. Monach.* Abb. ibidem *n.* 2. & in cap. *Nonnulli n.* 10. Ibique Fagnan. n. 32. & seq. de rescript. Cum advertentia item necessaria, quod Concilia generalia debeant attendi in iis præcise, quæ prohibent & quibus derogant: ita quod ex uno prohibito aut aliquo abrogato privilegio nequaquam possit deduci derogatio omnium: aut prohibitio generalis circa cætera non expressa, ut videtur inferre Cardinalis Petra, quamvis alibi clariùs se explicet quantum ad Clementinam 1. de privileg. incipien. *Religiosi* editam in Conc. Viennen. videlicet, quod privilegia indeffinita Regularium in ipso revocantur, propter eaque privilegia post dictam Clementinam concessa debeant ejus mentionem & expressam derogationem importare. Ita *tom.* 2. *ad Constit. IX. Innocentii III. sect. un. n.* 52. Cum evidenter constet prohiberi in dicta Clementina peculiares & determinatas actiones Regularibus, nempe administrationem signanter extremæ unctionis & Eucharistiæ infirmis sæcularibus, atque solemnizationem Matrimoniorum in præjudicium Parochi respective, proinde circa hæc, quatenus concederentur de novo post Tridentinum requiri profecto Clementinæ præfatæ mentio expressa sive Concilii Viennen. simul & quantum ad sepulturam dictis personis sæcularibus in propriis Regularium Ecclesiis dandam, ut rationabiliter extendit Cardinalis idem ibi *n.* 54. Cœterum hanc eandem doctrinam perperam repetimus, extendi a Zegero Vanespen ad Concilii Tridentini Decreta, ita ut omnia privilegia, quæ concedantur de novo ipsi Concilio aliquatenus contraria, subreptitia censeri debeant & extorta, quatenus aperta derogatio ejusdem & mentio non habeatur; sed non solum posse, verum etiam velle Summum Pontificem eidem Tridentino derogare, concludendum sit, quotiescumque, ex certa scientia, signanter & motu proprio indulta ipsimet contraria edit; vel aliquid aliud ab eodem discrepans sancit de plenit udine potestatis, quos terminos auritus Authoris Zegeri non benè sonare jam alibi ostensum fuit: Quinimmo circa alia quæcumque generalia Concilia non est prætereundum, quod, licet regulariter, eorum derogatio & mentio specifica requiratur in præfatis concessionibus, nihilominus quotiescumque mens Supremi Judicis Romani Pontificis sufficienter colligatur derogationem intendere ex verbis ejus multum prægnantibus & admodum expressivis clausulis; non possent in hoc casu non haberi pro derogatis. ex. gr. Si adsit derogatio generalis. *Quibuscumque Conciliis generalibus non obstantibus &c.* præsertim cum clausula *Quorum tenores &c.* aut si præcesserit derogatio alicujus Concilii expressa, ex qua pateret mens derogandi cœteris: ut pluries censuit Rota *decis.* 277. *n.* 9. coram Millino; *decis.* 181. *n.* 8. coram Cerro; *dec.* 334. *num.* 4. & 5. *part.* 12. *recent.* & in aliis apud Garz. de benef. part. 4. cap. 5. *n.* 38. & *seq.* Card. de Luc. de decim. *disc.* 4. *n.* 20. ex relatis per Card. Petram *tom.* 2. *ad Constit.* 9. *Innoc. III. sect. Un. n. cit.* 52. & *tom.* 4. *ad constit.* 3. *Gregorii IX. n.* 26. Non debet tamen pro tolleodis æquivocationibus omitti; quod per clausulam illam quandoque apponi solitam Decretis Summorum Pontificum. *Non obstantibus Ordinationibus &c. etiam in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis*; specialibus; VEL GENERALIBUS nequaquam derogetur Conciliis generalibus, sed

sed solum statutis seu constitutionibus, sive specialibus sive generalibus editis in dictis Conciliis Provincialibus, seu Synodalibus, ad materiam de qua agatur; ut fuit decisum per Rotam in Cæsaraugustana decimarum 1611. *Coram D. Pamphilio*, deinde Innocentio PP. X. Recolligimus ergo, quod, quamvis Potestas insit Summo Pontifici derogandi quibuscumque Conciliis Œcumenicis; signanter quoad Ecclesiasticam disciplinam, ad quam spectat materia privilegiorum; utpote habente authoritatem super ipsis, quæ potestas vel expresse, ut in Tridentino vel saltem tacite, ut in aliis ab iisdemmet Œcumenicis Conciliis Primæ Romanæ Sedi reservata deprehenditur, & revera competit ex notatis per Matteucci, inter alios, Offic. *Cur. Cap.* 29. §. 3. per tot. Attamen loquendo de velle ipsius prout addit effectum supra posse, sufficienter deducitur velle de facto Tridentino derogare: cum aliquod incompossibile cum decretis ejus absolute statuit; aliis vero Conciliis Œcumenicis quoties specialem derogationem & mentionem eorum adhibet; vel saltem terminis admodum prægnantibus id se velle indubitanter insinuat: Juxta dicta. Ejusdem sententiæ esse comperitur Doctor alias fundatus Rupertus Gueber Lateranensis de privil. tr. 1. disp. 4. sect. p. n. 4. & 5. attamen eodem n. 5. *& dicta*, ibi quarto ea, quæ antea distruxit penitus confundit & destruit, dum subdit versus finem, non esse majoris roboris & authoritatis Concilium Tridentinum, quam cœtera generalia per prius celebrata Concilia; ideoque si ad derogandum aliis non requiratur specifica, atque individua mentio, nulla apparet ratio quare talis exigatur ad derogandum Tridentino. Per hoc siquidem videtur cœteris Generalibus Conciliis Tridentinum æquiparare in casu; ita ut mentio æqualis hujus perinde ac de reliquis desideretur; cum valituras probatum sit Pontificis Constitutiones; esto de Tridentino contingat mentio nulla, in statuendis quibuslibet Concilio ipsimet contrariis.

16 Secunda ratio adducta in oppositum; quare privilegia uni Ordini Regularium concessa debeant censeri cœteris incommunicabilia, allata fuit n. 9. Quatenus scilicet difficulter, & raro concedantur; seu, ut Doctores ajunt, sint difficilis concessionis, & hinc speciali nota digna in Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 1. *n.* 32. Card. Petra *to.* 2. *pag.* 38. *impress.* Venetiæ *n.* 11. *tom.* 4. *pag.* 182. *n.* 3. *& seq.* *& tom.* 5. *pag.* 296. *n.* 16. In quibus tamen signanter duobus ultimis locis non considerat laudatus Cardinalis solum motivum difficilis concessionis, sed unitive addit præjudicium tertii: Monacellus vero *tom.* 4. *pag.* 80. *n.* 44. utitur dictione disjunctiva *aut*: nimirum, cavendum esse, ait a propositione concedente communicationem privilegiorum inter Regulares, tamquam erronea, quoties privilegia &c., *vel sunt aliis onerosa*: AUT SPECIALI NOTA DIGNA; vel QUÆ RARO CONCEDUNTUR. Ut igitur hanc clausulam præcise in seipsa acceptam expendamus, notandum prius venit: quod ly *speciali nota digna* sit conditio sive circumstantia in se generica, quæ potest verificari propter diversas speciales & peculiares rationes: unde in præsenti, quatenus conjungitur cum alia clausula difficilis concessionis, videtur ex eadem magis specificante, peculiariter relevare; videlicet, quod ideo in casu sint speciali nota digna privilegia aliqua, quia raro & difficulter concedantur: si probatur proinde communicatio privilegiorum inter Regulares esto *sint difficilis concessionis*; probata item remanebit communicatio eorum; *quatenus sint speciali nota digna*. propter hanc rationem & inspectionem, reservato super alias rationes peculiari examine. At invenitur revera concessa Regularibus inter se communicatio privilegiorum omnium in specie concessorum alicui peculiari Religioni inter alias, esto sint privilegia, quæ raro & cum difficultate concedantur, & per hoc specialem mereantur notam; propterea ex hac parte, ruere exemptionem a Monacello & aliis proprio marte contra Bullas Summorum Pontificum excogitatam non possumus differi. Et sane communicationem assertam privilegiorum etiam difficilis concessionis, absque ulla penitus exeptione in casu, autumant unanimiter Authores & merito ex illis prægnantissimis verbis, quibus utitur Summus Pontifex in Mari magno Prædicatorum §. 51. tum in illo Minorum §. 11. concedendo, scilicet, communicationem dictam privilegiorum omnium inter eosdem Ordines absque ulla reservatione: *ac si nominatim omnia, & singula exprimerentur*: sed signanter ex aliis subsequentibus ibi, *In omnibus, ac per omnia, prorsus, & sine ulla differentia perinde ac si, quæ uni ex Ordinibus prædictis sunt concessa, utrique simul nominatim concessa fuissent*: AUT CONCEDERENTUR IMPOSTERUM. Non enim deprehenditur ibi exceptio ulla privilegiorum eorum, quæ difficulter aut raro conceduntur; & hinc judicantur speciali nota digna. Quinimmo clau-

clausula illa. *In omnibus, & per omnia*, propter ejus universalitatem facit, ut comprehendantur ea, quæ alias non comprehenderentur, qualia possent allegari in c. fa concessa raro & cum difficultate *l. Bollista ff. ad Trebell. l. Cum scimus C de Agricol. & censibus lib.* 11. Rot. in Tirasonen. Canonicatus 28. *Januarii* 1575. coram Contuccio. Martha de clausulis *part.* 1. *claus.* 6a. Barbos. item de claus. *clausula* 67. *n.* 3. Habetque vim specialis specificationis in his, quæ hujusmodi specialitate indigerent. Marth. dicto *lib. de claus. n.* 4. Tusch. *tom.* 1. *lit. C. conclus.* 354. *n.* 1. Barbos. *d. clausula* 67. *n.* 7. necnon importat omnimodam adæquationem; Ex firmatis per Rot. *decis.* 398. *n.* 9. *part.* 2. *in posth. alias part.* 4. *recent.*, adeo ut nulla sit penitus differentiam inter principales, & cum eis communicantes. Tusch. *cit. n.* 6. Barbos. *ubi supra n.* 10. *post alios*. Dictio pariter illa; *prorsus* excludit omnia & singula, quæ in contrarium excogitari possunt, omnemque actionem penitus. *Cap. ad aures de præscript. Cap. statutum §. Provisurus de rescript. in* 6. *Cap. Præsentium §. Præterea de testibus in* 6. Gratian.: *decis.* 188. *n.* 8. Dec. *cons.* 113. *n.* 5. *tom.* 1. *de* Præposit., & de *Verb. signif. pag.* 43. Barbos. *de diction. n.* 294. Vel ergo, sic concludendum est, clausula illa; nempe *difficilis concessionis* erat apud mentem Pontificis inter inexcogitabilia quando locutus est motu proprio & ex certa scientia; vel quod de facto in concessione communicationis omnia cogitabilia, aut excogitabili modo comprehendentis eam inclusit; absque eo quod potius quam Summus Pontifex verbis adeo prægnantibus loquens, unus vel alter privatus doctor possit in contrarium attendi.

17 Quod si replicet quis pro Pignatello, Monacello, Matteuccio Regulari, communicationem privilegiorum adeo amplam *absque ulla prorsus differentia* concessam fuisse a Summis Pontificibus, signanter Sixto IV., ante Tridentinum: atque inter FF. Prædicatores & Minores idcirco non valere quantum ad privilegia per Tridentinum revocata, aut post Tridentinum de novo concessa; & minus, si sermo sit de communicatione privilegiorum Religionibus diversis tractu temporis concessorum. Respondetur ad primam partem replicæ; verum esse quidem, quod concessio, quam allegavimus Sixti IV. & prædecessorum contigerit ante Tridentinum; nec valere eamdem quantum ad privilegia per dictum Concilium deinde, aut quemcumque Romanum Pontificem revocata: sed non per hoc despiciendam esse tamquam membranas inaniter & superflue occupantem illam dispositionem generalem de communicatione privilegiorum cœterorum concessorum, & non revocatorum, atque in futurum concedendorum, ibi *Perinde ac si concessa fuissent, aut concederentur unicuique imposterum*, cum nullibi legatur neque in Tridentino, neque in qualibet alia Constitutione subsequentium Pontificum revocatio generalis communicationis hujusmodi inter Regulares quantum ad privilegia concessa & alias non revocata, tum deinceps concedenda: sed nec generalis revocatio ad propositum inveniatur a Sancta Sede emanata communicationis inter Regulares privilegiorum eorum, quæ raro & difficulter conceduntur: nisi fortasse in aliquo expresso casu, & cum superaddita alia circumstantia magis considerabili; ut elucidabitur inferius numero subsequ.. Ideoque, cum hic stemus in lege & in potestate simul, & voluntate Legislatoris firmiter expressa, & nullatenus revocata, sive retractata, Sedis Apostolicæ nimirum Summorumque Pontificum clare, & indubitanter disponentium; non apparet quare magis hisce, quam privatæ doctorum opinioni non sit deferendum: *ex l.* 1. *ff. de Constit. leg. ff. de legibus, Cap. Cum super de Off. Iud. Deleg.* Can. *Cuncta per mundum* 9. *qu.* 3. concordantibus Fagn. *in Cap. Treguas n.* 48. *& seq. de Tregua, & pace* Card. in proemio *Clement. V. Universitas qu.* 2. *per tot.* Suarez de legibus *lib.* 4. *cap.* 16. Sperell. *decis.* 15. *n.* 23. *cum seq. Rot. decis.* 61. *n.* 2. coram Priolo. Merlin. *decis.* 814. *n.* 8. *cum seq.* Et in occurrentibus difficultatibus quare non sit adeunda Sancta Sedes pro legitima interpretatione, potius quam attendenda authoritas præsumentis ponere in cælum os suum: juxta relevatam doctrinam superius n. 4. & late per Cardinalem Petram *tom.* 3. *pag.* 257. *n.* 3. *& seq.*: Ad reliqua replicæ verba parter respondeo. Sixtum Pontificem IV. in citato Mare Magno concessisse equidem communicationem privilegiorum in prægnantissimis terminis Religionibus signanter Prædicatorum, & Minorum: veruntamen non deesse communicationis ipsiusmet concessionem sub iisdem, aut æquivalentibus verbis in Mare Magno aliorum respective Religionum Eremitarum videlicet Sancti Augustini, Carmelitarum, Servitarum, Minimorum; ut legere quis potest apud diligentissimum Patrem Lezanam *tom.* 5. omnes hasce Bullas cum eruditissimis commen-

mentariis afferentem prout praestat ad hunc effectum doctrina item Canonici Lateranensis Gueber *tr.* 1. *de privil. disp.* 2. *Iure per tot.* signanter *sect. IV. n.* 41. §. 1. sed ut vis totius replicae penitus enervetur in casu; potest ultra afferri communicatio omnium privilegiorum *concessorum, & concedendorum* omnibus & quibuslibet aliis Religionibus, elargita cuique fere Ordini Regularium adhuc post Concilium Tridentinum, verbis non minus apertis; ac exprimuntur per Sixtum Quartum in Mari Magno., comprehendentibus sine dubio privilegia etiam difficilis & rarae concessionis; nisi specifica & individua addatur exceptio aut alia circumstantia, ut infra. Et prius ut sermonem de Religione Minoritica prosequamur, viget concessio communicationis hujusmodi renovata post Tridentinum per Paulum Papam V. in Bulla *Injuncti nobis*; die 1. Decembris ann. 1609. sub eadem forma, & expressione verborum sub quibus per Sixtum, & Praedecessores suos Summos Pontifices edita fuerat pro tribus Ordinibus Fratrum Sororum & aliorum de poenitentia, sub regimine Ministri Generalis totius Religionis dictae degentium: ut videre est apud Lantuscam Theatr. Regular. Verbo *Privilegia*. pag. 430. & seq. ibi. = *Quaecumque praemissa, & omnia, & singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates dispensationes, gratias, concessiones, & indulta spiritualia, & temporalia*, ETIAM PER MODUM COMMUNICATIONIS INTER SE, ET CUM ALIIS ORDINIBUS, MENDICANTIBUS, ET NON MENDICANTIBUS, *eisdem Fratrum Minorum de Observantia, ac Tertio de poenitentia Ordinibus &c. Ipsorumque* Ordinum *Superioribus, Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis: nec non illorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque in genere, & in specie, & per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ac alias per eosdem Romanos Pontifices Praedecessores nostros, & nos, & Sedem praedictam* SUB QUACUMQUE FORMA, ET EXPRESSIONE VERBORUM CONCESSA *etiam cum omnibus, & singulis forsan contentis clausulis Decretis & declarationibus quibuscumque &c. illorum omnium tenores formas, datas, effectus, & Decreta in illis apposita*: AC SI DE VERBO AD VERBUM INSERERENTUR, *& inserta forent praesentibus pro sufficienter expressis habentes auctoritate praedicta, tenore praesentium videlicet in quibus Sacri Concilii Decretis*; ut supra fuit concessum, & explicatum; *a Constitutionibus ac literis Apostolicis*; videlicet aliter expresse ordinantibus, *non adversentur*: perpetuo *approbamus, & confirmamus*: ET INNOVAMUS *&c.* nova concessio. *Ordinibusque hujusmodi: ac Ordinum praedictorum Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis; ac Domibus, Ecclesiis, & locis praedictis*, ETIAM PER MODUM COMMUNICATIONIS, ET EXTENSIONIS *hujusmodi suffragari, illisque uti, frui, gaudere, quando & quoties opus fuerit posse, debere in judicio, & extra ac etiam in foro coscientiae*; IN OMNIBUS, ET PER OMNIA. Ecce verba repetita Sixti quarti excludentia quamcumque restrictionem aut exceptationem. IN OMNIBUS, ET PER OMNIA: AC SI SPECIALITER, ET EXPRESSE EISDEM *Fratrum Minorum, & S. Clarae, ac Tertio de poenitentia Ordinibus* CONCESSA FUISSENT, *decernimus, supplentes omnes, & singulos defectus, &c.* & infra. *Non obstantibus praemissis, & similis recordationis Bonifacii Papae VIII. &c. aliisque Apostolicis nec non in Provincialibus, Synodalibus, ac* UNIVERSALIBUS CONCILIIS *editis*. Notetur hic mentio, & derogatio specialis Conciliorum Universalium, *specialibus vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus nec non statutis, & consuetudinibus &c. Et literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices, ac etiam nos, & Sedem praefatam, etiam motu proprio; ac de* APOSTOLICAE POTESTATIS PLENITUDINE, *ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum revocativis*, RESTRICTIVIS, RESERVATIVIS, EXCEPTIVIS. (Per quae ultima verba autumant non sine fundamento Doctores non pauci amplius non valere contra Minores restrictionem & reservationem ac exceptionem appositam in privilegiis concessis Societati Jesu per Gregorium Praedecessorem XIII. in celebri Bulla *Pium, & utile la* 77. *tom.* 2. *Bullarii* ut per idem probat de suis Lateranensibus Gueber Sect. d. 4. sub num. 38. dicto tertio: *restitutionis, declarationis, mentis attestationis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet in contrarium praemissorum concessis confirmatis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus ac singulis, eorumque totis tenoribus &c. ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso &c. inserta forent &c. harum serie, & ad effectum praemissorum, specialiter, & expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque*: Profecto omnium & quorumcumque privilegiorum omnibus aliis Ordinibus concessorum, & concedendorum nullo eorum excepto, absque ulla pror-

sis restrictiva, ac reservativa apparet, verbis & clausulis magis prægnantibus & expressivis nequaquam posse fieri & excogitari: nisi quatenus prohibitio communicationis privilegiorum in genere vel in specie vel in individuo facta per Sanctam Sedem, cui semper in posterioribus sanctionibus humilis reverentia & obedientia præstanda foret, in medium proferatur; nec reputo sanæ mentis Lectorem plus desaturum opinanti particulari, sicut præmissum est, quam huic tam perspicuæ prægnanti & expressissimæ Bullæ. Similes ac æque expressivæ clausulæ dictionesque perlegantur pro Religione Minoritica in aliis Constitutionibus Clementis VIII. *Ratio Pastoralis*. Urbani VIII. *In plenitudine*, & Venerabilis Innocentii XI. qui præfatas approbat, & confirmat in Bulla *Exponi nobis* 5. *Septembris* 1686. Sed & pro aliis Ordinibus fere omnibus Bullæ possent afferri proprie communicationem privilegiorum concessorum atque concedendorum continentes, & exprimentes verbis iisdem cum cæteris Religionibus *in omnibus*, *& per omnia* perinde ac si privilegia ipsa omnia absque ulla restrictione ac reservatione Religioni respective communicata concederentur, ut jam num. prænotavimus 11.

§. XI. Quatenus autem hæc nedum sufficiant & magis adhuc expressiva verba desiderentur, ad hoc, ut intelligantur communicata item privilegia, quæ sunt speciali nota & mentione digna, nec attendatur ad hunc effectum explicatio data per jura & Doctores non Regulares, illis clausulis *in omnibus*, *& per omnia absque ulla restrictione ac reservatione &c.* Ecce desiderata expressio in Bulla supra citata dicto n. 11. Gregorii XIV. communicationis privilegiorum cum cæteris Ordinibus Congregationi S. Bernardi concessa, incipien. *Romanus Pontifex* quæ est 16. in ordine ejusdem Pontificis in Bullar. ibi *Etiamsi*, privilegia, *fuerint talia*, QUÆ SPECIALEM, ET INDIVIDUAM REQUIRERENT MENTIONEM, *seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem*, *seu* PARTICULAREM CONCESSIONEM: & inferius *æque pariformiter & absque ulla penitus differentia: perinde ac si in illis, & eorum singulis principaliter, specialiter, & expresse, ac nominatim, & non ad instar concessa fuissent*. Et adhuc clarius ecce expressa communicatio privilegiorum quæ sint speciali nota digna immo exclusa positive a communicatione in aliis Constitutionibus per Bullam Pauli V. *n.* 60. Patribus Redemptionis concessam, communicatio scilicet cum cæteris Ordinibus, etiam Societatis Jesu. ibi *omnia prætera privilegia*, concedimus SPECIALI QUOQUE NOTA DIGNA *etiam per modum extensionis*, *& communicationis*, cuicumque Ordini elargita CUM PARTICULA EXCLUSIVA. Quid plura? si desideretur communicatio expressa privilegiorum omnium, etiamsi essent difficilis concessionis in nostro casu. Ecce verba Urbani Papæ VIII. in Bulla la 131. concedentis de facto communicationem privilegiorum omnium cum cæteris eidem Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ibi = QUAMVIS ILLA SINT SPECIALI NOTA DIGNA DIFFICILISQUE CONCESSIONIS, ET QUÆ IN GENERALI CONCESSIONE NON VENIANT *non solum per communicationem*, *extensionem*, *& ad instar*, *vel specialiter*, *& nominatim pariformiter*, *& æque principaliter* IN OMNIBUS, ET PER OMNIA, ABSQUE ULLA PRORSUS DIFFERENTIA, *perinde ac si illa specialiter*, *expresse*, *& nominatim*, *etiam per viam & modum simplicis & individuæ*, *& particularis*, *& specialis concessionis etiam motu proprio concessa forent*. Nec potest habere ullatenus locum iterata replicatio, quod hujusmodi tam prægnans communicatio valeat pro iis tantum Ordinibus, quibus in specie fuerit impartita: nam rediret principalis controversia; an videlicet frustra deberent occupare membranas? verba illa in Bullis, pro omnibus Ordinibus respective emanatis, circa *communicationem privilegiorum*, *tum concessorum*, *tum concedendorum*; quæ & ipsa est individuale & speciale privilegium, ibi, *perinde ac si de verbo ad verbum* unicuique respective Ordini propriam Bullam afferenti *individualiter in specie & expresse concessa forent*. Eo vel magis quod communicatio verbis adeo prægnantibus explicata dictis Ordinibus concessa legitur absque privativa; aut ulla circumstantia aliarum Religionum exclusiva. Unde opportet concludendum esse, quod verba adeo perspicua eradantur a Bullis, ad hoc ut voces prævaleant in contrarium opinantium.

18 Constito, quod proprio marte, nimium sit ausus Monacellus pronuntiare propositionem erroneam absolute eam, quæ concedat communicationem inter Regulares privilegiorum, *speciali nota dignorum* ex hoc quod difficulter aut *quæ raro concedantur*. Non renuimus attamen ipsammet communicationem excludere, quoties privilegia quæ raro & difficulter conceduntur includant ulterius peculiarem aliam circumstantiam, seu motivum aliquod æquitati non consonum, quatenus communicarentur; ut esset circumstantia scan-

scandali: ex. gr. indultum distribuendi Corpus Christi praeter urgentem necessitatem & exigentiam in aere aperto & locis campestribus in aliquo casu impertitum, quod revera praeberet occasionem diminutionis reverentiae erga Sacramentum adeo venerabile, si generaliter participaretur, aut quando difficulter & raro privilegium concederetur propter aliquam unam specialem rationem, quae in aliis communicationem praetendentibus cessaret, ut quodcumque elargitum Missiones actualiter exercentibus in partibus infidelium; finis namque concessionis non adimpleretur, quatenus Missiones similes non exerceret Regularis. Aut si concessum haberetur indultum in casu non titulo Missionis solum; sed exigentiae specialis in Populis sive Regionibus terris conditionis & situationis peculiaris. Ex. gr. privilegium celebrandi pluries in die, quod nequaquam Missionariis commodatur, sed iis tantum qui urgentissimam experiuntur necessitatem, eo utendi in locis & terris dissitis nullo alio Sacerdote provisis: Quoties item privilegium nequaquam esset adaptabile aliis: puta si principaliter obtinentem juvaret, & caeteris si communicaretur, argueretur concedi in destructionem & nimiam relaxationem, eo modo quo animadvertimus jam superius n. 13. Et denique quandocumque privilegium concessum alteri propter dignitatem & excellentia incongruum foret, & exorbitans quatenus generaliter extenderetur ad reliquos ejusdem loci & praeeminentiae generice, ut privilegium exercendi Pontificalia cum aliqua singularitate concessum Abbati cujuspiam Monasterii celebrioris & magis distincti, vel Abbati habenti jurisdictionem etiam in temporalibus, non esse conveniens quod participaretur ab Abbatibus caeteris Monasteriorum non adeo insignium, aut in jurisdictione deficientibus, communiter Doctores asserunt, eo quia contineret decretum irritam communicationem si non in lege generali saltem implicite in eodem privilegio *certis personis* concesso. Gonzalez ad reg; Cancell. *Gl. §. 67. n. 52. Grat. discept. 516. n. 8. Rot. decr. 229. n. 2.* coram S. M. Alexander VIII. Et in terminis privilegii Regularium Rot. *pariter dec. 1206. n. 7.* coram Emeris Jun. & in Garibd. juris cognoscendi causas criminales 20. *Junii* 1692. *& 17. Martii ejusdem anni* coram Molinos, & in Bononien. exemptionis die 14. Junii 1706. §. *Non obstante* coram eodem. Unde considerandas esse circumstantias peculiares loci personarum atque peculiaris alicujus instituti, an scilicet obsteut communicationi praetensivae a caeteris locis Personis vel Religione in tota sua amplitudine, rationabiliter deducunt Doctores iidem, inter quos Regulares adnumerantur & scientia & prudentia praestantes. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 30. n. 14.* Suarez de legit. *lib. 8. cap. 30. n. 1.* Lezana *tom. 5. in Mari Magno Minor. n. 30.* Et in Mari Magno *Eremitar. n. 88.* Anacletus Reinffestuel. *tom. 5. pag. 284. n. 61. & 62. &c.* Gueber d. dub. II. sect. V. n. 42. & videnda sunt quoad hujusmodi exceptiones, quae repetimus longe inferius in dubitat. XIX. sect. III. n. 56. prope fin.

19 Remanet ad propositum exactius examinanda conditio illa adeo exagerata ab adversariis; hic neque a Doctore Gueber, neque a Didaco Aragonense in medium adducta, quod videlicet privilegia minime aliis communicentur, quando uni conceduntur Ordini cum praejudicio tertii: praesertim si jurisdictioni Ordinariae Episcoporum praejudicialia sint & laesiva; tunc namque cum per solam communicationem in genere non conferantur, indigent speciali & expressa concessione, non obstante quod communicatio ipsa habeat clausulas sic maxime praegnantes: qua de causa Monacellus signanter, ut jam praenotatum est inaudita auctoritate propositionem contrariam, veluti erroneam universaliter proscribere attentat: *tom. 4. pag. 80. n. 444.* Ut veritas itaque plenius elucescat & certa ab incertis distinguantur: supponimus hic tamquam principium ab omnibus admissum, quod privilegia concernentia exemptionem in casu omnia sint aut militent contra jus, Episcopis alioquin competens: sive inspiciatur lex Dioecesana, sive jurisdictionis; ut abonde quis potest legere probatum apud Anacletum Reinffenstuel *tit. de privileg. §. 1. per tot.* Unde fit impossibile concedere hujusmodi privilegia Regularibus; absque eo quod si considerentur in abstracto jurisdictioni nativae Episcoporum aliquatenus praejudicent: cum per exemptionem & omnia inde sequentia Regulares ipsimet a jurisdictione dicta Ordinariorum se subtrahant, & subjectionem immediatam Romano Pontifici & Sanctae Sedi acquirant: ut in confesso est apud omnes *Socin. in Cap. Recepimus n. 10. de privileg.* cum communi. Ideoque Papa privilegia eadem conferens: quandoquidem sciat verificari non posse nisi cum praejudicio saltem apparente Ordinario-

 rum,

rum, censetur in facto regulæ de jure quæsito tertii non tollendo, necessario derogare nolle. Dec. *cons.* 113. *n.* 7. ꝟ. *Non obstat*. Corn. *Cons.* 83. *n.* 16. ꝟ. 3. respondetur *n.* 5. Gonzalez *ad reg.* 8. Cancell. *glos.* 36. *n.* 48. Cassiodor. *dec.* 5. *de privil.* Seraphin. *dec.* 72. *n.* 4. & *dec.* 1445. *n.* 7. Rot. *dec.* 240. *n.* 22. *part. divers.* & *dec.* 48. *n.* 1. *per tot. Decis. item* 174. *n.* 2. *part.* 1. *recent.* In Mantuana pensionis 4. *Decembris* 1626. coram Merlin.; & in Romana Dotis 7. *Maii* 1629. coram Dunozet lun., quibus a se relatis subscribit Ferentilli *in addit. ad decis.* 577. Burat. *num.* 13. In Bononien: ususfructus 23. *Martii* 1625. Et in Cæsaraugustana Camerariæ 26. *Novembris* 1633. De quibus etiam Tamburin. de jur. Abbat. *tom.* 1. *disp.* 15. *qu.* 4. *n.* 31. Quin immo; esto in concessione privilegiorum esset apposita clausula *sine juris præjudicio alieni*: debere ipsam intelligi de alio præjudicio quam expresso, tenet absolute Barbosa in tract. de *Claus. claus.* 157., cum alioquin esset contradictio in terminis & concessio haberetur simul & extingueretur: juxta doctrinam Oldrad. *consil.* 330. *in fin.* Parisii *cons.* 70. *n.* 12. *lib.* 1. Gabrielis *cons.* 151. *n.* 29. & *seq. lib.* 1. Theodor. de Rubeis *dicta clausula* 774. *n.* 9. Verall. *dec.* 7. *de jurepatr. in fin.* Hondedo *cons.* 86. *n.* 47. *tom.* 2. Gratian. discept. forens. *Cap.* 867. *n.* 19. Cæsaris Argelbo de contradict. legat. *qu.* 12. *n.* 9. Rebuff. in prax. benef. in form. non provis.: Verbo *Dummodo n.* 6. Cenedo post *lib. pract. quæst. sing.* 100. *n.* 3. Rot. in Toletana Admissionis coram Pamphilio post Farinac. *dec.* 192. *n.* 6. *part.* 1. Ideoque quod clausula præfata operari tantum dicenda sit super non expressis in eodem actu sive in eadem concessione; replicant Rebuff. *in prax. tit. de erect. in collectan. ad fin.* cum Mendos. *cons.* 10. *n.* 14. Martha *de clausul. part.* 1. *claus.* 157. *n.* 3. & 9. Rot. *dec.* 720. *n.* 8. *part.* 1. post Farinac. alias *part.* 3. *recent.* ubi clare insinuatur quod nullatenus dicta clausula comprehendere valet expressa. Apud Lezanam item *tom.* 5. *pag.* 696. *n.* 223. His igitur suppositis tamquam evidenti principio & communiter accepto innixis, opporteret deducere in casu, quod privilegia exemptionem concernentia, nulla penitus communicarentur inter Regulares, quatenus communicatio eorumdem ob præjudicium illatum jurisdictioni Ordinariorum impediretur; Quæcumque enim vel in genere, vel in specie aliquid exemptionis Religiosis Ordinibus conferant, jurisdictionem Prælatorum Regularium augere videntur, per consequens aliquod adimere de jurisdictione Ordinariorum, vel quatenus declarantur per ea Regulares immediate dependentes ab Apostolica Sede, cesset procul dubio dependentia illa; ut omnes fatentur, & prima facie apparet, a jurisdictione respective Episcoporum. Et sic ad quid apponere in jure, & in Bullis Pontificiis istam communicationem passim inter Religiosos exemptos, *in omnibus*, & *per omnia*, perinde ac si privilegia de verbo ad verbum Religionibus communicantibus impertirentur, ut pluries dictum est, cum ageretur in casu de subjecto non supponente, de privilegiis nimirum communicationem excludentibus, quia assertis in præjudicium Ordinarii? Profecto jam satis ostensum est omnia verba in sanctionibus Pontificiis debere aliquid operari, ad evitandam cum totis viribus in ipsis superfluitatem, immo cum communicatio ipsa privilegiorum sit privilegium, debet aliquod inducere ut potius valeat, quam pereat: nam expressa Principis voluntas numquam frustrari aut inutilis reddi potest, ut *ex cap. In iis de privileg.* deducunt Sylvester, Navarrus, Suarez, & Salas relati a Tamburin. de jur. Abbat. *tom.* 1. *disp.* 16. *qu.* 5. Doctrina ergo Monacelli potius, quatenus contra dispositiones Apostolicas, tum veterum tum Recentiorum Summorum Pontificum velit sic absolute insurgere censenda erit correctioni obnoxia: nisi per limitationes opportunas moderetur, sicuti Doctores communiter eam moderantur in praxi.

20 Verum respondendum venit rationibus hujusmet Authoris, quibus se probasse intentum prætendit; quod nempe privilegia concessa alicui Ordini Regularium non communicentur cæteris, quoties sunt præjudicialia tertio, *signanter jurisdictioni Episcoporum*. Allegat itaque in probationem sui asserti ea, quæ scripsit *tom.* 2. *pag.* 83. *tit.* 13. *num.* 32. & *seq.* quo lectorem remittit. At ibi, antequam examinemus ab eodem relata, præcavere opus est regulam qua utitur ac etiam alibi uti solet: ex peculiari casu etiam in odiosis inferendi universalem legem, aut legis communis destructionem. Citat proinde loc. cit. pro prima ratione doctrinam a se traditam subsequenter fol. 117. ejusdem tom. 2. n. 11. Ubi pronuntiat quidem, quod privilegiorum communicatio non suffragatur Regularibus in præjudicium tertii: sed hanc propositionem indefinitam & universali æquivalentem

relevat

relevat ex eo, quod Regulares vigore communicationis privilegiorum non possunt retinere quartam funeralem debitam Parochis, ut in specie solutionis hujus quartæ tradit Donatus in sua prax. *tom. 1. part. 1. tract. 7. qu.* 14. *n.* 10. Rot. coram Carpineo in Casalen. quartæ funeralis 1. *Julii* 1665. & 18. *Junii* 1666., & S. C. C. in Obvedunen. 25. *Julii* 1695. *ad* 12. Quis igitur non videat quam irregularis sit ejus illatio? Videlicet ex hoc speciali casu deducere universaliter, quod privilegia in præjudicium Episcopi non sint communicabilia, vel idem generale assertum per hunc peculiarem casum velle probare. Relinquo doctrinas varias circa quartam funeralem solvendam a Regularibus, quas affert eruditus Lezana tom. 5. in Mari Magno Minorum §. 41. & 42. nec non in Mari Magno Eremitarum S. Augustini *n.* 115. Et late in illo Carmelitarum §. 58. *atque Servitarum* §. 30. Solummodo adverto per Constitutiones ipsas antiquas obligari Regulares ad solvendam quartam Parochis, & privilegia potius cadere super quantitatem ceræ solvendæ, ex Lezana ibidem in Mari Magno Prædicatorum n. 874. & 138. Atque præcipue teneri ad hujusmodi solutionem Fratres Prædicatores & Minores, præter claram dispositionem in Clementina *dudum de sepulturis* latam in Concilio Viennensi, & in corpore juris insertam. Hinc negandum fore suppositum Monacello, quia non sumus in casu privilegii clare concessi, de quo possit esse dubium, an communicetur vel non. Addo ulterius privilegium hoc idem, quatenus alicui Ordini absolute concessum fuerit, importare præjudicium, non commune & magis in opinione quam in re jurisdictioni Ordinariorum; sed notabile & peculiare illatum Parochis quod Bursale lucrum propterea rationem præseferre specialem, quare non communicetur; eo modo quo ratiocinator Cardinalis Petra, circa privilegium non solvendi decimas *tom. 4. ad Constit. X. Gregorii XI. per tot.* & ex mox infra declarandis. Ideoque rationabiliter motos fuisse Eminentissimos S. C. Interpretes ad rescribendum pluries non, solum hoc privilegium non communicari; sed nec de ipso aperte constare: ut in Asten. Jurium Parochialium 27. *Novembris* 1717. relat. in fol. publ. sub *die* 29. *Januarii* 1718. & iterum resoluto *die* 12. *Februarii ejusdem anni* Thesaur. *resol. tom.* 1. Prout litem ultimo totaliter extinxisse perhibetur Benedictus S. M. XIII. qui Regularibus omnibus jussit dictæ quartæ funeralis solutionem in Concilio Lateranen. *tit. VIII. Cap. V. pag.* 31. Ad normam Constitutionis a se editæ: incipien. *Romanus Pontifex de anno* 1725. *quarto Cal. Maii*, quæ est in appendice ejusdem Concilii sexta in ordine. Dubia autem, quæ post dictam Constitutionem emerserunt adhuc, proprio adnotabimus loco in hoc tom. 2. dubit. Pro nunc repetimus alibi dicta & pro indubitato principio in adducendis rationibus & responsionibus firmamus; quod in omni & quolibet casu, in quo aut Summorum Pontificum Decreta, aut Sacrarum Congregationum decisiones & rescripta in medium proferantur, omni cum obsequio & inclinato capite recipienda sint a Regularibus: verum, non esse in potestate peculiaris cujuslibet Opinantis a casu particulari & individualibus circumstantiis affecto, tanto minus ambiguo & falsum involvente suppositum, inferre legem universaliter prohibentem aut præcipientem. Et sicut nec in favorabilibus comprobatur extensio de casu ad casum quotiescumque variatur circumstantia; a fortiori quod idem prohibeatur in odiosis. *ex L.42. ff. de pœnis*. Can. *Numquam* §. *Cum ergo* 1. *qu.* 1. Federic. de Sen. *Cons.* 67. §. *Sed non est dubium*. Card. Tuschus *lit. A. Concl.* 501. *n.* 17. & *lit. E. Concl.* 665. cum concordantibus.

21 Secundo probare intendit propositum Monacellus *d. tom.* 2. *pag.* 83. *n.* 34. ex hoc quod cum Abbas Generalis Sylvestrinorum vellet uti in celebratione Missæ Pontificalibus absque speciali indulto, sed per solam communicationem privilegiorum cum aliis Abbatibus, id sibi non licere responsum fuit in Nepesina S. C. C. sub *die* 14. *Aprilis* 1638. *decr. lib.* 16. *pag.* 1. Verumtamen in hoc quoque casu noluit considerare Monacellus qualitatem privilegii; quod connumeretur, videlicet, inter maxime odiosa; propterea juxta mox adnotata *num.* 18. ejus concessio generaliter a Doctoribus exorbitans judicetur; utpote adimat id quod in jus habent Episcopi: cum ex traditionibus Apostolicis, & sacris Canonibus functiones exercere in Pontificalibus Ordini Episcopali specialiter & religiosissime reservetur juxta tradita *tom.* 1. *dub.* 12. *n.* 52. Ideoque, si aliquod est incommunicabile privilegium nisi interveniat specifica & individua concessio, pro certo habendum est inter alia signanter istud: ex notatis etiam per Card. Petram *tom.* 3. *ad Constit. XI. Benedicti XI. n.* 11. *seq.* Ultraquamquod; non ostenditur quod præsa-

fatus Abbas Generalis Sylvestrinorum, fuerit benedictus, vel privilegio expresso perinde ac si benedictus esset potiretur; & quod fuerit item Abbas perpetuus in propria Ecclesia functiones adimpleturus: cum hujusmodi tantum Abbatibus celebrare in Pontificalibus concedatur ex Decreto famoso S. R. Congregationis *sub die 27. Septembris 1659. §. X.* Ulterius examinandum esse, non concedimus, indultum communicationis eidem Congregationi Sylvestrinorum concessum, quibus terminis exprimatur, cum quibus clausulis, pro communicatione in privilegio raræ, & difficillimæ concessionis non ambigue inducenda, eo vel magis, quod privilegium tangat ea, quæ sunt potius Ordinis quam jurisdictionis Episcopalis extra propositum, & ne videamur quoad etiam hujusmodi privilegia, quæ magis communicationem excludunt, absque fundamento proferre, quod inspicienda sint ejusdem communicationis indulta si, quatenus claris, & prægnantibus illammet inducant vel non: certum esse supponimus apud Doctores communiter, specialius præjudicium inferri dignitati & Ordini Episcopali per benedictiones & consecrationes Sacrorum vasorum; Calicis nempe &c. nec non Campanarum in quibus Sacra requiritur unctio, quoties ab aliis, per privilegium possint perfici, quam per concessum usum Pontificalium; cum adhibere Sacrum Chrisma sit magis proprium Episcopi, quam Pontificalia exercere: quinimmo facilius & frequentius impertitum inspiciamus secundum privilegium quam primum: ex animadversis per Card. Petra loc. cit. Et tamen, quatenus communicatio inter Congregationes Monachorum concedatur per Bullas, in quibus sit expressa verbis prægnantibus: adhuc facultas seu privilegium hujusmodi non contradicitur communicari iis, quibus non legitur directe concessum; ut probat dictus Card. Petra: ad cit. Constitutionem XI. Benedicti Papæ XI. quantum ad Abbates Congregationis Cælestinorum; qui eodem privilegio fruuntur, propter communicationem cum Cassinensibus expressam tamen verbis prægnantibus per Pontificiam Bullam. *In omnibus & per omnia*; uti præmisimus *tom. 1. dubit. XII n. 55.* allegantes Decretum super hoc S. Congregationis Rituum in Nullius Fulden. concessionis Indulti; quod non erit hic repetere inopportunum: ad dubium etenim primum in ordine.

An ad facultatem consecrandi Abbat. Fulden. suffragetur communicatio privilegiorum Congregationis Cassinensium, vel si adesset observantia immemorabilis eam possit juvare?

S. Cong. Ad primum respondit.

Affirmative. VIGORE COMMUNICATIONIS PRIVILEGIORUM, *necnon consuetudinis, & in locis propriæ jurisdictionis?*

Tanto magis ergo id operabuntur verba pregnantissima, uti relata *n. 17.* communicationem exprimentia, absque ulla exceptione & reservatione circa privilegia minoris relevantiæ, nequaquam tangentium Ordinem & dignitatem Episcopalem, sed aliqualem vix jurisdictionem in apparentia potius, quam in re; ut clarius infra, securior saltem censenda erit semper sententia; absque eo quod propositiones de communicatione privilegiorum a Doctore privato declarentur erroneæ; quod in occurrentibus casibus, difficultatis inter cæteras relevantis, consulatur verus & legitimus Iudex atque Interpres, Sancta Sedes nempe, & Sacra Concilii Congregatio?

22 Aliam probationem adducit Monacellus ex Decreto S. C. C. in Flandobelgica, a se citato pag. 87. n. 15. dicti Secundi Tomi. Cum enim quæsitum fuisset. An Patres Congregationis Sancti Mauri, qui per Bullas Gregorii XV. & Urbani VIII. *participant in omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & libertatibus, concessis Congregationibus Cassinensium Sancti Victoris, & omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium & non Mendicantium, Militiarum, & Hospitalium; habeant facultatem absolvendi in utroque foro, ac dispensandi super censuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus Monachos omnes, qui ante Religionis ingressum, homicidiis voluntariis, & involuntariis, aliisque patratis facinoribus irregularitates, & censuras incurrerunt; cum hæc facultas concessa sit Patribus Cassinensibus, & Patribus Congregationis Montis Oliveti Ordini Prædicatorum, ac Patribus Societatis Jesu?*

Et utrum possint dicti Patres rehabilitare suos Monachos ad Ordines, & Dignitates?

Ad petitionem in utroque quæsito, quod rescriptum fuerit, refert Monacellus *negative sub die 14. Aprilis 1685.* At respondemus, primò hanc declarationem S. C. C. afferri a Monacello absque ulla authentica, nec assignari unde sit desumpta. Nihilominus adhuc ea admissa, dicimus ultrò, negativam merito prodiisse in casu ab Eminentissimis S.C. Interpretibus, quia non est æquum decernere com-

communicationem, quoties non adest certitudo de ipsiusmet privilegii concessione: privilegium autem tam amplum absolvendi ab omnibus casibus & censuris absolutè, & dispensandi in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio injusto &c. in utroque foro, fuit, & est controversum, & quatenus includeret absolutionem ab hæresi etiam publica & deducta ad forum contentiosum, est omninò falsum, contra celebres Constitutiones Pauli V. *Romanus Pontifex* & Alexandri VII. *Licet alias*. Quod si subsistat revera privilegium absolvendi & dispensandi &c. concessum Cassinensibus ad propositum, non tamen legitur in iis terminis in quibus autumabant Monachi S. Mauri, ut videre est adud Lezanam *tom. 1. Cap. 18. a n. 30. & seqq.* Et verbo *Irregularitas n. 70.* Nec non Felicem Potestatis referentem privilegia quæcumque in hac materia absolutionis & dispensationis. *Cap. 5. de Ministro Sacrament. Pœnitentiæ à n. 3375. ad 3395.* Sed nec communicatio prætensa refertur in Constitutionibus suppositis Gregorii XV. & Urbani VIII. expressa terminis verè prægnantibus, ut opporteret: juxta dicta n. 17. Non sine advertentia item adjuncta, quod quandò privilegium maximi ponderis in terminis generalibus concessum legitur absque clausulis omnem & quamcumque restrictionem excludentibus, debeat utique intelligi semper cum necessaria & æqua moderatione: ex animadversis item per citatum Lezanam *tom. 1. cap. 18. n. 42. & seqq. & tom. 4. Verbo Irregularitas n. 72.* Quo circa ubi tot rationes speciales militant pro non communicatione; immo pro insubsistentia privilegii in terminis, nullus profecto sanæ mentis concedet posse rationabiliter fundari argumentum generale incommunicabilitatis privilegiorum a Monacello prætensum. Quamvis neque per exemplum a se allegatum, estò concederetur absolute, valeret probare propositum, quod nempe non communicentur privilegia quoties sint præjudicialia jurisdictioni Ordinarii. Quid namque præjudicii inferret Ordinario sive Episcopo, quod Superior Regularis absolveret suos subditos proprios, & cum his dispensaret, nisi quatenus præsuppositive connotetur præjudicium ratione generalis exemptionis.

§. Un. Idem replicamus ad Decretum sub illatum ab eodem Authore *n. 36.* loc. cit. ubi contra PP. Theatinos prætendentes uti Altari portali in vim communicationis privilegii concessi, ut asserebant a Proto: Canonicis Lateranensibus, decisum fuit, *eis non licuisse, neque licere uti hujusmodi Altari, & Archiepiscopum contra eos procedere potuisse, etiam ad censuras: die 14. Aprilis 1685.* Dicimus siquidem privilegium utendi Altare portatili, etiam ante Decretum Clementis XI. Regularibus fuisse controversum; quatenus saltem nequirent illud adhibere Regulares, ultra quam quod in loco onesto, nisi sub certis modis, & formis, atque in casibus necessariis, videlicet propter Missiones &c. & numquam in domibus sæcularium, ut fuse probavimus *tom. 1. dubit. 10. sect. 5. n. 66. & 67.* Ubi etiam habebatur quod privilegium concessum Canonicis Sancti Salvatoris à Pio IV. *de anno 1565.* non sit aliis communicabile, quatenus cessat ejus ratio adæquata, nempe ministrandi Sacramenta infirmis in Valetudinariis Religionis: cum constet hisce temporibus in omnibus Religionum Valetudinariis erecta esse Altaria fixa, & ulterius nullatenus tangebat domos privatas sæcularium. Hinc rectissimè judicasse repetimus, Sacram C. C. vigore communicationis cum dicta Religione, nequaquam licuisse Theatinis in *domibus sæcularium* celebrare. Consequenter Ordinarium potuisse procedere contra eos ad normam *Sess. 22. Tridentini de Sacrif. Missæ*. Deficit ergo hic quoque probatio suppositi, nempe subsistentiæ privilegii in casu prætenso; quo etiam stante sub certis modis & formis relevant speciales adductæ rationes incommunicabilitatis. Relegantur dicta in citata *dubit. 10. tom. 1. sect. 5. n. 67.*

23 Si itaque sistamus in ista circumstantia; quando privilegia jurisdictioni Episcopi præjudicant, concludendum venit non posse argui ex ea sic generaliter & absolute prolata, quod nequaquam sint in communicabilia dicta privilegia: cum alioquin juxta præmissa frustra concederetur in jure antiquo, & novo privilegiorum communicatio: omnia etenim & quæcumque fere privilegia Regularium reducuntur ad exemptionem, vel in ea fundantur; quæ non potest de se præjudicium non importare potestati, & jurisdictioni Episcoporum: licet hoc pariter contingat, quatenus in superficie tantum ipsa exemptio inspiciatur; funditus, namque considerata in casu, non loquendo de exemptione a lege Diœcesana, potius Episcopos, & Ordinarios juvat, saltem privilegia hisce temporibus in favorem Regularium subsistentia, in nullo revera Episcopis præjudicant; ut probatum dedimus

mus *tom.* 1, *dub.* 10. *n.* 10. Quoties tamen privilegium alicui Ordini, sive Congregationi, tanto magis peculiari Monasterio concessum, notabiliter Episcopis præjudicaret, vel dignitatem jurisdictionemque eorum enormiter læderet, ut foret usus Pontificalium, signanter cum distinctione, ad instar Episcopi, aut parum discrepans ab usu conveniente Episcopis de jure, vel usus Chrismatis in benedicendis aut consecrandis vasis sacris, & fortius Altaribus, tunc non tenere concedimus privilegium communicationis in genere, quia non esset verisimile, quod Summus Pontifex tale privilegium affirmatum concedens uni vellet cœteris impertiri, signanter si concessio aliquam inspiceret peculiarem rationem: ex notatis per Lezanam Verbo Privilegium *n.* 72. nisi quatenus ex verbis admodum prægnantibus ut ajunt, colligeretur, satis clare intentio Summi Pontificis privilegium idem speciale alicui alteri Congregationi communicandi: juxta doctrinam Cardinalis Petræ superius allatam *nu.* 21. In quo etiam casu communicatio in terminis sic prægnantibus concessa, quod valeret tantum pro illa peculiari Congregatione cui concederetur, pro aliis nequaquam, concludendum addimus: propter mox adducta motiva similiter quandocumque privilegium valde exorbitans esset a jure, ut foret in casu de audiendis Confessionibus Sæcularium absque approbatione Ordinarii, concessum uni Monasterio vel certis personis, minime intelligendum fore concedi cœteris per verba communicationis privilegiorum in genere non negant Doctores, etiam Regulares, & ex variis Sacræ Rotæ decisionibus probat Tamburinus de jur. Abbat. *tom.* 1. *disput.* 17. *qu.* 2. *n.* 5. & 6. Cœterum tam facilis negatio privilegiorum Regularibus concessorum, seu communicationis in iisdem non tam offendit Regulares, quam Sanctam Sedem, quæ exemptionem Religionibus & Ordinibu juxta sibi optime visas rationes concessit. quomodo prænotavimus jam tom. 1. dub. 10. sect. 1. per tot. *Unde graviter Episcopi agerent.* Sunt verba Cardinalis Petræ, inter alia *tom.* 4. *pag.* 172. *n.* 9. & 10. *graviter Episcopi agerent contra Sanctæ Sedis potestatem: si dum ab ea, uti a fonte jurisdictionem desumunt, id quod hæc sibi reservavit, usurpare velint, ejusdemque Sedis jura invadere tentant; quia* Exemptio fit gratia Eximptoris potius, quam Exempti. Hæc satis sit addere iis, quæ in dicta dubitatione 10. fere per quinque sectiones fuerunt exarata, ubi de præcipuis privilegiis Regularium; quæ inter ipsos atque Episcopos controvertuntur, & de omni eo, quod Episcopis competit a jure, & ex veneratione debetur, sufficienter traditum est. Reliqua ad materiam de privilegiis spectantia collegerunt Lateranensis Canonicus Gueber in Opere cui titulus *De Privilegiis Religiosorum* nuperrime, & P. Fr. Didacus ab Aragonia in libro pariter sub titulo *Dilucidatio privilegiorum Regularium*: sed exactius fortasse, quod servandum, & allegata documenta, Anacletus Reinffestuel tit. de privileg. per plures §§. a quo desumpserunt alii quidquid relevat fundatæ doctrinæ & nos etiam; prout necessitas, & opportunitas occurret peculiares de aliquo privilegio controverso resolutiones adducere, aut clarius replicare non omittimus, & præsertim duo quæsita necessaria pro incidenti communicatione privilegiorum examinanda remittimus ad Dubitationem XIX. sect. III. n. ultimo 76.

SECTIO SECUNDA

Quæ loca, & quas personas visitare possit Prælatus Regularis.

SUMMARIUM.

24 *Prælati Regulares possunt visitare Provincias, Monasteria locaque respective, quæ proprio subsunt regimini, Conventus item parvos, & Grancias, & quomodo.*

25 *Omnia alia loca sibi quomodolibet subjecta, & in quibus proprii demorantur subditi potest visitare Superior Regularis: nisi Ordinariis locorum tribuatur expresse privativa.*

26 *Personas consequenter in locis sibi subjectis demorantes potest visitare, & corrigere Superior Regularis; ac etiam ubicumque degant extra clausfra, dummodo sint proprii Regularis instituti, & nisi pariter Ordinariis locorum aut aliis tribuatur privativa:*

27 *Alia quæ potest cumulative cum Ordinariis locorum inquirere, & previd re visitando Superior Regularis. Alia item exemplariter adducuntur, quæ non potest.*

24 Quæ in præcedenti Sectione præmissa, & replicata sunt quantum ad exemptionem & privilegia Regularium, in suppositione, quod fermo extra Claustra extendatur, fere esse de subjecto non supponente sicuti alibi tetigimus tenemur repetere. Quippe cum in subditos Episcoporum, si loquamur præcipue de admi-

ministratione Sacramentorum nullum remanserit reveri privilegium, quod eos ab jurisdictione Episcoporum directa, ac etiam indirecta omnimode, ac penitus valeat eximere. Quapropter, si Regularium ipsorum exemptio non tantum passiva sed etiam activa in certas personas nuncupanda sit; ut bene notat Cardinalis Petra *tom. 2. n. Constit. 6. Alexandri VI. sect. 1. n. 1.*, in ea parte, quae activa est, non est dubium, quod in ordine ad loca & personas, quae Praelatis Religiosorum qua talibus respective subjiciuntur veniat mensuranda; nisi ad Praelatos habentes jurisdictionem magis & minus quasi Episcopalem etiam in saeculares controversia transferatur, in quo jam non considerantur amplius ejusmodi Praelati, ut praecise Regulares, & de ipsis in superioribus dubitationibus Tomi primi sufficienter fuit actum; sistendo igitur ad praesens intra Claustra, ut continuemus inceptam methodum non secus ac circa Praelatos coeteros ex animadversis in capitis praeambulo, inquirentes scilicet prius de potestate Praelati Regularis respective ac in visitando; in hac dubitatione XIV. quae tota, praeter jam dictam lectionem primam, quam duximus necessario praemittendam, circa ad visitationis substantiam, ejusque modum versantur opportune cadit proposita sectio secunda: Quae loca & quas Personas visitare queat Praelatus ipse Regularis ut talis? Et quidem de potestate, & onere visitandi subditos, & de tempore, quo visitationes institui possint & debeant praemisimus in dubitationibus secunda & tertia proemialibus; sed distinctius nunc agendo ultra doctrinam traditam, quomodo potestas insit Praelatis & Superioribus Regularibus visitandi Provincias & Conventus omnes sibi subjectos, Generalibus utique in toto Ordine, Provincialibus, aliisque Visitatoribus intra fines propriae jurisdictionis sive Ordinariae, sive Delegatae respective, ut in citata dubitatione V. proemiali, cum Generales Patriarchalem reliqui superiores, quasi Episcopalem praeseferant Dignitatem magis & minus: Rodriguez *tom. 1. qu. 12. art. 5.* Lezana *tom. 2. cap. 13. n. 8. & tom. 5.* in Mari Magno Carmelitarum *n. 479.* Addendum est; quod parvos etiam Conventus in quibus praescriptus numerus Religiosorum de facto non alitur possit Superior Regularis visitare, in eisque necessaria pro bono regimine ordinare cumulative cum Episcopo, ita quod sibi visitatio hujusmodi jure ordinario competat, Episcopo autem jure delegato: juxta Decretum S. C. super stat. Regul. per Sanctissimum Alexandrum PP. VII. approbatum *sub die 27. Julii 1655.* jurep. *ad 11.* Apud Monacell. *tom. 1. in appendice pag. 313.* Pariformiter quantum ad Grancias earumque Ecclesias & Oratoria, quae Visitationi, immo jurisdictioni subjacent Ordinarii, in vim Constitutionis Innocentii X. *Instaurandae*, & Decreti, ipso annuente editi *ut in parvos*. Quod nimirum si Granciae sint omnino suppressae & ad statum Saecularem reductae; ipsae earumque Ecclesiae ac Oratoria subjiciantur utique Visitationi atque jurisdictioni Episcopi privative; at conversi in eis degentes cumulative, Episcopo videlicet ut Delegato Sedis Apostolicae, & proprio Superiori tamquam Ordinario: idemque sit servandum, quatenus conversi degant in Ecclesiis Granciarum suppressarum, quibus cura animarum sit adnexa. Si vero sermo sit de Granciis, seu membris alicujus Monasterii numquam suppressis, sed numero necessario sex Religiosorum carentibus, subsint visitationi & jurisdictioni Ordinarii loci, sed etiam Superiorum Regularium cumulative: Episcopi scilicet tamquam Sedis Apostolicae Delegati; Regularium autem Superiorum utantur jure ordinario. Ita in decreto S. Congregationis super statu Regularium sub *die 11. Septembris anni 1630.* in responsione *ad 1. 2. 3. & 5. dubium*, apud P. Matteucci *Offic. Cur. Cap. ult. sub n. 6. pag. 447.* Cum advertentia item ad ultimam S. Congregationis Episcoporum dispositionem, nondum tamen a Sanctissimo approbatam, quae in hac materia Conventuum parvorum adducebatur *tom. 1. dub. 10. sect. 2. n. 17.*

§. Un. Porro circa hunc articulum compendiosius se gerens P. Didacus ab Aragonia in Dilucidatione *tract. VII. Cap. 1. n. 12.* absolute pronuntiat, quod nequeant ab Ordinariis locorum visitari Ecclesiae Oratoria Monasteria aliaque loca Regularium; utpote sint exempta ex Bullis inibi a se citatis; immo neque hospitia posse visitari Regularium eorumdem, quatenus recepta sint ad praescriptum Constitutionum Inn. *Instaurandae* nec non Innoc. XII. incip. *Nuper*. Additque n. 13. visitationem dictam locorum spectantium ad Regulares aperte prohiberi Ordinariis locorum a Sancto Pio V. in Constitutione incip. *Et si Mendicantium* per se literaliter citatam ibidem. Verumtamen hujusmodi assertum ampliori indigere declaratione & limitationibus pluribus locum subii-

cere quis non videt? Tum ex adductis in primo Tomo *dub. X. n.* 13. *ad* 20. *inclusive* & hic mox recollectis; non pauca etenim superarent Sacram Congregationem etiam de speciali Papæ mandato recentiora decreta Constitutionem ipsam Innocentii X. *Instaurandæ* concernentia, ut fuit compertum. Quæcumque immo Bullæ Monasteria, Ecclesię, ac Regularium cætera loca a jurisdictione, & per consequens a Visitatione Ordinariorum eximentes, Canones & Decreta Concilii Tridentini super hoc excipiunt, & observari mandant; Bullam signanter S. Pii V. *Etsi mendicantium* poterat omittere laudatus auctor: nam hæc fuit revocata & reducta ad Tridentini normam & terminos, perinde ac si emanata non fuerit per Successorem Gregorium XIII. in Constitutione incipient. *In tanti*. Quæ perspici queunt apud diligentissimum Lezanam *p.* 2. *Cap.* 1. *n.* 12. *& seq.* Unde in hac ipsa juris visitandi materia quoad locorum Ordinarios atque Regulares Prælatos Concilii Tridentini dispositiones debent proculdubio vigere; & si quæ emergant dubia, declarationes Apostolicæ Sedis cum distinctionibus inibi expressis perpendi atque observari. Ut clarius infra.

25 Ex prædictis itaque colligitur manifeste, cætera omnia loca, Monasteria beneficia, sive curata sive commendata ad Regulares spectantia, quorum Visitatio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis vigore Concilii Tridentini conceditur immo præcipitur, sine tamen privativa expressa etiam Visitationi proprii Superioris Regularis respective subjacere; prout colligitur item ex un. Sarsinaten. S. C. C. apud Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 146. & Pascucci *tom.* 2. *de Visit. pag.* 437. Et expressius habetur in alia ejusdem S. C. C. declaratione sub die 6. Maii an. 1634. Videlicet: *quod Jurisdictio supra Regulares exemptos, curam animarum exercentes, in Cap.* 2. *sess.* 25. *de Regular. concessa Episcopis, illis cumulative competat; non autem privative quoad Superiores Regulares* in Abbat. Mont. Cassini, referente Nicolao in Lucubrat. *tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 29. *n.* 5. Cui sane declarationi additur opportune dispositio Regnantis Summi Pontificis BENEDICTI XIV. in Bulla sive Constitut. incip. *Firmandis* emanata oct. idus Novembris *anni* 1744. ℣. sive §. *Uno Verbo* ibi: *In quo nihilominus, Episcopi facultates*, scilicet Visitandi corrigendi &c. *minime privativæ sunt*, sed Præsul *Regularis jus cumulativum, cum ipso habet*. Cum clausula tamen; quod si decreta lata ab Episcopo quantum ad administrationem, & custodiam Sacramentorum atque spectantia ad curam Animarum in Ecclesiis Curatis Regularium aut qualitercumque licet exemptis, discreparent ab illis, quæ possunt edere Superiores exemptorum sive Regulares; debeant Ordinationes Episcopi prævalere & observari; prout probat enixe Monacellus citans Rotam, Fagnanum, & plura S. C. Decreta *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 2. sed sufficit hac in re mens aperta ejusdem Regnantis Pontificis §. eodem *Uno verbo*. Ibi. Ita tamen, *ut si aliter à Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hujus non vero illius Decretis sit standum &c.* Et ne fiat æquivocatio circa Grancias, de quibus mox resolutum fuit numero præcedente, quocumque diverso nomine nuncupentur, nimirum Ecclesiæ Domus, Oratoria Capellæ, quoties a Monasteriis, Conventibus, vel principalioribus Ecclesiis Regularium dependeant, repetimus, quod a proprio Superiore Ordinis, cui subjacent respective absque dubio visitari queant, cumulative cum Ordinario loci, in suppositione, quod hic super eadem loca jurisdictionem propter aliquam ex allatis rationibus pariter retineat, nisi alias Episcopis competat privativa in Decretis expressa, ut de Granciis, Ecclesiis, & Oratoriis, vel suppressis, vel ad Conventus suppressos pertinentibus dictum est: Quamvis, si horum quoque proprietas Monasterio alicui principali sit reservata, Episcopus respective Diæcesanus nullo pacto se possit ingerere in temporalibus; ut in relato Decreto *sub die* 11. *Septembris* 1670. in respons. *ad* 1. *&* 2. Ratio horum innegabilis itidem relevat, eo quia privilegia Regularibus a Sancta Sede & Summis Pontificibus concessa debent subsistere, & a subalternis servari, quatenus non constet esse revocata, vel in ea parte in qua revocata minimè sint. Ex *Cap. Si super gratia* 9. *de off. deleg. & ex Cap. Si cui* 36. *de præbend.* additis regulis famosis juris *in* 6. *n.* 16. *ibi*. *Decet concessum a Principe beneficium esse Mansurum* Nec non *n.* 17. ibi *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum* Jason. Bartol. & alii, citati a Suarez *lib.* 8. *de leg. Cap.* 34. Layman. *lib.* 1. *tr.* 4. *Cap.* 23. Reinfestuel *de privileg. n.* 87. *seq.* Quamvis ergo tribuatur Ordinariis locorum jurisdictio super Conventus, Grancias, Ecclesias, Oratoria nisi exprimatur cum privativa excludente quamcumque jurisdictionem Prælati pro-

proprii Regularis, huic cumulative denegari nequit, nec eam denegare & impedire est in potestate quorumlibet Sanctae Sedi & Summo Pontifici inferiorum: ex Clement. *Frequens* per Constit. Leonis X. *Dum intra la* 22. *Bullar. Tom.* 1. Pariter hic agendum foret de potestate quam habet Superior Regularis visitandi Monasteria Monialium proprio regimini subjectarum, necnon Domus, sive Conservatoria Mulierum, quae Pinzocharae, vel Tertiariae, aut quomodocumque appellantur, quatenus collegialiter vivant. Verùm, quia de jurisdictione quam possit Praelatus Regularis exercere super hujusmodi loca actum est incidenter una cum potestate Episcopi tum in actu visitandi, tum extra in Ordine ad Moniales; Tom. I. Dubit. XI. & iterum redibit sermo opportunior in Dubit. XVIII. Idcirco post loca, quae valet Praelatus Regularis visitare, transibimus ad distinctius examen Personarum.

26 Religiosos igitur in Conventibus ordinarie sibi subjectis demorantes potest proculdubio visitare Superior seu Praelatus Regularis qui ideo visitat loca, ut possit mores subditorum in iis degentium corrigere virtutesque, atque regularem observantiam promovere, quod totum visitando tantum parietes, & materiales officinas, & non personas, minime quiret obtinere, ut alibi adnotabimus & aperte insinuatur a Tridentino *sess.* 25. *de regul.* pluribus in Capitulis signanter in primo incipien. *Quoniam non ignoret* perlegendo: concordantibus omnibus fere quorumcumque Ordinum regulis, & statutis, Doctoribusque unanimiter. Item Religiosos quoscumque sui Ordinis existentes de familia in Conventibus, vigore Decreti *Ut in parvis*, vel alterius cujusvis jurisdictioni Ordinariorum locorum subiectos visitare potest Praelatus ipse Regularis, cumulative tamen cum ipsoOrdinario, prout diximus superius, eosdemmet Conventus visitare posse vigore decreti alterius per Sanctissimum approbati sub *die* 27. *Julii* 1655. ad 11. Insuper Conversos demorantes in Granciis, etsi totaliter suppressis, & quoad Visitationem localem Ordinario loci subiectis privative; itaut sicut praemissum fuit, super ipsorum Conversorum personas Superior Regularis jurisdictionem exerceat Ordinariam, & Ordinarius loci delegatam: juxta decretum emanatum item a Congregatione super stat. Regul. *sub die* 11. *Septembris* 1670. quod n. superius 24. pariter allegavimus. Parochos immo quoscumque Religiosos; aut quoslibet, quibus cura incumbat animarum potest eorum Praelatus Regularis visitare, corrigere, & punire quoad eorum vitam, & mores; non enim desinunt esse proprii subditi, nec ullibi ab ejus cumulativa jurisdictione inveniuntur seclusi, quinimmo cumulativam in casu competere Regulari Praelato decisum legitur per Rot. in Piscien. Jurisdictionis 15. *Junii* 1590. coram Ubato, & in eadem 20. *Octobris* 1593. coram Paslin., & in Civitatem Jurisdictionis 11. *Februarii* 1594. coram Seraphino, inter hujus decisiones n. 1067. ubi etiam additur. *Ita tamen, ut decreta Ordinarii praevaleant ubi datur aliqua contrarietas*, vel incompatibilitas; intellige in concernentibus vel directe, vel indirecte Animarum curam, & necessariam exemplaritatem attento hoc praeciso casu Religiosorum exercentium dictam curam. Quod quidem jus visitandi in casu Religiosos subditos, esto curam animarum habeant in Ecclesiis Granciarum etiam suppressarum, competere Praelatis eorum cumulative *nempe Ordinario, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, Superioribus vero Regularibus authoritate Ordinaria* verbis non ambiguis perspicitur in citato Decreto 11. *Septembris* 1670. *in respons. ad tertiam*. Sed clarius in Constitutione BENEDICTI Regnantis XIV., quae numero eodem 24. mox fuit relata incipien. *Firmandis*. Ubi in concernentibus ipsammet curam animarum cumulative visitandas praecipue personas Religiosorum Parrochorum non tantum loca, tribuitur Superiori respective Regulari; data tamen praelatione decretis Episcopi in casu discrepantiae ab editis per ipsum & per Regularem Praelatum §. cit. *Uno verbo*: juxta item recensita *tom.* 1. *dub.* 10. *num. signanter* 19. *&* 20. Et addendum, quod jus visitandi Religiosos sui Ordinis demorantes in Ecclesiis sive Monasteriis, quibus etiam Cura Animarum sit adnexa, sitis tamen in Territorio avulso, & a Dioecesi separato competat Praelato ipsimet Regulari privative, cum neque dicta loca, neque Religiosi in casu visitari queant a viciniore, neque a Praelato habente in eodem Territorio jurisdictionem quasi Episcopalem ad tradita in *tom.* 1. *dub.* 10. *sect.* 2. juxta doctrinam Card. Petrae *tom.* 5. *pag.* 78. *n.* 142. & Patris Matteucci accurate haec dubia tractantis in Offic. Cur. Cap. ult. & ad propositum n. 13. & 14. Cum limitatione tamen; quod si loca visitanda sive Ecclesiae numero Religiosorum necessario destituuntur, & quomodocumque, vel curam adnexam ha-

habeant Animarum, vel non, in Decreto *Ut in parvis*, & aliis similibus comprehendantur, adhuc visitationi Abbatum & aliorum Prælatorum inferiorum, proprium Territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem habentium tum ipsa loca, tum personæ in iisdem degentes subjiciuntur. Ut aperte in decretis, sive declarationibus a S. Congregatione editis, & ab Alexandro PP. VII. confirmatis de *anno* 1655. 27. *Julii* in responf. *ad* 10. uti tetigimus supra. Quia pariter personas Regularium Curam Animarum habentium, atque in domo particulari prope Monasteria commorantium diximus alibi *dub.* 10. *cit. sect.* 2. *tom.* 1. Visitationi Ordinarii minime subjacere: ad tenorem decreti S. Congr. apud Barbos. super Trident. *sess.* 6. *cap.* 3. *n.* 4. & Fagnan. ad *Cap. Grave nimis n.* 16. *&* 35. cui subscribit Matteucci *cit. nu.* 15. nisi forte delinquerent in concernentibus Animarum curam, ut cavet opportune Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *form.* 20. *n.* 14. ex firmatis etiam per Rot. coram Molines 15. *Maii* 1694. *decis.* 40. post eumdem Monacell. *pag.* 2. in Appendice. Consequenter in concernentibus absolute vitam moresque illorum quod teneatur accuratius inquirere tempore debito Superior Regularis visitans colligitur ex Concilio *sess.* 25. *cap.* 12. *cit.* ne aliquin impune possint errare absque formidine correctionis & pœnæ, & proprias oves ex alia parte impune valeat negligere Pastor, reclamantibus juribus, & Doctoribus. Gloss. *in Clement. l. §. Quia vero de stat.* Monachor. *l. Nam Reipubl. l. in Provinciali §. Si in publico ff. de Operation. l.* 1 *ff. de Off. Præfect. Reg.* Francisc. de Pavin. *Bacul. Pastor. Cap.* 20. *per. tot.*

27 Propter hanc eamdem rationem; quamvis ad Episcopum respective pertineat cognoscere, & approbare necessitatem pernoctandi prope Monasteria in Confessariis Monialium etiam Regularibus subjectarum attenta distantia dictorum Monasteriorum a Conventu, ubi Confessarii ipsi moram trahunt: prout in Constitutionis Alexandri PP. VII. *Felici la* 156. *in Bullar. tom.* 5. §. 11. Et in casu contraventionis Ordinationibus Episcoporum ab his puniri valeant delinquentes ipsi Regulares, ut *ibidem* §. 12. Nihilominus facultas corrigendi & puniendi eosdem contravenientes minime tribuitur Ordinariis privative; ut legenti citatam Bullam compertum erit. Præterea invigilare atque inquirere super horum Confessariorum defectus, respective ad omnia in dicta Constitutione contenta, & etiam alia circa normam vivendi Confessariorum ipsorum: necnon sociorum, poterit sine dubio superior Regularis immo tenebitur in actu signanter visitationis, modo tamen licito semper, & attentis præcedentibus rumoribus, aut clamorosis insinuationibus. Similiter quotiescumque privati Religiosi, & ii cum indulto, extra claustra in Domibus sæcularium aut ubicumque degant atque vivant, non potest equidem negari, quod jurisdictioni Episcupi subjaceant in terminis Tridentini *sess.* 6. *cap.* 3., & aliorum decretorum: sed insimul tenendum est visitationi, & correctioni proprii Regularis Prælati eos subesse; ita ut de illorummet vita & moribus possit hic etiam inquirere: & juxta necessitatem & opportunitatem de remediis providere. Ad tradita per Sperellum *dec.* 34. *n.* 20. Lauret. de Franch. *part.* 1. *Controvers. n.* 117. *in addit.*, & abunde per nos *tom.* 1. *dub.* 10. *sect.* 4. *n.* 43. *ad* 47. Quod tandem generaliter observandum, & concludendum venit quantum ad subditos quoscumque, & ubicumque degant, & quomodocumque delinquant; quod nimirum eos visitare corrigere & punire queat Superior proprius Regularis saltem cumulative cum Episcopo in casibus, in quibus huic etiam subjiciantur; servatis alias servandis juxta decreta, & declarationes Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis: Nisi quatenus inveniatur in jure concessa Ordinariis locorum privativa; prout tribuitur de facto occurrentibus nonnullis gravioribus excessibus. Et signanter per Apostolicas sanctiones perspicuum est, dari privativam hujusmodi Inquisitoribus; vel ubi distinctum hic non erigat ab Episcopo Tribunal, ipsismet locorum Ordinariis, quoad crimina ad Sanctum Officium spectantia; ita ut quoties Visitatoribus Regularibus aliquod hujusmodi delictum obveniret; deberent omnino Inquisitoribus præfatis, vel Ordinariis locorum delictum cognoscendum, & delinquentem, licet sibi subditum, puniendum relinquere ex Constitutionibus, & Decretis pluribus præcipue Pauli V. *Romanus Pontifex* la 26. Bullar. tom. 3. §. 3. 5. & 6. &c.

SE-

SECTIO TERTIA.

Quem modum servare debeat Prælatus Regularis in visitando.

SUMMARIUM.

28 *Ad visitationem peragendam a Prælato Regulari necessaria est prævia exhortatio cujus forma insinuatur.*

29 *Profitetur Visitator in prævia hortatione se inviolabiliter secretas depositiones servaturum: nec ullatenus passionibus, & adhærentiis ductum, sed sola merita promoturum.*

30 *In Visitatione paternali clementiam magis, quam rigorem præseferre debet Prælatus Regularis.*

31 *Improbatur modus visitandi, & corrigendi minus proprius in aliquibus Prælatis, sed commendatur correctionis rigor ubi pro observantiæ Regularis instauratione, aut manutentione sit necessarius.*

32 *Visitatoribus non Regularibus non licet adhibere præceptum Sanctæ Obedientiæ pro cogendis subditis ad revelandum ea quæ sciunt.*

33 *Conveniunt Doctores fere communiter a Visitatoribus Regularibus præmittendum esse præceptum Sanctæ Obedientiæ visitandis subditis, ut revelent, ea quæ sciunt sed variant quoad modum & circumstantias.*

34 *Præmittitur pro Minoritis textus praxis criminalis, & statutum præscribens præceptum Sanctæ Obedientiæ præmittendum esse in visitatione generali.*

35 *Attento jure communi non expedit præmittere præceptum Sanctæ Obedientiæ in visitatione generali paterna, attenta ejus forma, & substantia.*

36 *Expedit attenta ratione, quod aliquando præcepto Sanctæ Obedientiæ adigatur subditus ad deponendum in visitatione generali.*

37 *Nequit Superior visitans cogere visitatos subditos in visitatione generali, ut deponant juridice, ea quæ sciunt.*

38 *Quoties Visitator Regularis addat præceptum Sanctæ Obedientiæ debet declarare, quod istud non obligat ad revelando occulta.*

39 *Considerantur Statuta Religionis Minoriticæ & aliarum de præmittendo Sanctæ Obedientiæ præcepto.*

40 *Secretarius sive Notarius est necessarius cuicumque Prælato; & describitur eius officium etiam in visitando.*

41 *Relinquitur arbitrio Prælati visitantis adhibere secretarium in actuali visitatione & examine comparentium; at consulit Crispinus: ut Prælatus solus audiat.*

42 *Visitator Regularis non debet adhibere Secretarium dum paterne audit visitatos subditos: signanter apud Minoritas.*

43 *Prælatus quicumque paternaliter visitans non debet exquirere juramentum a visitatis, & examinantur casus adducti in contrarium.*

44 *Quamvis absolute Prælati Regulares visitantes in paternali nequeant deferre juramentum comparentibus, tamen statuta in contrarium non desinunt esse rationabilia.*

45 *Rejicitur assertum Peyrini admittentis juramentum, & præceptum sub censuris in omnibus Inquisitionibus etiam paternis quorumcumque Prælatorum.*

28 Plura continet ista Sectio, quæ per distincta dubia enucleabuntur. Et primum dubium est. An possit Regularis Prælatus visitationem incipere absque sermone prævio? Ad quod responsio in promptu occurrit; non esse possibile, quod visitandos personaliter examinet; nisi visitationem iisdem intimet, ideoque quamvis Prælatus non Regularis valeret intimationem verbalem supplere per edictum manifestum quo ordine quo tempore forent accessuri ad ipsummet Subditi visitandi; Regulares tamen juxta praxim, necnon statuta cujuslibet Religionis obligari videntur ad capitulariter congregandos in Conventu ad quem pervenerint, demorantes, eisque propositum perficiendi inibi visitationem exponere: ad hoc, ut unusquisque singillatim deinde vocandus ad depositiones prius bene perpensas secundum conscientiæ rectum dictamen se disponat Paulin. Bert. *prax. tit.* 8. *cap.* 6. *n.* 3. Rodriquez *tom.* 2. *de ord. judic. cap.* 2. *n.* 2. Peyrin *form. de Prælat. tit. P. Cap.* 9. Anton. a Spir. S. *tractat.* 4. *de regim. Prælat. n.* 10. & *alii*. Et sane hoc idem munus brevibus admodum verbis posset explere visitationis Superior; proponendo nempe, se accessisse ad Monasterium, sive Conventum visitandum juxta Canones & Regularia præcepta; ideoque unusquisque, quoties vocetur, oneri propriæ conscientiæ in manifestandis iis, quæ remedio indigent satisfaciat: verum Doctores periti prolixiorem non omittunt suggerere methodum sive formam, secundum quam prævius idem sermo sit intexendus, ad hoc ut finis intentus feliciter sortiatur effectum: videlicet, quod sit sermo hortatorius ad perfectionem, & ad manifestandos sincere defectus, ut possit iisdem Visitator revera de remedio opportuno providere, atque inter alios præbet exemplar exhortationis hujusmodi

di pro Superioribus quibuscumque Regularibus Paulinus Berti in opere suo, alioquin confuso, loc. cit. Visitatoribus autem Minoritis brevem dat instructionem quantum ad sermonem præmittendum Frater Angelus a Lantusca in suo Theatro Regularium - V. *Commissarius &c.* n. 3. ibi. *Omnes in Domino cum Sanctæ Obedientiæ merito admoneantur; ut dicant quæ de jure dicenda veniunt, nec odio, nec prava animi affectione, sed ex sola charitate, & Regularis observantiæ zelo moveantur.* Ac distinctius sermonis ejusdem præmittendi formam insinuant statuta Ordinis in Compilat. Sambuc. Cap. 8. §. 56. ibi. *Visitator primo fratres in unoquoque Conventu datis quibusdam Capitularis campanæ ictibus in Capitulum convocet, ad eosque capitulariter congregatos, pro loci, ac temporis ratione sermonem habeat, quo eos graviter, ac pie hortetur tum ad universa pietatis officia, & opera, tum vero maxime, ut sincere fideliter ac magno Christianæ pietatis zelo aperire, & denuntiare valeant, quæ pro Dei gloria, proque Animarum salute, ac Religionis augmento, admonitione, correctione, reformatione, provisione, aut punitione pro sua quisque conscientia in Domino cognoverit indigere, quod, ut recte ac fructuose præstent, eidem districtè præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ*, de quo præcepto specialius infra. Quibus profecto verbis statuti per se clarissime reliqua possunt distinctius superaddi necessariissima, quæ subsequenter in eodem statuto *V. illud vero*. insinuantur; in primis nempe, opportunum fore ut verbis Prælatus visitans protestetur atque in opere observet deinde indifferentiam: si etenim subditus examinandus illum deprehendat alicui factioni vel potentioribus adhærentem, pro certo confidentiam amittet, & ea quæ tunc reticebit, alio tempore & loco, & utinam sine Religionis dedecore in publicum prodet. Proinde super hac re prudentius ageret admonitionem serio præmittendo; quod, nimirum, sciant Religiosi, se omnium esse æqualiter Patrem, nec ullam excusationem adducere ipsosmet subditos posse; si quæ noverint deponenda, non revelent; quin immo reticentes malitiose & ad aliud tempus reservantes sese exponere pœnis per statuta taxatis contra calumniatores & malignos obtrectatores in Statut. General. Sambucan. *Cap. 7. §. 6. n. 54.* & signanter in Roman. pro Reformatis *de anno 1688. n. 46.* Et quia Fratres, ut in plurimum, ex quocumque, levissimo licet, motivo solent esse suspiciosi; quatenus, scilicet, norint Visitatorem alicui hilarem exhibere faciem, vel longius cum alio secundum exigentias non semel indeclinabiles habere colloquium, turbantur statim; quasi partialis & nimium affectus erga illum & alium vere existeret; hoc idem in sermone habendo solers Prælatus præcaveat, expresse se aperiens velle nimirum ad libitum suum cum unoquoque tractare, omnesque juxta urbanitatis exigentiam honorare, & occurrentia negotia interpollare: absque tamen læsione justitiæ, & acceptatione personarum in iis, quæ munus suum concernunt; ut in actu exercito docebit deinde experimentum.

29 Præterea; quia hisce calamitosis temporibus parva aut nulla fides invenitur etiam apud illos, quibus obligatio inest eamdem servare præ cæteris. Cumque experientia docuerit, nonnullos interesse proprium magis præ oculis habentes quam Dei gloriam & servitium, prædominantis alicujus factionis Patribus detegere non semel quæ contra illos Religiosi pauperes, viribusque ac protectione destituti deponunt; saltem circumstantias signent adeo individuales, ex quibus denuntiantium personas valeant illi pro certo arguere; ita ut proverbium inoleverit fere commune; non mediocri ineptia laborare illos, qui in Visitatione alienos defectus deponunt ad provocandum contra se præpotentium odium; ideo in præhabenda exhortatione hoc signanter protestetur & juret visitator, se inviolabiliter secreta servaturum, nec ulli omnino fore a semet personas deponentium revalandas unquam: juxta obligationem jure naturæ contractam; de qua agetur alibi ex professo. Neque prætermitto; quod cum ad visitationes Generales in omnibus fere ordinibus, præcipue in nostro Minoritico, per Commissarium deputatum exercitas, soleant sequi electiones & promotiones ad gradus tunc temporis vacaturos: ac proinde adspirantes & factionarii, motus omnes Visitatoris, omniaque verba ad hunc finem adnotare & perpendere sint assueti: propterea prudenter se gerent sermocinantes, quoties sic tali occasione, sicuti in omni alia protestentur itidem, se gloriam Dei, pacem Provinciæ, atque promovenda merita unice intendere, necnon propositum firmissimum indeclinabiliter servent propriam non aperiendi sententiam circa individualiter eligendos, nisi in extrema Visitationis Provinciæ periodo; quando proxime electiones ipsæmet imminent: prae-

praxis namque continua confirmat, inconvenientia maxima ex hujusmodi inopportunis & præmaturis aperitionibus cum detrimento communi Provinciæ & particulari subjectorum comparative meliorum, fuisse exorta.

30 Cæterum, cum sermo iste in visitationis actu præmitti solitus naturalem Superioris inclinationem, vel ad rigorem, vel potius ad clementiam, ut in plurimum manifestet, quæritur inde opportune, utrum clementiam de facto magis & misericordiam, vel rigorem atque justitiam, expediens sit in hujusmodi annuntiatione prævia, sicuti in executione, de qua inferius indicare, cui quidem quæsito breviter respondeo: cum loquamur hic de visitatione paternali, principaliùs protestandam esse clementiam ac misericordiam, quam justitiam cum rigore, sic enim indicitur visitatoribus quibuscumque Ecclesiasticis Cap. *Romana de cens. in 6.* & ex Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. nec non in Pontific. Rom. in Synopsi sermocinationis faciendæ ad populum. *tit. de Visitatione Prælati; seu, Ordo ad visitandas Parochias* sed præcipue misericordiam potius quam rigorem præseferendum esse a quocumque visitatore Ecclesiastico doctissime probat Pavinus in suo Baculo Pastorali. *Cap.* 10. *n.* 56. quod caput utpote sententiis juris adagiisque prudentialibus undique refertum impretiabilem doctrinam exhibet, & addiscendam & executioni mandandam. Consonantque plura Sacrarum Congregationum Decreta. In una namque Gerunden. *ab anno* 1587. S. C. C. censuit, de omnibus delictis posse Episcopum in visitatione cognoscere, dummodo fine strepitu & figura judicii, absque processus compilatione procedat, ac poenas ordinarias non imponat; sed ea tantum ordinet, quæ novam correctionem & emendationem respiciunt, alioquin, si excedat modum in corrigendo liceat aggravatis ad Metropolitanum appellare. Idem decrevit in alio Castellanaten. Sacra Congregatio Episc. 13. *Januar.* 1589. per quæ & alii apud Crispinum Visit. Pastor. *part.* 1. §. 13. *n.* 7. *&* 8. satis liquet, quod Sedes Apostolica in hujusmodi munere, scilicet visitandi, clementiam misericodiamque commendat, immo imponit. At inter Religiosos præcipue, in quibus Superior titulum Patris vel Fratris præseferens, ostendit se veluti filios, fratresve, commissos subditos respicere, quod in paternis occurrentibus visitationibus & correctionibus magis attendenda sit misericordia & clementia, quam justitia cum rigore, & suadet aperte ratio & Scripturæ Sacræ jubent & Doctores fere omnes commendant super quæ Peyrinus legendus, De Prælato *quæst.* 3. *cap.* 3. §. 2. *&* 3. & P. de Ameno pract. crim. tit. 1. qu. 12. & 31.

31 Dixi autem, quod magis attendatur misericordia quam justitiæ rigor, ad significandum, quod misericordia debeat prævalere comparativè, non tamen absolute cum justitiæ despectu, præsertim quoties subditi alias clementer admoniti parum aut nihil inde proficiant juxta Davidicam insinuationem *Ps.* 100. *n.* 7. *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*, ubi misericordiæ quidem datur præcedentia, sed judicium eidem indeclinabiliter associatur. Et quantum ad misericordiam ipsimet rigori semper immiscendam, & præcipue in correctionibus paternalibus præ oculis habendam, necessarium proponitur documentum Visitatoribus non modo, sed & cœteris Superioribus, etiam localibus, qui ad quemlibet defectum subditi, quandoque invisi, licet in ætate saltem, nisi in aliis qualitatibus provecti, iracundia brutali subito exardescunt, & objurgationibus errantem inhumaniter confundunt. Super quo sane invigilare teneruntur Visitatores iidem, ac Superiores altioris Ordinis, adeo ut confundentibus ex quocumque levi motivo fratres suos, præcipue de Religione, secundum propriam qualitatem benemeritos, confusionem restituerent. Sal ergo prudentiæ necessarium est in correctionibus, itaut a Visitatoribus sermonem habentibus ad Religiosos lenitas, & mansuetudo præostendantur, sicut & in executione deinde correctiones ipsas, & quatenus opus sit, punitionem comitentur, ne nimia terreat errantes asperitas, quæ secundum canones nec correctionem recepit nec salutem Cap. *Licet*, Cap. *Disciplina*. Cap. *Omnis qui juste* Cap. *Sunt namque*, *& seq. dist.* 45. super quibus luculenter scribit Pater cit. de Ameno in pract. crim. tit. 1. qu. 1. 2. & 3. Attamen non per hoc obliviscendus est repetimus visitationis scopus, ita ut quoties sine correctionis rigore is assequi nequeat hic neglegatur, & relaxationes impune concrescant propter mansuetudinem nimiam & culpabilem indulgentiam, contra præscripta legis in Cap. *Ea quæ de stat. Monach. ibi: Cum Visitatores processerint ad Visitationis officium exequendum, de statu Monasteriorum, & ob-*

& observantiis Regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus CORRIGANT, & REFORMENT *quæ viderint corrigenda &c.* In Tridentino pariter perlegendo *sess.* 25. *de Regular. cap.* 1. Ideoque peccaturos graviter concludimus Prælatos quoscumque visitantes, qui obligationem hujusmodi corrigendi cum severitate mores, ubi necessitas emergeret sermone & opere non implerent, fortasse ut hominibus magis placerent quam Deo. Porro omnia in hoc primo dubio exarata quilibet Ordo Regularium in propriis animadvertat regulis & statutis, atque egregie complectatur statutum Minoriticæ Religionis superius n. 28. citatum, differens de Visitatore sermonem prævium ad visitandos Fratres habente. Ibi *In omnibus autem ita prudenter se gerat; atque animi sui integritatem, & ingenuitatem, in dicto sermone sic demonstret; ut nemo præ nimia confidentia insolescat, nemo præ diffidentia desperet; memineritque se communem curam communisque Patris personam gerere: ac propterea, ut personarum acceptator nullius personam respiciat; sed paterna charitate omnes amplectatur, omnes æque diligat, sic tamen, ut justorum, iniquorumque merita discernat, & pro singulorum qualitate factorum, ut justus, & verus Judex, aut supplicia, aut præmia decernat. Quæ cum pensaverit &c.* Cap. *VIII.* Sarrbac. in appendice ad calcem *paragraphi* 56.

33 Secondo principaliter in hac Sectione dubitatur. An expediens sit præcepto Sanctæ Obedientiæ adigere visitandos? Circa quod & alia sequentia dubia opportune aliqua de Prælatis etiam non Regularibus, vel jam dicta clarius explicabimus, vel jam præmissis alibi superaddemus; ut inde, ad propositum Regularium: juxta jura & rationes easdem simili methodo descendamus. Ultra igitur ea, quæ adducta jam supponuntur *tom.* 1. *dubit.* 2. *n.* 5. cadit hic repetendum, Visitatoribus sive Prælatis Ecclesiasticis non Regularibus, non modo necessarium non esse, præcepto Sanctæ obedientiæ subditos ad deponendum cogere, sed nec licere, prout resolvit Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 59. hac motus ratione, quia sic præcipiens Prælatus exponeret mandatum suum periculo contemptus, cum non una vice sæculares imperiti apprehendant, se in revelandis Visitatori defectibus proximi, gerere munus exploratoris, reputantes proinde proprium Viri honesti silere, quamvis magis naturalis ratio assignetur a lege, quia videlicet depositio in visitatione paternali ex sui natura debet esse voluntaria, & non coacta. *Cap. Romana de cens. in* 6., ubi habetur expresse; quod Visitator proponat Verbum Dei, & quod inquirat de vita & conversatione ministrantium in Ecclesiis & de reliquis &c. *absque coactione, & exactione juramenti: intendens emendationem ipsorum per salubria monita, sive lævia sive aspera prudenter.* Ultra quamquod: cum Decretum adsit S. C. C. in una Burgen. *die* 14. *Januarii* 1610. prohibens Episcopis adigere populos sub excommunicationis pœna ut occurrentia peccata & abusus revelent: his terminis: *minime quidem licere visitare volenti provocare populum, præsertim proposita excommunicationis pœna, ad crimina detegenda: sed tantum generaliter, & sine pœnæ comminatione monere scientes abusus, & scandala; ut ea significent Visitatori*, apud Pignatell. loc. cit. Exinde patet, neque posse a Visitatore ipsomet populum præcepto Sanctæ Obedientiæ ad deponendum obligari; cum excederetur ratio simplicis admonitionis. Doctissimus immo Pavinus in Baculo Pastorali *part.* 1. *Cap.* 5. *n.* 2. Neque licere asserit, Ecclesiasticis Visitatoribus, etiam sine præcepto, sæculares ad deponendum contra Clericos specialibus hortationibus & instantiis invitare: præmonendo ex. gr. *Si aliquis sciat de Rectore, & Clericis dicat mihi; & ego sic, & sic faciam & puniam*: nam, addit ipse, sunt Laici Clericis semper infesti. *Ex Cap. Laicos* 2. *qu.* 7. *Cap. Clericis de Immunit. Eccles. & alia*. ibi. Quod sal ubre & prudens documentum videtur S. Cong. Episc. præmisisse in una Zamoren. *Minime*; videlicet, *licere ad detegenda, corrigendaque in Visitatione Clericorum Sæcularium peccata, per edicta publica præmonere, ut revelentur*. 27. *Julii* 1592. in regest. Tanto minus igitur in actu visitandi; id conveniet exequi; sed admonitio in genere ad revelandum scandala & abusus, insinuator sufficere in hortationibus publicis signanter: visitandorum conscientiæ & liberæ depositioni cœtera relinquendo. Eo vel magis: quoties scrutatores secretorum auxilium velint adhibere Visitatores iidem Ecclesiastici: ad hoc, ut de defectibus & scandalis occurrentibus ab illis occulte inquirentibus informentur plene antequam visitent, & certiores reddantur, de quibus scrutatoribus jam in dubit. 3. p. tomi sect. unica. Quamquam nec istis adeo absolute fidendum, quin eidemmet visitanti sit necessaria cautela, & perscrutatio prudens,

cef-

advertunt Pavinus, & Pignatellus præcitati.

33 His præabitis & repetitis, quantum ad Visitatores Ecclesiasticos non Regulares diversam doctrinam generaliter tradunt Doctores de Regularium ipsorum visitationibus differentes: concordant siquidem, exhortationi præviæ præceptum Sanctæ obedientiæ adjungi debere, quatenus obligentur per illud subditi ad ea quæ opportunis remediis indigent revelanda. Sic Paulinus de Berti *tit. VIII. prax. Cap.* 6. *n.* 3. Quamvis hic potius de Visitatione juridica quam de paterna ibi tractet. Peyrin. *Cap.* 9. *formul. Prælat. n.* 6. & 7. citans Gavantum in praxi §. 4. *n.* 9. & Pontificale Romanum *part.* 3. *de ord. Visitandi Parochos*; sed cum Gavantus & Pontificale Romanum agant proprie de Visitatoribus non Regularibus; quorum munus & visitandi modus extenditur ad quemcumque Prælatum *per Caput Romana de censf.*: patet quod sine fundamento obligationem præcipiendi per Sanctam Obedientiam inde deducant: nam id potius Capiti eidem *Romana* præcipienti non cogendos esse Visitatos repugnat aperte, atque etiam S. Congregationis Decretis; ut in n. præcedente fuit replicatum. Verius ergo pro hac sententia, quod expediat, & sit necesse præmitti in Visitationibus Regularium præceptum formale obligans subditos ad revelandos defectus &c. citat Peyrinus ipse Spatarium in *tract.* 2. de modo corrigendi Regulares *cap.* 3. *n.* 5. Marcum Antonium Resta in suo Direct. Visitat. *par.* 1. *Cap.* 88. *V. Singulisque* ubi addit, posse præcepto adnecti pœnam excommunicationis. Quibus associari potest Cajetanus in opusc. *tract.* 31. *respons.* 5. *tom.* 1. ulterius sustinens, non esse necessarium declarari per Visitatorem præcipientem formaliter in virtute Sanctæ obedientiæ, quod præceptum suum minime obliget visitandos in iis, quæ sunt contra jus naturæ vel Divinum; quia certum & notissimum est, ibi inquit, nolle Visitatores inquirere de occultis & iis quæ multa laborant infamia. Verum hoc Cajetani assertum sic absolutè prolatum meritò improbat Peyrinus idem, contendens n. 7. quod Prælatus visitans teneatur dictum præceptum declarare pro simplicioribus ad consulendum conscientiæ suæ, ne alioquin sit causa quod multi injuste infamentur, & plurimi alii peccato reddantur obnoxii ex conscientia erronea, vincibili tamen, revelando quæ nequaquam revelari queunt cum sit impossibile, quod omnes visitandi subditi sint periti, ut laici obliti plures etiam Sacerdotes, qui parum super libris insudant, putantes aut auumare volentes se posse defectus etiam occultos fratrum, qui super propria fama ius adhuc retinent, impunè propalare attento Superioris visitantis absoluto & nil distinguente præcepto. Quam Peyrini sententiam docuerunt etiam Navarrus *in Cap. Inter verba coroll.* 62. *num.* 250. *conclus.* 2. Sayrus *lib.* 12. *cap.* 11. *n.* 18. hisque subscribere videtur Thomas a Jesu de Visit. Regul. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 5. juxta dictata in Cap. *Qualiter, & quando de accus.* ibi: *Exceptis criminibus occultis*. Pater autem Antonius a Spiritu Sancto. De regim. Prælat. Regul. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 10. suggerit ipse quoque, præceptum formale obedientiæ debere præmitti, & quatenus opus sit excommunicationem comminari; advertit deinde *sect.* 3. quod quando Visitator præceptum hujusmodi pronuntiat, nempe ut sibi Fratrum delicta denuntientur, debeat intelligi de denuntiatione tamquam Patri, non vero tamquam Judici, quia si viderit necessariam esse denuntiationem judicialem, ipse præcipiat in actu denuntiationis deponenti, ut relicta fraterna, ad ipsam, videlicet judicialem, transeat, quod tamen idem præceptum præsupponat semper correctionem fraternam in casibus, in quibus debita est, ultra Peyrinum citans Pelizarium *tract.* 9. *cap.* 4. *n.* 29. secum plures adducentem, additque cum Peyrino ubi supra, teneri quoque Visitatorem cum præceptum imponit, se declarare quod velit delicta fratrum denuntiari præmissa correctione fraterna. Ita *sect.* 3. *cit. n.* 71. 72. 73.

34 Quantum attinet ad Minoritas invenio doctrinam in praxi horum criminali. tit. *Inquisitio* §. 7. ibi. *In generali Inquisitione*, videlicet paterna *Judex a nullo juramentum exquirere debet*, de quo infra *admoneat tamen subditos, & PER SANCTAM OBEDIENTIAM PRÆCIPIAT, ut dicant quæ Dei gloriam & candorem Religionis concernunt, dummodo occulta non sint*. In statutis item generalibus compilat. Sambucan. *cap.* 8. §. 56. habetur expresse, quod postquam in sermone præmisso ad Fratres Visitator hortatus eos fuerit ad deponendum & revelandum ea, quæ Dei gloriam Animarum salutem Religionis augmentum, admonitione correctione indigere cognoverint. *Ut id rectè & fructuose fratres ipsi visitandi præstent, eisdem districte præcipiatur in virtute Sanctæ Obe-*

Obedientiæ in appendice ad dictum §. 56. tit. *Quæ Visitator* Quod quidem statutum Pater Sanctorus explicans, firmat dandum esse præceptum subditis, *ut dicant ea quæ de jure dicenda sunt, odio aut passione sepositis*. Pater autem Ludovicus de Ameno potius supponit præceptum hoc dandum, juxta Statuta & praxim, quam probat aut examinat expedire, ut videre est in ejus pract. crim. *tit.* 1. *n.* 5. & 9. Atque inde quantum ad obligationem obediendi huic imposito præcepto asserit *n.* 5. eit. in fin. Quod in Visitatione paterna tenentur fratres delicta occulta revelare quoquo modo scita, extra Confessionem tamen, sub poena formalis inobedientiæ, & contrarium asserentes vel dogmatizantes aut in hoc contumaces, actuum legitimorum privatione & eareere respective puniendos, allegatque Religionis statuta a se in bi explicata. Quia tamen examinanda hæc specialius erunt in sectione incidenter inferius addenda, videlicet *Quæ tenentur subditus apud Visitatorem deponere*. Ideo stando hic in proposito dubio de præcepto Sanctæ Obedientiæ præmittendo vel non, sententiam, quæ videtur magis æqua per plura dicta hic ordinate aperiam.

35 Dico igitur primo. Attento iure communi non semper expedire Superiori paternaliter visitanti præcepto formali Sanctæ Obedientiæ adigere subditos ad deponendum & revelandum quæcumque sciant eontra Religiosos Fratres. Assertum patet, quo ad jus commune in Capite præcitato *Romana de censibus*, ubi expræsse jubetur quod præscripta forma visitandi sit etiam servanda ab omnibus Prælatis respective suos subditos visitantibus: & quamvis apponatur clausula: *salvis tamen rationabilibus, & approbatis Religionum consuetudinibus, & regularibus institutis*; Nihilominus aperta mens legis satis superque patet ibi; *quod nempe ex sui natura Paternalis visitatio debeat excludere coactionem, & intendat emendationem subditorum per salubria monita tantum, sive aspera sive lenia prudenter*. Quoties proinde Regularia ipsa instituta naturam visitationis paternalis pervertere attentarent a juristis possent appellari irrationabilia; atque ita neque per rectam & rationabilem legem excepta nec attendenda saltem; utpote a jure communi aperte recedentia non possent non deprehendi apprime odiosa ex *Cap.* 1. & 2. *de fil. Presbyt. in* 6. *juncta reg.* 28. *jur. in* 6. cum concordatis. Ulterius in jure videtur perspieuum, & apud Doctores communiter aceeptum; quod non debeant cogi subditi ad deponendum eum juramento in visitatione paterna qua tali; ut in dubio inferius proponendo firmabimus ex professo propter adæquatum sæpe repetitum legis finem: *ut subditi visitandi libere deponant absque ulla coactione*. Præceptum vero formale Sanctæ Obedientiæ pro cogendis examinatis æquivalere juramento, docent Mirand. de Ordin. judic. *qu.* 14. *art.* 8. *de Bictis qu.* 52. *n.* 13. Bordon. *prax. cap.* 4. *n.* 20. Bollegr. *tract.* 3. *qu.* 4. *n.* 17. subscribitque Passerinus in Tribunali Regular. *qu.* 11. *n.* 17. Ad evitandam igitur abominabilem coactionem, per quam paternalis Visitationis ratio videtur destrui secundum jura; *his attentis*; apparet non esse ita expediens præcepto præfato visitandos adigere. Absque eo quod valeret ullatenus ratio quæ in oppositum adducitur, quod nimirum superfluum foret visitare & inquirere de defectibus, quoties præceptum Sanctæ Obedientiæ monitionibus non addatur de iis revelandis. Hæc siquidem eadem ratio militat de Episcopis aliisque Visitatoribus extra Regulares; quibus tamen in paterna ac generali visitatione obligare subditos per formale Sanctæ Obedientiæ præceptum vel per comminationem æquivalentem, uti supra n. 32. communiter denegatur. Sicuti propterea superflua, & inutilis non censetur visitatio Episcopi absque tali præcepto in casu; ita eodem minime addito utiliter & fructuose possent visitare Regulares Prælati. Boni namque Religiosi adhuc optimo zelo ducti ad revelandum ea quæ profectui Religionis contribuere valerent propriam itidem adimplerent obbligationem detegendi quæcumque in Regularis observantiæ detrimentum vergere nossent, salvis juribus & salva ratione visitationis ejusdem paternæ, omne præceptum coactivum excludentis. Et revera quoties sollicitus & prudens Prælatus visitandos subditos de obligatione deponendi ea, quæ ad bonum commune, nempe ad reparandam perfectionem collabentem, sive ad impediendum Religionis & Religiosorum ulterius detrimentum pertinent, præmonere non desit, naturale præceptum memorans de conservando Religionis Matris decore juxta vires; ad tradita per D. Thom. 22. *qu.* 68. *art.* 1. & *seq.* Alens. 3. *part. qu.* 42. *Membr.* 1. aliosque apud Sanctorum de poenis *Cap.* 24. *qu.* 4. protestando, ut præhabitum est indifferentem zelum simul & fidele secretum, vel moventur sie extimulati subditi ad ea, quæ debent depo-nen-

nenda & revelanda, vel non; si primum habetur absque ullo strepitu intentum salva ut diximus integritate visitationis paternæ, & ratione gubernii sive regiminis vere suavis, quale debere esse Regulare insinuat cum communi Antonius a Spirit. S. *sect.* 3. *n.* 72. *cit.* Supposito vero quod non obstante præmonitione hujuscemodi adhuc visitati subditi rationibus apparentibus sive fictis ducti vel potius seducti scita revelare nullatenus velint: ad quid præceptum formale Sanctæ Obedientiæ superaddere. Nil aliud pro certo lucraretur Prælatus imperans, nisi quod conscientias subditorum in præfixæ taciturnitatis obstinatione persistentium novo peccato, & præceptum ipsum contemptui exponeret. Propterquam ipsam rationem Episcopis hujusmoni præcepti usum inhiberi animadvertit signanter Pignatellus superius citatus in consult. 59. His datis in genere.

36 Dico secundo, expedire, attenta ratione, adigere præcepto formali Sanctæ obedientiæ visitandos subditos, quando suspicio inest Visitatori non levis de inobservantis notabilibus; ita quod probabiliter inde ad Visitationem juridicam seu judicialem debeat devenire. Hoc subsequens assertum declaro. Potest namque contingere, quod Visitator Regularis sive Provincialis; sine congruo tempore a Superiore Generali missus inditia præhabeat delictorum seu transgressionum notabilium; quæ ab incolis alicujus Conventus præcipue cum sæculi scandalo committantur: unde prævideat, se probabiliter adstringendum fore, ut arripiat viam judicialem pœnarum inflictivam ultra correctionem paternalem in sufficientem in casu. Sicut etiam; cum ad visitandum aliquem specialem Conventum Commissarius delegetur, potest ipse præcognoscere, fore minus sufficientem inquisitionem generalem paternam contra delicta relevantia & transgressiones graves, de quibus. licet in genere tantum & confuse, sint inditia remota. In istis ergo emergentiis annuntians Visitationem Regularis Superior vel principalis vel delegatus consultius equidem præceptum formale Sanctæ obedientiæ superadderet; tum quia ageretur de re specialiter gravi: tum quia probabiliter opinans se ad inquisitionem juridicam deventurum, sterneret viam legitimam ad veritatem efficacius deprehendendam per tale præceptum: Conciliarentur. siquidem in hujusmodi supposito, & statuta Regularia de tali præcepto imponendo, & jus Canoni- cum prohibens coactionem in Visitatione pure paternali, nam & statuta evaderent rationabilia, & visitatio licet paternalis in re esset veluti quoque juridica initiative, cum ad juridicam ordinaretur. Cui asserto cohæret doctrina Patris de Berti *tract.* 8. *Cap.* 6. & 7. Peyrini cit. *Cap.* 9. *n.* 7. & 8. Patris item de Ameno *tit. xi.* §. 1. *n.* 5. *seq.* quamvis satis confuse ibi se gerat.

37 Dico item tertio, non posse Visitatorem in annuntianda seu intimanda paternali præcipere per Sanctam obedientiam subditis, ut deponant juridice quæ quovis modo sciant; neque præcepto formali potest ad id ipsos cogere in actuali Visitatione paterna videlicet; ut quæ paternaliter deferunt juridice denuntient: contra Antonium a Sp.S. cit. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 72. & *sect.* 6. *n.* 133. Quamvis non sufficienter Author se explicet & possint ejus dicta diversimode interpretari: cum alias sibi contradicat: nam sect. *cit.* 3. *n.* 83. aperte docet cum P. Suarez, & Pelizario; quod si subditus nolit denuntiare ut Judici sed tantum ut Patri; non debeat ulterius procedere Visitator. Quicquid autem sit de ejus vera sententia theorema nostrum est satis evidens; eo quia confunderentur in supposito inquistio paterna & judicialis. Vel enim de delinquentibus, saltem de delictis præcessit aliqua mala fama, ad inquisitionem judicialem omnino necessaria; quomodocumque explicetur a Patre de Ameno ubi supra §. 1. *n.* 8. Et tunc potest procedere juridice Prælatus, inquisitionemque judicialem intimare, præcipiendo per Sanctam obedientiam visitandis, ut vera juridice deponant, sicut & juramentum in actualibus depositionibus ab eis exigere. Vel nequaquam præcessit sufficiens rumor aut mala fama; & tunc inquisitio paterna, quæ sola potest contingere est tantum excitativa ad judicialem, nec potest ipsa judicialiter peragi, ita ut valeat Visitans aut inquirens præcipere formiter revelanti, quod deponat scita judicialiter, absque nullitate processus; immo absque eo quod sic præcipiens subjaceat pœnis male judicantium; prout optime advertit Pater de Ameno *tit. eod. XI. qu.* 2. *n.* 58. Ex hoc colligitur; quod esto absolute præciperet Superior in Visitatione generali & ordinaria sibi revelari occurrentes defectus a subditis absque alia declaratione, deberet semper intelligi de revelatione sibi ferenda ut Patri, & nequaquam ut judicialiter procedenti ut idem Antonius a Spiritu S. fatetur sect. cit. *n.* 71. & fuse tra-

tractat P. de Ameno tit. dicto *XI*. §. 1. *per totum*.

38 Dico quarto; teneri Visitatorem in virtute Sanctæ obedientiæ præcipientem explicare præceptum, quod non obliget ad revelanda occulta. Ita cum Navarro Soto & aliis Dicastillus de justit. *tract.* 1. *lib.* 2. *disput.* 5. *dub.* 3. *n.* 64. Peyrin. loc. supra cit. Cujus ratio naturalis occurrit; ne videlicet, Religiosi habentes jus in propria fama, injuste lædantur in ea; & potius ex indebita revelatione turbetur pax & Regularis observantia, quam augeri queat. Nec valet contra evidentem rationem vulgare objectum; quod jam notoria sit intentio Visitantis de non cogendis subditis ad deponendum contra jus naturæ: nam rudiores & simpliciores, ut prænotatum est, numquam desunt, qui audiendo absolutum Sanctæ Obedientiæ præceptum, se obligari apprehendant ad revelanda quæcumque, quoquo modo sciant, immo inde juncta ignorantiæ malitia occasionem sumant quandoque dignorum Fratrum honestum nomen maculandi. Istis ergo debitor est Prælatus visitans; ut saltem admoneat de consulendis viris doctis & simul probis; qui secundum conscientiam dictare queant & declarare, quomodo latum præceptum eosdem liget. Lezana *tom.* 5. *cap.* 27. *n.* 2. & 3. citans Navarrum, & Portellum. Quæ vero sint occulta, non obstante præcepto in casu, reticenda, infra in propria sectione incidenter adiuncta dicetur consequenter ad ea quæ jam dicta sunt quantum ad visitantes Episcopos *tom.* 1. *dub.* 10 *sect.* 2. Et pro nunc sufficiat generalis regula; quod sint servanda indeclinabiliter præcepta naturale & Evangelicum de non lædenda injuste fama proximi quoties hic super eadem adhuc retinet jus; nec eidemmet juri naturæ simul & ordini per Salvatorem præscripto in Evangelio ullo pacto queat præceptum hominis prævalere ex Doctoribus omnibus Lug. de just. & jur. *disput.* 37. *n.* 56. Dicastill. loc. supracit. Sanctor. super Constit. *Cap.* 10. *stat.* 4. *V. Verum*. De Ameno pract. crim. *tit.* XV. §. 13. *n.* 91. & 92. Et pro Minoritis accedit textus pract. crimin. citatus supra n. 34. atque a duobus hisce Doctoribus Sanctoro nempe, & de Ameno, adductus & explicatus. *tit. Inquisitio* ibi. *In generali inquisitione Judex admoneat subditos, & per Sanctam Obedientiam præcipiat*, de quo superius & num. mox sequenti, *ut dicant quæ Dei gloriam, & Religionis candorem concernunt dummodo*, quod facit ad propositum DUMMODO OCCULTA NON SINT. Et sequitur: *Ideo ne de speciali persona, vel delicto occulto in inquisitione generali perquirat, omnino cavere debet, quod si fecerit, ultra mortalem culpam, quam committeret officio destituendus est. Et subditus quibusvis præceptis adactus respondere non tenetur, utpote non legitime interrogatus*. Textus equidem aureus. At in solvendis dubietatibus, quæ super eundem oriri queant non est opportunum hic immorari.

39 Tantummodo, ut opportuna detur satisfactio statutis per quæ in Religione nostra videtur Visitatoribus onus præcipiendi per Sanctam Obedientiam imponi in casu, replico, nostrum primum theorema *n.* 35. expositum, inniti juri communi rationi & æquitati, præscindendo a statutis, *si & quatenus* in suo vigore relictis, quæ alioquin Visitatoribus non præcipientibus in virtute Sanctæ Obedientiæ non addant pœnam, sicuti, nec posset dici, quod se conformando æquitati & communi juri in casu gravem ipsimet committerent culpam. Ultraquamquod posse conciliari tetigimus statuta juri ipsi communi, limitando eadem ad inquisitionem generalem paternam quidem sed initiative judicialem ex motivis probabilibus visitanti notis excitatam & formiter deinde adhibendam, uti *n.* 36. Non omittendo; quod in statutis Reformatorum *Cap. VIII. n.* 8. ubi præscribitur monitio sive exhortatio a Visitatore præmittenda nulla præcepti hujusmodi subditis imponendi fit mentio, prout etiam P. Angelus a Lantusca Sectione præcedenti, *n.* 28. citatus in Theatro Regularium. *V. Commissarius*, vice præcepti, Sanctæ obedientiæ meritum a Visitatoribus admonentibus dandum esse commendat ibi: *Omnes in Domino cum sanctæ Obedientiæ merito admonentes, ut dicant &c. n.* 3. Quod sane meritum cum formali præcepto non confundendum quisquis vel leviter instructus plane sciat. Statutis deinde aliarum Religionum, quamvis juri communi & rationi Visitationis paternæ minime uniformibus, censuram inferre non audeo, legenda nihilominus duco quæ contra Superiores præcipitanter sanctæ obedientiæ præcepta adhibentes scribunt Doctores cum Roderico. *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 9. Nec non quæ adversus habentes pro nihilo famam & bonum nomen Religiosorum Fratrum, itaut crimina etiam occultissima eorum propalare non vereantur, congerit post D. Thomam Cajetanum Sotum, Suarez &c. Bassæus

V. Cor-

V. *Correctio fraterna n.* 14. Peyrin. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 15. & 16. Pelizar.*tract.* 9. *cap.* 4. *per tot. n. signanter* 33. & 39. & alii communiter. Statuta quippe nunquam excedunt nec excedere valent leges naturæ & Evangelii, immo nec limites æquitatis.

40 Dubitatur tertio principaliter in hac Sectione: An Regularis Visitator debeat, aut possit uti Secretario. Pro Secretario autem intelligimus Notarium a Visitatore creatum & assumptum ad finem omnia quæcumque acta ipsiusmet Visitationis registrandi, nec non depositiones eorum, qui examinentur vel visitentur scribendi, quibus omnibus inde charactere ejusdem authenticatis, & quatenus opus sit in Archivio depositis omnis prorsus fides adhibeatur, etiam sine testibus *Cap. scripta vero de fid. instrum* Pavin. bac. Pastor. *part.* 2. *Cap.* 13. *n.* 14. Ricciard. prax. for. Eccl. *part.* 1. *resol.* 545. *per tot.* Porro quicumque Visitator certum est, quod hujusmodi Secretarium sive Notarium legitime institutum & assumptum secum ducere debeat in actu Visitationis: ut de Prælato non Regulari signanter advertunt Crispin. de Visit. *par.* 1. §. 17. *n.* 3. Monacell. *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 36. *n.* 8. qui idem Secretarios in casu sit Sacerdos vel Clericus non conjugatus ex Conc. Colonien. 3. *tit. de Quart. Cap.* 2. licet non Monachus; etsi Prælatus non Regularis visitaret sibi subjectum Monasterium *Extra de Offic.* Jud. Ord. *Cap.* 1. Pavin.cit. n. 5. qui optimam reddit rationem pro excludendis ab hujusmodi officio Laicis, ne videlicet his secreta Clericorum patefiant: ex *Cap. justus de Offic.Ordin.* Additque Pavinus ibidem n.7. quod dicti Notarii visitantium necessitatem non habeant specialiter jurandi, sicut in Crimine hæresis, ubi adest specialis ratio gravitatis criminis; sed sufficiat primum juramentum in creatione præstitum, de quo in *C.ad Audientiam* cujus formā ponit Jo. Andreas in *Cap. sicut te ne Cler. vel Mon.* quamvis Monacellos *part.* 3. *mox cit.* sentiat, cautius esse juramentum dandum eidem in actis etiam visitationis de fidelitate exercendi officii, ne umquam de ejus depotatione & fide possit dubitari ibi *n.* 8. Cum libri in quibus adnotautur ab ipso visitationis gesta plene probent; ut jam advertimus & firmat Rot. coram Dunozet Jun. *dec.* 61. *n.* 6. Panimol. *dec.* 10. *n.* 12. & alii cumulati a Romagn. de Synod. Gerund. *lib.* 1. *tit.* 1. *Cap.* 6. Excepto tamen Jurepatronatus, quod per dictos libros non probatur ex Genuens. prax. *Cap.* 63. *n.* 18. Hæc autem casualiter addimus iis quæ præmisimus de Secretario sive Notario visitatorum visitantium præsertim non Regularium *tom.* 1. *lib.* 2. proœmio *n.* 11. cujus quidem officium esse repetimus omnia quæ ad Tabellionem sive Scribam pertinent fideliter exequi, recognoscere videlicet literas collationum beneficiorum & Ordinum, nec non dispensationum, cæteraque comparentur ad visitationem necessaria documenta, eorumque qualitates, registrare inventaria bonorum Ecclesiæ tum mobilium tum immobilium juxta visitatoris onus revidenda; ut adnotant Autores visitationis praxim fusius pertractantes: conscribere etiam ut jam tetigimus librum in quo omnia Visitatoris gesta recenseantur, ut post visitationem ea relegens Prælatus perficiat quæcumque præangustia temporis nequivit exequi in visitando, ut inde pariter Successoribus relinquatur instructio: nec non remaneant adimpletæ jurisdictionis testimonia, aut quatenus opus sit interruptionis præscriptionem, sicut & aliarum plurium peractorum exempla, quæ possint per Visitatores imposterum allegari. Arg. *in Cap. in singulis* §. *Porro*, & *Cap. fin.* V. *sequentes de stat. Monach.* & *in Cap. Ut commissi de hæret.* Tenetur olterius Notarius, quatenus noverit, visitantes agere perverse & quærere nisi quæ sua sunt, eorum excessus sive defectus revelare Superioribus. Arg. *in Clement. Nolentes* §. *Notarii de hæret.* Quoties vero unicus non sufficeret Notarius in visitatione propter negotiorum molem, poterit proculdubio Prælatus non Regularis visitans plures assumere, proviso tamen iisdem prius justo salario: ne visitati ob multiplices expensas nimium graventur *Cap. statutum*. §. *Notarium de rescriptis in* 6. Hæc inquam, juxta Pavinum bac. Past. *part.* 2. *Cap.* 13. *n.* 7. *ad* 14. Monacell. *part.* 1. *tit.* 8. *pag.* 98. *n.* 59. non abs re censuimus ea incidenter addere præfatis jam dubit. 2. proem. quantum ad Secretarium sive Notarium Visitatorum præsertim extra Regulares.

41 Et quamvis inibi etiam dictum fuerit, relinqui arbitrio Visitantium eorumdem extra Regulares Secretarios hosce sive Notarios aut Actuarios, quomodocumque vocentur, in actu Visitationis sive inquisitionis generalis paternæ adhibere: ut dicta & depositiones comparentium ipsi authentice conscribant: non negligendum tamen duxerim Crispini monitum; esse Prælatorum prudentium munus bene perpendere, an expediat huiusmodi Officia-

lium

lium præsentiam admittere cum examinati subditi secreto audiuntur: constat siquidem soli Pastori confidentius indigentias proprias ovem quamlibet manifestaturam, quam audientibus aliis quos erubescat: nec non securius alienos defectus aut flagitia, si quæ emergant, fore ut subditus paterne vocatus revelet Patri & Prælato soli, in extrajudicialibus quam si adsint alii, de quorum secreto & fidelitate dubitare possit aut velit Crispinus *part.* 3. §. 1. *num.* 10. Quo casu; scilicet quocumque Scriba & teste remoto, Pastor idem sollicitus & Pater providus proprio caractere ea quæ deponerentur quatenus forent necessario adnotanda, exarare deberet; ac eorum exigere statim rei deprehensa gravitate a visitato subscriptionem, concordantibus omnibus, & ut est in praxi. Porro quantum ad Visitatores Regulares de quibus proprius est hic sermo, certum est item ut ibi tetigimus, debere secum ducere Secretarium sive Notarium Actuarium aut Socium, quomodocumque vocetur, attenta diversitate Religionum ex jure canonico atque earum statutis: at difficultas reassumitur quoad ipsos speciales: An in Visitatione paterna Secretarius sive Notarius idem Visitanti Prælato debeat aut possit assistere dicta Religiosorum excipere & calamo exarare; vel potius alia tantummodo quæ fidem faciunt publicam peragere, relicto munere audiendi Religiosos soli Visitatori ut Patri. Et quidem; cum visitatio paterna quoque habeat aliquam rationem judicii late sumpti & extraordinarii, licet ad solum finem correctionis; & notat P. de Ameno pract. crim. *tit.* 3. *n.* 94. Videretur proinde in ipsa, a quocumque tandem exerceatur Superiore etiam Regulari Secretarium sive Notarium utpote personam publicam, qui fideliter omnia scriberet & authenticaret, esse adhibendum; nisi vice ipsius duo eligantur adsistentes idonei ad eundem finem: ut generaliter præscribit Judici cuicumque *Caput Quoniam contra de probat*, ibi = *Statuimus; ut tam in ordinario judicio, quam in extraordinario, Judex semper adhibeat, aut publicam si potest habere personam, aut duos Viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta subscribant*. Cui sententiæ adheret Peyrinus form. Prælat. *Cap.* 9. *lit.* *P.* *n.* 3. citans pro se Thomam a Jesu de Visit. Regular. *tract.* 3. *Cap.* 2. §. 1. *n.* 10. Et videtur favere Lezana *tom.* 3. *Verbo Notarius*: *n.* 9.

42 Hoc non obstante firmiter tenendum est, in Visitatione sive inquisitione tantum judiciali, esse necessariam Secretarii seu Notarii assistentiam; non autem in inquisitione, quæ ordinatur ad solam correctionem morum ut est generalis & paterna, in qua Prælatus ipse visitans solus absque alio teste aut assistente excipere solet quæ deponuntur; & talem esse praxim omnium fere Religionum docet communis experientia: sicuti commune Doctorum assertum testatur Pater Antonius a Spiritu S. de regim. Prælat. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 11. Quamvis examinanda sint quæ ad propositum idemmet Author subdit. Debere, videlicet paternaliter deposita manu propria Visitatoris describi ut de veritate constet, propter necessitatem, quæ de novo emergere queat; Falsum siquidem omnino est suppositum. Videlicet posse constare, præsertim judicialiter de veritate alicujus dicti vel facti ex iis, quæ extrajudicialiter & confidenter apud Prælatum ut Patrem deposita sunt; utpote nullam faciant hæc in judicio fidem juxta doctrinam Sanctori de pœn. *Cap.* 1. *V. Ex quibus &c.* & aliorum communiter. Sicuti etiam propter obligationem de jure naturæ tegendi secretum apud se depositum, evidens est nequire ullo pacto Visitatorem illamet revelare aut publicare; ut probatum est satis compendiose, quantum ad Episcopum in casu *dubit. VIII. sect.* 2. *n.* 9. §. 2. & 3. *tom.* 1. & de Visitatore Regulari replicabitur *Deo dante*, in hoc ipso secundo tomo. Unde apud Minoritas nostros Secretarius sive Notarius aut Actuarius in omnibus actis ad forum contentiosum spectantibus revera præcipitur; at aperte excluditur in Visitatione paterna. Prax. Crim. Ord. *tit. Inquisitio*. ibi. *In omnibus actibus ad forum contentiosum spectantibus* PATERNO FORO EXCEPTO; *Judex Secretarium seu scribam peritum & fidelem sibi eligere debet, qui proinde omnia causæ merita in scripto redigat*. Atque inferius eodem titulo quantum ad Visitationem paternam clarissime subditur ibi. *Scripto solum ipsi Visitatores, nullo alio præsente, subditorum dicta recipiant*. Rationemque adducit Pater Ludovicus de Ameno eamdem quæ per Crispinum allegatur ubi supra: quia nempe Paternum Forum debet esse omnino secretum pro nutrienda filiali confidentia subditi erga Superiorem sive Prælatum ut Patrem pract. Crim. *tit. XI.* §. *VIII.* *n.* 44. Ad allegatum proinde supra Canonem *Quoniam contra*: dicendum quod patenter loquitur de Judicibus Ecclesiasticis non

Regularibus; quibus quamvis oppositum secundum æquitatem in Visitatione vere & simpliciter paterna convenire potius videatur ex Crispini citati monitu; Secretarium tamen sive Notarium adhibere in causis, etiam extrajudicialibus licet; præcipue si causæ graves sint atque inde posse ad forum contentiosum deduci præsumantur; ita quod sub judicio cadere saltem initiative dicantur: addit. *ad Gloss. 3. in Cap. Quoniam de probat. l. 2. ff.* Rempubl. *vel ad delicta*: prout in eodem sensu intelligendum esse Lezanam ubi supra ipsum attente legenti liquet. Super quo advertendum non una vice Authores Regulares præsertim decipi, putantes quamcumque inquisitionem generaliter institutam ad paternum forum necessario spectare, ideoque Visitationem sive inquisitionem generalem semper pro paterna indispensabiliter accipi, quasi generalis eadem inquisitio nullatenus institui possit juridice & in judicialem transire, quod in re falsum est, nam secundum communem loquendi usum & quasi per antonomasiam pro inquisitione generali intelligitur sane paterna, ut *Dubit. 2. proœm. n. 5. & 6.* Verumtamen adhuc ipsamet generalis Inquisitio ordinem juris non semel admittit & veluti processus juridicus plenè probat, ut in eadem *Dubit. 2. proœm.* sufficienter ostensum fuit, cum immò in prima sui divisione Inquisitio judicialis substantialiter ut talis in generalem distinguatur & specialem: Proptereaque, quoties in Visitatione sive Inquisitione generali Secretarius vel Notarius adhibendus præscribitur, profecto nonnisi quantum ad generalem judicialem sive juridicam, quæ in judicio facit aliquando probationem, hoc intelligi debet ex iis, quæ opportune docet Pater Ludovicus de Ameno *tit. XI. §. 1. n. 6. ad 9.* In quo sensu interpretari posse Peyrinum *Cap. 9. n. 3.* nemo non videt. Quod si statuta in contrarium pro Religionibus peculiaribus afferantur, vel quantum ad hoc esse tantum directivam, vel confidentiæ subditorum erga Prælatum proprium in Visitatione vere paterna aperte obesse quis neget?

43 Dubium principale quartum supra n. 35. memoratum adhuc emergit in hac Sectione. An scilicet expediat deferre juramentum visitatis. Cui dubio, sicuti potest id pro Visitatore Ecclesiastico non Regulari signanter Episcopo proponi, ita de ipso prius ut ad Prælatum deinde Regularem descendamus refertur hic manifesta responsio negativa in celebri textu Capitis *Romana de censibus in 6. §. Sanè* Videlicet quod in Visitatione generali paterna juramentum a Visitatis minime exigatur: ibi; *Sane hujusmodi impensurus officium proposito verbo Dei, quærat de vita, & conversatione ministrantium in Ecclesiis & locis aliis divino cultui deputatis, & cæteris, quæ ad officium suum spectant*, ABSQUE COACTIONE & EXACTIONE QUALIBET JURAMENTI. Concordat gloss. in verbo coactione; Speculator *3. part. tit. de Inquisit. n. 13.* Archid. & Franc. *in d. Cap. Roman.* Villagattus in prax. crim. canon. *lib. 3. tit. de Inquisit. cap. 7. Concl. 2.* Unde, sicuti non potest Episcopus præcipere sub censura aut alia pœna, ut sibi revelentur in Visitatione paterna delicta secreta, ex dictis *tom. 1. cap. 1. dubit. 2. sect. 1. n. 5.* & repetitis in hac eadem sectione. *n. 32.* additis Decretis pluribus relatis a Barbosa in Sum. decis. Apostolic. verbo *Visitatio* n. 4. & 7. Cum paterne visitans providere intendat per viam fori pœnitentialis potius quam contentiosi, juxta Piasecum quoque prax. Episc. *part. 2. cap. 3. art. 8. n.* 8. tit. de Visit. *Quorumcumque Exempt.* Ita nullo pacto examinatis juramentum deferre quibit, tum ex citato Cap. *Sane*; tum propter rationem eamdem quę militat contra præceptum dandum sub censura &c. ad hoc scilicet, ut depositio comparative sit totaliter libera, absque ulla prorsus coactione, prout confirmat in terminis Decretum quoque S. C. C. relatum a Piaseco loc. cit. *n. 6.* Quod si Authores non desint sustinentes, posse Episcopum adhuc & quemlibet alium Ecclesiasticum Prælatum non Regularem exigere ab examinatis juramentum in aliquo casu peculiari: inter quos Barbosa. super Conc. Trident. *sess. 4. de Reform. Cap. 4. n. 11.* & videtur consentire Piasecus ipse cit. *n. 61.* Quando videlicet visitati aliquod grave crimen in specie vel criminosum puniendum nominent: tunc etenim, cum specialis deberet deinde formari inquisitio, hisce posset juste juramentum præcipi. Ex Auct. addit. ad Gloss. in *Cap. Romana*, qui pro se adducit Hostiensem, & subscribit Paulinus de Berti *tit. 4. de Visit. Cap. 28. n. 77. & seq.* Vel quando super peculiaribus emergentiis sibi delatis in re gravi ut securius Visitator ipse procedere possit, licet stando intra limites correctionis, pro majori certitudine judicaret expediens a deponentibus juramentum exigere prout tenet Crispinus *part. 1. §. XI. n. 4.* citans pro se Gavantum in prax. *cap. 2.* & asserit

ferit Monacellus, respondisse Sacram Congr. Conc. Cardinali de Castro 7. *Julii* 1690. In his & similibus casibus diceretur inquisitionem sive examen inducere semper aliquam formam judicialem & excedere limites simplicis correctionis & visitationis paternæ, præcipuè si punitio, licet extrajudicialis magis quam salutaris pœnitentia intenderetur ex juribus, & Doctoribus passim. *Cap. Qualiter primo* de accuss. juncta Gloss. *& Cap. Cum dilecti* eod. tit. Villagat. *lib.* 3. *tit. de Inquis. Cap.* 7. *concl.* 4. Berti loc. cit. cum reliquis. Firma semper remanente regula. Quod ad finem procedendi contra particularem personam motivum unice sumi nequeat ex generali inquisitione paterna: nisi quatenus excitetur ab ipsa, & fiat generalis juridica ex dictis dubit. 2. proem. *n.* 11. cum interrogationibus opportunis, & juramenti delatione tunc necessaria: ex Cap. *Qualiter primo, & 2. & Cap. Inquisitionis de accus.* Mirand. *tit.* 1. O . 1 j . . §. 7. *art.* 1. Sanctor. pract. crim. *et Inquisit.* . *Verbo quod in illa*: Vel nisi deponentes peculiaria crimina in ipsamet visitatione Evangelica addito juramento induerent personam denuntiantis juridice aut accusantis, & insuper probaretur infamia ex *Cap. Cum oportet. & Cap. eit. Inquisitionis de accus. Cap. licet de Simonia Cau. Deus Omnipotens* 2. *q.* 1. Doctor b.is concordantibus, in quo quidem casu processum peculiarem a Visitatione separatum teneretur efformare vel efformandum differre prudens Prælatus, ut a. b. dictum est. Quapropter concludendum venit ad propositum de quibuscumque Prælatis Ecclesiasticis debere ipsos in visitatione respective generali & paterna, a delatione juramenti præ viribus abstinere justa formam præscriptam in pluries citato Capite *Romana de cens. in 6. §. sane* Doctoribus universaliter concordantibus. Advertendum propterea, quod in casu supra allato, quando gravitate urgente materiæ, comparens paratum se diceret ad confirmandum vel de facto dictum suum jurejurando confirmaret, nolens tamen denuntiationem evangelicam excedere, deberet caute visitans vel juramentum non adnotare, vel adnotando addere hoc sponte præstitum fuisse a deponente non ad juridice probandum, sed ad firmiorem protestationem veritatis, & ut inde Visitator ipse serio valeret de necessaria provisione cogitare: secundum ea quæ supponere videtur Crispinus *part.* 1. §. *XI.* ubi supra *n.* 4. *& alibi*. Nec ommittendum qualiter Monacellus concedens exactionem juramenti super aliquo peculiari emergente loquatur de visitatore Apostolico; ut legenti patere poteſt *part.* 2. *tit.* 16. *form. X. n.* 3. In cujus quidem Visitatoris Apostolici literis ordinariis specificatur facultas expressa ibi. *Personas quascumque, & tamquam principales, & tamquam testes quoad alias examinandi, ut veritati testimonium perhibeant admonendi, ac etiam cogendi, juramentum eis deferendi, & ab eis exigendi & recipiendi ad* SACRORUM CANONUM PRÆSCRIPTUM. Ut in exemplaribus ab eodem Auctore adductis *dicta part.* 2. *pag.* 251. In quo per consequens supposito posset consulto addi, quod Apostolicus Delegatus, exigendo juramentum a comparentibus intra limites Inquisitionis paternæ non se contineret in qua ad *Sacrorum Canonum præscriptum* juxta dicta juramenti delatio non habet locum, sed formam aliqualem Judicii aggrederetur in casu: Unde ejus procedendi modus non relevat ad propositum delationem juramenti in quacumque aliorum Prælatorum visitatione simpliciter paterna comprobare.

44 Ab his itaque quæ de Prælatis omnibus Ecclesiasticis in genere casualiter addidimus, descendendo ad propositum Prælatorum sive Superiorum Regularium, an valeant scilicet in Visitatione generali paterna juramentum exigere a subditis Visitatis? Universaliter occurrit sententia negativa: juxta dispositionem juris, quæ subsequitur in capite repetito Romana de cens. §. *Sane* ibi. *Supradicta forma visitandi est etiam servanda ab omnibus Episcopis & Prælatis visitantibus suos subditos*. Accedente etiam Sacri Conc. Tridentini jussione; quod Regularium Prælati in Monasteriorum suorum Visitatione illa observare teneantur, *quæ in Sacris Canonibus, & dicto Concilio decreta sunt*. *Sess.* 25. *Cap.* 8. *de Regul.* Nec valet repetere hic, quod jam præmissum est supra *n.* 35. ubi probabatur, non esse cogendos subditos ad deponendum præcepto Sanctæ Obedientiæ attenta dispositione tantum, & in terminis juris expressi in eodem *Cap. Romana*. & non aliter. Videlicet, quod ibidem. §. *Sane addatur*. *Salvis tamen rationabilibus, & approbatis Religiosorum consuetudinibus, & Regularibus institutis*. Nam in suppositione, quod statuta variarent substantiam Visitationis paternæ ipsamque cum judiciali confunderent per additum juramentum, posset replicari forsan a contrarie hic opinantibus responsio data ibidem a reiicientibus coactionem per dictum præceptum S. Obedien-

dientiae; Statuta scilicet admittentia hujusmodi coactionem in paternali non fore amplius rationabilia. His tamen utcumque praemissis; statuta Religionum exactionem juramenti Visitatoribus jubentia, vel praecipientia de facto veluti rationabilia debent admitti, utpote per Sanctam Sedem approbata; & quia rationabilis consuetudo iis id expedire dictavit: ut in Religione Minimorum ex Peyrino form. *Praelat. lit. P. Cap. 9. n. 13.* sicut & Carmelitarum juxta statuta eorumdem *part. 2. Cap. 6. n. 2.* & aliis nonnullis. Quamvis neqnaquam possit evitari, quod inquisitiones licet generales in supposito aliquam formam judiciariam praeseferant. *Cap. Tuis. Cap. Per tuas. Cap. Nuper de Test. & attest.* Pract. Crim. Sanctor.: *tit. Inquisitio. V. Juramentum*. Eo magis quod deposita cum juramento in judicio faciant fidem, quod de paternis depositionibus omnino negatur, uti supra n. 42. Opportune tamen adnectitur tenor in Constitutionibus Patrum Carmelitarum praecavens; quod vice juramenti praeceptum formale obedientiae a Superiore praemissum sufficere videatur tamquam aequipollens. *n. cit.* 2. In qua suppositione examen visitatis a forma judiciali magis quidem recederet; quamvis non fortasse ab omnimoda coactione per Sacros Canones prohibita in Visitationibus vere & simpliciter paternalibus, uti supra *n.* 32. & 35. pariter adnotatum fuit.

45 Porro nullo pacto admittenda est doctrina Peyrini absolute sustinentis, quod universaliter in quacumque inquisitione generali & paterna Praelati Ecclesiastici tum Saeculares tum Regulares possint cogere subditos visitatos omnes medio juramento ipsis praestito atque sub censuris; dicto *capite* 9. *num.* 13. citatis inter alios Zerolum, atque Barbosam ibi. Nam quantum ad Visitatores Ecclesiasticos non Regulares expresse prohibitum esse ipsis cogere praeceptis & censuris visitandos ostensum est satis *n.* 32. per varia allegata decreta; sicuti adducta sunt rotunda verba textus de juramento Visitatis non deferendo *n.* 43. attenta saltem universali praxi & Auctorum doctrina. Quoad Regulares autem, si praescindamus ab habentibus super hoc municipalia statuta, militant pariter allata jura de juramento non praestando, inter quae relevat regula inconcussa de non pervertenda ratione Visitationis simpliciter paternae, quae coactionem quamcumque excludit, habetque pro adequato fine solam correctionem ad differentiam inquisitionis judicialis, ut tradit luculenter Paulinus de Berti loco ubi supra concilians auctoritates in contrarium atque confirmat Grassus 2. *part.* decis. aurear. *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 5. Aldereto de Relig. discipl. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. Lezana, quamvis contra statuta suae Religionis tom. 1. cap. 27. n. 2. & tom. 3. verbo Visitator n. 5. & 6. Sicuti pro Religione signanter Minorum legitur speciale praeceptum in praxi criminali Tit. *Inquisitio*, ibi: *In generali Inquisitione*, scilicet paterna, *Judex a nullo juramentum exquirere debet*. Et equidem miror Patrem Ludovicum de Ameno velle docere contrarium, pract. crim. tit. XI. §. 1. n. 4. cum lex tam clara in Religione nostra ipsum percutiat. Tanto magis quod ratio ejus potius suadeat debere omitti non autem exigi juramentum. Fundatur siquidem super terrore quo moverentur subditi per juramentum praestitum ad aperiendam veritatem in suppositione consilii initi de non revelandis inconvenientibus, ne familia aut Provincia infamaretur, vel doctrinae perversae, qua inducerentur fratres simplices ad tacendum, quasi praeceptum sanctae obedientiae ipsis in casu praemissum, esset mere ceremoniale & non obligatorium, & sic intelligantur se esse adstrictos absque excusatione medio jure jurando quod exigeretur. Ista inquam ratio magis suadet oppositum: In suppositione nempe consilii hujusmodi non timentes transgressionem praecepti, periculum aequale immineret quod neque perjurium formidarent. Et quatenus deciperentur simplices de non parendo obedientiae mandato ad salvandum Provinciae decus, eodem pacto possent subverti a perversa doctrina, quod propter bonum commune coloratum aut alium finem apparenter honestum, neque foret obligatorium jurejurandum. Servanda est igitur lex, & nullatenus confundenda paterna Inquisitio cum judiciali, ut advertit idem laudatus Auctor eodem titulo. §. 1. *n.* 6.

SECTIO QUARTA.

Super quibus inquirere nequeat Praelatus Regularis paternaliter visitans, & deponere teneantur subditi visitati?

SUMMARIUM.

46 *Super quibus debeat inquirere positive Visitator Regularis in respectivis Religionibus, remissive. Duo tantum advertuntur specialiter examinanda.*

47 *Superiores Visitantes nequeant inquirere de persona particulari exceptis personis publicis quæ sunt sub syndicata.*

48 *Prælati Visitantes quatenus possint inquirere de personis publicis, nequeunt tamen descendere ad privata delicta.*

49 *Nequit Visitator Regularis inquirere de occultis.*

50 *Excipiuntur casus aliqui in quibus Visitator idem posset inquirere etiam extrajudicialiter de occultis.*

51 *Recensentur objecta a P. Ludovico de Ameno cui consentire videtur P. Anacletus Reinffestuel.*

52 *Substinetur nihilominus non posse Visitatorem in inquisitione generali interrogare de occultis, signanter in Religione Minorum.*

53 *Excluditur expositio quæ datur a P. de Ameno textui practicæ Criminalis quantum ad occulta juris & facti.*

54 *Resolvitur item explicatio ejusdem data alteri textui practicæ quod debeat intelligi de Inquisitione judiciali.*

55 *Respondetur ad rationes adductas per Patrem de Ameno quod in paterna possit inquiri de occultis.*

56 *Esto non inquiratur de occultis in visitatione paterna non per hoc evadit vana.*

57 *De quibus occultis possit inquirere Prælatus in visitatione paterna ad excitandum judicialem.*

58 *Reiicitur etiam explicatio data a Patre de Ameno crimini atroci in casu.*

59 *Repetitur contra eumdem Auctorem non posse in paterna absolute inquiri de peculiari delicto & delinquente.*

60 *Superior visitans potest super aliqua capita inquirere præter recensita in statutis, & ad species subalternas descendere generaliter.*

61 *Præmittitur, quod esto visitans adhibeat præceptum Sanctæ Obedientiæ, subditus non debet revelare ea quæ de jure naturę silentium exigunt. Ubi quod denuntiatio est duplex.*

62 *Doctrina de correctione præmittenda, & de reticendis occultis magis ligat Regulares quam cæteros. Refertur sententia Patris Reinffestuel, quæ non approbatur.*

63 *Nullatenus potest aut debet Religiosus subditus in visitatione denuntiare delicta Fratrum præcipue occulta jam emendata vel certo emendanda, & explicatur.*

64 *Nequeunt absolute denuntiari occulta juris in casu non præmissa correctione fraterna.*

65 *Rationes adductæ a P. Reinffestuel minime relevant.*

66 *Quoties majus malum timetur certo ex correctione fraterna, ac etiam denuntiatione Evangelica delicti alius occulti, utraque est omittenda: similiter si ex reticentia delicti occulti gravis immineret ruina & æqualis sive pejor ex denuntiatione; quid agendum. Ibi.*

67 *Superior subalternus quando revelare teneretur delicta subditorum Superiori majori visitanti.*

68 *Non est omittenda denuntiatio eo quia Prælatus non sit provisurus.*

69 *Tenetur Religiosus Evangelice denuntiare delicta licet adhuc occulta fratrum quoties ex imminenti eorum propalatione possit sequi Communitati grave damnum omissa etiam correctione. Item asseritur de occultis per accidens.*

70 *Delinquentem occultum ex malitiosa curiositate detectum non potest investigator denuntiare additis exceptionibus.*

71 *Publicas inobservantias esto leves tenetur subditus visitanti Prælato denuntiare.*

72 *Non potest delicta publica reticere Religiosus, eo quia velit putare ea denuntianda visitatori ab aliis, vel ab ipso Superiore locali.*

73 *Socius criminis an teneatur crimen & delinquentem principalem denuntiare.*

74 *Delicta occulta in quæ socius consensit nequit is revelare denuntiando contra delinquentem principalem. Ubi malitia proditorum in casu condemnatur.*

75 *Aliæ regulæ pro denuntiatione vel correctione omnino facienda seu prætermittenda.*

46 RElinquo Authoribus cujuslibet Ordinis & instituti recensere capita seu articulos, super quibus Prælati respective Regulares interrogare solent subditos in actu Visitationis Paternalis. Ut quantum ad Monachos Cassinenses habetur apud Paulinum de Berti *tit. IV. de Visit. Cap.* 25. Quoad Canonicos Lateranenses refertur ab alio hujus Instituti apud dictum Berti *eod. tit. Cap.* 26. De Carmelitis legitur in eorum Constitutionibus *Cap.6. n.* 4. & 5. & ut taceam de cæteris, qui fere mutatis tantum verbis, in substantia interrogationum conveniunt; quoad Minoritas satis fuse legitur in statutis generalibus Compilationis Sambuc. *Cap VIII. sub* §. 56. sed brevius pro Reformatis *Cap. item* 8. *n.* 8. Ubi ad duodecim duntaxat capita omnia alia quæ cum nimia prolixitate in Sambucanis dictis extenduntur facile reduci queunt. Advertere nihilominus censeo necesse, duo principalius inquirenda pro conservatione Regularis Observantiæ & fraternæ charitatis, quæ calamitosis hisce temporibus videntur sensim deficere & declinare, videlicet educationem Juventutis, atque hospitalitatem, Contingit namque Potentiores quan-

quandoque & prædominantes in Provinciis, atque Monasteriis propriæ factionis vel nationis Juvenibus favorem & protectionem impertiri nimis partialem, itaut subalterni Superiores Rectores & Magistri nequeant iisdem cervicem erigentibus habenas imponere, nisi velint protegentium indignationem adversus se provocare; Advenas similiter pauperculos, quoties defatigati & famelici ad Conventus accedant, vel receptacula non invenire, vel in fœdas omnique necessaria suppellectili denudatas Cellas non semel proiici, & vix in communi mensa esculenta modica ad se refocilandum non modo sed neque ad propellendam famem sufficientia reportare, non fine amaritudine animi advertentes, potentioribus omnia abundanter subministrari. Munus ergo Visitatoris conscientia præditi erit inquirere, quatenus emergant vel emergere incipiant atque sedulo providere super hæc duo, quæ consulto inter alia capita relevantur a P. Lantusca in Theatro Regular. V. *Commissarius n.* 3. Ulterius quamvis plura enumerentur capita super quibus a Visitatore interrogationes fiant, minime erit necesse quod responsio subditi ad quodlibet illorum conscribatur; ut docere videtur Berti in Methodo a se assignata *tit.* 4. *Cap.* 8. *n.* 84. similis nempe modus magis spectat ad judicialem, & inquisitionem specialem, sed sufficiet Visitatori ipsimet recensere responsionem genericam, quæ datur a subdito super omnia capita simul ex. gr. Vocatus Pater N. N. respondit. *Omnia bene, & nihil se habere contra aliquem quoad præfata Capita deponendum.* In casu vero, quod super aliquod caput peculiaris detur responsio aut querela, sive defectus vel defectuosi peculiaris denuntiatio fiat eam tenetur adnotare visitans: ex. gr. Vocatus N. N. respondit *se nihil habere deponendum, præter quamquoad articulum de hospitalitate. Videlicet quod Cellæ non adsunt præparatæ pro Religiosis hospitibus excipiendis, nec ipsismet exhibetur necessaria charitas, quando fatigati ad Conventus perveniunt &c.* ad normam præscriptæ methodi a citato P. Lantusca *n. dicto* 3. *& aliis*. Unumque principalius signandum his addo: quod teneretur inquirere Visitator non tantum de vitiis defectibus & defectuosis in genere; sed etiam de virtutibus atque in virtute præstantibus viris. Non enim una vice virtute scientia & meritis præclaris pollentes a factionariis præpotentibus suppeditantur; eo quia timeant hi ex promotione illorum arrogatum prædominium sibi diminui: ac propterea politica vili & prudentia sæculi ducti, illos dumtaxat qui præ paucitate meritorum & tenui habilitate indigent sui protectione, promovere student; nisi immeritos forte & prorsus indignos, eo quia sibi ipsis natione vel alio familiaritatis vinculo sint addicti. Visitator igitur conscientia, & perspicacia præditus de viris inter reliquos doctrina probitate zelo eminentioribus diligenter sciscitari non desinat, ne ob passionis deprimentis invidiam in obscuro delitescant; & ut valeat ipse, defectus corrigere non tantum, sed & promovere virtutes, qui est alter Visitationis scopus: ad tradita per Peyrinum in formul. Prælat. *Cap.* 9. *lit. P. n.* 15. Lezanam *tom.* 3. *Verbo Visitator. n.* 6. Anton. a Spiritu Sancto in Direct. Regul. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 4. Prout hujusmodi cautelam exemplariter servandam esse ab Episcopis; ut videlicet Oves cognoscant proprias, merita observent, & bonos tueantur mores, præscribunt cum Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 3. *de reform.* Decreta plurima cum Doctoribus communiter.

47 Sed clarius juxta propositum titulum sectionis in terminis negativis resolvemus ad quæ nequaquam se extendere possit inquisitio Prælati Regularis paterna? Et primo tactum est alibi *dubit.* 2. proœm. quod nequeat paternaliter & generaliter inquirens super defectibus alicujus particularis personæ interrogare visitatos; quod præostensum fuit & probatum fortiter *tom.* 1. *dub.* 8. *sect.* 3. quantum ad Visitatores non Regulares; perverteret namque ordinem juris inquisitionem generalem cum speciali confundens. Idque profecto a Visitatore Regulari signanter observandum venit; eo maxime, quod non præcedente infamia, ut supponitur, non minimum famæ particulari inquisiti inferretur detrimentum. Apud illos siquidem qui interrogarentur. An talis esset bonus Religiosus bonam de se præberet opinionem? Et fortius. An tale commiserit crimen? Suspicio de inquisiti ejusdem probitate vel potius de reatu naturaliter non posset non exoriri. Assertum autem manifeste deducitur ex juribus pluries allegatis *Cap. Qualiter* 1. *&* 2. *de accus. Cap. signanter Romana de cens. in* 6. ubi jam visum est ea quæ de Visitatoribus Ecclesiasticis præscribuntur, ad quoscumque etiam Regulares extendi concordantibus DD. post *D. Thom.* 2.2. *qu.* 67. *art.* 3. *& qu.* 69. *art.* 2. *&* 3. Sot. de reg. serv. *qu.* 3. *membr.* 3. *seq*: Tom. a Jesu de Visit. *Regul. tom.* 2. *Cap.* 2. Bert. *tit.* 8. *Cap.* 11. *n.* 2. *&* 3. Lezan. *tom.* 1. *de causis Regular.*

Cap. 27. n. 6. Nec puto apud ullam Religionem vigere statuta in contrarium: nempe ut Visitator in generali & paterna inquisitione super criminibus, licet in genere tanto minus in specie, peculiaris Religiosi examinet aut inquirat. Quicquid sit de Societate Jesu, in qua pro communi, ut teneot, profectu subditi defectus cujuscumque sponte deferunt; eo quia unusquisque juri super propriam famam etiam in occultis renuntiaverit. At in Religione Minoritica adest statutum peculiare. *Cap. 7. compil. Sambuc. §. 6. n. 36.* ibi. *Prohibemus, ne Prælati de peccato alicujus nominatim inquirant; nisi de crimine fuerit de jure infamatus, aut adversus eum indicia sint evidentia, aut probabilia.* Quod statutum, cum feriat inquisitionem specialem judicialem; utpote irregularem de persona particulari absque præcedente infamia, tanto magis inquisitionem generalem paternam sic procedentem reprobare deducitur: ad normam pariter practicæ criminalis in eadem nostra Religione jam allegatæ superius sectione præcedente. *n. 35.* in fine; ubi Visitatori cuilibet datur clara inhibitio in casu his rotundis verbis. *Ideo ne de speciali persona in inquisitione generali perquirat omnino cavere debet &c. tit. Inquisitio. n. 2.* Excipiuntur nihilominus Superiores Provinciales, de quibus potest immo debet inquirere Visitator opportuno tempore missos ad Provincias respective: juxta consuetudinem Religionum; vel super caput & membra deputatus quocumque tempore etiamsi solum paterne se gerat; ad Syndicandos etenim ipsos Superiores gubernantes præcipue talis Visitatio est instituta: Soarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. Cap. 12. n. 2.* Pelizar *tr. 9. cap. 4. n. 46.* Excipiuntur proinde Superiores etiam locales quicumque sint vel Abbates de quibus Visitatores proprii possunt inquirere individualiter in paterna: Bert. *tit. 4. cap. 25. n. 1. & cap. 26. n. 1. & seq.* vel Priores sive Guardiani Præpositi Rectores quocumque demum nomine vocentur, qui etiam in Visitatione dicuntur cadere specialiter sub Syndicatu; sive visitet Commissarius a Generali amandatus; sive Provincialis ordinarius vel quilibet alter delegatus seu deputatus; proptereaque objectum visitationis scopus nequaquam quantum ad ipsos invertitur, sed potius extenditur. Navarr. *Cap. Inter verba 11. qu. 13. Coroll. 61. n. 947.* Suarez cit. *Cap. 11. n. 6.* Peliz. ubi supra. Existente etiam statuto pro Minoribus Observantibus in Compil. Sambuc. *Cap. 8. §. 56. de Visitat. tit. de Fratribus coram Commissario &c.* Atque claro textu praxis Crimin. *tit. Inquisitio §. 2.* ibi. *Ab hac tamen restrictione Provinciales excluduntur &c. Quod etiam de Guardianis fieri debet.* Idemque consulitur de Visitatoribus præcedentibus per verba subsequentia. ibi. *Poterunt etiam Visitatores Provinciarum de suo Prædecessore generaliter inquirere.* Immo de Visitatoribus immediate præcedentibus debere signanter inquiri ab omnibus Visitatoribus cujuscumque Religionis successive deputatis; probat Sanctorus super stat. *Cap. 8. stat. 67. V. Dico quinto.* referens Caput. *Ea quæ de stat. Monach.*, ubi talis inquisitio claræ præcipitur, prout citari potest etiam Berti in sua prax. loc. cit. & est uniformis doctrina Ventrigliæ; *quod Visitator quilibet subjacere debeat syndicatui: part. 2. adnot. 24. §. 2. n. 33.* cum communi.

48 Quamvis tamen possit inquiri per hujusmodi exceptiones de individualibus aliquibus personis, nempe Provincialibus, Superioribus localibus, atque Visitatoribus immediatè præcedentibus; non per hoc potest inquiri de ipsis speciale seu individuale crimen a pari de Rectoribus Parochis aliisque Præsideotibus ac Præfectis non Regularibus quorumcumque locorum visitandorum, de quibus hujusmodi inquisitionem non posse fieri in visitatione generali præmisimus *dubit. 8. sect. 3.* & firmant de Regularibus in specie Doctores communiter, accedente pro Minoribus Observantibus limitatione expressa in pract. criminali ibi. *Non tamen ad illorum vitam & mores descendendo.* tit. *Inquisitio. V. Ideo* Sanctor. loc. cit. Quod si aliquod grave aut enorme crimen in casu sponte deferretur Visitatori ut Patri nec esset occultum, utpote deferens manifestaret ut notorium allegans etiam rationem notorietatis: minime foret prohibitum Visitanti ipsimet aliquam informationem exquirere ad noscendam tantum veritatem, sed semper consulerem, non in formali visitatione, videlicet non formando peculiares interrogationes voluntariæ depositioni insertas & conscriptas: ne ratio inquisitionis generalis & Visitationis paternæ juxta plures dicta perverteretur; cum ad summum hujusmodi voluntaria depositio posset inservire pro præambulo inquisitionis juridicæ eamque excitare, ut aliqualiter in dubit. secunda procem. tom. 1. tactum fuit, & ex proposito inferius propria sectione exponetur. Albert. in assert. *qu. 34. n. 6.* Bartol. *in l. fin. ff. de qu.* Cap.

Si

Si de har. Sot. *in* 1. *qu.* 7. *concl.* 3. *dub.* 1. *&c.* Et sicut pariter initio Sectionis hujusmet. *n.* 46. fuit animadversum, teneri Visitatorem solertem ad inquirendum de meritis & virtutibus subjectorum, non de defectibus tantum, in quo casu nil impediret, quin sciscitaretur de tali & tali quas qualitates præseferat, licet omnia calamo in actis Visitationis inferere aliquando non expediret, sed ex parte adnotare pro sui regula, ita addo non prohibitum, sed licitum fore percunctari de qualitatibus alicujus peculiaris Religiosi, qui probabiliter possit eligi vel nominari ad dignitates, non tamen ab invidis seu alterius factionis nec a discolis virtutis promovendæ inimicis, ad sincere dignoscendum quæ merita revera quisquis pro digniori communiter habitus præseferret, vel quibus impedimentis irretiretur, quominus promoveri posset. In genere autem qui sint digniores & meritis præstantiores nec ulla exceptione laborantes, indifferenti & prudenti Visitatori exquirere consultum est per jura & Doctores. Arg. *l. C. postquam. Et* Cap. *Cum dilectus*. Cap. *Nihil de elect.* Innocent. in Cap. *Nihil de excess. Prælat.* Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *Cap.* 12. *n.* 17. Lezana *tom.* 1. *cap.* 27. *n.* 10. Anton. a Spir. Sancto cum aliis ibi cit. *disp.* 3. *sect.* 5. *n.* 115. Direct. Regul.

49 Præcipuum autem advertendum occurrit in hac materia, quod nequeat Visitator generalis aut in genere aut in specie, nec minus de quocumque subjecto quantumvis excepto inquirere circa occulta, aut de occultis per se, relativè ad ea quæ diximus in Sectione tertia præcedente n. 38. teneri eumdem quatenus præceptum Sanctæ obedientiæ velit præmittere se declarare, quod ad revelanda occulta fratrum nequaquam obliget, & prout alias de Prælatis non Regularibus visitantibus ostensum fuit dubit. 8. sect. 3. tom. 1. Et ratio hic replicatur, eo quia lex ipsa naturæ dictat non posse lædi injuste proximi famam supra quam jus adhuc retinet quicumque peccata in occulto commisit, non enim eidem aut verbo aut facto cedit aut cedere ullatenus præsumitur: hinc contra eamdem legem pro certo faceret, qui læsionem hujusmodi famæ proximi inureret, revelationem occultorum exigendo. Habetur ex juribus sæpe citatis Cap. *Qualiter* 1. *&* 2. *de accusat.* & Cap. *Inquisitio eodem tit.* Et pro Minoritis in eorum pract. crimiuali non semel citata: concordantibus Doctoribus Navarr. in Cap. *Inter verba coroll.* 27. *n.* 179. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 3. *lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 7. Portell. in respons. Mor. *part.* 1. *cap.* 20. Peyrin. *Cap.* 9. *form. Prælat. n.* 16. Lezana *tom.* 7. *cap.* 27. *n.* 2. *& tom.* 3. *verbo* Visitator *n.* 7. Pelizar. *tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 4. *n.* 45. Cum præmonita cautela, quod sicut in indicenda Visitatione Superior rudes advertit ex mox tactis non obligari eos ad deponendum de occultis, ita si delictum occultum vel per ignorantiam denuntiantis vel per conspirantium & illud propalantium malitiam duorum vel trium fuerit sibi delatum, debeat Prælatus prudens sic improbè lædentes fratrum suorum famam arguere neque delinquentem punire valeat, sed neque super eodem crimine illummet interrogare, tanto minus ad specialem inquisitionem devenire, nisi constito prius de rei prætensi vera infamia, ut conglomeratis Authoribus probant. Peyrin. loc. cit. atque Ant. a Spir. Sancto in Direct. Regul. *tom.* 4. *tr.* 4. *dist.* 3. *n.* 59. seq. Posset quamvis in hoc ultimo casu Prælatus super delatum crimen informationes minime actis paternæ Visitationis inferendas a viris probis a longe desumere, & aliquo comperto fumo delinquentem secreto monere. Excepto etiam casu quo deponentes vellent denuntiare juridice & formiter delinquentem licet adhuc occultum accusare, in quo casu nimirum valeret, immo quandoque teneretur visitans processum efformare, sed non via inquisitionis, bene quidem denuntiationis seu accusationis ex parte, ut clarius patebit dubitatione decimaquinta sectione quarta subsequenti, probationem tamen infamiæ eo tunc juxta exposita a denuntiante vel accusante deberet prius aggredi Visitator ad tradita per Doctores, Peyrin. *d. cap.* 9. *n.* 16. *in formul. lit. D. & alios*. De quibus alibi.

50 Dixi in assertione non posse Visitatorem inquirere de occultis regulariter & per se, per accidens enim possent occurrere casus in quibus aliqua inquisitio extrajudicialis esset necessaria saltem expediens, puta si delatum crimen vergeret in grave præjudicium sive præsens sive imminens Communitatis aut alterius innocentis: quamvis etenim de hujusmodi delictis proprie inquisitio specialis institui deberet sic exigente atrocitate & gravi proximi damno: nihilominus rationi consentaneam foret quod prius Superior visitans de veritate secreto pro sui prudentia exquireret, ne contra famam inditiati delin-

quen-

quentis præcipitanter videretur agere statim processum juridicum instituendo; ut teneut inter alios cum Doctoribus per se citatis Paulinus Berti *tit. VIII. de inquis. Cap. XII. n.* 4. Anton. a Spir. S. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 5. *n.* 105. Verum equidem est quod ad hujusmodi inquisitionem etiam extrajudicialem delicti quantumvis in damnum Communitatis aut tertii innocentis, nequaquam deberet sufficere delatio unica cujuspiam maligni sic cogniti vel inimici aperti, sed testis talis necessarius foret qui induceret saltem suspicionem fundatam, & informatio deinde excipi deberet è viris probis & zelo ductis publici boni, ne sine motivo urgenti ex sepedictis fama proximi exponatur gravi læsioni, veluti cum Cardinale de Lugo Dicastillo & aliis videtur insinuare Ant. a Spir. S. citatus *n.* 116. *&* 117. Adverto ulterius, quod in damnum tertii praecipue Communitatis vergere possunt delicta dupliciter; videlicet vel indirecte vel directe & proprie. Primo modo fere omnia delicta Religiosorum possent dici Communitati præjudicialia, ut fornicatio crimen nefandum blasphemia & maledictum quodlibet contra temporale Principum gubernium; si namque ad notitiam publicam vel per accidens devenirent, famæ Religionis præcipue Conventus ubi committerentur evaderent sine dubio perniciosa. Secundi vero generis delicta sunt, quæ vere de facto Communitatem vel tertium offendunt, ut furtum notabile de libris Bibliothecæ de suppellectili Sacristiæ Impositio criminis falsi alicui malignato innocenti ad impediendum gradum ejusdem meritis designantum vel contra Superiorem aliumve graduatum Patrem machinatio, ejus famæ aut vitæ exitialis, & similia. In his autem ultimis casibus secundi generis delictorum conceditur Visitatori ob aliquem fundatum rumorem vel denuntiationem non aperte hostilem, rem a fide dignis cum dexteritate in actu etiam Visitationis paternæ sciscitari, ut ingenti Communitatis aut innocentis damno prospiceret; & veritate suspecta titulo clamorosæ insinuationis ad inquisitionem sive specialem processum, in casu necessarium sibi sterneret viam, quia cum agatur de ingenti & enormi pernicie tertii, ratio occulti vel secreti non obligat, nisi sit Sacramentale ex animadversis alibi & infra addendis. Attamen de criminibus primi generis interrogare nequaquam posset Superior in inquisitione generali visitatos, quatenus occulta remanerent ob dictas rationes quas expendit item Berti ubi supra *Cap.* 12. *n.* 5. In casu autem quod hujusmodi crimina indirecte tantum Communitati perniciosa cum scandalo perpetrarentur vel communis præjudicii probabile periculum inducerent, propter eorum publicitatem, non essemus amplius in supposito de eorum perpetratione occulta, nec jus haberent super propriam famam prætensi rei quin ad inquisitionem specialem deveniri quiret, & provisionem item publice adhibere teneretur Visitator in casu ut magis elucidabitur ex dicendis infra. Cæterum pro nunc sufficiat repetere, quod regulariter loquendo nequeat Prælatus visitans exigere a Religiosis subditis ut occulta fratrum crimina sibi manifestent, cum nihil possit intentare aut præcipere contra jus Naturæ, ut iterum firmat Card. de Lugo de restit. *disp.* 37. *n.* 56. & post ipsum Ant. a Spir. S. *disp. cit.* 3. *Sect. V. n.* 104. *cum communi*.

51 Adversus nihilominus hanc ipsam regulam de non inquirendis absolute occultis in paterna videtur insurgere P. Ludovicus de Ameno in pract. Crim. *tit. XI.* §. 1. *de Inquis. a n.* 5. *sequ. &* §. 2. *ejusdem tit. n.* 17. *seq.* in quibus locis distinguit de inquisitione generali juridica & generali paterna, quam confundi ait per textum praxis. jam numeris praecedentibus a nobis relatum, & per eundem allegatū prius §. 1. ibi. *Admoneat tamen subditos Visitator & per Sanctam Obedientiam præcipiat ut dicant quæ Dei gloriam & candorem Religionis concernunt;* DUMMODO OCCULTA *non sint*: & deinde §. 2. subsequente ibi. *Ideo, ne de speciali persona, vel delicto occulto in inquisitione generali perquirat, omnino cavere debet, quod si fecerit ultra mortalem culpam, quam committit, officio destituendus est, & subditus quibusvis præceptis adactus respondere non tenetur; utpote non juridice interrogatus: ac tandem inquisitio specialis, quæ super huiusmodi infamatione forte instituerctur, nulla est eo ipso*. Explicat namque primum textum quantum ad inquisitionem generalem paternam debere intelligi de occultis facti: scilicet non posse paternaliter visitantem inquirere de iis quæ quis sciat per Confessionem Sacramentalem aut sub secreto naturali sibi revelata; cæterum posse sciscitari absolute de occultis juris; videlicet non deductis neque deducibilibus ad forum judiciale, ad quæ indaganda, ait immo visitationem paternam esse institutam, ita *loc. cit. n.* 5. *seq.* De hinc explicat secundum textum, quod debeat intelligi scilicet quantum ad visitationem generalem

juri-

juridicam non vero paternam, in qua ultima sustinet posse per Praelatum inquiri de aliquo discolo vel solito delinquere in aliquo crimine, quomodo vivat. Et an de vitio sibi consueto sit notatus? Sicuti etiam de Provinciali ac Superiore locali subdit posse Visitatorem inquirere descendendo ad vitam & eorum mores quibus subditis fuerint causa ruinae, *ut n.* 12. *&* 13. ejusdem tituli. Cum Patre Ludovico de Ameno concordat laudatus aeque P. Anacletus Reinffestuel *tit. de accusat. &c. n.* 287. *seq.* limitans tamen quod de aliqua speciale persona possit Visitator in paterna inquirere solummodo ex causa rationabili, ne videatur ex inordinato affectu & passione procedere, & cum visitatione paterna ordinaria quae inquisitio generalis nuncupatur inquisitionem specialem cumulare & intendere cum injuria legis & delinquentis ibi *n.* 290. Aliaque differit quantum ad occulta in subsequentibus numeris 295. &c. uniformiter ad Doctoris praecitati sensum, quae plenius examinabuntur infra de obligatione subditi ad deponendum.

52 Sed pace Virorum alioquin doctrina praestantium jam probata sustinere non desino: non posse nempe Praelatum sive Superiorem in Visitatione paterna generali de speciali persona nec de occultis juris eo modo quo explicantur a Patre de Ameno perquirere regulariter & per se; tum propter leges communes jampridem sufficienter allegatas, tum propter jura municipalia cujusque Religionis in quantum mihi innotescunt, una vel altera excepta; signanter vero, si sermo sit de Religione Minorum propter clarissimum statutum superius quidem memoratum; *Cap.* 7. §. 6. *n.* 36. compilat. Sambuc., quod non erit abs re hic repetere. ibi: *Prohibemus ne Praelati de peccato alicujus nominatim inquirant, nisi de crimine fuerit de jure infamatus aut adversus eum indicia sint evidentia aut probabilia*: quae profecto indicia habentur loco infamiae in inquisitione generali judiciali ex doctrina ejusdem de Ameno §. 1. *n.* 8. Et stante paritate immo majoritate rationis ob jus quod quis retinet super propriam famam non potest negari, extendi statutum idem ad inquisitionem generalem paternam; addito praecipue statuto distincto in *Cap.* 10. *n.* 5. ibi. *Superiores in Visitationibus nullo modo in omnino occultis se intremittant*: quod item expresse habetur in textu pract.crim. *tit. Inquisitio*, per extensum recensito per ipsummet Doctorem n. praecedente 51. Nec replicandum in oppositum quod inquisitio generalis paterna nequaquam requirit infamiam praeviam juxta communem Doctorum, & jurium id firmantium & practicam signanter criminalem nostri Ordinis *tit. Inquisitio* §. 4. ibi. *Nulla in generali inquisitione infamia requiritur*. Respondetur etenim; propter hoc inhiberi per eumdem textum in Visitatione paterna, inquisitionem de speciali persona, ad quem infamia praerequiritur per jura, & similiter prohiberi inquisitionem de occultis ad quam infamia praerequisita necessario non potest praesupponi. Ne alias confundatur juris ordo inquisitionum natura subvertatur & jus naturale proximi graviter laedatur contra omne fas: uti supra.

53 Expositio autem quae datur duplici textui per Patrem de Ameno mere arbitraria est. Et primo id quod distinguitur de occulto juris & occulto facti; ita ut de occulto juris, de crimine videlicet non deducto neque deducibili ad forum contentiosum possit inquirere Visitator in inquisitione paterna contra aperta jura militat & communem sententiam; habetur namque in *Cap. Qualiter p. &* 2. *Cap. Inquisitionis de accusat.* juncta Gloss. *Cap. Romana de cens. cum Gloss.* non esse inquirendum de occultis nec curandum de iis, quamvis per duos vel tres testes deferantur. Concordatque indubitanter textus practicae criminalis in Franciscana Familia *tit. Inquisitio*. §. 2. ibi, *Occultum autem in jure nominatur, quod, licet duobus, vel tribus testibus notum sit, de illo tamen nulla existit infamia*; quod quidem ibi additur & explicatur relative ad regulam traditam praecedenter, quod nequeat Visitator inquirere de occultis uti jam diximus: ibi. *Ideo, ne de speciali persona, vel delicto occulto in inquisitione generali perquirat, omnino cavere debet*. Deducitur proinde manifeste per peccatum, quod sit occultum in jure non deperdi a praetenso reo sed adhuc retineri jus ad propriam famam. Doctores deinde id probantes seu confirmantes cumulanter fere innumeri apud Peyrinum *Cap.* 9. saepius cit. in *formul. lit. P.* de Lugo instit. *disp.* 33. *n.* 56. Dicastill. de instit. *tr.* 1. *lib.* 2. *disp.* 5. *dub.* 3. *n.* 64. *seq. &c.* Atque ita famam proximi injuste laedi quoties hujusmodi delicta occulta in jure & non tantum in facto, scilicet revelata tantum in Confessione Sacramentali vel sub naturali secreto per inquisitionem generalem sive a paterne & generaliter

ter visitante publica reddantur, aut tamquam notorie manifestanda perquirantur; videatur Ant. a Spir. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 88. *& sect.* 5. *n.* 101. *& seq.* Quod si quæratur; quot sint necessarii scientes ad hoc ut delictum infamiæ subsit vel amittat rationem occulti in jure? Aperte habetur ex practica criminali nostri Ordinis requiri plures quam tres. Et apud alios Doctores & secundum praxim aliorum Ordinum rigidior opinio tenet requiri saltem plures quam quinque: ex traditis per Anacletum Reinffestuel. *tit.* cit. *de accusat. & n.* 295. *seq.*

54 Explicatio item alterius textus a P. Ludovico de Ameno lata quod nempe sit sermo ibi de inquisitione judiciali, patet legenti esse contra sensum literalem expressissimum ibi. *Ideo ne de speciali persona aut occulto delicto in* Inquisitione generali *perquirat &c.* Per inquisitionem nempe generalem antonomastice apud Regulares aliosque intelligitur paterna, ut pluries fuit præmissum; & licet possit esse generalis quandoque inquisitio etiam judicialis item ex præmissis; tamen iste terminus judicialis vel alter similis solet semper addi in eo casu, ut dignoscatur ad vindictam tendere extra limites puræ correctionis: ultraquamquod in proposito sermonem esse de Inquisitione vere paterna evidenter colligitur ex eodem textu. In eo siquidem prohibetur prius judici inquirenti præcipere quod sibi revelentur occulta, per exceptionem ibi. *Dummodo occulta non sint.* Et exinde deducitur quod neque valeat in eadem inquisitione generali de speciali persona vel de occulto delicto perquirere; prohibitio autem hæc superaddita appellat sine dubio inquisitionem generalem paternam propter junctam aliam protinus exceptione eodem textu ibi. *Ab hac tamen restrictione Provinciales excipiuntur ad quos Syndicandos destinantur Visitatores &c. quod etiam de Guardianis fieri debet*: sicuti etiam excipiuntur subsequenter *Visitatores præcedentes*. Pro Syndicandis siquidem Provincialibus Guardianis & Visitatoribus præcedentibus qui inibi excipiuntur est instituta sola generalis paterna ut est in confesso apud omnes & non potest negare idem Pater de Ameno tit. cit. §. 2. *n.* 13. Igitur regula præfata generalis de non inquirendo de speciali persona, nec de occultis sicut & de non præcipiendo quod sibi occulta revelentur militat apertissime pro inquisitione generali in qua Prælatus visitans paterne tantum se gerit, totaque connexio textus hunc præbet obvium sensum eo vel maxime quod in eademmet generali inquisitione prohibetur per allegatum textum in principio delatio juramenti visitatis ibi. *In inquisitione generali Judex a nullo juramentum exquirere debet.* Et est incontroversum ex alia parte, quod si inquisitio sit judicialis esto generalis, in ea juramentum deferri comparentibus est omnino necessum Uniformiter ad jus commune. *Cap. Inquisitionis de accusat. juncta gloss.* Navarr. in Cap. *Inter verba* 11. *qu.* 13. Coroll. 61. *n.* 847. aliis concordantibus.

55 Porro rationes quas præfatus Doctor de Ameno adducit videlicet, quod Inquisitio generalis paterna non tendit ad vindictam sed ad monitionem & correctionem sine strepitu quod ejus scopus sit immo occultas relaxationes & inobservantias perquirere ad finem reparandi quæ reparatione indigent & bonos mores confirmandi ubi observantia viget. Quod alioquin vanum foret visitare paternaliter, si visitans neque *ut Pater* posset devenire in cognitionem defectuum occultorum, ideoque de necessitate leges statutarias communes etiam de non inquirendis occultis applicari debere inquisitioni tantum speciali vel generali juridicæ. Hæ inquam rationes sparsim pluribus in locis per Doctorem præfatum adductæ & per Patrem Anacletum Reinffestuel loco ubi supra repetitæ facile enervantur. Quamvis etenim inquisitio generalis paterna tendat tantum ad correctionem sine strepitu, correctionem tamen intendit semper sine gravi injuria, per quod motivum ab ea non potest regulariter appellari nec paterne visitans recusari, ut præbabitum est Dubit. 4. primi Tomi ferme per tot. Injuria autem gravis fieret Visitatis, si super delicta eorum occulta famam ipsam alias diminuentia ad quæ tergenda habent jus, inquireretur, ex præfatis Doctoribus ut infra repetendis. Habet etiam pro scopo Visitatio paternalis instituere bonos mores collapsam disciplinam restituere & ea quæ reparatione indigent præcavere, ut ex Tridentino animadvertimus dubit. 3. & 4. procem. sed præscindendo ab alicujus injurioso gravamine, de quo posset conqueri quisquis si in propria fama injuste læderetur mediante ansa data visitatis ejusdem occulta crimina revelandi. Quod si istud gravamen privatum contra naturale jus læsi postponendum prætenderetur publico bono; non video quare

re assertum sustineri non posset etiam quoad ea, quae in confidentia sciuntur & vocantur occulta facti; super quae revelanda, quamvis extra Sacramentalem Confessionem nota, non posse cadere praeceptum seu perquisitionem in Visitatione paterna tenent ipsimet de Ameno *tit.* 11. §. 1. *n.* 5. & Anaclet. *tit. de accusat. &c. n.* 296. Unde, cum non possit Visitator revelationem praecipere atque exigere horummet quae sunt occulta facti propter jus naturae de servando secreto, quod frangeretur contra laesam famam delinquentium rationabiliter invitorum, non obstante bono communi resultante ex correctione criminum & observantiae Regularis praetensa conservatione seu restauratione, cur eadem obligatio non vigeat quoad occulta juris super quibus delinquens habet pariter naturale jus, ne publicentur? Si autem haec suppositio, delinquenti scilicet competere naturale jus super occulta juris crimina ne publicentur, a duobus Doctoribus fortasse negatur, haec sane sententia negative universali Doctorum assertioni adversari deprehenderetur; ut videre est apud Navarr. Cap. *Inter*. Coroll. 47. *n.* 179. & Coroll. 61. *n.* 250. Sotum, Banhez, aliosque quos citat & sequitur Peyrinus Cap. 9. *formal. lit. P. n.* 16. Laiman. Pellizar. Lezan. Anton. a Spir. Sancto *tract. de ev. disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 88. & *sect.* 7. *n.* 114. *seq.* qui allegant capita repetita *Qualiter*, & *Inquisitionis de accusat.* ubi expresse habetur; *quod non deperdatur fama delinquentis occulte per dicta paucorum*, & proinde hic super ipsammet retineat adhuc jus. Probantque uberius idem, eo quia jus ad propriam sive super propriam famam quis rationabiliter retinet, quotiescumque eidem neque directe neque indirecte, aut neque explicite neque implicite cedit vel cedere praesumitur, talis autem est ille qui ita occulte committit crimina, ut de se non possint patefieri, nec regulariter ipse queat per tale crimen infamari, cum potius per occultam & absconditam perpetrationem intendat famae propriae consulere ne crimen propaletur, detque per hoc rationabile interpretandi motivum, se non commissurum fuisse crimen quoties revelandum praevidisset cum famae suae detrimento gravi: Hinc quatenus Religio aliqua afferatur, in qua revelare occulta fratrum Religiosis permittatur, aut praescribatur: renuntiasse proprio juri famae conservandae in iisdem occultis ejus alumni per Religionis leges perhibentur. Jus igitur negari non potest super famam propriam retinere qui eidem nullatenus renuntiant aut renuntiare praesumantur, quinimmo crimina ita occulte perpetrant, ut laesionem ejusdem famae se observando praecavere interpretentur: & propterea contra idem jus operari Praelatum fas est concludere, qui vel praecipiendo vel inquirendo revelationem occultorum animose praetendit. Sic Doctores communiter, supra allegati, signanter apud Card. de Lugo de Justit. disput. 37. n. 56.

56 Neque per hoc vana redditur ac infructuosa inquisitio ipsa generalis seu visitatio ordinaria, quae per Superiores Regulares congruo tempore paterne solet institui. Possent enim & debent inquirere in iisdem Visitatis Praelati de inobservantiis publicis vel levibus per quas periculum immineret declinandi sensim in graviores, vel gravibus quae jam irrepsissent paulatim in Conventibus vel Communitatibus aperte relaxatis, quatenus ipsismet remedium vel reparationem adhiberent asperioribus vel levioribus correctionibus, juxta exigentiam ad normam Capitis saepius allegati *Romana de cens.* Dantur etiam casus in quibus quod delicta privatorum communitatis, utpote alicujus vel plurium non occulta juris neque facti, paternaliter & non juridice Visitatoribus deferantur, quibus paterna debeant praebere remedia quatenus sufficiant, vel excitantibus iisdem ad inquisitionem judicialem instituendam impellerentur. Quoties item denuntiationes sive accusationes judiciales inveniant, poterunt seorsum per viam accusationis &c. processus efformare peculiares; ut jam tactum est & infra exponetur. Esto pariter prohibitum sit ipsis super occultis inquirere & de revelatione occultorum praecipere, non desunt casus; quod taliter delinquentes occulte ab imprudentibus revelentur; ex supra animadversis, & habetur in pract. crim. Minorum *tit. Inquisitio. V. Si unus*. Et tunc non erit vetitum Visitantibus culpabiles secreto corrigere juxta datas cautelas & fructuose admonere. Et tandem nisi aliud bonum relevaret ex Visitatione paterna, praesentia saltem atque exemplo & opportunis exhortationibus in Regulae & Constitutionum observantia quilibet zelo & virtutibus praeditus Praelatus subditos recte incedentes confirmaret. Hi aliique sunt fructus Visitationis paternae; absque eo quod cogantur Visitantes pervertere jura statutaque confundere,

de occultis inquirendo: juxta doctrinam, quam tradunt *ex cap. celebri Romana de cens.* Paulinus Berti *tit. IV. Cap.* 21. *n.* 1. & 2. & *Cap.* 22. *n.* 12. Peyrin. Lezana. Pelizarius aliique fere omnes.

57 Excipiuntur quidem ab hac communi doctrina atrocia crimina directe patrata in damnum grave communitatis vel alterius innocentis; de quibus quamvis adhuc de vere occultis posse inquirere Visitatorem probavimus superius *n.* 50. quia jus communitatis & innocentis supra bona vitæ & famæ &c. quæ supponitur enormiter læsa vel lædenda, præponderat juri quod super famam propriam prætenderet ipsemet atrociter delinquens Communitati sive innocenti graviter & injuste læsivus: ex Paulino de Berti cum aliis *tit.* 8. *Cap.* 12. *n.* 5. & 6. Servatis tamen servandis, juxta tradita eod. n. 50. ad excitandam, scilicet, inquisitionem juridicam; & habito de pernicioso crimine vero fumo, cum alioquin illegitime se gereret Visitator inquirendo potius de uno quam de alio enormi crimine absque vero motivo & speciali fundamento; veluti post Cardinalem de Lugo *disp.* 37. *de justit. n.* 63. tenet Anton. a Spirit. S. *disp.* 3. *n.* 1140. Sicuti etiam excipienda ducerem crimina occulta tantum per accidens per se autem notoria; ita quod de iis etiam perquisitionem facere quiret Prælatus paterne visitans ad ea corrigenda fine strepitu judicii vel ad excitandam judicialem. Veluti si quis Religiosus in publica via deosculatus fuisset fœminam paucis licet videntibus, vel maledixisset Papæ in publi. Dormitorio audiente uno vel altero; is etenim in loco publico absque verecundia delictum patrans censeretur saltem indirecte cedere juri supra famam propriam, & interpretaretur rationabiliter de publicitate sui delicti parum curare; quia de facto nullam adhiberet præcautionem; similiter de eo, qui in publica via ingrediatur ad meretricem quamvis a paucis per accidens observatus. Quod totum a Prælati prudentis judicio pendere autumant Doctores communiter. Arg. *l.* 1. §. 2. *ff. de jure deliber. l. continuo* §. 1. & 2. ibi signanter Abb. *num.* 16. & Fagnan. ibidem.

58 Cœterum explicatio criminis atrocis, data per Patrem eumdem de Ameno *tit. xi. pract. n.* 15. nequaquam videtur admittenda ad propositum; videlicet quod crimen atrox inquisitioni subjectum licet in jure occultum sit omne mortale peccatum vel crimen grave; ut probare intendit ibi per Gloss. 1. *in l. Ad ea quæ ff. de regul. jur.* & per Calvin. *in Lexic. V. Atrocitatem*. Dixi autem *Ad propositum*; quia licet omne crimen grave posset in aliquo synonimo sensu vocari etiam atrox: ex allegatis per dictum Doctorem; tamen quodlibet in hac generali acceptione grave negaretur importare atrocitatem talem ut de ipso posset inquiri etiamsi occultum foret ideoque publice corrigi a paternaliter visitante: ut tenet aperte laudatus Auctor loc. cit. de quo etiam plenius infra. Pro nunc sufficiat opportune repetere, quod crimen de quo possit fieri inquisitio in paterna Visitatione licet in jure occultum debeat esse mortale non tantum, sed etiam alteri vel Communitati vel proximo innocenti enormiter sive graviter perniciosum: ex iis, quæ præmissa sunt; & replicata doctrina Antonii a Spir. S. de Regim. *Regul. tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 136. Si autem dicatur hinc atrocissima crimina remansura impunibilia nec correctioni subjecta; responderetur; patere prius Viro sapienti & non inscio crimina quo magis enormia directe boni alieni esse læsiva; ut liquet de hæresi, quæ directe offendit veritatem Fidei in Ecclesia, & de aliis delictis ad Sanctum Officium spectantibus; ideoque extra præsentem tractatum; hoc idem de rebellione, homicidio, conjuratione, cœterisque, quæ contra Principem, Superiorem, communitatem, vel innocentem proximum directe militant; de quibus videndus Palao *tom.* 1. *tract.* 7. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 2. At in iis, quæ atrociora & atrocissima supponi nequeunt utpote Communitatem vel nullatenus, vel tantum indirecte offendere possunt in solo casu scandalosæ circumstantiæ hic non suppositæ, sed committenti solo perniciosa censentur; utpote solitaria, vel cum socio criminis consentiente sive confidente patrata; dicam iterum Prælatum seu Visitatorem ita debere se gerere, ut jus naturæ nequaquam subvertat & destruat si occulta adhuc remaneant; & potius eorum cognitionem Deo remittere, quam media perquisitione incompetente famam proximi injuste exponere notabili detrimento: cum Navarr. *cons.* 47. *n.* 179. *in Cap. inter verba*, & *tom.* 3. *in rubric. de judic. n.* 88. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *Cap.* 12. *n.* 7. Portell. respons. mor. *Cas.* 20. *n.* 3. *part.* 1. Thom. a Jesu de Visit. Regul. *tr.* 1. *Cap.* 1. *n.* 5. Villalobos *tr.* 14. *dist.* 7. *n.* 4. *tom.* 2. Lugo de instit. *disp.* 37. *sect.* 6. *n.* 19. Peliz.

tr.

n. 9. *Cap.* 4. *n.* 39, Anton. à Spir. S. *Direct. Regul. tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 87. Eo vel magis, quod ex hujusmodi occultorum perquisitionibus majus malum quam bonum perturbatis obveniret Communitatibus; & data hac praxi maxima in Christiana Republica præsertim Religiosa quolibet casu sequerentur incommoda ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7. ubi Cajetan. Sot. de tegend. secret. membr. 2. *qu.* 7. Lessio de instit. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 13. *n.* 109. Bassæo *V. Correctio fraterna n.* 14. *& Reliquis &c.* Per quod ruit profecto fundamentum sententiæ oppositæ de bono communi prætenso ex talium occultorum revelatione.

59 Quantum ad illa pariter, quæ addidit laudatus Author de persona privata: nempe quod non tantum de delicto occulto sed & de privato delinquente possit inquirere Visitator in paterna: puta de discolo vel solito in aliquo crimine deficere foret Visitanti licitum sciscitari, an bene vivat & ulterius an de vitio sibi consueto sit notatus; descendere item queat ad vitam & mores Superioris sive Provincialis sive Localis quatenus & vita & moribus relaxatus fieret subditis causa ruinæ. Repetendum censeo satius fore servare præscriptum legis in jure naturali fundatæ, quam eam extendere seu prætermittere absque necessitate, quam non video in casu de discolo. Quandoquidem Prælato inquirenti in visitatione paterna generice, an omnes probe vivant an aliquis Religiosus intra demorantes de familia inibi sit criminosus seu scandalosus. Possent respondere, immo naturaliter responderent subditi sufficienter illuminati, quod talis demoretur subditus in conventu de consueto Crimine numquam emendatus, in suppositione veritatis: absque eo quod confunderetur visitationis generalis norma cum inquisitione speciali. Et hoc fortius suadetur, eo quia assuetus quis in aliquod crimen labi, posset illud ex fragilitate recidivus committere, sed occulte ita quod unus vel alter tantum de familia ejusdem repetiti criminis venisset in cognitionem, quo supposito non minus is haberet jus ad propriam famam in casu quam alter non assuetus, non enim cedere eidem juri directe vel indirecte deprehenderetur. Ideoque Visitator in casu specialiter inquirens, absque dubio contra eidem proximi Jus procederet dando ansam interrogato crimen illius occultum revelandi: nisi tamen delictum esset de perniciosis in quo casu quæcumque levis suspicio reincidentiæ sufficeret ad inquirendum extrajudicialiter, ut sterneretur inde via ad judicialem juxta dicta: sicuti etiam pro corrigendo sic assueto delinquere in quocumque genere criminum non esse servandas rigorose duxerim omnes circumstantias ad publicitatem regulariter requisitas, signanter pluralitatem legalium testium, secundum quam explicationem verificaretur quoque rationabilis ratio inquirendi in aliquibus casibus adducta per Anacletum *tit. de accusatione num.* 287. De Provincialibus etiam & Superioribus Localibus sapienter providere leges communes & statuta cujuslibet Religionis tenendum est: cum interrogatio videatur sufficere quoad ipsos insinuata per constitutiones uniuscujusque, pront mihi constare potuit; an officium proprium adimpleant an in gubernio recte se gerant, atque exemplariter vivant: signanter apud Minoritas in Stat. Sambuc. *Cap. VIII. sub* § 56. & Reform. *Cap.* 8. *n.* 8. Absque eo quod ad magis specificas & individuales interrogationes necesse sit per Visitatores deveniri: juxta præmissa n. præsertim 48.

60 Non tamen advertere omitto, quod licet capita assignentur in Statutis respective Religionum, præsertim Observantium & Reformatorum, super quibus Superior paterne visitans generaliter exquirat, non per hoc ad ipsa taliter limitatur, ut in genere atque ser. serv. inquirere ipse nequeat super aliis, præcipue ut n. 46. adnotavi super educatione Juvenum aliquatenus fortasse neglecta, quamvis Religionis subsistentia & decus ab ea pendeat. Ratio est quia capita interrogationum generica in statutis exemplariter nequaquam taxative adducuntur, ut signanter reflectit Reinffestuel *tit. de Accusat. &c.* § 6. *num.* 291. Admitto pariter cum laudato Doctore pro pleniori intelligentia omnium præmissorum inquisitionem paternam non esse taliter generalem sive generalissimam adeo in stitui debeant in ea quin descendatur aliquando ad species subalternas; videlicet. An inobservantiæ vigeant quoad paupertatem? An frequentia continuetur in Choro & Oratione: Esto quandoque appareat inquisitio mixta; utpote de personis particularibus possit sciscitari Visitator videlicet, ut dictum est, de Provincialibus Guardianis ac aliis Officialibus publicis Lectoribus Magistris &c. dummodo ad judicialia & specifica crimina non fiat determinatus transitus. *An bene in officio proprio se gerant.* Replico item, pro inquisitione generali communiter, & regula-

gulariter accipi quidem paternam : tum ex Doctoribus passim, tum ex clara dispositione praxis criminalis in Ordine nostro. Verum pro intelligentia dictorum & dicendorum addendum censeo pro nunc Inquisitionem generalem judicialem, quam diximus posse item institui a paterna distinctam, ut in plurimum fore mixtam, videlicet de delictis certis cum incertitudine delinquentium, vel de incertis delictis non adhuc distincte & specificè cognitis, licet delinquentes in confuso saltem innotescant. aut rumor præcesserit de iis certo probabilis, qui locum ficti accusatoris, nec non infamiæ prærequisitæ teneat: ex supracit. de Ameno *tit. Inquisitio* §. 1. *n.* 8. & *seq.*

61 Altera pars quæsiti in hac sectione principaliter propositi fuit. Super quibus teneantur deponere subditi visitati seu quænam delicta teneantur & possint revalare visitanti Prælato. Porro ad hujus discussionem & resolutionem quæ nec tam brevis nec tam facilis statim occurrit: quia & sapientibus & insipientibus debitor sum, advertendum principaliter dico: quod supposito etiam præcepto Sanctæ Obedientiæ præmisso absolute per Visitatores, non obstantibus iis quæ dicta sunt *n.* 35. non expedire quod semper addatur prævius monitionibus. Et quatenus addatur expedire declarationem ejusdem quod non cadat super occulta, ut *n.* 38. Esto inquam hujusmodi præceptum præsupponatur per Visitatores prolatum, videlicet; ut subditi Religiosi revelent omnia crimina & inobservantias quæcumque ipsis innotescant, teneantur profecto subditi ipsi tali præcepto accedente revelare Visitatori præcipienti quæ alias tacere nequeant ut optime probat quantum ad hoc Anacletus Reiffestuel *tit. de Accusat.* &c. §. *dicto* 6. Attamen quoties præceptum cadat super ea quæ de jure naturæ silentium exigunt, nam propterea, ob urgentiam ejusdem præcepti superadditi hæc revelare quibunt, cum præceptum naturale tacendi in casu præcepto humano revelandi prævaleat. Miranda, Corduba, Longhus. & alii. quos sequitur Peyrin. Cap. 9. *form. lit. P. n.* 14. Quod substinetur pariter de juramento, quando nempe istud contra doctrinam traditam supra *sect.* 3. *n.* 43. & 44. in Visitatione, quamvis paterna visitatis deferetur : juramentum namque non posset obligare ad rem illicitam contra justitiam: videlicet revelationem criminis reticendi jure naturæ, ultraquamquod neque urgeret obligatio respondendi super ea, de quibus Judex non habet jus interrogandi *D. Th.* 2. 2. *qu.* 69. *art.* 2. Ang. verb. Inquisitio *n.* 11. Navarr. Cap. *Inter verba Cons.* 6 *n.* 21. Peytin. de subd. *qu.* 1. *cap.* 16. §. 3. verbo *Dico Decimo*. Et est communis: Quia similiter deferentes crimina aliena inquirenti nomine denuntiatorum nuncupantur in jure. Hinc quoque præmittendum est, vel repetendum quatenus cautum fuerit alibi, denuntiationem duplicis esse generis, unam videlicet Evangelicam, juridicam alteram. Denuntiatio Evangelica, quæ etiam paterna fraterna & charitativa dicitur, est siquidem illa, quæ fit visitanti Superiori tamquam Patri non ad publicam vindictam exposcendam, sed ad emendationem & solam correctionem delinquentis denuntiati. Denuntiatio vero juridica sive judicialis illa est, quæ fit Superiori tamquam judici, judicialiter proinde procedenti, & vindictam malorum intendenti. Colligitur communiter ex juribus & Doctoribus citatis signanter per Reinfenstuel dicto titulo de accusat. &c. *n.* 59. 60. & 83. At occasione præsentis quæsiti scilicet, quænam delicta subditi teneantur denuntiare. Quoad denuntiationem simpliciter Evangelicam limitatur responsio.

62 Etenim quæ jam notavi observanda a Sæcularibus tum Clericis tum Laicis quantum ad denuntiationes fraternas & correctiones prævias *dubit.* 8. *sect.* 3. occasione Visitationis ab Episcopo vel alio Prælato Ecclesiastico institutæ, fortius obligare Regulares quos minus ignorantia potest excusare, nemo ambigit, propterea Doctores adduxi ibidem etiam Regulares intermixte differentes de obligatione afficiente omnes in communi. At quia quædam dubia signanter de Religiosis ipsis moveri possunt, quantum ad præmittendam, nec ne correctionem fraternam pro denuntiandis Prælato fratrum sive Religiosorum conviventium defectibus, & in ordine ad ea quæ in ordinariis Visitationibus denuntiari possunt aut debent. Hinc resolutiones peculiares loco hic opportuno addendæ sunt prius genericè quoad Regulares quoscumque, deinde in separato quæsito pro Minoritis, de quibus a recentioribus nonnullis specialis difficultas promovetur. Et sane P. Anacletus Reinfenstuel absque limitatione docet, quod non tantum possint sed teneantur quicumque Regulares indeffinitè in Visitatione ordinaria paterna manifestare & denuntiare saltem evangelicè omnia delicta excessus defe-

ctus,

ctus transgressiones & abusus omnes Fratrum seo conviventium, & Conventus, & Provinciæ, *tam occulta, quam publica, quæ in damnum observantiæ, & disciplinæ Regularis, aut in præjudicium Communitatis, vel tertii privati cedant: tit. de accusat. &c.* §. 6. *n.* 295. Duasque alias conclusiones subdit statim nempe hanc *n.* 296. *Subditi non tantum possunt, sed tenentur etiam omnia alia crimina, peccata, vel delicta, quæ in solius delinquentis damnum vergunt Superiori visitanti paterne manifestare; etiamsi omnino occulta sint & nullatenus probari valeant; dummodo sciantur extra sigillum Confessionis, & secretum naturale* ■ Similiter infra n. 300 prosequitur aliam ibi. *Ad hæc, ut delicta etiam occultissima, solique peccanti nociva in visitatione ordinaria denuntiari, seu manifestari possint, & debeant, non prærequiritur monitio, seu correctio fraterna, seu Evangelica, præsertim in Ordine nostro*. Uniformiter ad ea quæ præmiserat tit. eod. §. 2. n. 71. *Generaliter in cunctis Religionibus absque ulla prævia correctione fraterna, vel Evangelica quodvis etiam occultissimum delictum, & soli delinquenti nocens posse statim paterne denuntiari Superiori: dummodo extra sigillum Confessionis, & sine secreto naturali illud sciat denuntians*, ratione ductus unica, licet amplificata ibi. *n. cit.* 71. Quia emendatio subditi delinquentis magis potest sperari per correctionem & monitionem Superioris, quam alterius: tanto plus, quia delicta Religiosorum ordinarie cedunt in præjudicium & damnum temporale vel spirituale Religionis vel tertii privati. Ex hoc igitur, quod subditi sic occultissima absque correctione præmissa manifestare possint, concludit deinde §. 6. *n.* 295. *ad* 300. quod in visitatione quando additur præceptum de iis manifestandis eadem revelari utique debeant. Et quamvis admittat posse dari casum, sed rarissimum secundum Sanchez, & Layman, de correctione fraterna præmittenda in aliis Religionibus: quando nempe certo apparet quod sciens occultum soli delinquenti nocivum delictum æque idoneus sit ac Superior ad efficaciter emendandum delinquentem, numquam tamen id contingere posse sustinet in Societate Jesu ac Religione nostra Seraphica, propter peculiaria etiam statuta *n.* 70. *ad* 73. Verum hæc doctrina Auctoris alioquin eximii, quamvis ab eodem asseratur communis; contra jus commune potius sententiam communem Doctorum aliorum, prout jacet & praxim omnium Religionum, excepta Societate Jesu, videtur militare. Quantum ergo ad ipsasmet Religiones communiter reservando pro Minoritica specialem resolutionem, teneor puncta difficultatum ex dicta doctrina quæ emergunt, clarius per distincta asserta enucleare prout sequitur.

63 Non tenetur nec potest Religiosus subditus in visitatione paterna revelare visitanti Prælato crimina sive delicta præsertim occulta & soli committenti nociva quæ certo jam emendata vel certissime sciat emendanda. Hanc sententiam tenet Corduba in Summa *q.* 64. Sayr. in Clauf. Reg. *lib.* 14. *cap.* 14. *n.* 27. Emanuel Rodriquez *tom.* 2. *q.* 6. *art.* 2. Navarr. in Sum. *Cap.* 25. *n.* 46. Peyrin. *Cap.* 16. *qu.* 7. *de fabl.* ℣. *Noto ulterius*. Lezana *tom.* 2. *V. Accusare n.* 13. Pelizar: *tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 16. Anton. a Spir. S. Direct. Regul. *disp.* 3. *n.* 77. Et ratio evidens est quia finis Evangelici præcepti adæquatus videlicet emendatio delinquentis habetur in eo supposito, salva fama illius, super cuius conservatione cadit urgens aliud præceptum in hujusmodi charitatis officiis exercendis. Immo cum idem doctissimus Reinffestuel concedat rationem valere in denuntiationibus Evangelicis generaliter peragendis tum ab Ecclesiasticis tum a Laicis occasione visitationum &c. §. 2. *n.* 109. *ad* 122. Non capio quomodo deficiat robur rationis loquendo de denuntiantibus Religiosis, in quibus charitas reciproca vigere potissimum debet, ut patet legenti cujusque Religionis constitutiones. Nec respondendum ex eodem Doctore, posse quidem subditum similia delicta emendata vel emendanda reticere sed ad id minime teneri. Refellitur enim replica per principium celeberrimum, quod fraterna charitas exigit emendationem fratris suaviori modo procurandam inquantum fieri possit: ex D. Thom. Navar. quos citat. Grass. *part.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 69. *n.* 17. Reginald. item in prax. *lib.* 24. *n.* 55. & 58. Suarez Conati Villalob. apud Palmam *tom.* 1. *tr.* 7. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 5. Suavior autem modus negari nequit, quoties intenta emendatio absque ulla famæ ejusdem proximi læsione apud quempiam obtineri contingat ex eodem D. Thoma Navarro & aliis, quos refert Bassæus. V. *Denuntiatio n.* 11. estque communis; fortiusque confirmatur per doctrinam item communissimam de denontiatione Evangelica, de qua tantum hic agimus, quod fundatur in Charitate & Charitatem unice respiciat. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *post* Berti, Peyrin. Lezanam, & Reinffestuel ipse §. 2. *cit. n.* 60. & 61. Additum est consulto præsertim si deli-

delicta sint occulta & soli committenti nociva: nam si delicta forent notoria famosa seu manifesta, non est dubium quod possent Evangelice denuntiari visitanti, licet emendata vel certissime emendanda ad hoc ut scandalo publico per publicam saltem correctionem consuleretur. Peyr. *d. Cap.* 16. *de subd. qu.* 1. §. 2. citans innumeros. Quamvis notoria licet seu famosa, sed privata & nulli nociva, non desint Doctores asserentes posse adhuc silentio præteriri, seu obligationem non urgere illa denuntiandi in casu quo per publicam pœnitentiam & vitam exemplarem delinquens opportunum remedium ipsemet scandalo de se dato porrexisset. Ita cum Avila, Armilla, aliisque de Lugo *de Iust. Cap.* 38. *n.* 19. Bassæus V. *Denuntiatio n.* 11. Antoninus a Spir. Sancto *d. sect.* 6. *n.* 134. Quod si delicta forent non privata nociva videlicet delinquenti dumtaxat, sed etiam vel communitati vel tertio: addito publico enormi scandalo, emendata esto & extra periculum recidivæ fore Evangelice denuntianda Prælato Visitanti: quatenus ipse prudenter perpenderet de satisfactione opportuna præjudicatæ Communitatis & partis læsæ, & de restaurando insimul scandalo enormi (quidquid sit de modo procedendi necessario respectu Prælati in tali suppositione) tenent Rodriguez *tom.* 2. *qu. Regul. qu.* 6. *art.* 2. Peyrin. cit. *q.* 1. *Cap.* 16. *ꝟ. Ubi notandum*. Lezana *tom.* 2. V. *Accusare n.* 13. Ant. a Spir. Sancto qui citat plurimos in allegata *disp.* 3. *sect.* 6. *a n.* 139. Quamvis hic ultimus contendat, omittendam adhuc esse denuntiationem quoties scandalum esse sublatum omnino constet & omne damnum restitutum vel certo restituendum, ne superflue aperiatur ex nova refricatione non sine horrore jamdiu compresso vulnus grave ibi. *n.* 134. *& n.* 154.

64 Non potest subditus Religiosus denuntiare occculta quæcumque fratrum delicta vel sibi soli manifesta vel nota paucis, non tamen saltem famosa, puta quæ sciantur a duobus tantum vel tribus & soli delinquenti nociva, nisi præmissa correctione fraterna. Ex hac conclusione colligitur, quod licet nequeat absolute Visitator præcipere ut sibi revelentur aut exquirere occulta eo modo quo probavimus supra *n.* 49. *& seq.* Visitatus tamen pro bono publico Religionis possit ipsa occulta juris revelare quoties correctionem necessariam præmiserit erga delinquentem, & ratio est quia delinquens admonitus non haberet amplius rationabile jus super famam propriam cum vellet in delicto perdurare contumax non obstante admonitione audita: juxta Evangelii ordinem cui admonens pareret in casu. Hac ergo præhabita advertentia pro conciliandis, & dictis & dicendis. Ad rem nostram; quod pro denuntiandis delictis de facto occultis; ut in asserto, correctio fraterna sit omnino præmittenda; habetur expresse apud D. Thom. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 1. *&* 2. & Cajet. ibi Navarrum in Sum. *cap.* 24. *n.* 12. Rodriguez. *tom.* 2. *qu.* 8. *art.* 1. Sylvestr. *V. Correctio qu.* 1. *n.* 2. Graff. *part.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 69. *n.* 2. Paulin. de Bers. *tit.* 7. *Cap.* 4. *Concl.* 4. Ant. a Spir. S. *sect.* 2. *per tot. & sect.* 6. *n.* 138. *disp.* 3. *cit.* Et Patrem de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *qu* 4. *n.* 55. qui omnes unanimiter rationem adducunt jam *dub.* 8. *sect.* 3. tactam; ab eodemque P. Anacleto insinuatam §. 2. *a n.* 62. Eo quia, scilicet, de correctione fraterna sit præceptum Evangelicum fundatum in naturali jure, quod habet quis ad propriam famam, & in lege pariter naturali cordi cuinsque inserta de diligendo proximum sicut se ipsum. Et mirum est equidem; quod præceptum qualificatum adeo non debeat obligare Religiosos, si communiter omnes Christifideles ligat ut prænotatum fuit, quoties revera proximus jus rationabile possidet, ne propria privata publicentur crimina: quod debet pro certo locum in occultis juris unius vel alterius cognitioni vix expositis, quæ nullus revera vellet, utpotè rationabiliter reticenda, publicari, quatenus a se sic occultè patrarentur; ut satis probatum fuit superius n. cit. 49. seq. firmantque cum D. Thoma Peyrin. de subd. in Cap. sæpius alleg. 16. V. Nota secundo aliique innixi præcepto in Matth. Cap. 7. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc facite illis*.

65 Absque eo quod relevent in contrarium rationes per ipsummet Patrem Reinffenstuel Doctoresque per se relatos adductæ nempe esse ad hoc institutas paternas Visitationes Regularium, ut Prælatis omnes & quicumque defectus manifestentur: quatenus eisdem remedium adhibere valeat, observantiamque regularem illæsam servare, & ubi reparatione indiget restaurare. Ulterius per correctionem Superioris emendationem in delinquentibus subditis facilius & securius obtineri, quam per correctionem & admonitionem fraternam cujuscumque privati minus vigilantis, & minus etiam delinquentes ipsos perterrefacientis. Jam siquidem responsum est superius loc. cit., institutam quidem

dem esse Visitationem paternalem ad abusus omnes tollendos ac disciplinam Regularem firmandam, & quatenus &c. restaurandam; defectus proinde quoscumque, & inobservantias manifestari debere Visitanti, sed salvo semper jure naturali & communi; salva nimirum fama proximi in quantum fieri possit & absque ipsius injuria; ita quod rationabile non detur ei motivum conquærendi de injusta læsione; sicut item, addam, absque destructione Evangelicæ charitatis & præcepti a Christo injuncti conciliatione. Dictum est pariter alibi, non esse rationem convincentem omittendi correctionem fraternam præviam, eo quia profutura magis censeatur Superioris admonitio & reprehensio: nam, licet omnia præviderit Christus Dominus, adhuc ad consulendum famæ proximi voluit præceptum imponere de præmittenda correctione privata juxta ordinem in Evangelio expositum; quatenus lex Evangelica mitissima appareret & suavis; & sibi soli imputaret proximos sive frater admonitus quoties ad privatam correctionem resipiscere nolens, neccessitaret corrigentem ad crimen ejus alias occultum revelandum. Ultraquamquod, non esse ita universaliter verum, repeto; quod magis proficeret correctio Prælati quam illam privati fratris; indignationes enim pluries parit & diffidentias; adeo ut proximus in fama læsus odio habeat a se suspectos delatores de Superiore item plerumque conqueratur imprudente & passionibus irretito, qui non observet in corrigendo modum, defectus amplificet, notataque eorum pro defectossi ignominia & depressione utatur: absque eo quod charitas Evangelica juxta ordinem præscriptum secum sit adimpleta juxta notata per Paulinum Berti loc. supra cit. Dianam *part.* 1. *tract.* 3. *resol.* 44. & 49. & experientiam.

66 Omittenda est item tum denuntiatio Evangelica delinquentis occulti, tum correctio ejusdem fraterna inter Regulares, quando majus malum inde certo est secuturum sive Communitati sive privatum, sive temporale sive spirituale. Communis est assertio apud Authores, quos legi, Bannez Cajetanum Lanafranc. de charit. fratern. *n.* 11. Sanchez de Matrim. *lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 4. Peyr. Lezan. Ant. a Spir. S. Direct. Reg. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 42. & 43. *sect. item* 6. *n.* 157. & 159. alioſque plurimos: & ratio est indeclinabilis; nam sicut majus bonum præferendum est minori in prosecutione respectivè, ita majus malum debet semper in concursu minoris respectivè evitari magis & alterutrum immineret certò. Majus autem malum foret in casu deterioratio certa subjecti corripiendi, itaut obstinatior & petulantior in crimine esset evasurus; aliquod gravissimum scandalum vel apud sæculares vel in ipsamet Religione secuturum damnum & persecutio gravis corripienti vel denuntianti, imminens tumultus cum schismate & destructione pacis in Conventu oriturus. Hæc itaque evitanda magis, quam malum spirituale proximi privatum & occultum, suadent in casu, datis opportunis exemplis Navarrus Sà Corduba Lessius Sanchez, post quos Palao *tom.* 1. *tr.* 7. *disp.* 3. *part.* 13. *n.* 7. Bassæus. *V. Denuntiatio, n.* 11. Peyr. de Subd. *Cap.* 16. *qu.* 1. *V. Quantum tamen*, & *V. Advertendum*. *V. Item. Ubi notandum; nec non* §. 3. *V. Dico septimo*. Consulto autem assertum est hoc de delinquente occulto; publicus siquidem sive manifestus denuntiandus foret absolute: cum non majus damnum sequi posset ex manifestatione criminis, quod jam publicæ notitiæ expositum supponatur: si vero grave immineret malum ex correctione sive provisione adhibenda deinde per Prælatum, ipse prospiceret; sed sumus extra casum correctionis fraternæ, præmittendæ a denuntiante. At in casu; quo delictum alias occultum esset perniciosum vel Communitati vel tertio innocenti, & ex publicatione ejus pejor immineret ruina, quid agendum? Respondeo; quod vel damnum illatum seu inferendum Communitati & tertio innocenti esset leve aut mediocre, & ex denuntiatione delinquentis occulti secuturum esset detrimentum sive malum multo gravius; ut, si quis furaturus librum quatenus impediretur, pro certo arrepturus esset Calicem, eoque rapto commissurus Apostasiam. Seu tentans per vias iniquas obsistere confirmationi Prioris in officio in casu, quo ejus indigna machinatio Visitanti detegeretur, esset certoprobabiliter Priorem occisurus: & tunc consulerem silentium usque ad opportunum tempus: atque interim Deo scrutanti renes & corda rem commendare; vel damnum suppositum foret valde grave, & ex altera parte non minus gravis detrimenti urgeret periculum certo probabile; ut si quis machinans contra Superioris vitam, in casu, quo revelaretur, paratus esset incendere Conventum; & tunc censerem denuntiandum esse Prælato utrumque minitatum malum; ad hoc, ut pro sui prudentia provideret, & interim

rim subditus conscius propriæ satisfaceret obligationi, ut in similibus docent. Berti. *tit.* 7. *cit. Cap.* 4. *concl.* 4. 5. & 6. Peyrin. *Cap.* 16. *in alleg. ra.* *V. Ubi notandum* Anacletus Reinffestuel in hoc sequendus tit. de accusat. *Denunt. &c.* §. 2. *n.* 92.

Porro hujusmodi casus quoad delicta sic perniciosa si in Evangelica denuntiatione sistamus rarissime evenire possunt & fere sunt metaphysici aut possibiles vix, in suppositione, quod sciens eadem perniciosa delicta licet occulta nullatenus quiret vel semiplene probare, saltem indicia eorum præbere: cum alioquin judicialiter teneretur denuntiare ex D. Thoma 2.2. *qu.* 68. *art.* 1. & doctrina aliorum quam non pertinet ad præsens examinare. Sufficit pro nunc, si extra limites denuntiationis Evangelicæ non declinemus, in ejusmodi casibus maximam requiri in Prælato prudentiam, discretionem pariter in subdito præfata delicta noscente; hinc utrumque, antequam deliberaret, vel denuntiare, vel super iis providere, viros doctos, peritosque debere utique consulere; ut bonum semper majus intenderetur & malum evitaretur pejus; salva inquantum possibile foret, proximi fama, nec revelato delinquentis nomine; ac etiam sub conditione servandi secretum, quoties, aliter præviderentur enormia scandala. & adhuc remedium malis interim adhiberi non nequiret: sic insinuantibus Doctoribus ex D. Th. *quodl.* 12. *qu.* 13. Navarro, Graff. Reginald. apud Peyrin. de Subd. *Cap. d.* 16. *V. Nota secundo* Reinffest. loc. cit. §. 6. *n.* 301. & 302. Hæc dicta sunt quantum ad obligationem & modum denuntiandi in subditis visitatis. Si vero de Superioribus subalternis sive localibus instituatur sermo: sicut isti, non obstante quocumque periculo damni temporalis etiam vitæ, tenentur subditos delinquentes corrigere, Bannez, Soto, Valentia, & alii, quos sequitur Diana *part.* 7. *tract.* 3. *resol.* 28. præsertim quoad mortalia peccata, vel ea quæ inobservantias publicas pariant. Berti *tit.* 12. *Cap. un. concl.* 1. & 7. Ant. a Spir. S. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 29. 30. Ita tenentur, non obstante quocumque periculo, delicta hujusmodi Superiori majori Visitanti denuntiare, in suppositione quod correctio ab iis adhibita non profecerit; occulta quidem ut occulta, publica ut publica. Innoc. in Cap. Novit. de Jud. n. 2. Rodriguez quæst. Reg. *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 2. Spathar. *tr.* 5. *cap.* 7. *n.* 1. 2. & 3. eo quia munus sit eorum proprium invigilandi & rationem reddituri sint de animabus subditorum. Dictum est autem in suppositione quod correctio ab ipsis præstita nihil profecerit; nam si emendatio sit secuta vel spes firma supersit ejusdem; cessat utique denuntiationis ulterioris finis, jam consecutus; nec est unde amplius augatur delinquens; ut docent. Vega *part.* 1. *cap.* 82. *cas.* 1. Navar. in Sum. *Cap.* 25. *n.* 46. & *seq.* Raggius *dubit.* 58. *concl.* 2. *n.* 3. Peliz. *tract.* 9. *cap.* 4. *n.* 18. Nisi tamen alicui parti satisfaciendum foret aut bono publico providendum; & satisfactio vel provisio a sola Superioris majoris potestate penderet. Innocent. *in cap. Novit.* ubi supra. Rodriguez, & Spath. loc. item cit. Raggius ubi supra. *V. Pro fine.* Additum est etiam: *occulta quidem, ut occulta*; ubi pro occultis non accipiuntur sub naturali secreto scita; quia tunc, nisi essent enormiter nociva alteri teneretur sciens secretum, servare: sed occulta signanter *quæ talia dicuntur in jure*: juxta explicationem superius datam n. 49. & 64. Atque hæc ut talia, videlicet ut occulta revelanda essent Superiori majori visitanti in permissis casibus: sicuti publica ut publica. Variari namque fas esset judicium ipsiusmet in cogitando de correctione opportuna & applicatione remedii publicis; & delictis adhuc occultatis. Peyrin. de Prælat. qu. 7. *Cap.* 7. *n.* 15. 19. & 20. cum communi.

68 Assero item, quod sicut non omittenda est correctio fraterna ex hac solum ratione, quia prævidetur non profutura; ita non abstinendum a denuntiatione propter hanc rationem unicam, quod Prælatus negligens non sit remedium malis allaturus. Evidenter probatur propositum ex principio, quod non debeat quis in propria obligatione deficere, ex quo sit defecturus alter: non enim defectus valet quis excusare proprios propter peccata, quæ possit committere quis alius præceptis non obediendo. Cum igitur, post ordinem servandum in correctione adsit præceptum Evangelicum æqualiter urgens denuntiandi delinquentem Superiori, explicatum a Doctoribus per illud *dic Ecclesiæ* quoties nil proficiat replicata correctio, nullus poterit excusari ab ejusdem executione ea ratione, quia Prælatus cui facienda est denuntiatio, non sit munus suum adimpleturus, quod confirmant cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 8. *ad* 4. Sylvestro Graff. Sayro Pater Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 5. Spathar. *tr.* 5. *cap.* 1. *n.*

1. *n.* 9. *&c.* Regula vero quæ videtur militare in oppositum, quod nemo obligetur ad actum inutilem, non valet in casu: actus enim de quo loquimur utilis esset ex natura sua, ordinatus scilicet, ad proximi emendationem, quamvis inutilis evaderet per accidens propter Prælati vecordiam &c. Ultraquamquod experientia edocet, rationem præfatam de inutilitate correctionis atque denunciationis respective, esse ut in plurimum emendicatam & apprehensam voluntarie ad hoc, ut quis palliatum inde eruat motivum neque fraterne corripiendi, neque paterne denuntiandi, cum alias in delinquentes merito semper aliquid operetur correctio, nec denuntiatio vana prorsus evadat apud Prælatum qui servat eam in corde fortasse, ut remedium opportuniore modo & tempore defectibus denuntiatis possit afferre. Pro quo etiam advertendum, præceptum denuntiationis Evangelicæ urgere quidem absolute, si de Prælati vecordia timeatur dumtaxat & dubitetur, ut videre est apud Lezanam V. Judex *n.* 7. & Pellizar. *tr.* 8. *cap.* 4. *n.* 26. Cœterum quoties propter ignorantiam affectatam aliquis magis rudis vel apprehensivus nimis a corrigendo & denuntiando, propter motivum allatum retrahatur, dummodo delicta occulta fiant, & nulli, præterquam delinquenti nociva, improbabilem minime reputarem opinionem Cajetani in 2. 2. *qu.* 33. *art.* 2. quod is tantum venialiter peccaret. Ita & si quis de occulto delicto solo committenti pernicioso post correctionem inutiliter peractam, nullam emendationem speret denuntiando, & ulterius ob negativam certo probabilem delinquentis se exponeret notæ falsi delatoris ad probandum delictum impotens maxime quoties de Visitatoris fidelitate dubitaret, posse ipsummet in casu a denuntiatione desistere concederem, quia non tantum inutilis actus sed sibi probabiliter posset evenire damnosus, cum Basseo V. *Denuntiatio n.* 6. Anton. a Spir. Sancto Direct. Regul. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 146. *&c.* cum aliqua tamen limitatione inferius adducendam.

69 Tenetur Regularis Subditus revelare visitanti Prælato, etiam absque correctione fraterna delicta licet occulta fratrum sive Religiosorum, non tantum quæ in perniciem communitatis vel tertii innocentis directe vergunt, sed etiam quæ possunt damnum peculiare Communitati afferre indirecte, præcipue delicta carnis si adsit periculum certo probabile, quod publicentur. Quantum ad delicta perniciosa directe Communitati vel tertio innocenti remanet probata conclusio ex præhabitis in hac ipsa sectione *n.* 63. Et quantum ad delicta personæ conspicuæ quæ si publicarentur Ecclesiasticæ Dignitati cum sæculi gravi scandalo detrimentum notabile afferre possent: ex dictis alibi dubit. 8. sect. 2. sub n. 6. §. v. in quo sane numero omnia & quæcumque per §§. plures digesta deberent relegi & huc applicanda reduci cum proportione. Nihilominus assertum hic nostrum quoad ultimam partem fortius probatur pro Regularibus. Delicta quippe Religiosi privati si gravia sint, sive furti sive fraudis in contractibus in materia luxuriæ signanter, experimento novimus quantum infamiæ Religioni toti inurant si propalentur, itaut propter reatum unius scandalosum Religiosi cœteri tanquam male viventes & sæculum decipientes indigitentur odibilesque fiant; proinde esto indirecte tantum Religioni, & directe delinquenti nocere dicantur quatenus occulta remaneant, evadunt tamen Religioni utcumque perniciosissima quotiescumque publice populis innotescant non sine deplorabili læsione communis decoris. Hinc igitur exurgit obligatio delinquentem manifestandi etiamsi adhuc occultum in casu omissa etiam correctione: ad hoc, ut Prælatus qui zelo æque ac prudentia præditum se ostendere tenetur in hujusmodi signanter eventibus, damnum præcaveat quod esset ex certo imminenti propalatione secutum remediumque afferat opportunum: ex aggeratis per Paulinum Berti *tit.* *; cap.* 4. *concl.* 8. Peyrin. cit. de subd. *cap.* 16. §. 1. *&* 2. Palao. *tom.* 1. *tract.* 7. *disput.* 3. *punct.* 13. *n.* 3. De Ameno pract. crim. *tit.* 9. §. 2. *n.* 14. *&c.* Cum advertentia nihilominus repetita, quod si damnum possit secure reparari, atque impediri per solam correctionem præviam, debeat eadem adhiberi, cum suavius sit medium ad finem intentum, ut jam probavimus & confirmant Castro Palao cit. n. 10. Antonius a Spiritu Sancto cum pluribus a se adductis dicta *sect.* 6. *n.* 13., *&* 14. Quamvis in dubio an possit sufficere correctio, denuntiatio omnino adhiberi debeat, utpote agatur de damno gravi secuturo, prout specificat cum Vega *part.* 1. *cap.* 71. *cas.* 35. Peyrin. de Subd. §. *cit.* 2. ℣. *dico secundò*. Idem assero quoties delictum sit per se publicum licet occultum per accidens, utpote in loco publico commissum ex alibi

bi præhabitis licet per accidens a paucis visum, ut si quis Religiosus in publica via fœminam deosculaaretur absque verecundia vel domum publicæ Meretricis impudens intraret licet a duobus, vel tribus dumtaxat observatus, nam juri habito super propriam famam rationabiliter in casu deducitur renuntiare cum detrimento, ut diximus, Religionis Matris, quam non vereretur ex sua parte prostituere; ideoque immediate procul dubio absque correctione, quatenus certissimè ipsa sola non sufficeret neque necessario præmittenda ad Superiorem posset deferri delictum: ad tradita per Vegam *Cap.* 1. *part.* 71. *cap.* 37. Pisanell. V. Accusare §. Notorium, cum aliis.

70 His tamen addendam opportune censeo cautelam, quam ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 3. *art.* 7. ad quintum suggerunt Doctores, quod nempe Religiosus subditus non debeat esse scrutator curiosus defectuum qui intra Conventus respective & a fratribus suis occulte patrari possunt; utpote contra Charitatem & justitiam quoque procederet hujusmodi curiosa investigatio, unde in suppositione quod scrutando quis præcipue passione ductus adversus aliquem æmulatum, ipsummet in crimine nulli pernicioso deprehenderet, vel absconditus furtive errantem inspiceret; assero, *pro eo tunc*, neque denuntiare neque corrigere debere, dummodo nocivum nulli delictum foret. Ratio est quia delinquens in tali casu jus haberet super propriam famam, perinde ac si a nullo penitus videretur, & per scrutantem malitiose data opera delicti notitia haberetur tamquam usurpata exortis inde rixis & odiis in perniciem communis pacis, quoties per correctionem aut per denuntiationem errantis culpa non tantum, quam inquisitoris malignitas detegeretur. Dian. 3. *part.* *tr.* 2. *resol.* 42. Bassæus V. *Correctio n.* 2. qui referunt plurimos &c. Limitatur autem doctrina ad delicta ut notavi quæ alteri non fiunt nociva, quatenus siquidem perniciem alienam importent sive communem sive peculiarem gravem, quamvis studiose inquisita revelari deberent Prælato, ni per admonitionem præviam certissime damnum vel impediri vel reparari posset, jus namque vel Communitatis vel tertii injuste præjudicium patientis prævaleret cuique alteri juri quod haberet inique operans ad famam propriam, quamvis in iniquitate studiose deprehensus aut detectus. Ita post D. Thom. & Richard. Lanfrancus de correct. fratern. *Cap.* 11. *n.* 6. Excipe, si damnum allatum alteri non esset magni momenti & alias fama optimi viri detrimentum pateretur, veluti si viderem occulte Patrem gravem furantem ab Altari candelas, ex revelatione cujus fortè magnam nominis jacturam præsertim instigantibus æmulis esset ille incursurus. Sic sapienter Berti de denuntiatione *cap.* 18. *conclus.* 6. allegans Gabrielem *super Can. n.* 54. *lib.* 8. &c. Advertenda similiter particula superius addita, *pro eo tunc*. Nam si aliquis in crimine studiose detectus pro una vice inde replicaret delictum, itaut sine adhibito studio fieret notus illi eidem malitioso primum scrutatori, tunc ordine servato charitatis posset secundum doctrinas usque nunc traditas aut deberet denuntiari, cessaret siquidem ratio adducta denuntiationis & correctionis omittendæ, occultatio videlicet omnimoda delicti perinde ac si nulli notum foret: Excepto nihilominus casu, in quo delinquens ex. gr. Cajus sciret suum delictum innotescere uni tantum Titio, hic namque in eo supposito denuntiare Cajum minime teneretur quoties periculo se exponeret maximæ inimicitiæ cum illo, nisi tamen delictum contra bonum commune vergeret aut in innocentis grave damnum, ut sæpius fuit repetitum, quia tunc irrationabili inimicitiæ imminenti ex crimine denuntiato Caii præferendum foret commune bonum vel innocentis impediendum detrimentum grave. Sayrus, Portellus citati a Lezana V. *Accusare n.* 14. Cui doctrinæ adde communissimam, quod non sit denuntiandus sed neque corrigendus ab alio subdito Religiosus ille qui occulte aliquod delictum sibi soli nocivum patrasse dignoscitur propter vehementem tentationem aut occasionem specialissimam peccandi, in quod una vice inciderit. Lezana, Pelizar. *tr.* 9. *cap.* 4. *n.* 16. Licet si crimen innotescat Superiori possit hic suaviter corrigere cum cautelis assignatis per Ant. a Spirit. Sancto *disp.* 3. *sect.* 2. *a n.* 62. juxta dictamen primæ legis in his casibus, quæ est æquitas.

71 Cœterum, si publicitas accedat tenentur absolute subditi Regulares manifestare Superiori visitanti non solum delicta gravis ponderis, esto nequaquam præceptum Sanctæ obedientiæ præmittatur ex probatis superius in hac dubitat. sect. 3. n. 35. sed etiam transgressiones leves quæ vel graves evadere queant vel notabiliter Communitatem perturbent. Quæ tota simul conclusio probatur. Visitatio siqui-

siquidem ex Conciliis & Ordinum omnium statutis instituta est pro malis extirpandis in Religione qualibet quatenus orta jam sint, sed & ultra pro malis præcavendis quatenus præsertim oritura proxime pertimescantur, redderet autem institutionem hujusmodi inanem qui vel graves inobservantias publice gliscentes reticeret vel illas non patefaceret, licet leves quæ in graves deinde declinare periclitarentur; gravi namque Religionis damno nequaquam obsisteret in casu aut gravis detrimenti periculum negligeret, cui ex sui delatione posset & deberet remedium porrigi. Et ita tenentur non tantum subditi visitanti denuntiare ex. gr. scandalosas amicitias cum fœminis suspectis & in earum domos frequentiores ingressus, sed etiam Religiosorum colloquia publica & familiaria nimis cum mulieribus alias honestis, immo Deo inservientibus, quales sunt Bisochæ: ex quibus excitetur apud sæculum murmuratio, prout non levia inde compertum est orta de facto pluries fuisse scandala. Quamvis pariter silentii inobservantia modica reputetur plerumque transgressio; quia tamen perturbationem non mediocrem causare soleat conviventibus, ita ut nec studiis applicare nec quietem necessariam capiti defatigato concedere horis præfixis queat, tenebitur proculdubio quisquis de eadem Prælatum visitantem advertere. Navar. in cap. *Inter verba* 11. *qu.* 3. *Concl.* 59. Berti in prax. *tit.* 12. *Concl.*1. Anton. a Spiritu Sancto Direct. Regul. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 30. *&c.*

72 Delicta autem hujusmodi publica videlicet saltem famosa tenetur Religiosus subditus denuntiare quamvis autumare velit ab aliis fore denuntianda, non obstante doctrina in universali tradita de Ecclesiasticis & Laicis ab Episcopo visitatis *dub.* 8. *sect.* 2. *sub n.* 6. §. 1. Ratio est quia in Communitate Religiosa posset redigi numerus scientium aliena delicta apud ipsos non amplius occulta ad quinque vel sex, unusquisque quorum quiret probabiliter conjicere ab altero delicta eadem revelanda, & sic denuntiaret effective nullus frustrato inde Visitationis scopo. Ulterius in Conventu Religiosorum tot non inveniuntur qui ex officio inquirant delicta fratrum ad hoc ut remedium vel ipsimet afferant vel Prælato majori ex officio denuntient: sicuti in visitatis Parochiis contingit, ubi præter Parochos ex officio invigilantes deputantur Vicarii Foranei scrutatores secreti seu testes synodales cum munere signanter imposito delicta præcipue publica Episcopo aut alteri Prælato deferendi. Hinc in Communitate Religiosa omnes specialiter vocati non est dubium quin delicta non amplius occulta deferre teneantur visitanti, ne alias unoquoque tacente ob probabilitatem quod revelaret alter crimina ipsamet remanerent Regulari Prælato ignota prorsus & absque remedio neglecta. Neque fidendum quod denuntiaret ea Prælato majori quatenus non emendata unicus Superior localis ex officio ad vigilandum super subditos constitutus: nam multoties quæ a pluribus Religiosæ familiæ noscuntur Superiori esse abscondita experientia docet ac etiam quis noverit; an is amicitia peculiari delinquenti junctus studeret potius ipsummet in suis defectibus cooperire aut propriam tegere negligentiam ob remedium persæpe ut debuerat non allatum. Accedit quod crimina non amplius occulta potest libere quicumque absque correctione præmissa denuntiare ex alibi adductis: juxta communem doctrinam. Igitur quoties addatur Visitatoris præceptum quamvis illud addere fortasse non semper expediat ut supra *n.* 35. fuit ostensum, ad denuntiandum tunc unusquisque tanto magis tenebitur; quod enim licite fieri potest præcepto superaddito Superioris legitime jubentis est indubium quod fieri tunc debeat: ut cum communi docent Layman *lib.*3.*tract.*3. *part.*2.*Cap.* 4.*n.* 8. Reinffestuel de Accusat. &c. §. 6. *n.* 297. Repeto nihilominus nec inutiliter puto quod, quamvis præceptum S. Obedientiæ formale per Visitatorem nequaquam præmitteretur, adhuc præceptum naturale intus in conscientia vigeret unuscujusque subditi de tuendo Religionis Matris decore & Regularis Observantiæ integritate servanda quæ propter delicta non amplius occulta notabiliter læditur: unde ordinarium denuntiationis remedium tenetur is non negligere præsertim quoties ad hunc finem a legitimo Superiore vocatur & interrogatur. Eo vel maxime quod ex depositione plurium in mente Visitantis confirmatur commissi atque corrigendi criminis certitudo. Nullo obstante in contrarium jure ad propriam famam quod delinquens præsertim in casu publicus supponitur deperdere; juxta doctrinam alibi quoque allegatam D. Th. 2.2. *qu.* 37.*art.* 7. *ad quartum* Navarri, Cordubæ locis citatis. Soto de teg. secr. *qu.* 4. *conclus.*3. Rodriguez. *tom.* 2. *qu. Reg. qu.* 6. *art.* 4. Peyrin. de Prælat. *qu.* 1. §. 2. *&c.*

73 Remanet inquirendum de socio criminis, gene-

generaliter quoad Regulares omnes; an videlicet possit aut debeat alterum socium Prælato denunciare præcipue si Prælatus ipse scifcitaretur & juberet quod sibi delicta in casu & operationes socii principalis delinquentis revelaret. Præmittendum itaque quantum ad articulum istum, quod peccatum de quo Prælatus supponitur inquirere & scifcitari vel est publicum saltem famosum notum pluribus scilicet in Communitate extra rationem occulti; vel est adhuc occultum, soli socio videlicet aut ultra illum uni & alteri vix notum; ita ut limites occulti in jure non egrediatur. Ulterius vel hujusmodi socius fuit invitus sive deceptus a principali criminoso; vel est aut fuit consentiens sive particeps in delicto aut cum tertia persona aut absolute patrato, vel in crimine reciproco distinctam non respiciente personam, aut alterius damnum. Sic quantum ad peccata publica non est dubium, quod socius criminis deberet veritatem aperire, licet esset consentiens & in crimine particeps, tanto magis in inquisitione generali & extra judiciali ad quam sermo limitatur. Ratio est quia propriam famam eo casu non proderet; cum jam de publico delicto infamatus simul cum socio supponeretur; locus ideo tantummodo superesset petendi veniam & minus confusibilem pœnitentiam pro pœna alioquin sibi & socio principali debita: quamvis extra casum simplicis correctionis aut pœnitentiæ salutaris subeundæ nequaquam obligaretur ad socium directe & se indirecte denuntiandum etiam in supposita paternali; quia nemo tenetur sibi ipsi inferre damnum eo magis grave. Lezana *tom.* 3. *V. accusare n.* 11. *&c.* Quoad occulta autem delicta si ipse invitus & deceptus fuerit, veluti si ductus specie pietatis vel alio titulo in domum mulieris a principali socio, venisset inde in cognitionem domum mulieremque fore suspectam vel peccatum fuisse ibi perpetratum: eo quidem casu proprie socius criminis non esset dicendus; & eodem fere pacto quo cœteri alii scientes occultum delictum fratris se gerere tenentur; præmittendo scilicet correctionem fraternam & alia peragendo juxta qualitatem criminis & criminosi: quæ usque modo dicta sunt de occultis denuntiandis; vel non; nec enim rationes ullæ occurrunt quare aliter operari valeret: nullum immo posset urgere tunc præceptum a Superiore illegitime interrogante additum ad hoc ut peccatum occultum fratris contra præceptum evangelicum & charitatis ordinem deberet detegere. Videatur Peyrin. *qu.* 1. *de subd. Cap. repetito* 16. ℣. *Noto tertio*. ubi citat D. Thom. & §. *ibi* 3. ℣. *Dico nono*, *&* *dico decimo*. Quoties autem vero Socius criminis videlicet consentiens & particeps in crimine foret sed quidem occulto, esto delictum vergeret in damnum tertii vel Communitatis, tamen esset jam patratum damnumque jam caufatum non amplius reparabile, minime teneretur Socium complicem Evangelice denuntiare quamvis interrogatus, & quia indebite interrogaretur de occulto in paternali ut supponitur, & quia confusionem & punitionem propriam non obligatur quærere detegendo prout sequeretur in casu, si in delicto adhuc occulto Socium principalem & complicem denuntiaret. Lezana ubi supra cum Sanctarello Suarez Diana &c. *V. Accusare* 2 Varuntamen si damnum esset reparabile & delictum conventum de futuro non adhuc patratum, tunc denuntiare teneretur quamvis leve vel in fama vel in persona periclitaretur ipse pati detrimentum propter bonum commune particulari præferendum & damnum grave alienum, cujus foret concausa etiam non sine aliquali proprio impediendum: Lezana cit. *n.* 11. Anton. a Spir. Sancto *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 143. Cum advertentia hic opportune iterata quod si per correctionem fraternam loquendo de Visitatione paterna generali, admonitionem præviam vel aliam viam posset omne malum evitari, absque eo quod ad denuntiationem deveniretur illam deberet præ aliis Socius criminis erga principalem delinquentem adhibere. Ita cum Avila Suarez, de Lugo, Conink, Villalobos, Lorca, Antonius a Spir. Sancto in Direct. Regul. disp. *dicta* 3. *sect.* 6. *n.* 134. *&* 135.

74 At vero quæcumque alia occulta delicta quibus Socius ipse criminis secreto consentiat in damnum aliorum neutiquam vergentia obligatur absolute reticere in paternali Visitatione non tantum ne semet indirecte prodat, sed etiam ne jus quod habet principalis complex in propria fama injuste lædat. Consentiens namque socius delicti unice conscius crimen principalis complicis tamquam apud se depositum sub naturali secreto acceptavit de facto saltem implicite, esto expresse non spoponderit se nulli revelaturum. Cum rationabiliter quis interpretrari debeat principalem complicem nullatenus fore ut erraffet quoties habuisset compertum quod Socius cui libere consentienti in occulto fidit vellet postea ipsum prodere; propterea-

que

que in hoc supposito, neque Superiorem ex levibus suspicionibus posse ullatenus Socium ipsum interrogare, tanto minus praecipere criminis suspicati revelationem tenent. Cum D. Th. *quodlib.* 1. *art.* 5. Cajetanus, Navarr.. caeterique cumulati a Peyrino *Cap. XV.* ℣. *Dico secunda* supracit. & *Cap.* 16. ℣. *Noto quarto*: Quod si afferatur Decretum Clementis VIII. de reform. Regul. n. 21. his expressum verbis. *Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus*, QUI A SOCIO ITINERIS RATIONEM ET QUID REI ACTUM SIT DILIGENTER REQUIRAT. Responsio erit in promptu, quod simus extra casum Visitationis generalis a Superiore Provinciali vel alio majori peragendae. Nihilominus etiam ad omnes casus extendendo quaesitum; dicimus aliud esse sciscitari generice: an Religiosus aliquid indignum perpetraverit extra claustrum occasione illius itineris ob oculos socii & aliorum palam; aliud interrogare super aliquod peculiare delictum omnino occultum, in cujus perpetratione principalis delinquens se observavit, aut in eo socius ipse confidenter complicitatem admittendo consensit. Decretum autem Clementis dirigere & instruere Superiores locales circa primum punctum; non tamen intendere dispensationem adderemus super jus naturae quod habet quis in propria fama ne in crimine omninò occulto detegatur, quod contingeret, si per Decretum idem observantia puncti secundi praeciperetur cum destructione ex alia parte praecepti Evangelici de servando ordine charitatis quantum ad praeviam correctionem fraternam: ex maxima satis nota quod in condendis decretis Summus Pontifex praesumitur semper regulare suum arbitrium juxta leges; tanto magis naturalem & divinam; immò se conformare velle dispositioni juris servatis alias servandis. Card. de Luc. de Emphyteus. *disc.* 21. *n.* 7. Rot. cor. Seraph. *dec.* 773. *n.* 17. *&* *dec.* 965. *n.* 15. Corr. *prax. lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 31. *&c.* Hinc manifeste deducitur quam sceleste operentur illi qui complices & Socii voluntarii in crimine vel propter consensum vel propter promissum datum de servando secreto aut ob assistentiam confidenter praestatam; postea occasione discordiae ortae cum delinquente seu ob gratiam sibi conciliandam apud Praepotentes delinquenti adversos, hujus secretissimas transgressiones petulanter publicant, vel cum juris naturalis & Evangelici conculcatione Praelato denuntiant non sine ingenti jactura virorum alias integri nominis, qui erroribus sicut caeteri hominum subjecti propter casualem culpam in quam undequaque se observantes occulte inciderint fragilitate impellente totum id quod congregaverant meriti laboribus & exercitiis, propter effrontis procacitatem proditoris deperdere periclitantur. Perfidi itaque delatores hujusmodi ultra gravissimum peccatum contra famam proximi ob hoc legitime & justissime possessam, rei adhuc constituerentur damni illimet injuste illati, rixarum item & discordiarum quae plerumque ex irrationabilibus hisce infamationibus ortae communitatem scandalose perturbant. Et advertant communiter gubernantes Praelati qualiter similes in crimine socii ad solvendum se & propriam diminuendam complicitatem ordinarie denuntiatum aggravent, vel circumstantiam notabiliter odiosam adinvenientes, deponendo ex: gr. se violentiam passos esto libenter consenserint; immo nullatenus ad peccatum provocaverint aut mendaciter allegando propriam deceptionem & affectatam simplicitatem, sive complementum delicti revera tantummodo attentati, quae sane exceptiones sive defectuosae conditiones a jure praesumuntur in animoso socio propriae & alienae famae proditore: quatenus occultum immo secretum crimen deferat nulli alteri signanter nocivum teste P. Ludovico de Ameno pract. *tit. xv. n.* 108.

75 Non omittam ultimo alias compendiose assignare regulas pro hujusmodi correctionibus & Evangelicis denuntiationibus juxta obligationem conscientiae explendis vel praetermitendis. Et primo: cessare dicendum est obligationem denuntiandi quoties delictum juxta statuta attendenda cujuslibet Ordinis jam sit praescriptum: cum namque poenis vel inquisitioni non amplius subjaceat in casu ad quid extinctam odiosiatem refricare. Peyrin. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 16. §. 4. = Secundo: Delictum correctioni & denuntiationi obnoxium debere esse certum, scilicet vel certo commissum vel certo patrandum, ne lites promoveantur & jurgia: Quamvis Praelatus ex officio possit ac debeat peccatum grave dubie eventurum praecavere, omnes etiam teneantur respective & proportionaliter, quoties hujusmodi dubium delictum tertio praecipue Communitati sit graviter perniciosum: sic Doctores. = Tertio non tantum corrigendos esse subditos ab alio subdito, sed Praelatos

tos quoque quatenus criminibus sint addicti juxta ordinem pro aliis assignatum; cum præceptum evangelicum pro omnibus obliget: servato tamen speciali modo & necessariis adhibitis cautelis: ex communi = Item quarto posse quem a correctione desistere, si certo sciat non solum autumet, per alium qui possit æqualiter aut magis proficere delinquentem fuisse correctum vel procul dubio corrigendum: sed posse immo teneri denuntiare quando sibi constet correctionem magis vel æque opportunam ab aliis adhibitam, nihil profuisse: nam hisce in casibus ordo charitatis injunctæ sufficienter adimpleretur = Quinto Ea delicta quæ denuntiata sunt uni, puta Provinciali non esse iterum denuntianda alteri, puta Visitatori per Superiorem generalem amandato: nisi constet Provincialem fuisse negligentem in providendo criminibus adhuc vigentibus & imminenti scandalo; Quod si denuntians malitiose ea Provinciali prius visitanti tacuerit, non esse a Visitatore subsequente regulariter audiendum: immo juxta statuta Religionum fore quandoque puniendum = Sesto pariter non esse necessarium ad denuntiationem paternam quod delicta possint probari, sed sufficere certitudinem seu certam notitiam de eorum patratione: servatis alias servandis: nisi interveniret moralis certitudo ex alia parte, fore ut incideret denuntians in notam falsi & exinde propriæ famæ jacturam idem incurreret, seu opinionem de se malam pareret in mente Prælati, nisi denuntiatum delictum sufficienter probare posset ex notatis superius *n. 68. in fin.* Hæc omnia pluries discussa invenientur apud Authores & sufficienter resoluta apud P. Ant. a Spiritu Sancto signanter in Direct. Regul. disput. 3. sect. 2. & seq. a n. 33. ad 86. Quoniam vero de Regularibus in genere diximus usque modo. Et de Minoribus circa præfata attentis peculiaribus statutis speciales moventur difficultates, ut initio sectionis hujusmet fuit prænotatum ideo sectiunculam pro Minoribus ipsis Regularis & strictioris Observantiæ subdere opportunum censui, prout sequitur.

SECTIO QUINTA.

Quænam possint & debeant denuntiari Visitanti Prælato in Religione Minorum.

S V M M A R I V M.

76 *Refertur opinio, quod Minoritæ teneantur ad manifestanda crimina occulta in visitatione generali & paterna omissa fraterna correctione.*

77 *Tenentur Religiosi in Ordine Minorum reticere delicta occulta fratrum in visitatione generali, non minus ac reliquorum Ordinum Professores.*

78 *Rejicitur interpretatio, quam dat Pater de Ameno textui practicæ criminalis præcipientis reticentiam occultorum in casu.*

79 *Correctio fraterna præmittenda est ad denuntiationem Evangelicam in Religione Minorum, non minus ac in Religionibus cæteris.*

80 *Respondetur ad aliud assertum Patris de Ameno.*

81 *Adducitur alter textus practicæ criminalis in Religione Minorum pro necessitate correctionis fraternæ præmittendæ ad denuntiationem Evangelicam.*

82 *Quomodo accipiatur delictum publicum prout opponitur privato in casu?*

83 *Delicta perniciosa tertio & non Reipublicæ toti neque correctionem præviam exigunt regulariter; sed neque denuntiationem Evangelicam nisi per accidens.*

84 *In delictis privatis quatenus occulta sint correctio fraterna debet præcedere denuntiationem Evangelicam & regulariter denunciationem judicialem, quod explicatur.*

85 *Socius criminis in Religione Minorum tenetur procedere quantum ad denuntiationem & correctionem non diversimode ac dictum fuit de cæteris Religionibus.*

86 *Afferuntur statuta in Ordine Minorum per quæ videntur fratres obligari ad detegenda occulta.*

87 *Respondetur ad primum statutum, quod specificet delicta excepta & notabilia, quæ non requirunt correctionem præviam.*

88 *Respondetur ad secundum statutum &c. Et examinatur doctrina Patris Sanctori.*

89 *Requisitus pro consilio dando in his casibus quando non tenetur secretum servare.*

90 *Explicatur tertium statutum pro contraria sententia adductum, & confirmatur obligatio servandi silentii in socio criminis.*

91 *Expli-*

91 *Explicatur item textus praxis criminalis in contrarium adductus, & examinantur dicta Patris Sanctori.*

92 *Debet subditus in Religione Minorum patefacere delicta excepta Superiori etiam occulta non expectata jussione Superioris.*

76 EX hactenus exaratis plures aliæ possunt deduci regulæ quæ item sufficienter probatæ tradebautur in tom. 1. dubit. 8. sect. 2. sub n. 6. per §§. plures, occasione Visitatiunis per Episcopum in sua respective Diœcesi peragendæ; ideoque ulteriori nullatenus indigent probatione. Nempe abstinendum esse a correctione & denuntiatione Evangelica quotiescumque majus inde possit exoriri malum. Neutrum etiam esse exercendum in casu, quo proximas rationabiliter posset seu alterutrum conqueri offensas. Similiter nequaquam adhibendam esse denuntiationem quoties æque bene possit haberi intentum per correctionem sive admonitionem, prout alibi forte demonstrabitur; apud Religiosos vinculo charitatis invicem colligatos omittendam quoque fore denuntiationem judicialem quotiescumque intentum æque bene per Evangelicam valeat consequi. His non obstantibus Authores non desunt qui pro Religione Minorum doctrinas dictare videntur oppositas: signanter P. Ludovicus de Ameno & post ipsum P. Anacletus Reinffenstuel sæpe citatus locis ubi supra, & mox repetendis ratione moti præcipue secundus, quod pari passu currit Religio Seraphica cum Societate Jesu quantum ad denuntiationes deferendas propter æqualia statuta utrobique obligantia. Pro quo supponendum Religiosos Societatis renunciare de facto juri quod habebant, ut secundum ordinem Evangelicæ charitatis in erroribus corrigantur licet secretis, prius quam deferantur Prælato, ut patet in summar. Const. *Societ. ejusdem n.* 9., & prolixius ostendit P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 1. *a n.* 2. Quæ quidem renuntiatio limitata ad hoc, quod delictum suppositum Religiosi deferatur Prælato tamquam Patri non vero ut Judici: ex doctrina Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 18. *n.* 48. pluribus legitimatur rationibus pro eodem instituto specialiter militantibus, adductis per Doctorem Suarez loc. cit., & in tract. de Fide *disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 12. *&* 17. nec non recentius per P. Julium Nigronum *reg.* 20. Prout etiam approbata legitur in Judicio contradictorio per Summum Pontificem, teste Lanfranco in opusc. de correct. fratern. *cap.* 12. *n.* 20: Unde temeritas foret eamdem ut illicitam atque injustam in auctore privato reprobare, subscribentibus DD. clari nominis Peyrino, Lazana, Antonio a Spir. Sancto, & aliis, qui commune bonum in eadem Religione juxta ejus proprium sistema inde resultans perpendunt. Hinc igitur, quia dantur in Religione Minoritica statuta, quæ allatæ Regulæ in Societate ad praxim deductæ videntur esse uniformia, nituntur præfati Authores Ludovicus de Ameno & Anacletus Reiuffenstuel secundus signanter, Minoritas ipsos quantum ad manifestationem occultorum & omissionem correctionis fraternæ a reliquis Ordinibus Regularibus sejungere & iisdem in societate Professis associare; quod item P. Suarez citatus dicitur asseruisse, nec non P. Alphonsus Rodriguez *in tertia parte* exercitii perfectionis. *tract.* 8. *cap.* 6. Propterea in hac sectione distincta sensum verum circa obligationem ipsorummet Minoritarum tum occulta revelandi vel reticendi, tum etiam correctionem fraternam adhibendi vel omittendi ante denuntiationem Evangelicam declarare duxi opportunum immo necessarium per distincta dicta, quorum sit primum.

77 Regulares Franciscani tenentur in Visitatione paterna reticere occulta eo fere pacto quo omnes aliorum Ordinum Religiosi. Est contra Patrem Ludovicum de Ameno *tit.* 11. §. 1. *n.* 5. nec non Anacletum Reinffestuel de Accusat. &c. §. 6. *n.* 295. *&* 296. juxta doctrinam tamen Portellæ dub. Regul. V. *Correctio fraterna in addit. n.* 2. *& seqq.* Patrisque Sanctori super Constit. *Cap.* 10. *stat. n.* 3. *&* 4. communemque praxim in dicto Ordine. Assertum patet, quia non invenitur ratio neque documentum quare a præcepto communi de diligendo proximum & de non operando adversus alterum quicquid rationabiliter nolet quis contra se ipsum fieri Fratres in Religione Minorum professi eximantur. Et sic cum rationabiliter quivis in eadem Religione prætendere queat quod jus super famam propriam naturaliter retentum injuste non lædatur; manifestum est nec posse ullum ex fratribus jus idem in altero lædere nulla interveniente abrenuntiatione seu abdicatione voluntaria dicti juris. Accedit textus practicæ criminalis, quem jam supra insinuavimus, a Capitulo Generali approbatæ immo sub præcepto demandatæ, & in statutis generalibus Reform. per f. m. Urbanum VIII. con-

confirmatis relatæ, veluti de præcepto observandæ stat. Reform. Cap. X. In quo quidem *textu tit. Inquisitio* Prælato Visitanti consulitur ibi: *Admoneat tamen subditos & per Sanctam obedientiam præcipiat, ut dicant quæ Dei gloriam, & candorem Religionis concernunt. Dummodo* OCCULTA NON SINT. Ex quo colligitur aperte quod Visitator in sermone prævio ad subditos visitandos, esto. per Sanctam obedientiam præciperet iis sibi revelare quæ sciant, debeat tamen admonitionem addere ne occulta prodant: juxta doctrinam communem ab Authoribus pariter aliarum Religionum traditam. Peyrino, nempe, uti superius sect. præcedente n. 63. Lezana, Ant. a Spirit. S. citantibus alios plurimos: Insuper eod. tit. pract. crim., postquam consequenter Visitatori absolute jussum fuit ibi. *Idea, ne de speciali persona, vel* DELICTO OCCULTO *in inquisitione generali perquirat, omnino cavere debet; quod si faceret, ultra mortalem culpam, quam committit, officio destituendus est*; statim additur. *Et* SUBDITUS QUIBUSVIS PRÆCEPTIS ADACTUS RESPONDERE NON TENETUR. Non autem subditus præceptis Superioris adactus reticere occulta posset nisi alio majori præcepto ligaretur ne occulta revelaret; alioquin inobediens foret, & peccatum mortale committeret reticendo; quod sane probatur, nam si quantum est de se revelare occulta subditus posset, accedente præcepto formali legitimi Superioris nequaquam valeret ea silere absque peccato, juxta doctrinam in antecedente sectione latam n. 61. ex P. Reinffenstuel *tit. de Accus. §. 6. n. 295. ad* 300. Reassumitur ergo, teneri Religionis nostræ scilicet Minoriticæ professum præcepto naturali & Evangelico ad non revelanda fratris sui crimina occulta eo ferme pacto quo tenentur aliorum Ordinum Regularium professi, etiamsi addatur præceptum & quidem illicitum de iis deferendis: Ex communiter adductis per Peyrinum de subd. *qu. 1. cap. 16.* V. *noto tertio*, aliosque sapientissimos Regulares post *D. Th. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad* 5. subscribente Portell. *loc. cit. & Verbo Obedientia*: in addit. n. 3.

78 Nec satisfacit ullo pacto responsio seu interpretatio, quam affert P. de Ameno super textum utrumque; nimirum primum intelligendum esse de occultis facti, ad quæ revelanda non potest adigi subditus quovis præcepto Superioris; non tamen de occultis juris: quæ tenetur absolute subditus revelare Visitatori: ad finem siquidem illamet cognoscendi instituta est visitatio, ut fusius ibi laudatus Anthor *tit. ut. §. 1. n. 5.* Prout quoad secundum textum, cum præmisisset *n. 6.* multa ibi confundi spectantia ad inquisitionem generalem paternam & judicialem simul concludit §. 2. intelligendum esse ipsum textum de generali judiciali, nempe quod in hac tantum subditus neque interrogari queat neque respondere teneatur de occultis, licet & Superior interrogare valeat & subditus respondere debeat de occultis juris in generali paterna; sic n. 12. Quam responsionem, interpretationemque substinet P. quoque Anacletus tit. cit. de accusat. *§. 6. n. 288. , & 299.* Nullatenus inquam satisfacit hujusmodi interpretatio sive responsio, ut plenius ostensum fuit in sectione præcedente *n. 51. & 52.* & brevius hic ad propositum de Minoritis ipsis replicatur. Patet namque legenti & consideranti textum sermonem ibi esse de occultis juris nequaquam manifestandis; cum idem textus præcedenter ad declarandum occultum quod nec manifestari neque inquiri potest, aperte explicat de occulto ipso juris ibi. *Occultum autem in jure nominatur, quod licet duobus vel tribus testibus notum sit, de illo tamen nulla existit infamia.* Est evidens quoque sensus in textu de inquisitione generali paterna: cum perquisitio ibi vel de occulto crimine vel de speciali persona prohibeatur; nam statim a regula generaliter prohibente excipiuntur Provinciales, Superiores locales, & Visitatores præcedenter amandati: exceptio verò in casu quod debeat intelligi quantum ad visitationem & inquisitionem paternam concedit ipsemet Pater de Ameno ibidem *n. 13.* Igitur cur non intelligitur etiam de inquisitione generali paterna regula ipsa generalis a qua fit exceptio? Recolantur dicta in superiori sectione & loc. cit. Nec textus idem est certè confusus sed potius per explicationem implicatam & arbitrariam ab Authore confunditur, cum juxta naturalem & obvium sensum sacris canonibus atque Doctoribus concordantibus apertè uniformetur. Legatur amabo textus. De utilitate item Visitationis & inquisitionis generalis etiamsi occulta non manifestentur in ea dictum est satis sect. ead. præcedente num. 56. sed quia signanter pro revelandis occultis resolvendum venit: An in Religione Minorum fraterna correctio præmitti debeat, ideo alia sequitur conclusio.

79 Correctio fraterna præmittenda est in Reli-

ligione Minorum ad Evangelicam denuntiationem: juxta regulas in sectione praecedente assignatas pro caeteris Regularibus. Est pariter contra Patrem Anacletum Reinffestuel. tit. de accusat. §. 2. *n.* 70. *ad* 73. *&* §. 6. *n.* 302. sed fere omnibus quos vidi Auctoribus uniformis etiam Franciscanis Cordube in addit. ad sent. de teg. secr. *qu.* 4. *concl.* 5. P. Emmanueli Rodriguez. *tom* 2. *qu. Regul. qu.* 6. *art.* 4. 5. *&* 6. *&* *qu.* 8. *art.* 5. Portell. in dub. Reg. Verbo. *Correctio fraterna n.* 1. *& in addit. n.* 2. 5. *&* 7. Sanctor. super Constit. *Cap.* 10. *stat.* 4. *V. Verum satis &c.* Ipsique Patri de Ameno in pract. crim. *tit.* 1. *n.* 55. *& tit.* IX. *n.* 8. quamvis utrobique asserat, omitti posse quoties cognoscitur probabiliter nil profutura. Porro Conclusio probatur evidenter, eo quia Religio Minoritica Evangelium sequi inter caeteras profitetur; ex Regula S. P. Nostri *Cap.* 1. Non igitur asserendum est arbitrarie ipsam velle praeceptum Evangelii de correctione praemittenda negligere & tamquam inobservandum rejicere. Ulterius charitatem reciprocam dilectionemque fraternam eadem Regula summopere praecipit iis verbis. *Cap.* 6. *Quoniam; si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quanto magis debet quis diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem.* Ideoque, cum charitas fraterna doceat, emendationem fratris procurandam esse suaviori modo quo possit, ejusdem fama salva semper in quantum sit possibile, idemque modus suavior assignetur per Evangelium Correctio fraterna: ex traditis &c. indubium est hanc specialiter in Religione Minorum esse adhibendam; Quod si dicatur; omissionem correctionis magis conducere ad commune bonum observantiae Regularis, ut contingit in Societate: Superior enim opportunius & efficacius potest corrigere monere & emendare delinquentes, quam subditus; prout couglomeratis Authoribus Jesuitis Anacletus idem *n. cit.* 71. Responsum est superius n. 65. regulariter loquendo falsum esse assumptum: nam potius non servato charitatis Evangelicae ordine rixae & discordiae oriantur in Religionibus, in quibus absque correctione praevia denuntiati possint rationabiliter conqueri; se contra jus naturale legemque Divinam & humanam spoliatos esse bona fama apud Superiores, qui notitia occultorum criminum sibi delatorum utantur vel uti possint in occurrentibus casibus contra delinquentes ipsosmet; signanter quoties fuerint extra factionem propriam aut inviti saltem quoties hi a dictis Superioribus aliquid sinistri patiantur; id ex delationibus & denuntiationibus propriorum defectuum occultorum irregulariter porrectis apprehendunt provenire. Addam autem ad propositum, paritatem non currere de Patribus Societatis: qui cum expresse renuntiaverint juri quod haberent ad correctionem fraternam, teste P. Suarez in supracit. cap. 7. non possunt proinde conqueri veluti rationabiliter inviti quoties eadem denuntiationi Evangelicae minime praemittatur: at Religiosi Minores sicut & aliorum Ordinum se juri praefato numquam renuntiasse, protestari immo queunt; ideoque stare in suppositione firma, quod propriae famae in occultis nequaquam praejudicium nisi irrationabiliter possit inuri. Ratio insuper boni communis contra Regulares omnes aeque ac contra Minoritas, quos vult excipere Anacletus, pro certo militat: veruntamen bonum hujusmodi a variis Religionibus secundum diversa sistemata & instituta earum varie intenditur. Et, sicut quo ad paupertatem ab aliquibus privatim tantum & non in communi, ab aliquibus autem in communi & in particulari professam; ita quod alia pietatis munera, quibus diversimode applicantur, inter sese differunt. Sic in proposito ad bonum commune & perfectionem Religiosam cultores Societatis magis conducere judicant juxta eorum peculiare Institutum immediate Superiori defectus conviventium paternaliter deferre & denuntiare, praevia tamen juris habiti ad propriam famam in occultis & ad correctionem fraternam renuntiatione. Aliae vero Religiones sibi praefigunt commune bonum in observantia exacta Evangelii correctionem fraternam exigentis; eo quia huic minime renuntient, neque juri ad propriam famam quantum ad occulta in iisdem professi. Prout similiter bono communi proficuum experiuntur Patres Jesuitae defectuosos e Societate eidemque perniciosos ejicere seu licentiare; etsi vota emiserint prima vice solemnia; ad normam privilegii super hoc a Sancta Sede obtenti. Reliquae vero Religiones post solemnem votorum professionem, quam peracto novitiatu alumni ipsarum emiserint: hos ad perseverantiam in votis usque ad mortem obligant; absque eo quod nec ejici valeant, nisi vere incorrigibiles probentur, servatis servandis; nec iisdem se abdicare permittantur aut abire; idque ad

ad commune bonum & conservationem observantiæ Regularis conducere autumant. Sic ergo finis boni communis intenditur ab omnibus; sed non cum eadem procedendi methodo aut per eamdem viam.

80 Ad aliud autem, quod tradit Pater de Ameno non præmittendam esse correctionem quando ea dignoscitur non profutura, patet responsio ex doctrina superius adducta n.61. Gratis videlicet sic interpretari Evangelium cujus absolutum præceptum nequaquam negligi potest, propter privatum alicujus commodum quod ex omissione correctionis resultaret; nisi damnum quoque certum immineret corrigenti salvis pariter exceptionibus adductis in eodem casu damni secuturi. Prout ostensum est ibi quoque fore plerumque emendicatum prætextum, quod nil juvare possit fraterna correctio & magis sit profutura reprehensio Prælati, fore inquam prætextum ad hoc ut defectus æmulati confratris omnimode Superiori innotescant: juxta præcautionem Paulini de Berlis *tit. XIV. Cap. unic. Conclus. 5. in fin.* His tamen non obstantibus dicet fortasse quis usum correctionum fraternarum a Religionibus fere recessisse: Cui si verum esset objecto responderemus; non per hoc defecisse correctionis exercendæ in casibus opportunis & necessariis obligationem, cum adversus præcepta Evangelica non fiat præscriptio, seu melius quascumque consuetudines quæ juri naturali aut Divino adversantur sive quæ correctionem morum impediunt & disciplinam, irrationabiles esse ac irritas. *Cap. ult. de consuet. Cap. cum inter eod. tit. Cap. irrefragabili de Offic. Ordin.* Suarez *lib. 6. de Relig. Cap. 6. n. 8. & 10.* Azor *part. 1. lib. 5. Cap. 17. qu. 5.* Layman *lib. 1. tr. 4. Cap. 24. n. 4.* Verum brevius respondetur assumptum fore negandum; nam quatenus appareat correctiones fraternas in Religionibus non adhiberi, hoc procedit quantum ad defectus publicos pro quibus non vigere debitum aut præceptum correctionis colligitur ex Evangelio *Matthæi Cap. 18.* & magis declarabitur infra. Vel quia defectus occulti, extra tamen sigillum Confessionis & naturalis secreti, emergunt in potentioribus aut falsis inter multitudinem proborum, & pravæ intentionis fratribus, quos corrigere idem esset ac irritare, nec non ad insequendum corrigentem commovere; in quo supposito, certo quidem & non tantum apprehenso aut leviter suspicato, cessare præfatam obligationem præmisimus in Sect. antecedente *n. 68.* Vel quia occulta crimina Religiosorum, in ea præsertim certitudine quæ præfigitur ad correctionem, innotescant rarius non percunctantibus aliena facta & proprio profectui incumbentibus, vel quia denique plures magis rudes de hujusmodi obligatione nullatenus vel parum admodum sunt instructi. Pro Religione itaque Minoritica signanter de qua specialis procedit hic sermo concluditur nullam urgere rationem, propterquam ejus alumni ab obligatione fraternæ correctionis in casibus opportunis eximantur.

81 Probatur ulterius assumptum per alia verba non minus perspicua practicæ criminalis in Religione, ut dictum fuit maximam præseferentis authoritatem, utpote per Capitula generalia approbatæ & ex Sacris Canonibus Doctoribusque classicis erutæ: legitur siquidem tit. de denuntiatione ibi = HINC NULLUS FRATERNE DENUNTIARE DEBET NISI EVANGELICA CORRECTIONE PRÆMISSA. *Eo minus si fratrem remotis etiam labendi occasionibus viderit emendatum; jam enim lucratus est fratrem, si is eum secreto corripientem audierit.* Hic ergo patenter correctio fraterna necessario præmittenda mandatur & denuntiatio Evangelica prohibetur, quoties delinquens deprehendatur emendatus, ut pro omnibus Regularibus deductum est in Sect. pariter præcedente 3. Nec objici possunt textus ejusdem verba interjecta ibi. *Excepto casu, quo judicialis correctio magis profutura crederetur.* Quia si generaliter, quotiescumque magis profutura censeretur correctio Prælati omittenda foret correctio secreta delinquentis per Religiosum privatum; patet namque replicæ insufficientia ex illo termino *judicialis*, qui satis clare indicat, posse correctionem fraternam omitti in casu aliquo, cum reputaret prius necessariam denuntiationem judicialem, ex qua posset & deberet Superior processum juridicum instituere & juxta leges delinquentem punire; correctio siquidem judicialis cum punitione convertitur aut confunditur. Clement. *de off. Ordin. Cap. Ut Clericorum.* Verum nec etiam generaliter insinuatur omittenda correctio fraterna, quotiescumque quis judicaverit necessariam denuntiationem correctionemque judicialem, sed tantum in aliquo ibi *excepto casu*. At casus specificatur ibidem in textu per verba subsequentia, præcedentium declarativa. IN JUDICIALI AUTEM DENUNTIATIONE, SI DELICTA SINT PUBLICA, ET EXCEPTUATA, *correctio charitativa non est necessaria*, Postquam item explicata sunt ibi delicta pu-

publica & exceptuata, quæ scilicet in publicum detrimentum Reipublicæ vergunt & graviora cœteris respective censentur, nec non delicta privata, quæ videlicet privatam solius delinquentis perniciem concernunt; Continuando jugiter sermonem de denuntiatione Judiciali, ut perspicere quisque valet legendo, subdit textus: *In privatis item delictis, licet regulariter charitativa correctio praecedere debeat, tamen quando emendationis spes nulla effulget nec tunc erit præmittenda*. Excipitur ergo correctio fraterna non necessario præmittenda in judiciali tantum denuntiatione, & quoties insuper delicta sint publica & exceptuata secundum explicationem ibi datam, aut quoties in eadem judiciali denuntiatione, licet sint privata nullam tamen relinquunt emendationis spem. Cum itaque exceptio firmet regulam in contrarium deducitur patenter correctionem etiam in denuntiatione judiciali insinuari vigore hujus textus, si delicta non sint publica & exceptuata, & generaliter in delictis privatis quando spes effulget emendationis; proinde necessario præmitti debere in Evangelica sive paterna, juxta relata in principio ejusdem textus. *Nullus fraternè denuntiare debet, nisi Evangelica correctione præmissa*. Porrò explicatio allegata subsequentis textus de denuntiatione judiciali, præterquam quod ex ipsis literaliter deprehenditur verbis, adducitur etiam a P. citato de Ameno *tit.* 9. *pract. Crim. n.* 9. *&* 14. *in fine*.

82 Fortasse tamen quis dicet, sequi ex hac explicatione præmittendam semper fore in Religione Minoritica correctionem fraternam ad denuntiationem Evangelicam etiam delictorum publicorum vel occultorum contra Communitatem & tertium & afferentium proximis scandala, cujus oppositum docuimus in præhabita sectione n. 69. quoad Regulares omnes. Sed respondetur cito, non esse sermonem hic de delictis publicis prout opponuntur occultis, videlicet de delictis notoriis manifestis vel saltem famosis nec ex alia parte delicta privata hic cum occultis confundi, cum evidens sit textus accipi pro publicis ea, quæ in perniciem Communitatis vergunt, & pro privatis illa quæ privatæ tantummodo personæ delinquentis sunt nociva, quorum utraque posse esse vel manifesta vel occulta experientia docet. Hujusmodi autem delicta sive Communitati sive privato delinquenti perniciosa, non est dubium, quod correctionem fraternam minime exigunt, quotiescumque sint notoria & manifesta aut publicitatem importent occultationi oppositam: unde ad hoc ut textus idem consequenter loquatur, necessitatem vel omissionem correctionis hic notat, quantum ad delicta occulta in jure, scilicet non manifesta; vel publica deinde alia ratione vocentur, nimirum, quia Reipublicæ nociva, vel privata &c. uti supra. Exceptio autem firmat regulam in contrarium in eodem genere: nempe delicti occulti; videlicet quod delicta occulta in jure correctionem fraternam regulariter prærequirant, nisi sint in perniciem publicam patrata. Et advertendum insuper; qualiter delicta sic publicia, videlicet in publicam perniciem seu publicum Religionis detrimentum commissa; veluti sunt in textu enumerata ibi = *Crimen læsæ Majestatis vel Divinæ vel humanæ; hæresis, blasphemia, sortilegia, prophanationes sacrorum conspiratio in Generalem, qui est in capite Religionis, & Provinciales eorumque Commissarios, & Superiores locales; eorumque vulnerationes percussiones, homicidia, subornationes in electionibus, simonia, peccatum nefandum, fornicationes, adulteria, dummodo periculum sit, hæc tria publicari posse; secus inter publica, & perniciosa, numerari non debeant.* = Advertendum inquam, qualiter hujusmodi publica delicta denuntiationi Evangelicæ subjacent tantum per accidens; quatenus in generali inquisitione paterna denuntiantur Prælato, qui postea, ut tractatur alibi, inquisitionem juridicam super ipsis tenetur instituere; cum alioquin deberent judicialiter denuntiari, utpote correctio judicialis sive punitio eorumdem videretur opportuna immo necessaria propter publicum bonum: Ex D. *Thom. in* 4. *dist.* 19. *qu.* 2. *art.* 3. *arg.* 3. pro contr. *sent. &* 2.2. *qu.* 68. *art.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *qu. Regul. qu.* 7. *art.* 4. Tabien. *V. Accusatio. n.* 2. Navarr. Cap. *Inter Verba concl.* 6. *n.* 240. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 9. *dub.* 4. Ledesma. 2. *part. tract.* 8. *cap.* 23. *concl.* 5. *&c.* Sufficit proinde, quod doceatur subditus per allegatum textum in hujusmodi delictis non prærequiri correctionem fraternam ad denuntiationem judicialem, quæ est propria eorum, per consequens nec in fraterna sive Evangelica, quæ per accidens denuntiationem præcedit in Visitatione generali solita; ordinata tamen ad inquisitionem idem juridicam regulariter instituendam in casu: eo modo quo advertit item citatus de Ameno *tit.* 9. §. 1. *n.* 7. *&* 9. *nec non* §. 2. *n.* 14.

83 Idem notatur quantum ad delicta privata qui-

quidem prout non sint Reipublicæ toti nociva, sed ultra quam committenti etiam tertio innocenti deprehenduntur perniciosa; videlicet quod excipiantur per textum practicæ allegatæ saltem indirecte; itaut neque ipsa correctionem fraternam necessario exigant; delicta namque privata describuntur ibi ea, quæ concernunt perniciem solius committentis, & in istis regulariter firmatur neccessitas correctionis præviæ, quatenus spes subsit emendationis: at delicta, quæ in damnum tertii Innocentis vergunt, non soli committenti nocent; ut est evidens. Igitur non includuntur in iis, quæ correctionem necessario præexigunt etiam per textum; ultra quam quod possunt nuncupari etiam Reipublicæ perniciosa distributive licet non collective, ut consideranti liquet; Et quia ipsamet delicta denuntiationem quoque inquisitionemque judicialem de se merentur, juxta autores generatim cum D. Th. 2. 2. qu. 33. art. 7., & denuntiationi Evangelicæ per accidens solummodo subjacent, quatenus post inquisitionem generalem paternam de iis inquisitio deberet institui juridica; ideoque satis sit indigitari per Criminalis practicæ textum correctionem fraternam ante denuntionem judicialem eorumdem minime requiri, quamvis regulariter correctio fraterna neque prærequiratur ad denuntiationem Evangelicam delictorum quorumcumque vergentium in damnum Communitatis, sive in detrimentum tertii; esto adhuc in jure sint occulta ex probatis Sectione antecedenti cum D. Thom. loc. cit. Vega *part. 1. Cap. 71. Casu* 35. apud Peyrin. de subd. *qu. 1. Cap.* 16. §. 2. Dixi autem *Regulariter* cum non desint DD. affirmantes, adhuc in delictis hujusmodi exceptis & Reipublicæ vel tertio nocivis occultis tamen, præmittendam fore correctionem quotiescumque per ipsammet & scandala tolli & bona sublata restitui malaque impediri plane queant, & perfecta emendatio in delinquente haberi possit æqualiter ac per denuntiationem quæcumque sit, ut videre est apud Peyrinum pluries: nempe *qu. 1. de subd. Cap. 16. ℣. Noto secundo* & *℣. Quinta pars in fin.* & inferius §. 2. *℣. Dico secundo*. Nec non Franciscum Portellum dub. Regul. Verb. *Correctio fraterna n. 1. & n. 27. & tit. Denuntiatio n. 7.* Sanctorum Constit. *Cap.* X. *℣. Secundo*. Verum quidem est quod rarissime contingat, posse per simplicem correctionem in hujusmodi delictis damna omnia reparari scandala & mala quæcumque impediri, ut advertunt Navarrus, Graffius, Ledesma citati a Peyrino *d. §. 2. in fin.* Praterea raro etiam occurrit eadem correctio necessario præmittenda, & in quolibet dubio; an sola admonitio & correctio sit profutura vel non, ad denuntiationem sit recurrendum; eo quia prævaleat in dubiis jus Communitatis & tertii injuste læsi juri quod prætendat delinquens ipse sic perniciosus super propriam famam, ut probatum remanet in Sect. præcedente *n.*69. *&* 70. confirmantq. Suarez, Conink, Lorca, Navarr. in Sum. hisp. *Cap.* 24. *n.*22. & alii, quos refert & sequitur Castropalao *tom. 1. tr. 7. disp. 7. punct. 13. n. 5.* Nec non Vega, & Naldus apud Peyrin. §. 2. *cit. Verb. Dico secundo*.

84 In delictis vero privatis, nimirum privato tantum delinquenti nocivis prout recensentur in textu; superbia ira gula, quibus adde Apostasiam secretam, inobedientiam non scandalosam & contumacem, & reliqua similia, quatenus occulta sint patet ex dictis in antecedente Sectione, quod necessaria sit prævia correctio ad denuntiationem eorum fraternam; sicut Regulariter præmittenda foret ad denuntiationem judicialem, ut in explicato textu; ubi tamen opportune reflectit cum aliis P. de Ameno quod si talis correctio omitteretur, hujusmodi omissio nequaquam denuntiationem judicialem invalidaret, quamvis inconsiderate ageret & fortasse peccaret graviter non adhibita illa denuntiator: *tit. 9. cit. n.* 9. Consequenter quoties solummodo nulla spes emendationis supersit in tali privato delinquente quantum ad præfata delicta in judiciali denuntiatione non fore præmittendam correctionem expressit textus citatus, idest non necessario præmittendam esse in casu ad validitatem denuntiationis ejusdem ex mox dictis, vel non debere iterato exerceri cum jam supponatur alia vice vel aliis vicibus Evangelice adhibita nec per ipsam delinquens emendatus: alioquin quomodo nulla spes posset effulgere emendationis in occulto peccante si a nullo neque paterne neque fraterne supponetur correctus primum? Cæterum in denuntiatione Evangelica delictorum privatorum adhuc occultorum, quomodo sit procedendum sufficienter traditum est in Superiori sectione, & statuta quæ pro Minoribus signanter possent allegari contraria dictis explicabuntur inferius. Nec omittendum duco occasione explicationis præfati textus, quod cum controversia insurgat inter Doctores, quænam vere sint delicta exceptuata & publica scilicet

licet in perniciem Reipublicæ seu Communitatis patrata, & quæ dicantur privata, committenti videlicet solum nociva: standum sit pro Minoritis tum Regularis tum strictioris Observantiæ in eorum lege; in textu nempe eodem practicæ Criminalis mox explicato, ubi delicta carnis nimirum peccatum nefandum fornicationes, adulteria; veluti supra jam indigitavimus inter publica & perniciosa nequaquam enumerantur, nisi quatenus periculum deprehendatur publicari ea posse cum scandalo: unde quotiescumque tale periculum absit clarum est denuntiationi eorum vel Evangelicæ præmittendam esse, sicuti in cæteris privatis fraternam correctionem; stante autem periculo publicationis denuntianda ea statim fore non est dubium: quod idem immo assero de privatis reliquis, quando simile periculum publicationis scandalosæ certo probabiliter emergat, ut in furto ebrietate ira præcipiti &c. induunt namque tunc rationem peccatorum publicorum propter scandalum, & malum inde toti Religioni resultans: ex superius traditis signanter n.69. & doctrina Patris de Ameno pluries cit. *tit. IX.* §. 2. *n.* 14. Qui tamen Auctor immerito notat præfatam divisionem delictorum in publica & privata tamquam inutilem & voluntariam ibi n. 13. Cum passim ab aliis Auctoribus etiam magni nominis adducatur, veluti opportuna pro discretione delictorum ad propositum denuntiationis & correctionis eorum, & Sacris Canonibus conformis. Archid. *in Cap. si peccaverit 2. qu. 1. speculat. 3. part.* tit. de Accusat. §. 2. Clar. *lib.* 5. §. 1. *in princ.* Sylvestr. *Verbo denuntiatio q.* 3. Valenti *tom.* 1. *disp.* 5. *qu.* 12. *punct.* 1. Navar. in Sum. *Cap.* 45. *n.* 31. Berti in prax. *tit.* 8. *cap.* 17. *n.* 4. post med. Palao, qui refert plures alios *tom.* 1. *tr.* 7. *disp.* 3. *part.* 3. *n.* 2.

85 Similiter de Socio criminis in Religione Minorum concludendum asse repeto sicuti generaliter probatum est in præcedenti Sectione, quantum ed cæteros. Nempe, quod non potest complex seu socius denuntiare delicta in quæ ipse consentit & in quibus patrandis alter socius de sua taciturnitate confidit, nisi crimina sint inter excepta ata, eo modo quo dicebatur loc. cit. Et universaliter, quatenus peccata occulta remaneant, quod debeat se gerere veluti quilibet alter sciens occulta circa necessitatem præmittendi correctionem, vel non. Quæ sane conclusio apparet etiam opponi doctrinæ Patris Ludovici de Ameno in pract. *tit. XI. n.* 5. sed expressius Patris Reiuffestuel *tit. de Accusat. &c. n.* 72. substinetur tamen à Covarr. in pract. *Cap.* 116. *n.*7. Portell. in dub. Reg. *V. Correctio fraterna n.* 11. & *in addit. n.* 10. Sauctor. de pæn. *Cap.* 4. ♈. *Circa*, plurimos ibi citante, nec ratione caret evidenti. Quia Religio Minoritica jus naturæ nullatenus profitetur invertere, itaut se ipsum teneatur Religiosus prodere in occultis veluti contingeret si quis consentiens in crimine sic occulto Socium revelaret, ex cujus revelatione crimen etiam sui ipsius uti participis panderetur, ac etiam fama confidentis Socii ab ipso sciente secreto crimen ejus læsa maneret inique: nulla præmissa renuntiatione super hoc a Professis ejusdem Ordinis, quos *Reques* immo protestari data occasione, velle propriam tueri famam ac juste pretendere quod jus proprium super ipsam minime contemnatur. Patet proinde quantum ad hoc valere pro ipsis quoque rationes quas pro Religionum aliarum alumnis diximus militare. Nec relevat replica; quod posset socius complex impunitatem consequi revelando; Evaderet siquidem eo casu pœnas sed nequaquam criminosi notam; præsertim sistendo in criminibus privatis & secretis. Similiter socius criminis esto non consentiens cui soli tamen notum foret delictum fratris aliis nemini perniciosum, vel denuntiaret in casu judicialiter, vel paterne. Si primum, facile posset a delinquente negante crimen de calumnia reaccusari; si secundum saltem apud Superiorem de mendacio remaneret suspectus in suppositione, quod principalis item negaret constanter delictum, super quod alii nequirent induci contestes; & sic periculo se exponeret propriæ amittendæ famæ, ultra inimicitiam, quam cum principali indubitanter arguente nulli alteri innotescere crimen ejus, pro certo incurreret: satis ergo propriæ & alienæ famæ consulendum esset in casu medio silentio & servato ordine Evangelicæ charitatis: juxta doctrinam communem, quam ex D. Toma *quodl.*4. *art.*12. tradunt Diana tract. de denunt. *resol.* 9. Sanctarelli tract. de hæref. *Cap.* 9. *n.* 16. Navarr. Cap. *Inter verba concl.*6. aliique apud Garziam *Sect.* 3. *qu.* 12. & *Sect.* 11. *qu.* 6.

86 Verum contra præfata in hac sectione obiiciuntur opportune statuta, quæ ansam præbuerunt Patri de Ameno asserendi revelationem occultorum necessariam in visitatione seu inquisitione generali, & Patri signanter Reinfestuel associandi nos. Fratres Minores Jesuitis, quantum ad omis-

omissionem correctionis fraternæ. Statuta itaque tria recensentur ad rem *cap.* 10. *Compilat. Sambuc. n.* 2. & 3. ibi.

I. *Insuper statuimus, ut cum primum Fratres ad Conventum redierint, sociorum excessus notabiles, si quos commiserint, Guardianis, atque Superioribus secreto insinuare teneantur.*

II. *Quod si excessus hujusmodi alio modo ipsis innotuerint quam per Confessionem Sacramentalem: non propterea minus tenentur manifestare illos, maxime, cum per obedientiam fuerint requisiti, quia hoc Sacramentali Confessioni non præjudicat, quinimmo si tacuerint inobedientiæ notam incurrent, & si contrarium asserere præsumpserint & moniti revocare noluerint, actibus legitimis careant Superiorum arbitrio, & perseverantes in sua contumacia, etiam carceribus mancipentur & gravius puniantur.*

III. *Si quis præterea ausus fuerit dogmatizare, quod frater, qui fratrem in occulto secundum Evangelium corripuerit, non teneatur de hujusmodi excessu Superiorem admonere, quamvis ab eo per Obedientiam requiratur. Vel quod socii criminum, socios non teneantur revelare Superiori, qui potest & debet omnibus prodesse, & animarum periculis providere, declaramus doctrinam hanc pestiferam esse, ac in perniciem Ordinis & Regularis disciplinæ tendere, ac propterea taliter dogmatizantes, non modo actibus legitimis privandos, verum etiam carceribus mancipandos esse decernimus, & jubemus.*

Quibus addendus venit textus practicæ criminalis tit. *Inquisitio* his verbis.

Tenentur omnes sub culpa violatæ obedientiæ & pœnis arbitrariis delicta notabilia, quæ sciverint juxta Superiores regulas Prælatis visitantibus revelare, etiamsi fratris crimen antea secreto correxerint, eo vel maxime si per obedientiæ præceptum adacti fuerint, renuentes autem, aut aliter dogmatizantes in pœnas statutorum generalium incidere certum est. Ex Vallisol. cap. 10.

87 Antequam tamen statutis ipsis respondeam præmitto, quod etiamsi ad propositum omnino valerent & intentum Patris Reinfestuel ex parte eorum, quantum ad legem ferendam, confirmarent; non tamen pro ipsorummet observantia correspondet & sequitur de facto in Fratribus Minoribus renuntiatio cuicumque juri ad correctionem fraternam antequam occulta uniuscujusque delicta Evangelice denuntientur, eo modo quo consecutive ad Constitutiones proprias tali renuntiatione præmissa exequuntur in praxi Patres Jesuitæ testante P. Suar. *z cap. cit.* 7. *n.* 18. cum aliis: Quinimmo in hujusmodi casibus delinquentes occulti quatenus dentur in Ordine Minorum, & antefactam sibi fraternam correctionem denuncientur, conqueruntur pro certo, ut non una vice audivi, quod ordo ab Evangelio præscriptus secum ipsis non observetur. Hoc itaque posito: an revera contra doctrinam hic præmissam militent statuta examinabimus; & ad primum dico, debere perpendi terminos expressos non inopportune ibi: *Excessus notabiles*. Nomine enim *excessus* cum adjectivo *notabilis* non quilibet venit defectus privatus, sed crimen excedens & speciali nota dignum, crimen videlicet exceptuatum, quod dedecus inureret Communitati, immo Religioni cujus foret alumnus ipse delinquens; ut advertit P. Sanctorus *Constit. Cap. X.* Verbo. *Verum satis*; quæ quidem explicatio evidentius habetur ex statutis Papalibus Julii II. citatibus antiqua Farinerii *cap.* 3. *part.* 14. ubi sic legitur: *Excessus notabiles, & infamiam, aut ruinam Ordini prætendentes, secundum* Farinerii *generalia statuta Prælatis denuntient*. Excessus proinde hujusmodi, quod teneantur denuntiare Superiori non est dubium secundum doctrinam superius traditam, quando ad Conventum redeunt socii, vel interrogentur, vel non; præcipue si periculum adsit in mora & magnum scandalum foret imminens seu in dies nimium crescere deprehenderetur, nisi remedium afferatur, citius quam ad visitandum adveniret Provincialis. Ex. gr. si deceptus frater ductus fuisset in domum publicæ Meretricis, quam cōperiret a socio frequentatam cum scandalo & murmuratione viciniæ; aut similiter veniret in cognitionem, quod tractatum iniisset principalis socius cum sæcularibus de graviter infamando altero Religioso sive offendenda Communitate Fratrum, vel audisset verba infamatoria Religionis Matris per socium petulanter coram multis prolata, dignoscendo præsertim, ipsummet in eadem præcipitare assuetum; procul dubio deberet hæc omnia & singula Superiori locali notificare visitationem solitam Superioris Provincialis haud expectans: esto iram & adversionem socii in his casibus irrationabiliter inviti incurrere periclitaretur, boni communis consideratione prævalente. Excepto unico casu, quo certissime sibi constaret, secuturum remedium scandalo,

dalo cum emendatione omnimoda delinquentis per correctionem fraternam, quem casum tamen rarissime admodum evenire diximus supra n. 84. Hæc autem doctrina adhuc attendenda est, quamvis socius in hujusmodi delictis scandalosis & in damnum Communitatis vel tertii vergentibus promisisset secretum seu fidelitatem urgeret enim fortius damnum commune aut tertii innocentis reparandum vel obeundum, quam secreti de re perniciosa silentium: juxta practicam criminalem Religionis *tit. xi. Testes*. V. *Quod sub sigillo &c.*, ubi Pater de Ameno idem firmat §. 12. *n.* 91. Licet iste doctor in comparatione æqualis damni obventuri vel tertio innocenti vel ipsimet delinquenti cui secretum communicavit, sustineat favendum esse huic ultimo, qui de socii fidelitate confidit; consequenter silentium fore servandum: quod tamen in executione vendere arbitror a consideratione circumstantiarum, cujus signanter qualitatis foret persona cui fieret injuria, cujusque ponderis offensa injuste illata vel inferenda, ut post Navarrum, & Molinam concludit Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *qu.* 2. *cap.* 5. *n.* 5. Alioquin, quantum ad reliqua ordinaria delicta, quæ in abscondito vel solo socio conscio posset frater perpetrare, servandum repeto, ordinem juris naturalis divini & humani, cui in Religione Minoritica non renuntiatur. Videndus Sanctorus super *caput. x. Constit. qui citat.* D. Bonaventuram Petrum Joannem *part.* 3. firmamenti trium Ordinum *pag.* 82. Quod si socius acceptaverit ulterius peccatum occulte commissum a delinquente huic soli nocivum sub expressa aut tacita conventione reticendi; in suppositione quod revelet cum damno illius vel in fama vel in persona; certum est, quod contra fidelitatem & justitiam peccat, non minus ac si violaret fidem in contractu depositi: ut ajunt Theologi morales passim, a P. de Ameno relati pract. crimin. *tit. xv. n.* 90.: favetque textus pract. criminalis ipsius *tit. Testes* §. *supra allegato xii.* V. *Quod sub sigillo*.

88 Similis affertur responsio statuto secundo: continet siquidem de excessibus notabilibus limitatum sermonem ibi: *Quod si excessus hujusmodi &c.* Et hos planum est debere denuntiari, si alia via sciuntur quam per Sacramentalem Confessionem, absque correctione etiam prævia, ad evitandum commune vel tertii innocentis damnum, ut mox ostensum fuit. Addit tamen Pater Sanctorus loc. cit. quod si ex denuntiatione vel revelatione periclitaretur quis jacturam incurrere propriæ famæ, puta quia Superior minime præstiturus esset fidem suis dictis, potius conceptum pravi delatoris de se habiturus, vel quia posset oriri suspicio, quod Confessionem revelaret probare non valens se scire alia via, seu quia denuntiatus de notitia contra ipsum data conscius, posset se tamquam calumniatorem recriminare viam juridicam exposcendo, tunc denuntiatio foret omittenda, idque confirmat ex statutis Papalibus Iulii II. allegatis ibi: *Additur tamen, quod si ex tali denuntiatione possit de revelatione Confessionis oriri suspicio ex quo revelans incurrere juridice valeret infamiam & Ecclesiasticam pœnam, non deberet illud ullo modo propalare, quia negligeret famam propriam & contra ordinem charitatis ageret, nisi constare posset, alias quam per Confessionem scivisse*. Sicque concludit iterum, quod cum tota ratio fundata sit super possibilitate vel impossibilitate probationis, per consequens delictum omnino impossibile, videlicet ab uno tantum scitum, revelandum non sit ex D. Th. *Quodl.* 4. *art.* 12. & 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7. Verum hanc Patris Sanctori doctrinam valere crediderim in aliis criminibus non notabilibus seu delictis non exceptuatis, neque in grave Communitatis aut terti damnum vergentibus, videlicet quod in talibus nequaquam exceptuatis quodlibet motivum ex allatis sufficeret, ut quis a denuntiatione abstineret: juxta dicta sect. antecedente n. 66. At crimina exceptuata seu graviter nociva &c. censerem, scientem teneri ad revelandum quoties revera extra Confessionem nosset, maxima tamen qua posset cautela, nimirum exponendo ea Superiori secreto addita causa scientiæ, puta quia vidit & audivit in tali & tali occasione & circumstantia, & onerando conscientiam ejus, ut remedium prudens afferret pro bono Communitatis, vel tertii evitando gravi malo: sicuti præmissum est alibi: ex Peyrino de subdito *qu.* 1. *cap.* 16. §. 16. *Ubi notandum*: Et docet Anacletus de accusat. &c: §. 2. *n.* 109. & 112.

89 Sed si quis pro consilio dando secreto fuisset interpellatus a sciente unico grave delictum communitati vel tertio nocivum, posset ne propalare illud vel saltem Superioribus ipse denuntiare. Jam supponitur, non posse interpellatum pro consilio revelare crimina sibi sub fide concredita, si nulli præterquam committenti sint perniciosa, quamvis idem per obedien-

dientiam adigeretur delato insuper sibi juramento de veritate fatenda, eo quia jus naturale fidelitatis nequaquam violare posset; & hoc apud nos signanter Minores ex verbis textus practicæ criminalis mox citatæ; ibi. *Quod sub sigillo secreti, aut* CONSILII *aut auxilii poscendi gratia quis noverit, neque denuntiare, neque in judicio tamquam testis aperire, nisi aliunde sciverit valet.* Ubi, cum sermo sit de denuntiatione & depositione in judicio, supponit evidenter præstitum juramentum prout universaliter etiam Doctores tenent, quod sigillum nempe secretum naturale concreditum in re gravi obliget sub mortali Portell. V. *Obedientia* in addit. *n.* 13. de Ameno cit. *tit. XI.* §. 12. *n.* 90. Circa crimina itaque excepta alterique perniciosa respondeo. Monendum esse ab interpellato eum qui consilium petit, scientem videlicet unicum crimina hujusmodi alterius, de obligatione deferendi Superioribus, examinatis circumstantiis, præcipue si periculum sit in mora, protestando aliter, seipsum scilicet de consilio requisitum, obligatum fore ad denuntiandum una cum notitia ejusdem qui sibi secreto revelavit; urgente necessitate gravis damni Communitatis, vel tertii innocentis reparandi sive impediendi. Reginald. in prax. *lib.* 24. *n.* 112. Angelus V. *Testis n.* 33. Sylvester eod. *qu.* 4. *n.* 2. Et legatur P. de Ameno cit. tit. 11. a n. 90.

90 Tertium quoque statutum loquitur aperte de excessibus notabilibus supra expositis ibi. *De hujusmodi excessu &c.* nihilominus speciali indiget adhuc examine; cum enim asseritur inibi, teneri quem ad denuntiandum fratrem etiamsi secreto illum correxerit, intelligi sane debet quantum ad delicta excepta & nociva &c. quæ correctionem præviam non requirunt, secundum quod pluries explicatum est; ita ut, etiam si gratis præmissa foret correctio, non impediret, quominus denuntiatio fieri posset, & per consequens deberet ad Superioris præceptum, ut adnotavimus n. 81. cum limitatione tamen nisi per correctionem secuta fuisset in delinquente vel certissime secutura esset emendatio: nec non quodlibet reparatum vel reparandum foret certissime malum: ex dictis etiam superius n. 83 & confirmatis per eumdem Patrem Reinffestuel tit. dicto de accus. §. 2. *n.* 119. propterea quamcumque præsumptionem in dubio vel levi militare in favorem Communitatis vel tertii injuste læsi, replicamus cum Palao cit. & ipso Reinffestuel n. 68. & 120. De reliquo universaliter in criminibus occultis non exceptis servandum esse ordinem charitatis ab Evangelio præscriptum nequaquam debemus ambigere, cum eidem non renuntiasse Minoritas in hac eadem sectione probatum fuerit. n. 79. Et in casu, quo correctio profuisset vel probabiliter profutura esset, quantum ad eadem non excepta & occulta: seu nulla deinde experientia in contrarium haberetur de recidiva; quod non esset addenda denuntiatio debet sustinere P. de Ameno, consequenter ad sua dicta *tit.* 1. *pract.* crim. *n.* 55. *&* 56. *& tit. ix. n.* 8. ubi in fine vult, quod neque vel ipsa sola correctio fraterna habeat locum in hujusmodi delictis privatis sine recidiva — Similiter, quantum ad socios criminis, quod non teneantur se ipsos infamare si veluti complices in crimine consenserint, ostensum est superius ex jure naturali propriæ defensæ & charitatis in delicto occulto, & sustinet Pater de Ameno de hujusmodi socio criminis teste etiam cum delato sibi juramento *tit. XV. pract. n.* 92. citans Bartolum. *in l.* 3. *n.* 3. *ff. de test.* & Cavalch. de test. *part.* 4. *n.* 160. contra fas namque interrogaret tunc judes alias legitimus; & sic contra naturale jus præciperet Superior socio criminis, ut propriam revelaret turpitudinem, delictum socii cui consensit, manifestando; & proinde hunc minime teneri ad respondendum, colligitur item es Portell. *V. Correctio fraterna in addit. n.* 10. Quoties vero socius delinquentis non fuisset & ipse delinquens, sed tantum silentium promisisset, vel delictum non exceptum fratris in abscondito peccare satagentis nulli noxium, & accidenti. vel studiosa curiositate indagasset; quod deberet adhuc secretum servare tenent & probant Authores communiter apud Navarrum, Molinam, Sotum, Layman; nec potest dissentire Pater ipse de Ameno consequenter ad doctrinam per se traditam *tit. cit. XV. n.* 90. & de delict. & pæn. *tit. V.* §. 6. *n.* 3. 4. *&* 5. ubi immo expresse propositum docet.

91 Ad textum pariter prasis criminalis desumptum es stat. Vallisolet. *Cap.* 10. Respondeo, per hunc potius doctrinam usque nunc traditam confirmari. Exprimuntur namque ibi. *Delicta notabilia*, & ulterius additur ibi: juxta Superiores regulas, videlicet in eodem textu superius assignatas, inter quas relevat illa de fraterna correctione in denuntiationibus Evangelicis delictorum occultorum non ex-

exceptorum praemittenda; ut explanatum est supra n. 59. & 81. Nec refert, quod subsequatur in textu ibi; *Etiamsi fratris crimen antea secreto correxerit*; quia aut debet intelligi de crimine excepto eo modo, quo mox dictum est n. 90. aut de correctione experta omnino inutili, ut ibi; cum alias standum sit in jure naturali & Divina lege ut ait Sanctorus loc. cit. *Cap. X. Constit.* Quamvis & doctrina hujusmet Authoris appareat ibi satis implicata. Videtur siquidem afferere, quod illa crimina, quae alias reticere deberet frater aut socius, si accedat jussio Superioris teneatur revelare: similiter quod ad revelanda delicta exceptione digna, puta alteri vel communitati perniciosa debeat expectare Superioris ejusdem mandatum ita loc. cit. ℣. *Verum satis*: Porro quantum ad primum dictum in suppositione quod quis non possit revelare peccata occulta fratris nulli nociva, vel quia praemisit correctionem fraternam qua mediante speret emendationem, vel quia ordinem Evangelicum de correctione eadem praemittenda non implevit exigente sic naturali jure quod retinet super propriam famam occultus delinquens; jam satis probatum fuit, nec posse ipsummet conscium ad denuntiationem seu revelationem procedere etiamsi praeceptum Superioris accedat; ut cum Soto Aragon. Navar. Vega, asserit Portellus dub. Regul. *V. Obedientia in addit. n.* 3. & firmatum est pro Minoribus per textum prax. crimin. in Ordine receptae & sub expresso mandato observandae. *Tit. Inquisitio* §. *Ideo ne de speciali*. In quo casu: juxta doctrinam communem responderetur illud *act.* 5. = *Oportet obedire magis Deo quam hominibus D. Tom.* 22. *qu.* 33. *art.* 7. *ad.* 5. Nec ex vi Regulae quam professus est teneretur frater Minor ad obediendum; sed ex alia parte peccaret mortaliter Superior revelationem hujusmodi occultorum injungendo, contra ejusdem Regulae praeceptum ibi. *Cap. X. Visitent & moneant fratres suos, & humiliter, & charitative corrigant eos*, NON PRAECIPIENTES EIS ALIQUID, QUOD SIT CONTRA ANIMAM SUAM ET REGULAM NOSTRAM. Et prout additur quantum ad obligationem subditorum in eod. Cap. *Firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare*, NEC SUNT CONTRARIA ANIMAE SUAE ET REGULAE NOSTRAE. Ob quam rationem post statuta eademmet allegata, ad quae respondemus legitur statim sub eodem *Capite X.* Compil Sambuc. pro Superioribus statutum aliud = *Superiores autem monemus ut nullo modo in visitationibus de omnino occultis se intromittant sed tantum in iis, quae per generalem inquisitionem aut accusationem aut denuntiationem ad eorum notitiam pervenerint, vel de quibus publica fama vel clamorosa insinuatio fuerit ibidem n.* 4.

92 Contra aliud dictum quod delicta nimirum excepta scandalosa & perniciosa aperire non debeat socius Superiori nisi expectata hujus jussione, facit quod traditum est paulo ante n.69.p.65. Videlicet obligatio tuendi honorem Religionis Matris & malum grave communitatis, vel tertii innocentis impediendi; praesertim si periculum sit in mora: Ita etiam cum Sylvestro, Navarro, Valentia, Lessio, Castropalaus *tract.7. disp.3. punct.* 13. *n.* 1. & 10. Nisi conscius criminis esset etiam particeps & socius in qua suppositione se ipsum prodere non teneretur prout allegans Lezanam substinet Antonius a Spir. Sancto in Direct. Regul. *disput.* 3. *sect.* 11. *n.* 143. Ex communi doctrina, quod nemo tenetur propriam turpitudinem revelare. *L. alias ff. de jurejur. Dec. in l. fin. post n.* 6. *C. de eden.* apud Clarum *qu.* 45. ℣. *sed quaero*. Excepto tamen casu quo se ipsum eximere posset a gravi damno & delicta revelanda ex alia parte forent Reipublicae signanter graviter nociva. Sic cum Diana & aliis Lezana qui supra *tom.* 3. *V. accusare n.* 11. *&c.* Haec placuit repetere, supposito quod doctrina Patris Sanctorj ad sensus impugnatos traheretur: cum alioquin legendus sit idem Auctor clarius se explicans *tom. de poen. Cap. IV.* ℣. *circa XXI.* Caeterum recensita statuta quibus P. Anacletus Reinffestuel adeo fidit licet in sano sensu exposita ordini Charitatis Evangelicae circa correctionem fraternam praemittendam absolute non adversentur, attamen esse antiquata & quatenus perperam in sensu obiicientium interpretentur minime attendi in praxi advertit Portello. *V. Correctio fraterna in addit. n.* 5. sicut addit Sanctorus ipse; tum illa tum quaecumque alia quotiescumque juri naturali, & praeceptis Evangelicis contradicerent, vim non habere in Religione, quae naturali aequitate Evangelico praescripto & Sacris Canonibus juxta proprium systema, maxime regulatur. *Sic Cap. X. constit. loc. cit.* Ad alias inde rationes pro occultis pandendis & correctione omittenda quia non sunt majoris ponderis in Religione Minorum quam in reliquis Ordinibus Regularium, recolendae sunt responsiones, superius in sectione IV. hujusmodi dubitationis allatae

DUBITATIO XV.

DE NONNULLIS ALIIS OCCURRENTIBUS IN VISITATIONE PRÆLATI REGULARIS.

Multa sæpe contingunt in Visitatione Prælati Regularis circa quæ peculiaria emergunt solvenda quæsita. Non desunt primo & non una vice artificiosæ colligationes inter Religiosos familiæ visitandæ: vel negativæ sint de non manifestandis videlicet Prælato communibus inobservantiis; vel sint positivæ contra tertium, propter rectitudinem & zelum super Dei servitio, inobservantibus & discolis satis invisum: signanter adversus Superiorem; ne continuet in gubernio aut ad altiores ascendat gradus; ideoque opportune quærendum obvenit; quid agendum tunc Visitatori. Item; quia in actu Visitationis inobedientiæ quandoque emergunt & crimina deteguntur, licet paternaliter, quæ graviorem exigunt pœnam dubitatur; an in tali occasione possit paterne visitans ferre censuras nec non addere suspensionem ab officio? Quæ remedia pariter, quæri solet sint aptiora defectibus respective in visitatione auditis? Cum possit item dari casus, quod denuntians velit juridice deponere & accusare; aut visitatio paternalis juridicam excitet;quæritur quomodo in his & similibus debeat se gerere Visitator? An possit immo debeat quandoque a paterna ad judicialem transire? Solet etiam in fine Visitationis: quando scilicet convocatis Fratribus, defectuum respective fit publica correctio, absolutio ampla visitatis omnibus per Prælatum impertiri propterea occurrit etiam dubium, quid hujusmodi absolutio revera operetur? Ac denique ne de sublato sibi jure, aut perturbata jurisdictione Superior Conventus, qui visitationi subjacet, conqueratur; dubium quoque solvendum cadit. Quænam facultas, seu jurisdictio huic videlicet Superiori subalterno, remaneat pro eo tempore, quo Prælatus major suam exercet jurisdictionem in visitando? De his omnibus itaque ordinate nos agemus in hac dubitatione distincta ut occurrentibus casibus directio necessaria dubitanti nequaquam deficiat. Propterea sit.

SECTIO I.

Quomodo se debeat gerere Visitator in casu, quo colligationes comperiat.

SUMMARIUM.

1 *Colligatio conspiratio, & coniuratio explicantur.*

2 *Incidenter agitur de colligationibus, quas detegere queat in visitando Prælatus Ecclesiasticus non Regularis.*

3 *Facilius possunt contingere colligationes in communitatibus respective privatis Collegiis Seminario &c. Quid in casu ageret Prælatus non Regularis?*

4 *Colligationes de quibus proprie agitur, apud Regulares arguuntur per literas absque subscriptione, quæ sunt duplicis generis.*

5 *Quid agendum si literæ sint subscriptæ vel denuntiationes oretenus a pluribus fiant contra tertium.*

6 *De colligationibus pro delictis & delinquentibus occultandis.*

7 *Sta-*

7 *Statuta Fratrum Minorum in hac materia.*
8 *Quoties Superior visitans nollet denunciata excipere quid agendum denunciantibus?*

1. Colligatio est nomen genericum, & grammaticaliter nil aliud significat, nisi multarum rerum in unum ligatio. *L. Sicut certo loco §. Sed interdum fin. ff. commodati, vel contra.* Et ad præsens sumitur pro conventione multorum hominum simul in unam factionem vel ad nocendum vel ad juvandum: sicut apud Isaiam; *solve colligationes impietatis.* Loquendo de iis quæ sunt ad nocendum; hujusmodi autem colligatio ad nocendum proprio appellatur nomine conspiratio & definitur apte a Deciano. *Est plurium contra aliquem facta pactio, seu coitio, vel concordatum.* tract. crim. *lib. 7. Cap. 7. n. 1. & 2.* Quod si tali pactioni plurium addatur juramentum inter ipsos vocatur tunc conjuratio, quæ proprie juramentum importat, quo consensus conspirantium roboretur. *Cap. Conjurationum & seq. XI. qu. 1. Cap. Conspiratores III. qu. 4. Cap. Denique qu. 1.* Abb. in *Cap. Venerabilis de test. cog. n. 1.* Et advertendum, quod conspiratio possit dici bona; si multi putantes se bene agere & ex zelo moveri conspirent in aliquem criminosum, & absit malitia vel fraudolentia: qua de re dolus & fraus probari debet; ad hoc, ut de conspiratione mala constet. Ex Claro *qu.84. §. ubi agitur de inquirenda.* Nihilominus generaliter quæcumque conspiratio præsumitur mala. *l. 3. ff. de collect. illic.* Et notavit Archidiaconus *in cap. illud dist. 23.* ubi alia multa de mala conspiratione describit. *Et Cap. Si quis vero. Cap. Si quis per superbiam XI. qu. 1.* Ulterius; quamvis conspiratio proprie ineatur adversus Prælatos vel aliqua dignitate sive munere functos publico, ut habet Archidiaconus in *Cap.Conjurationum*, & Gloss. *in Cap. Per tuas* Verbo. *Conspiratio. de Simon. Et in Cap. Petitio de jure jur.* Attamen etiam contra privatam personam potest moliri, ejus vitæ rebus fortunæ insidiando, l. Divus *33. ff. de re judic.* Oldendorpius & Pratejus apud Calvinum in *Lexicon V. Conspiratio.* Colligationes item dixi posse fieri ad juvandum. Contingit videlicet multoties uniri plurimos ad tegendum crimen amici vel ejusdem factionis, licet publice puniendum; vel saltem ob qualitatem delicti ejusdem necessario denuntiandum Prælato ut Patri, nisi ut Judici. Sicuti pariter colligari contingit alios in Communitate aliqua ad defectus vel excessus communes reticendos & cohonestandos rationibus falsis; ne Prælatus visitans de remedio cogitet, nec ipsimet a pravis consuetudinibus, in quibus acquiescunt retrahantur; & tunc vocantur colligationes non tantum, sed confœderationes, cœtus, conventiculæ, factiones, partialitates, partes, sectæ; prout erudite recenset Decianus *tract. Crim. lib. 7. Cap. 7. n. 5. 6. seq.*

2. His explicationibus datis: cum non raro eveniat, uniri plures vel ad deponendum vel ad reticendum contra fas in visitatione cujuslibet Prælati Ecclesiastici, nedum Regularis, nec ullibi de ejusmodi colligationibus in quacumque acceptione tractaverimus adhuc; idcirco prius de Prælato in genere breves assignabimus regulas ex incidenti, ut inde ad Visitatorem Regularem brevi item discursu descendamus. Potest itaque dari casus; quod apud Visitantes Prælatos conspirent subditi contra Parochos, Primicerium, Vicarium, Curatum, vel foraneum, Canonicum, personam quamcumque publicam; vel contra Clericum particularem propter inordinatos fines, ejusdem merito seu fortunæ possessæ actualiter vel pendenti insidiantes: sic item in privata Communitate, puta Hospitali, Seminario, Collegio adversus Rectorem, Ministrum, aliunve conviventem. Similiter quod conveniant plures viceversa personæ sive sint publicæ, vel privatæ pro tegendis criminibus alias correctionem necessario exigentibus, & præcipue in privatis Communitatibus colligentur subditi ad reticendos excessus qui reparatione indigent, ut in pravis consuetudinibus atque licentiis perseverare impune eis liceat. Quid igitur, si colligationum hujusmodi fundatas suspiciones sive indicia acquireret Prælatus visitans, Prudentia equidem & dexteritate vel sagacitate sibi opus esset in casu, vel etenim obligationes coniiceret alteri noxias ex scriptis, vel ex multorum deferentium voce, si ex scriptis ad se clam emissis absque subscriptione, quod illa deberet spernere veluti nullam merentia fidem tenent Doctores citantes jura. Hostien. in sum. de Inquisit. *n. 5.* Panvinus de præparat. Visit. *Cap. 5. n. 2.* & Ventrigl. *part. 2. prax. ad not. 24. §. 2. n. 24.* Qui namque odit lucem præsumitur agere male, ex Evang. *Jo. 3. 28.* Nihilominus cum simus in foro paternali & pœnitentiali, quamquam verum sit quod judicialiter ejusmodi chartulæ seu epistolæ absque subscriptione nullam habeant vim, dicerem non nisi prudentiæ con-

consonum fore, a viris probis & cordatis extra actum visitationis informationes sumere secretas de bono nomine illorum, quos innominatæ scripturæ percutiunt, cum colligationes licet dolosæ saltem legaliter præsumptæ ut tales, defectus & veros defectuosos possunt quandoque insectari, juxta consilium Hostien. citati & Panvini ubi supra *n.* 2. & 4. nec non Cardinalis Polo relati a Crispino in Visit. Pastor. *part.* 1. §. *XI. n.* 1. & 2. Quoties tamen literæ subscriptæ sint, veluti si præcedenter excepisset Visitator epistolam contra aliquem in dignitate constitutum vel alium quempiam a pluribus firmatam ipsemet deinde ad visitationem accedens vocare subscriptos singillatim teneretur & signanter interrogare unumquemque de causa scientiæ extrajudicialiter. Non unus siquidem legitur casus, quod delictum evulgatum de probo & digno viro, nec non tamquam publicum & manifestum Visitanti delatum originem habuerit ab ono malevolo, qui crimen idem magnificando licet occultum contra omne jus apud alios propalaverit ipsosque induxerit inde adversus insecutum & prætensum delinquentem secum una ad subscribendum. Pro detegendo item pravo animo juvabit sciscitari a denuntiantibus quare correctionem fraternam non præmiserint juxta evangelium & regulas traditas in dubitat. præcedenti *sect.* 4. Et si urgentem causam ex assignatis ibi non allegaverint, admonere sui muneris erit eosdem de peccato commisso contra charitatem, immo contra justitiam præcipue primarios delatores, in suppositione quod delictum fratris occultum de quo est sermo publicaverint non sine obligatione restituendi famam super quam delinquens occultus sibi soli noxius non amiserit jus, prout cum D. Thoma 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. docent Panormit. *in Cap. Novit. de Judic.* Navarr. in Manual. *Cap.* 25. *n.* 33. Ex altera parte colligationes in defensionem alicujus vere delinquentis, vel pro reciproca occultatione criminum denuntiandorum, puta si Clerus pravis consuetudinibus implicatus convenisset in pactione secreta ne quis alterum apud Prælatum in visitatione denuntiaret, colligationes inquam hujusmodi non nisi raro possunt iniri io locis præcipue ubi Ecclesiasticorum numerus non sit ita parvus, nam semper aliquis zelo & pietate præditus dissentiret reliquis in casu & propterea iniquum monopolium non revelare nequiret. Ultraquamquod non sine difficultate scrutatoribus secretis quoties adhibeantur alijsque prævie indagantibus delicta communia totius cleri abscondenentur. Idemque sentiendum venit de criminibus publicis alicujus peculiaris in Clero, quod scilicet difficulter convenirent alii omnes pro tegendis iisdem quo minus quispiam zelans veritatem aperiret. At dato hoc casu quod plures de facto silerent & pauci de veritate deponerent, reticentium qualitates quod perpenderet prudens Visitator, æquum foret & comparative denuntiantium integritatem, atque insimul probatiores sæculi, quatenus urgeret necessitas alloqueretur, ut verius & firmius quiret efformare indicium, attenta doctrina Hostien. *de Inquis. n.* 5. Ventrigliæ *part.* 2. *adnot.* 15. *n.* 23. ubi citat Genuensem &c.

3 Verum cum majori facilitate possent iniri Colligationes præfatæ sive contra tertium sive in favorem delinquentium in Collegiis, Seminariis, Hospitalibus, & cæteris hujusmodi domibus, atque privatis Communitatibus; in quibus experientia non semel docuit Rectores aliosque Ministros, vigilantia ac zelo pollentes patere æmulantium invidiæ & libertinorum commentis, nec non ex alia parte propter conviventium taciturnitatem peccata gravia cum infectione Communitatis longo tempore perdurasse absque eo quod Visitantibus innotescerent. In casu ergo, quo conventio comperiretur plurium contra tertium eadem profecto adhibenda forent media, quæ numero præcedente sunt insinuata; interrogatio nempe de causa scientiæ & quatenus delicta sint occulta unique committenti nociva exprobatio de omissione correctionis fraternæ &c. Ad detegenda deinde delicta sub silentio abscondita, juxta pondus suspicionum & indiciorum præcedentium simplicioribus ac minus malitiosis obligationem propriam præmere, & explicare opportunum esset, revelandi videlicet delicta alioquio non occulta cum damno spirituali communitatis vel committentium perpetuum & absque emendatione continuata, ad hoc ut remedium necessarium absque strepitu applicare valeret iisdem Visitator. Et iste videtur esse propriè casus, in quo præhabita suspicione colligationis fundata vel post notitiam exceptam in actu visitationis ab aliquibus de delicto ab aliis malitiosè occultato, tenent Authores plures, posse Prælatum visitantem deferre visitatis juramentum ad magis comperiendam veritatem Gloss. *in Cap. Romana §. Sane de cens.* Paulinus Berti *tit. IV. Cap.* 31. *n.* 2. Genuensis in prax. *Cap.* 21. *n.* 6. Crispin *part.* 1. §. *XI.*

§. *XI. n.* 4. Quinimmo si delicta forent vere scandalosa aut in praejudicium tertii cum indiciis praecedentibus sufficientibus, quotiescumque per recensitas colligationes negarentur, posse ac debere Episcopum procedere solemniter probat cum Genuensi cit. Ventriglia *part.* 2. *ad not.* 24. *n.* 21. Additque consulto Paulinus Berti fore hujusmodi causam ad judicium ordinarium reservandam & ab Advocato Fisci in casu excitandam. *loc. cit. n.* 3. Advertant nihilominus Praelati ne Regulariter nimium credant Missionariis aut scrutatoribus, qui ut plurimum affectantes zelum; ut apud Praelatos ipsos gratiam inveniant statim delictum autumant certum ubi suspicio vel levis ejusdem occurrat; vel adhuc occulta ex ore unius vel alterius per vim & terrores eruta, tamquam famosa & publice corrigenda referunt; proinde colligationibus inde exorientibus aemulantium favere solent. Dixi autem, regulariter; etenim quicumque cessaret revera rationabilis timor quoties viri omni exceptione digniores ad hoc munus praeligantur, praestantes videlicet, zelo quidem, sed insimul prudentia, Evangelica doctrina, & charitate: quales debere de facto selegi docet per allegata jura Pauvinus in bac. Pastoral. *Cap.* 5. *n.* 4. *&* 10. Crispin. alias cit. *par.* 1. §. *XI. n.* 1. *seq.*

4 Devenimus nunc ad propositum de Regularibus, apud quos colligationes praefatae supponuntur proprium habere locum; tum contra invisos & aemulatos Superiores tum contra alium digniorem Patrem; ne Superioratum ascendat; tum etiam pro tuendo aliquo propriae factionis licet culpabili & punitionis digno reo; vel ad tegendos excessus integrae Communitatis, in quibus omnes de familia participes forent: sicuti harummet colligationum cujuscumque generis exemplaria non desunt: ex iis, quae quotidie apud Romanam Curiam per Religiosorum recursus exponuntur. Et sanè de colligationibus in damnum tertii, conspirationibus scilicet eruditè ratiocinatur P. Ludovicus de Ameno de delict. & poen. *tit.* 2. §. *IV.* qui solis verbis a Patre Sanctoro discordat circa aliqua, ut perpendenti liquet: sed quia de probanda juridice conspiratione & de poenis ipsi debitis per sententiam, secundum jura ferendam, inibi tractat; propterea illa tantum quae ad intentum nostrum spectant inde carpemus; quomodo, scilicet, possit Superior visitans extrajudicialiter suspicatam colligationem seu conspirationem detegere? quomodo item se gerere debeat ut Pater ad majora vitanda mala. Et certum est consequenter ad dicta; quod ob literas etiam multiplices sine nomine aut subscriptione moveri non debeat ad aliquid operandum Visitator Regularis; ut optime ex jure deducunt Berti *loc. cit. n.* 8. Sanctorus Constit. *Cap.* 10. *flos.* 5. *V. Quinto hic modus* de Ameno *tit.* 9. §. 4. *n.* 21. quorum doctrina ad propositum cadit, quamvis revera ipsi quantum ad ordinem differant judicialem. Nihilominus quia non semel in datis Epistolis rationes imputati delicti exprimuntur. Ex. gr. chartulam recipit Visitator in qua denuntiatur P. N. N. quod non una vice se inebriaverit in domo saecularium & allegantur socii individuatur domus assignanturque dies, tunc non fore abs re puto quod Visitator extra actum formalis visitationis a viris cordatis de expositis circumstantiis certiorem se reddat, quatenus postea sine strepitu queat scandalo providere. Sicuti cautelam hanc Pater de Ameno citatus extendit ad casum quo denuntiatus per literas caecas cum additis tamen rationibus & circumstantiis foret vir praepotens & timorem vindictae incutiens revelantibus ejus crimen, quatenus sibi innotescerent deinceps. Coeterum si absque nomine simul & ratione literae multiplicentur malevolum sine dubio scribentium animum indicant colligationesque culpabiles arguunt ex Authoribus iisdem. Quamvis hoc non obstante viros probiores si adsint consulere de vita & moribus denuntiati in genere non ducerem inopportunum, juxta monitum Patris Sanctori citati. V. *Utatur Superior*; Absque eo quod tamen crimen praetenso reo imputatum individualiter manifestaretur, ita & taliter ut neque suspicio levis contra ejus bonum nomen posset induci. Prout ex D. Th. *quodl.* 12. *art.* 33. colligunt Navarrus, Graffius, Reginald. Peyrin. signanter de subd. *qu.* 1. *cap.* 16. Verb. *Noto secundo*. Quinimmo ipsimet incusato denuntiationes licet caecas celandas esse censerem, ne inimicitiae & discordiarum semina in corde illius foverentur adversus suspicatos detractores, neve apprehenderet is propriam famam apud Praelatum visitantem fuisse laesam. Ita Antonius item a Spiritu Sancto in Direct. Regul. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 63. adducens Bassaeum V. *Correctio fraterna n.* 13.

5 Quod si Epistolae non caeco modo sine subscriptione sed contra Superiorem vel alium quemlibet praemittantur a pluribus subscrip-

scriptæ, vel denuntiationes consimiles oretenus apud Visitantem multiplicentur, tunc perspiciendum an subscripti aut viva voce denuntiantes sint contrariæ factionis, quæ sane conditio vim denuntiationis non parum infirmat esto judicialis foret. Videatur P. de Ameno *tit. XV. pract. crim.* §. 1. *n.* 14. *ad* 20. Utrum etiam ab aliquo præpotente qui esset prætendenti cuiquam infensus denuntiatores dependeant in ejusque cella frequenter conveniant & ab eo vel munuscula recipiant vel protectiones & auxilia sperent, quod etiam argumentum evidens conspirationis præberet juxta doctrinam ejusdem P. de Ameno de delict. & pœn. *tit.* 2. §. 4. *n.* 18. *ad* 24. Scicitata item causa scientiæ facile veniret in cognitionem perspicax Visitator an delictum revera Visitationi subjaceret. Utpote ab uno tantum propalatum licet occultum & reticendum, sive inventum simpliciter propter leves suspiciones a malignitate invidi, sive cum circumstantiis expositum aggravantibus ad hoc ut appareret inexcusabile. Addita pariter interrogatione quare non præmissa fuerit in delictis non publicis alteri minime perniciosis uti dub. præcedente sect. ult. n. 84. correctio fraterna, comperiet statim dolum, maxime si consulto ab investigante actiones fratris deprehensus dicatur delinquens in fragranti, in quibus casibus ut in plurimum intervenit mendacium vel absolute vel notabiliter delictum aggravans, & sic colligationes malæ & detestabiles patefierent. Has autem insidias contra personam & famam proximi injustè læsam detegens, quid ageret Visitator? Quoties præcipue interrogatus denuntians an secreto delinquentem correxerit, negative respondeat, nequaquam acceptandas esse delationes, docet Paulinus Berti *tit.* 7. *Cap.* 1. At prudentius ut rumores ex juridicis processibus & recriminationibus alias orituros evitaret, obligationes propriæ conscientiæ denuntiatoribus obiicere non prætermitteret, primo signanter inventori & conspirationis promotori quatenus in peccati mortalis miserrimo statu se vivere nosset ne famam fratris per occultum crimen absque correctione prævia propalatione injuste læsam redintegrare curaret: ex Portell. V. *Correctio* Fratrum in addit. *n.* 7. & aliis passim. Et eo fortius si delictum inverisimile vel circumstantiam inexcusabilem delicti alias occulti in Religiosi inculpati ruinam relevare niteretur, secundum moralistas omnes cum S. Thoma *quodl.* 3. *art.* 12. & 2. 2. *qu.* 33. *sæpe cit. art.* 7.

6 Colligationes ex altera parte pro delictis & delinquentibus detegendis & protegendis suspicabitur cum fundamento Visitator, si obmutescentes comperiat omnes de familia circa delictum fratris, non obstante quod aliqui ex familia eadem extra Visitationis tempus de delicto eodem & delinquente fuerint oblocuti. Seu quando quilibet sub iisdem verbis omnia bene se habere deponant; non obstante rumore inter sæculares de relaxatione in Conventu visitato demorantium, immo de specialibus inobservantiis inibi gliscentibus, sicuti quandoque contingere advertit, licet in alio casu & sensu P. de Ameno in pract. crim. tit. 11. §. 1. n. 11. Et tunc nil aptius suggerere quibit colligatis nisi obligationem sub lethali culpa revelandi occultatos defectus pro bono communi Religionis juxta Apostolicas Sanctiones & Regulæ quam professi sunt observantiam. Sic Jurisperit. in Cap. novit. de Judic. Alen. 3. part. qu. 42. membr. 1. in 4. dist. 19. D. Th. 2. 2. qu. 68. art. X. Eo vel magis si præceptum sanctæ obedientiæ præmiserit, quamvis sine ipso obligatio adhuc urgeat deferendi inobservantias occurrentes in Religionis perniciem, juxta traditas alibi regulas & mox allegatos Doctores; quod tamen præceptum in casu suspicatæ hujusmodi colligationis quantum ad defectus notabiles minime reticendos opportune adderetur, ut viam sterneret ad inquisitionem juridicam, ex adnotatis dubit. præcedente sect. 11. n. 36. quam posset comminari Visitator, prout adducit Sotus *in* 2. *qu.* 7. *concl.* 3. *dub.* 1. allegans Bartolum & Albericum aliosque. At supposita obstinata reticentia nil tentandum remaneret Visitanti, nisi rem scrutatori omnis nequitiæ Deo precibus commendare. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 42.

7 Pro Fratribus Minoribus allatæ usque nunc regulæ inservient non minus quam pro Regularibus cæteris, & solum possunt addi eorum Statuta ad propositum Visitationis paternæ quantum ad conspiratores videlicet: *Qui per malitiosam concordiam, seu conspirationem adversus alium & Superiorem maxime insurrexerint omnibus Ordinis officiis privati sint, quousque per condignam satisfactionem a Generali, vel Provinciali Ministro releventur.* Item: *Conspiratio tamen non intelligitur ubi subditi Superioribus aliquid intimare aut significare prætendunt.* Vallisol. de an. 1593. Cap. 7. tit. de Conspiratoribus & in Compilat. Sambuc. cap. 7. §. 6. n. 54. Ex quorum primo habetur conspiratorum pœna, & quomodo conspirationes quæ etiam inibi ma-

malitiosæ concordiæ appellantur adversus Superiores quidem sed adhuc contra fratrem privatum, immo contra Tertiarios & non professos moliri contingat, immo contra Sæculares ipsos ut explicat Sanctorus de pœn. *cap. XVI. qu. 2.* V. *Si quæras*. Ex altero statuto deducitur quod in casu conveniant subditi de repræsentandis Superiori legitimo & tempore debito inobservantiis quæ in damnum regularis disciplinæ præcipue cum sæculi scandalo in aliqua Communitate succrescant, aut de revelando crimine delinquentis Fratris omnibus servatis regulis quæ in præcedente dubitatione sunt traditæ, nequaquam conspiratores sint censendi, nec eorum conventio conspirationis sive colligationis malitiosæ titulo sit deturpanda. Deberent porro fratres uniti in casu duci vero zelo qui numquam in Religioso & Religionis Matris & fratrum amatore apud Minoritas signanter ex Regulæ præcepto a charitate sejungi debet. Videantur Pater Sanctorus cit. *cap. XVI. sub qu. 2.* ℣. *sed ut aliqua & qu. 4. ibi dicente statuto*. Necnon P. de Ameno de delict. & pœn. *tit. 2. §. 4. n. 17. ad 26.* Quæ profecto omnino Visitatoris solertis intellectum pro comperiendis colligationibus nonnihil illuminare queunt.

8 Hic tamen alterum occurrit dubium viceversa. Quid agendum subditis in suppositione Visitatoris nolentis denuntiationes quamvis extrajudiciales scribere, vel qui denuntiatis delinquentibus seu fautoribus & protectoribus eorum deprehendatur esse partialis. Supponitur moveri dubium circa delicta, quæ secundum præcedentes regulas possunt ac denuntiari debent, & tunc dico. Si denuntiationes justas secundum legem nolit excipere, eumdem monendum esse cum protestatione quod apud Superiorem majorem deponentur, onerata interim ipsiusmet conscientia quantum ad remedium malis culpabiliter dilatum; sicuti de facto in casu recurrendum esse ad Superiorem majorem vel tempore congruo vel per non procrastinatas literas, si periculum adsit in mora pro bono communi Religionis docent Sanctorus loc. cit. ℣. *Ad quartum* dico in fin. & Cap. 24. ℣. *Respondeo quarto*. Pater item de Ameno loc. cit. *n. 44. seq.* Verum in suppositione quod partialitas Visitatoris eo usque percrebesceret, ut non solum malis remedium ferre negligeret, sed probabiliter is judicari posset denuntiantes revelaturus vel notabile hismet damnum illaturus, tunc concedunt Doctores posse subditum a denuntiando abstinere ob grave sibi incommodum sive secuturum damnum. Sanctor. cit. de pœn. *Cap. 24.* ℣. *Noto secundo* seq. Ant. a Sp. S. Direct. Regul. *disp. 3. cit. n. 157.* prout tetigimus superius. *Dub. XIV. n. 68. &c.* Sed deinde superiori indifferenti tempore congruo tenerentur omnem dolum, & malitiam patefacere, ne colligatio perniciosissima Visitatoris cum male viventibus factionis sibi bene visæ omnino impunis dimitteretur. Ex eod. Sanctoro loc. cit. Hoc itidem asserendum venit quantum ad delicta ordinaria non excepta & enormia. Nam si de exceptis sit sermo nocivis nempe communitati, vel graviter tertio innocenti aliquam jacturam seu periculum molestiæ sibi probabiliter inferendæ debere potius pati Religiosum, quam ea silere superioribus secundum regulas alibi traditas servato recursus gradu sustinent signanter. Sayrus in Clav. Reg. *lib. 12. Cap. 14. n. 26.* Portell. Verb. Correctio fraterna *in addit. n. 12.*

SECTIO II.

Utrum in actu Visitationis Prælatus Regularis possit ferre censuras.

SUMMARIUM.

9 *Supponitur in Prælatis etiam Regularibus Potestas ferendi censuras esto sint Delegati.*

10 *Nequeunt absolute Prælati Regulares sive Ordinarii sive Delegati ferre censuras in Visitatione generali paterna.*

11 *Circa declarationem censurarum inflictarum a jure vel ab homine, quomodo deberet procedere Prælatus Regularis visitans.*

12 *Quæcumque censurarum sententia indeclinabiliter exigit modum procedendi judicialem.*

13 *Prælatus Regularis in Visitatione paterna an valeat suspendere ab Officio Superiores subalternos? Ubi aliqua prænotanda.*

14 *Possunt Visitatores sive Ordinarii sive Delegati suspendere ab Officio superiores subalternos, sed limitatur, aliosque respective.*

15 *Suspensio ab Officio non inferri debet subalternis absque gravi causa.*

16 *Non potest consequenter inferri pœna suspensionis ab Officio absque prævio processu, præterquam in notoriis.*

17 *Asseritur id signanter de suspensione ab officio superioratus per canonicam electionem collati.*

18 *Assignatur ulterius modus prudens removen-*

vendi a gubernio Superiores ipsos canonice electos, absque publica nota suspensionis eorum ab Officio.

19 *Suspensio ab Officio, quæ infligatur ut pœna, non potest esse perpetua, & nullatenus infligi prætenso Reo, nisi prius audiatur.*

20 *Suspensio ab Officio lata in jure vel ab homine ad quæ officia sive munera se extendat?*

21 *An Superior localis possit incurrere subditis suspensionem ab Officio, ut censuram & quomodo ut pœnam.*

22 *Superiores Generales Minoritæ possunt ferre in subditos suspensionem ut censuram & ab Officio ut pœnam.*

23 *Censuras & suspensionem ab Officio ut pœnam potest ferre Superior Generalis in Ordine Minorum se solo.*

24 *Superiores Provinciales in Ordine Minorum possunt ferre censuras etiam in aliquibus casibus arbitrariis.*

25 *Præcipere sub censuris possunt Ministri in dicto Ordine & Visitatores se solis non tamen se solis sententias ferre. Et quid de suspensione ab Officio.*

26 *Superiores hujuscemodi possunt se solis infligere pœnam suspensionis ab Officio per tres menses, quando & quomodo.*

27 *Inflictio censurarum, & suspensionis ab Officio repugnat Paternali & generali inquisitioni.*

28 *Ejo illicita tantum foret sententia censuræ aut suspensionis ab officio, per accidens se haberet ad Visitationem paternalem in quocumque casu, & veluti rationem ejus excedens.*

29 *Guardiani in Ordine Minorum, & alii Superiores locales vere Prælati, quomodo possint præcipere sub censuris & pœna suspensionis ab Officio.*

30 *Præfati Superiores locales nequeunt tamen censuram præcepto apposito inferre, aut declarare incursam.*

31 *Examinatur assertum Patris Ludovici de Ameno. Quod Guardiani &c. comparentur Archidiaconis &c.*

32 *Refertur item distinctio data a dicto P. circa præceptum latum per modum Ordinationis & statuti aut per modum simplicis solius præcepti.*

33 *Expenditur statutum Barchinonense irritans in Ordine Minorum sententiam sive pœnam excommunicationis adiectam legibus & Ordinationibus, nisi scripto exaretur.*

34 *Non est ratio, quare Superior localis possit procedere scripto contra transgredientem præceptum ut tale & non valens scriptum adhibere si præceptum feratur per modum ordinationis. Et quid sentiendum?*

35 *Respondetur objectis, quod non per hoc inanis & frustranea evaderet Potestas ferendi censuras in Prælato locali, neque quod destitueretur vi coercitiva &c.*

36 *Nequeunt signanter Superiores locales in Ordine Minorum Excommunicationem ferre ad finem revelationis, ac pro deperditis & subtractis rebus & assignatur ratio.*

37 *Excluditur dictum Patris de Ameno quod Superiores locales in casibus præfatis agerent illicite tantum, & non invalide!*

38 *Quicquid sit de Prælatis localibus aliarum Religionum intra claustra, quantum ad Prælatos locales Ordinis Minorum confirmatur amplius, quod nulliter agerent ferendo excommunicationem in dictis tribus casibus. Explicatur P. Sanctorus.*

39 *Excluditur distinctio data a Patre de Ameno, quod Episcopi &c. habent privativum in dictis tribus casibus si procedant ad instantiam partis non vero ex officio.*

40 *In aliis Religionibus, quatenus Prælati locales jurisdictionem quasi Episcopalem respective possideant in propria familia non potest negari; quod valeant ferre censuras in dictis casibus etiam respective! Absolute tamen magis representant Episcopos Generales ipsi & Provinciales &c.*

41 *Pro Prælatis localibus Ordinis Minorum signanter in hac materia Corollarium.*

42 *Prohibetur item superioribus signanter localibus in Ordine Minorum excommunicationem ferre & monitoria præmittere in allatis tribus casibus vocetenus, & universaliter excommunicationes & censuras adhibere paternæ visitationis limites excedit.*

9 SUppositis iis quæ diximus circa censuras, de Potestate Episcopi eas ferendi tum in actu Visitationis *Cap. 1. dub. 4. n. 5.* tum extra Visitationem *dub. VIII. sect. VI. n. 39.* Et quantum ad Regulares; scilicet de Potestate Ordinarii ferendi censuras contra ipsos *dub. X. sect. 4. n. 48. supr.* Quibus addemus alia ad propositum inferius; quantum ad Potestatem Prælatorum omnium Regularium ferendi censuras extra actum visitandi pro nunc necessario præmittimus. Potestatem hujusmodi in genere Superioribus Regularibus Ordinariis quibuscumque competentem, non posse denegari Commissariis, sive respective Delegatis. Et absque eo quod loquamur de Commissariis iis, quibus juxta Religionum statuta gubernium alicujus Familiæ vel Nationis sive per electionem sive per delegationem Superioris generalis supremi,

in

in absentia hujus demandatur, quibusque facultas in casu una cum aliis Superiori ipsi Generali competentibus communicatur absque controversia. Rodriguez *tom.* 1. *q.* 51. *art.* 1. 2. & 3. Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *n.* 13. quos citat & sequitur Anton.a Spir. S. *tract.* 4. *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 4. & *seq.* Quantum ad Commissarios signanter qui dicuntur Visitatores, Delegatos vide. licet a Generalibus ad aliquam Provinciam vel ab ipsis aut Provincialibus ad visitandum unum vel plures Conventus, patet æquidem regulandam esse Potestatem horummet a literis propriæ Commissionis, quæ numquam extenditur ad ea quæ requirunt speciale mandatum. *Cap. Qui ad agendum*, & *Cap. Qui generaliter de Procurat. in* 6. Attamen quamvis in ipsis literis hæc Potestas ferendi censuras minime exprimeretur quoties comminatio & sententia earumdem censeretur necessaria ad commissionis finem; Potestate ipsamet posse uti sine dubio præfatus Delegatus teuent Azorius *tom.* 3. *lib.* 9. *cap.*6. *qu.* 4. & 5. Naldus in Sum. *V. Mandatum n.* 7. Portell. dub. Reg. *V. Prælatus* in addit. n. 10. Ludovicus de Ameno pract. Crim. *tit.* 1. *n.* 155. Delegata enim jurisdictione omnia illa commissa censentur quæ possunt ad rectum ejus exercitium conducere. Ad textum in *Cap. Præterea* 5. *de Offic. deleg.* Nisi in præfatis literis Delegato vel Subdelegato ad causam præsertim particularem facultas comminandi & ferendi censuras aperte excluderetur vel incerta agendi forma esset assignata, nam quoties ad actum certa determinatur forma, paria sunt agere contra præter & citra illam. *Cap. si cui de elect. in* 6. *Cap. Prudentia de Offic. deleg.* & *l. delegante* Gloss. in d. *Cap. si cui*, & Doctores cit. a Lezana *V. Mandatum n.* 8.

10 Descendendo nunc ad Sectionis quæsitum. An scilicet Prælati Regulares vel Ordinarii ut Generales & Provinciales vel Delegati, qui etiam Commissarii & Visitatores nuncupantur, valeant facultatem ferendi censuras exercere in actu paternę & generalis Visitationis seu inquisitionis? Respondetur absolute 1 *Quod non*. Cum etenim prærequiratur ad censuram ferendam trina monitio ordinarie loquendo & quod feratur in scriptis ut alibi dictum est, patet non procedi in similibus actionibus nisi judicialiter contra rationem visitationis & inquisitionis paternæ: juxta communem sensum in famoso *Cap. Romana* §. *fane de cauf. in* 6. & *cap. Placuit* 10.q.1. Specul. *tit.de inquis.* §.2. *n.*6. Nec juvat posse Visitatorem in aliquibus casibus propriam jurisdictionem tueri & absque processu & monitionibus veluti partem offensam contra offendentes & impedientes sui muneris exercitium censuras ferre ex *Cap. Dilecta de sentent. excom.* & Doctoribus. Suarez de cens. *disp.* 2. *sect.* 4. Graff. in Appendic. ad decis. *lib.* 3. *de monit. necess. Cap.* 1. *n.* 24. & 25. Genuens. in prax. *Cap.* 18. *n.* 5. Campanil. divers. jur. *rubr.* 12. *Cap.* 13. *n.* 53. Vulp. prax. *Cap.* 1. *n.* 10. prout alibi retulimus quantum ad Episcopos & cæteros visitantes *dub. IV. sect. I. n.* 15. Hoc inquam minime juvat; quia in primis Commissarium Regularem erga Religiosos subditos sic incontinenti se gerere specialiter dedecet, ut notat consulto Pater de Ameno, prudenter suadens semper monitionem etiam in hujusmodi casibus impedientium audacter jurisdictionem præmitti; assignansque methodum quam deberet ipsemet sive ordinarius sive delegatus sic impeditus adhibere, habito scilicet respectu erga impedientes juxta qualitatem ipsorum & quod fas esset a mitioribus pœnis incipere, quatenus forent contumaces: pract.crim. tit.1. n.117. ad 120. Alias quomodocumque procederetur, indeclinabiliter contingeret transitus a foro paterno ad contentiosum in casu: sententiam namque in scriptis ferre & non nisi servato ordine juris intimare & publicare opportet; ideoque actus idem non posset non dici paternum excedere modum & veluti citra paternam visitationem confici; quamvis ad finem Visitationis adimplendæ medium necessarium judicaretur. Videatur etiam Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 64. *n.* 19.

11 Hæc de censuris ab ipso Prælato visitante ferendis. Verum superest dubium circa declarationem censurarum inflictarum a jure vel ab homine per edictum prævium sive statutum quod vim juris præseferat: ex Graff. *consil. lib.* 5. *de sent. excom. consil.* 2. *n.* 60. Conrad. in prax. *lib.* 8. *Cap.* 3. *n.* 32. Quomodo ergo debeat procedere Prælatus Regularis visitans in hoc secundo casu? Dubitandum non esse respondeo quoties Visitator sive Ordinarius sive Delegatus repererit subditos incurrisse in censuras ipso facto a jure vel ab alio Superiore plenam jurisdictionem habente impositas, præcipue si publicæ sint vel manifesta sint crimina propter quæ incurrantur, quod teneatur ad declarationem earum item publicam devenire, eo vel magis si pœnæ contra Prælatos ipsos in hoc desides apponi soleant: ex. gr. in Bulla *Nuper* de celebr. Miss. & consimilibus. Nihilominus quamvis monitio in hisce casi-

casibus minime requiratur ad contrahendam proprie censuram: utpote supponatur delictum jam commissum cui ipso facto sit adnexa censura, cujus proinde præ-requisita monitio continuo perseverat in Lege lata vel publicato mandato: Lezana cum aliis: *Verbo censura numer.* 7: non potest negari, quod modus quoque paternæ Visitationis in ipsa declaratione excedatur, ac actus propterea separatus omnino præexigatur. Præcedenter ad ipsam nimirum deberet adhuc regulariter citari reus ut posset, quatenus aliqua ei competeret defensio, illam deducere, quæ citatio habet vim monitionis canonicæ, saltem per unicam vicem requisitæ, etiam per declarationem ipsam excommunicationis a jure latæ secundum Sayrum de censuris. *lib.* 1. *Cap.* 12. *n.* 24. esto agatur de ipsa excommunicatione Canonis *Si quis suadente &c.* Graff. de effect. Cleric. effectu 9. *n.* 319., *&* 320. Belleno de favor. Can. §. 4. *n.* 24. *&* 25. Itaut, nisi præcederet hujusmodi citatio sive monitio, in qua competens præfigatur terminus reo ad allegandum quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem talem, declaratoria evaderet nulla. *Cap. Cum secundum, de heret. in* 6. Gloss. in Clement. *Præsenti* Verbo *Consliterat de censib.* Navarr. *cons.* 9. *n.* 5. *&* 8. *& cons.* 31. *n.* 2. de sent. excom. Graff. eod. tit. *part.* 1. *lib.* 5. *cons.* 8. *n.* 1. *& seq.* Guazzin. jun. ad defens. anim. *lib.* 2. *defens. Cap.* 14. *n.* 23. Præmissum est autem *Regulariter*. Quoniam si excessus foret notorius, tunc posse judicem absque ulla monitione sententiam declaratoriam proferre, reumque publice excommunicatum denunciare, addunt Ricc. *collect.* 869. Bellet. cit. *n.* 26. Graff. dec. aur. *part.* 7. *in append. libr.* 3. *de excom. Cap.* 1. *n.* 42. Fagnan. in Cap. *Non potest n.* 13. *& seq.* de sent. & re judic. Immo in notorio ad sententiam declarativam sufficere cum notitia certo extrajudiciali timorem rationabilem de fuga rei citandi substinet Fagnanus ibi n. ult. & Ricc. *cit. n.* 16. Attamen sola ipsamet declaratio non nisi judicialiter pronunciari deberet; proinde, vel cum monitione prævia vel sine eadem, semper forum contentiosum saperet, & juridicam methodum extra & separatim a paternali indeclinabiter exigeret; ut per extensum tradit Monacellus *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 1. *a n.* 4.

12 In confirmationem & pleniorem dilucidationem quorum, non omittendam duco notitiam incidenter; qualiter contingere queat sententia declaratoria in casu tri-pliciter; videlicet declaratoria criminis cui est adnexa excommunicatio, quæ tamen sententia prout præscindit a censura diceretur quoque deffinitiva; declaratoria incursus in excommunicationem latam a jure; & tertio declaratoriam excommunicationis prius latæ ab homine, in quarum unaquaque plane constat, prærequiri probationes, exceptis notoriis, quæ etiam judicialiter ut talia, scilicet ut notoria, pronunciari non nequeunt. Quapropter excommunicandus in casu, idem, quantum ad suspensionem & interdictum; si monitus atque citatus comparuerit, profecto audiendus foret; quatenus exceptiones excusationesque deduceret (examinandas an valeant) antequam declaratoria proferatur; sin minus, scilicet, non compareat, tanquam reus contumax habendus sit pro confesso, possitque Judex ad declaratoriam tunc & censuræ denunciationem per affixos cædolones devenire. At hæc omnia extra forum pœnitentiale & acta mere paternæ cotrectionis peragenda, nemo dissentit. Genuens. prax. *Cap.* 28. *n.* 19. Ciarl. controv. *tom.* 2. *Cap.* 147. *n.* 40. *&* 41. cum aliis. An vero deinde a declaratoria detur appellatio suspensiva, & quomodo processurus esset in casu Visitator non est præsentis indaginis, & videndus Monacellus *tit.* 1. *n.* 15. Præcipue autem, cum supponatur cæteris duabus censuris pœna gravior excommunicatio; utpotè privet potioribus bonis excludatque a communione fidelium. *D. Th.* 4. *sent. dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 2. Panormit. *in Cap. ex rescripto de jurejur. n.* 3. Sayr. *lib.* 1. *de cens. Cap.* 8. *n.* 20. *& lib.* 5 *Cap.* 1. *num.* 8. Hinc raro & non nisi cum necessitate alias inevitabili consulunt serio Doctores, hoc extremum signanter remedium esse adhibendum, vel ad vim alioquin omnino indeclinabilem repellendam, vel contra vere contumaces Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 4. *de sent. excom. cons.* 4. *dist.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 59. *art.* 4. Peyrin. de Prælat. *qu.* 3. *Cap.* 4. *n.* 15. & reliqui: qui omnes ad rem conveniunt, modum procedendi alias in casu evasurum fore juridicum: juxta mox supra probata. Et quamvis Visitatoribus, quatenus in executione proprii muneris forent impediti, antequam extremum excommunicationis apprehenderent, suggerat alia mitiora remedia ipsumque interdictum: Pater jam citatus de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *qu.* 13. *n.* 118. & post ipsum P. Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 54. *n.* 19. Attamen si de censuris, aut pœnis aliis grave

seu

seu irreparabile secum præjudicium ferentibus agatur, visitationis paternæ limites semper non nequibunt excedere : quia methodus in casu non posset evitari judicialis. Sed nunquam Visitatores ipsi sive ordinarii, sive ad integras Provincias destinati non possunt ordinationes post se relinquere opportunas, adjecta eis pœna censurarum, licet Visitationes expleverint mere paternas. Respondetur, posse æquidem post munus paterne expletum ordinationes necessarias & opportunas edere attentis præhabitis in Visitando notitiis ; cum pœna superaddita censurarum contra despicientes aut transgredientes. Quæ quidem adjuncta pœna perduraret pari modo, ac ipsæ durarent ordinationes secundum aliquos. Sot. *in 4. sent. dist. 22. qu. 2. art. 1. §. Sed minores*. Avil. *tr. de cens. 2. part. Cap. 1. disput. 2. dub. un. §. Tertio deducitur & Cap. 3. disp. 1. dub. 4. §. Dato secundo*. Graff. decis. *tom. 2. lib. 3. Cap. 7. n. 3.* Manriquez *part. 1. qu. mor. qu. 28. per tot.* Saltem quoties durationem firmant consuetudo aut jura peculiaria Religionis, quibus omnino standum ait cum Suarez Lezana. *tom. 1. Cap. 8. n. 3. & tom. 2. Cap. 19. n. 90.* nisi ab habente majorem vel æqualem Potestatem revocarentur abrogarentur vel derogarentur : Portella *Dub. Regul. V. Lex n. 14. & 15.* Lezana. V. Leges Regularium *n. 53.* Quod est indubitabile, si, accedente consensu Capituli seu Communitatis respective ordinationes induant rationem statuti sive legis, prout Sanctorus relatus ab Ameno pract. crim. *tit. 5. qu. 18. n. 168.* Nullatenus autem posse censuras hujusmodi executioni deinde mandari, nisi juris ordine servato concludunt citati Doctores : immo non esse illaqueandos animos hisce spiritualibus pœnis, quæ non nisi raro & cum maturitate ordinationibus adnectantur, præcipue excommunicatio, quæ vix pro gravioribus culpis addita inobedientia & patente contumacia, ferri permittitur : sentiunt cum Crespetio in Sum- *V. Excom. sent. non temere ferenda*. Peyrin; *tom. 2. privileg. in Constit. 10. Urban. VIII. n. 11.* P. de Ameno pract *tit. V. qu. 28. n. 164. & 172.* & reliqui ex Trident. *sess. 25. de Reform. Cap. 3.*

13 Peculiare solet agitari quæsitum. Utrum Prælatus Regularis in Visitatione paterna valeat ab Officio suspendere Superiores subalternos ? Jam suppono priusquam quæsitum resolvam, non posse Superiores subalternos privari officio & ab eodem deponi, vel privatos a jure & Constitutionibus propter delictum commissum declarari, absque processu & formali sententia ; saltem de delicto cui privatio sit adnexa ; si a jure vel ab hominis constitutione, habente vim juris sit imposita ; cum alioquin sententia etiam de privatione desideretur, quoties ab ipso judice veluti sibi arbitraria & delicto probato condigna infligatur : Passerin. *de elect. Can. cap. 25. qu. 50. n. 603.* addito Decreto S. Congregationis Episcop. *27. Maii 1616.* præcipue si dignitas Prælatitia sit collata per Canonicam electionem & non per deputationem a nutu pendentem : sic enim canonice electi nequaquam possunt amoveri ab Officio tempore indebito sine justa causa, quæ proinde debet juridice constare : cum alioquin amotio possit & debeat nulla declarari. Portell. *V. Prælatus in addit. n. 7.* Ant. a Sp. S. cum pluribus a se citatis in Direct. Regul. *tr. 4. disp. 1. sect. 5. n. 135. ad 140.* At hæc acta, privationem quidem concernentia extra paternalem Visitationem conficienda esse nemo dubitat juxta sæpe dicta, ex Patre de Ameno pract. crim. *tit. Inquisitio. num. 3. & seq.* Suppono item, suspensionem ab Officio præcise præsertim in Regularibus non esse vere & proprie censuram; fertur enim ut in plurimum contra delicta præterita absolute punienda, nec requirit monitionem præviam ad hoc ut quis resipiscat, nisi citationem quatenus a jure imponatur, quæ omnia rationi censuræ videntur dissonare, secundum P. Sanctorum Doctores & jura cumulantem. Pœrer. *Cap. 1. ℣. Quatenus.* Et P. de Ameno pract. crim. *tit. Canones qu. 3. n. 93.* Non obstat quod censura vocetur etiam pœna, nam simul est medicina, ut aliquis contumaciam deserat, vel in idem non reincidat crimen:præterea si pœna appellatur, additur semper medicinalis Suarez *tom 5. in 3. part. disp. 25. sect. 1.* Bonac. de censur. *disp. 3. punct. 1. n. 2.* de Amen. pract. crim. *tit. 3. q. 12. n. 133.* Quod si contendant aliqui, hanc quoque suspensionem, videlicet ab officio præcise in casu & non ab Ordine, fore censuram, ex Anton. a Spiritu Sancto *tr. 4. disp. 3. sect. 13. §. 3. n. 379.* posset concedi lato modo & secundum quid & esset lis de solo nomine. Adverto tamen examinandum esse assertum tum P. Sanctori tum Patris de Ameno, quod scilicet suspensio ab Officio tantum & non ab ordine, ideo non sit censura eo quia impediat officia quatenus concernunt potius civilem administrationem. Perspicuum est siquidem suspensionem ab offi-

cio cum absolute sic pronuntiatur in legibus & statutis signanter Religionum, impedire quemcumque actum jurisdictionis tum temporalis tum spiritualis quæ absque dubio terminos civilis administrationis excedit, prout concedunt Doctores ambo si bene perpedantur præsertim de Ameno *pract. tit. 5. a n. 17.* in suppositione potissimum nostra de suspensione Prælatorum; suspensio namque a Prælatura sive sit a jure sive absolute sit ab homine lata, tollit per consequens exercitium omnium eorum quæ in Prælatura respective fundantur esto ordinem minime feriat. *Cap. cum Paulus I. qu. 1.* cum concordantiis. Quatenus vero quæcumque ab homine lata afficiat alios non Prælatos puta Lectores Confessarios, consideranda esse verba Superioris suspendentis, atque officia quæ possidentur a suspensis, est extra controversiam ex eod. de Ameno *n. 16. & 19.* Ut igitur ad plenam solutionem quæsiti descendamus sit.

14 Dictum primum. Possunt Visitatores sive Ordinarii sive delegati quorum facultas per commissionis literas non restringatur suspendere ab officio. Superiores subalternos sibi subjectos aliosque Officiales respective. Ratio est, quia valent censuras ferre quæ ampliorem jurisdictionem important, & gravioris in se ponderis quam sit suspensio ab officio, ut pœna majoribus privans bonis. Cap. *Medicinalis*, Cap. *Is cui de sent. excom. in 6.* Propterea non neganda est ipsis hujus etiam ferendæ potestas, itaut sub pœna suspensionis ab officio possint aliquid grave præcipere vel hujusmodi pœnam subditis infligere. Lezana *tom. 3. V. suspensio n. 3. & 6. & alii.* Confirmatur ex eo quod Doctores passim classici probant posse ligare subditos suspensione ut vere censura per hoc, quod possint eosdem excommunicatione majori quæ est inter ipsas censuras gravior irretire. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. n. 6.* Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 22.* Peyrin. Doctores suo more conglomerans de Prælat. *qu. 3. cap. 4. n. 26.* A pari igitur quatenus possint suspensionem ferre absolute ut censuram, quæ sine limitatione inflicta expresse aut tacite suspendit ab Ordine officio beneficio &c. Valebunt fortius ipsam infligere cum limitatione ab officio tantum ut pœnam. Sylvester verbo *Suspensio qu. 5.* Tolet. *in summ. lib. 1. cap. 44. n. 5.* Diana *5. par. tr. 10. resol. 14.* Peyrin. de Prælat. ubi supra *Cap. 4. qu. 3. n. 6.* & per tot. Quoad delegatos autem cautum est: *Nisi facultas eis per literas commissionales restringatur:* quoties namque ad causam particularem sint missi vel ad informationem capiendam cum limitatione; quamvis impedimentum in executione literarum inveniant, opus foret Delegatum certiorare ab eoque facultatis ampliationem expetere, ut inde possent ad suspensionis remedium devenire. Quod idem afferendum venit si facultas ferendi censuras in patentalibus esset adempta; etiam in dubio quod prohibitio non compreheuderet potestatem suspendendi tantum ab officio: ad tradita per Patrem de Ameno pract. crim. tit. 1. n. 122. & 123. Addendum est pariter posse Prælatos Regulares eorumque Delegatos ad universitatem causarum saltem pœnam infligere se solia in casu, nisi consensus aut consilium aliorum requiratur per Ordinum statuta a quibus regula peculiaris sumenda est per Lezanam *tom. 1. cap. 18. n. 90.* Utpote talis facultas adnexa sit jurisdictioni sive Prælaturæ quam possident. Suarez. *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap. 9. n. 6.* Lezana cit. *cap. 18. n. 2. 3. 4. & 22. &c.*

15 Dictum secundum. Nequeunt Visitatores præfati suspendere subalternos ab officio respective signanter Superioratus absque gravi causa. Et probant Doctores. Eo quia suspensio ab Officio præsertim Superioratus & subalternæ Prælaturæ est pœna gravis quæ notabile infert nocumentum sic suspenso: est enim privatio inchoata: & cum privatio Officii possessi vocetur mors civilis *L. Capitis diminutio* juncta Gloss. *ff. de Cap. dimin.* De Amen. *tit. v. cit.* Suspensio per consequens est pœna morti proxima & nonnisi gravi delicto correspondens. *Cap. Felicis §. Illud autem de pœn. in 6.* Gravis ergo inureretur injuria Personæ in Superioratu constitutæ si suspensionis pœna plecteretur absque motivo pariter gravi, non sine injustitia & naturalis juris conculcatione prout sapienter ratiocinatur P. de Ameno *tit. 8. q. 8. n. 66. & 67.* post Lezana *tom. 2. cap. 13. n. 56.* Bordon. *tom. 2. resol. 58. n. 53.* Ant. a Spir. S. Direct. Regul. *tr. 4. disp. 1. sect. 5. a n. 135. & disp. 7. sect. 4. n. 98.* Ex quo deducitur minime licere hujusmodi pœnæ inflictionem titulo simplicis mortificationis & ad esperiendam subditi obedientiam contra Sanctorum sic sentientem *cap. cit. 1. de pœn. q. 3. ℣. Respondeo primo.* Alia namque dantur in foro pœnitentiali mortificationis experimenta, absque eo quod per suspensionem ab Officio Prior seu quicumque alius Superior apud domesticos atque exteros infamaretur. Quod si exempla humilitatis & obedientiæ præbue-

buerunt in hoc genere probi ac Sancti viri; non propter hoc Prælati illi qui absque gravi causa ob solum mortificationis experimentum in subalternos Superiores ibi subditos hujusmodi adhibent medium, a nota imprudentiæ & fatuitatis eximerentur. Ita cum P. de Ameno *cit. n. 66.* qui inde optime ad rationes Patris Sanctori respondet *n. 68. & 69.*

16 Dictum tertium. Non potest consequenter Prælatus quicumque suspensionem ab officio præsertim Superioratus inferre pœnam absque legitimo prævio processu præterquam in Notoriis. Hoc est alioquin conforme sensui ipsiusmet Sanctori qui luculenter idem probat per rationes in qualibet Religione valentes; cum enim in omni punitione sive criminali pœna gravi requiratur sententia, cum hæc ad probationes prævias sequatur, evidens est quod telam judiciariam in casu texere necessitatur Prælatus, absque eo quod suffragetur ex adverso sententiam suspensionis esse non una vice interlocutoriam; notabile nempe præjudicium semper inurit, maculam videlicet commissi delicti, quod suspensioni det causam; & ita subalterni Superioris bonam existimationem lædi apud Provinciam & totam Religionem aliquando nec non apud seculum quo præstantiores sint in bono nomine Religiosi suspensi, quod sane passum gravamen per sententiam finalem foret irreparabile. Ideoque graviter peccaturum contra justitiam Prælatum ad hujusmodi pœnam per solam inquisitionem generalem absque legitimis probationibus devenientem concludit Doctor præfatus ℣. *Respondeo quarto*; & *Respondeo quinto*, cui adhæret de Ameno cit. *n. 71.* Estque conclusio consona juri communi. Cap. *Nullam potestatem* 18. *qu. 2.* & *Cap. Monachi in fin. de stat. Monach.* ubi Gloss. ℣. *Non mutentur*, aliisque Doctoribus Panormit. super idem *Cap. n. 8.* ℣. in Gloss. signanter Azor. *par. 2. lib. 3. Cap. 26.* Sigism. de Bonon. in tract. de election. *part. 1. Cap. 7. dub. 49. n. 7. & 24.* Verum additum fuit præterquam in notoriis, quia potest dari casus manifestus quo immineat aliquod grave periculum vel gravissimum scandalum, adeo ut necesse sit Superiori generali ad tempus Provincialem suspendere vel Provinciali sive Visitatori suspendere Superiorem localem quicumque sit, immo a Provincia vel Conventu sic suspensum citius removere secundum Doctrinam Farinerii *part. 1. prax. qu. 21. n. 6. ex Cap. Ad nostram 3. de jurejur.* ubi Gloss. Sanct. cit. signanter *Cap. 1. Responsf. quinta* ℣. *Dixi regulariter* Nec non de Ameno. *tit. 5. n. 69.* ℣. *Apparet.* In quo casu prævius minime requireretur processus; favente etiam Bossio in tract. de denunciat. *n. 10.* & Covarruv. in repet. *Cap. Alma Mater n. 9. de sent. excom. in 6.* Quamvis semper necessaria foret probatio notorietatis juxta regulas datas ab Anacleto *tit. de his qui filias n. 253.* Et sententia in scriptis lata in qua causa suspensionis exprimatur: sic exigente pœnæ gravitate ex Albert. in *p. part. statut. qu. 53.* Covarr. in prax. *n. 144.* Imol. in Clement. *Pastoralis de Offic. delegat. n. 49.* Majol. *in pract. crim. §. Agredior n. 133.* Jul. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. q. 9. §. Præterea quæro* & *§. Quæro an quando* P. Anaclet. cit. *n. 266.*

17 Notanda similiter obvenit additio illa. *Ab Officio præsertim Superioritatis*. Officia etenim minora quæ ad arbitrium conferuntur puta Sacristæ, Procuratoris, Janitoris & similia ad arbitrium etiam Superioris mutari queunt & amoveri pro experienda subditi obedientia: tunc vigente doctrina Sanctor. cit. ℣. *Respondeo primo* tum pro substituendo in officio magis idoneo tum propter defectus in visitatione compertos. Cum adhibita cautela nihilominus ne pro intempestiva amotione ab hujusmodi Officiis scandalum oriatur & detrimentum fama subditorum patiatur; nam quoties tale emergeret periculum prudentius ageret Superior ad opportunius tempus rem differre, interim provisionibus adhibitis cum matura deliberatione ne mala per crebrescerent; cum remotio ab officio si pœnitentia magis relevans quam translatio simplicis subditi de uno ad alium Conventum circa quam similes sint necessariæ cautelæ. Videantur Rodericus *tom. 2. qu. 6. art. 90.* signanter Raggius cont. 2. dub. 169. Per tot. & cum Soto & Pasqualigo Bassæus Verb. *Correctio fraterna n. 13.* Idem immo asserendum cadit respectu Superiorum ipsorum manualium, videlicet quorum promotio per electiones canonicas non adimpletur sed per solam dispositionem Generalis; ut contingit signanter in Societate Jesu. Quod nimirum sicut ad nutum ii promoventur, ita ad nutum possint removeri Superioris absque ullo processu, eo quia attenta consuetudine in casu nulla ex remotione sequatur diffamatio; quippe cum cessante motivo adæquato prohibitionis prohibitio ipsa cesset. Ita Riccius & Sigismundus a Bononia quos refert & sequitur Diana *2. part. de dub. Regular. resol. 117.* & subscribit Lezana *tom. 2. cap. 13. n. 56.* Cum hoc tamen quoties apud socios licet contra Religionem

nem suspicio criminis relevaret & fama sic amuti læsa probabiliter comperirietur, peccarent mortaliter Superiores ipsi generales vel alii respective Majores amovendo vel suspendendo subditum a Superioratu subalterno vel etiam ab Officio insigni, puta Lecturæ Theologiæ nec non a munere actuali Prædicandi absque gravi causa, quæ generaliter posset esse dumtaxat majus malum imminens quatenus defectuosus vel de gravi culpatus crimine in officio perduraret prout probant. Ridol. tit. de Prælatis *n.* 70. *& seq.* Castropalao *part.1.tract.6. disp.3.punct.11.n.2.* ex doctrina Suarez de Relig. *lib.* 10. *Cap.* 12. *n.* 38. similiter Diana mox cit. & Lezana eod.n. 56. Verum supurflue hæc adnotantur quoad Superiores ac Prælatos in quibus non est desideranda Sapientia prudens; alio etenim solent amandare sub specioso titulo ab officiis & Superioratu sic amotos vel diverso muneri atque disparatæ curæ eos applicare, taliter ut ex remotione decus potius quam ignominia coniici queat, cujusmodi provisiones commendandas asserunt post Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.*8. *lib.* 2. *Cap.* 1. Pelizarius *tr.*9. *Cap.*3.*n.* 64. Ant. a Spir. S. *tr.*4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 67. *&c.*

18 Immo quoad ipsos Superiores canonice electos dicendum cum Patre de Ameno non fore veram suspensionem remotionem illam, quæ aliquando contingeret Superioris localis vel etiam Provincialis a loco gubernii sub aliquo prætextu & ad tempus, ex. gr. Quoties Superior Generalis advertens Provinciam aliquam ex imprudenti regimine Provincialis actualis notabilissime perturbari, & ex diutina permanentia illius in muneris exercitio maximum secuturum scandalum: puta vel communem rebellionem, aut ruinam spiritualem sive temporalem Conventuum imminere, ad se vocaret Provincialem perturbatorem aut ruinæ imminentis auctorem, sive alicujus Commissionis prætextu in alienam mitteret Provinciam quoad usque rumor compesceretur, absque eo quod jurisdictionem interim positive eidem adimeret vel pœnam suspensionis formaliter infligeret. Similiter de Superiore locali; quoties propter insanum gubernandi modum rebellio in ejus familia excitaretur & querelæ contra eundem a majori parte Communitatis ad Visitantem Prælatum deferrentur; qui proinde removere a Conventu Superiorem invisum, vel sub prætextu concionandi vel aliquod arripiendi iter cogeretur. Hujusmodi inquam remotiones, non fore suspensiones veras & proprias sed potius interpretativas & similitudinarias nec ullam injustitiæ notam potius prudentiæ laudem merituros Superiores altioris Ordinis, quatenus eas adhiberent sustinet præfatus Doct. *tit. V. §. III. n.* 19. & tit. eod; *q.* 8. *n.* 72. in fin. Concurrentibus tamen motivis mox allatis aut aliis consimilibus; ita quod nullum aliud occurreret malo remedium. Cum alioquin removere a Provinciæ vel Conventus regimine etiam ad tempus absque speciali causa in gravem vergeret injuriam sic remoti, præcipue si agatur de Superioribus canonice electis, circa quos non vigeat consuetudo remotionis ad placitum & Superioris nutum quam notavimus vigere in Societate. Addit P. cit. de Ameno, quod Prælati Regulares se habent tamquam Curati animarum in Conventibus propriæ respective familiæ, ideoque cum residentia eorum in casu sit de jure Divino, non potest nec debet ad solum arbitrium Superioris majoris seu ad exercitium virtutis quod esset supererogationis in suspenso ullatenus interrumpi: sic ille *tit.v. qu.* 8. *n.*67. post Lezanam ita pariter differentem ubi supra *tom.* 2. *cap.*13. *n.* 56. atque Antonium a Spiritu S. *tract.* 4. *disp.* 1. *sect.* 5. *a n.* 135. *ad* 140. Docet item Pater Sanctorus: quotiescumque suspensio vera ab officio Superiori locali infligatur tamquam pœna, non propterea debere a Conventu suæ residentiæ ipsummet expelli, utpote augeretur pœna cum extensione infamiæ extra Conventum proprium apud exteros, nisi tamen specialis urgeret causa, puta si contingeret suspensio ob rixas conturbationes fratrum; & pacis exter minium ipso præsente pejus pertimescendum. *Cap.* 1. *de pœn. V. Respondeo sexto.* Cæterum plura involvunt horum Doctorum dicta, quæ probatione & longiori discussione indigerent. Verum sufficiat in proposito, quod suspensio vera ab Officio quæ sit pœna Visitationi meræ paternæ repugnet, cum ex præhabitis actus exigat judiciales.

19 Dictum quartum. Suspensio quæ infligatur ut pœna apud Regulares quoscumque non potest esse perpetua. Et quamvis esset similitudinaria tantum, lata propter defectus suspensi extrajudicialiter, imponi nequiret nisi prius audito reo. Ratio primæ partis quod nempe suspensio nequeat esse perpetua, quæ perpetuitas intelligatur pro toto tempore, quo duraturum esset officium est evidens; quia exiremus extra suppositum; suspensio siquidem perpetua induceret rationem privationis, & ita utpote pœna gravior gravius suppo-

neret

neret delictum, quam illud cui convenit tamquam poena propria mitior suspensio ab officio ad tempus. Panorm. in Cap. *Et si Clerici de judic. n.* 7. Ledesma 2. *part. qu.* 26. *art.* 2. *de suspens.* Tolet. *lib.* 1. *Instruct. Sacerd. Cap.* 12. Sayr. *lib.* 4. *thesaur. Cap.* 1. *n.* 26. Hinc Praelatis Regularibus multis facultas suspendendi conceditur non autem privandi. Sanct. de poen. *Cap.* 1. *qu.* 3. *Respons. prima*, *& septima*. de Ameno, pract. *tit. V. n.* 71. Per quod excluditur item in ipsismet Praelatis suspendentibus fraus implicita & dolus; si enim suspensio perpetuo durare quiret, suspendendo Superiorem localem non propriae eorum factionis perinde agerent, ac si omnino privarent; eo vel magis, si terminatis electionibus gubernium ordinarium suspensi ibidem terminaret, & sic posset fraudari lex jubens non privandum esse voce Capitularem in proximitate electionum & sub titulo sive praetextu purae licitae suspensionis excusari iniquitas cum gravamine alterius irreparabili. Ideoque hoc pacto malitiose suspendentes & implicite privantes debere omnino de actione injusta puniri; & hanc, quatenus opportunitas adforet per judicem appellationis reparari consulit Pater de Ameno pract. crim. *tit. ult.* §. 3. *n.* 22. *&* 23. arg. *ex Cap. Sacro de sent. excomm. & Cap. Medicinalis eod. tit. in* 6. = Secunda pars asserti evidenter etiam constat ex suppositione quod quaecumque suspensio ab Officio notabile afferret praejudicium Praelato subalterno quamvis tantum ad similitudinem lata & importans solam absentiam a Conventu, absque processu praevio, & per modum provisionis adhibitae a Visitante: juxta adnotata n. praecedente 18. Notabile quippe praejudicium non potest cuipiam inuri in poenam vel etiam nomine poenitentiae absque eo quod prius audiatur; reclamantibus alias in defensam oppressi juribus naturali, divino, & humano: juxta D. Thomam 2. 2. *qu.* 67. *art.* 3. Sot. de test. *lib.* 3. *qu.* 4. *art.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *qu.* 4. *punct.* 2. Berti in prax. *tit.* 2. *Cap.* 9. Farinac. *qu.* 39. Clar. *qu.* 85. §. *Non sit*. Roderic. Mirand. & alios relatos a Sanctoro, qui hoc idem ex scripturae testimoniis, textibus Canonicis, & rationibus fuse probat. *Cap.* 1. *pen. qu.* 4. Utraque tamen dicta pars valere comperitur, quotiescumque ut tactum est suspensio ab Officio esto similitudinaria infligitur explicite tamquam poena, non vero si propter gravius negotium ex dictis, vel cum honore saltem absque dedecore ejusdem Officii interruptio contingat, praecipue in Religionibus, in quibus amotiones hujusmodi non sine discretione exercitae nullam pariunt infamiam & possunt absolute peragi; immo fiunt in praxi absque injuria amoti, cui nullum competit jus permanendi in gubernio vel officio. Riccius in prax. *tom.* 4. *resol.* 91. *n.* 4. Sigism. tr. de elect. *part.* 1. *cap.* 7. *dub.* 49. *n.* 7. *&* 14. *&c.*

20 Potest quaeri hic item ex incidenti. An quoties a jure vel ab homine infligitur vel comminatur poena suspensionis ab Officio extendatur ad officium Lectoris Concionatoris &c.? At breviter respondetur; Quod inspecto de jure communi sola officia percutiantur, per ejusmodi suspensionem quae superioritatem aliquam ac dignitatem praeseferant: Officia videlicet Generalatus, Provincialatus, Procuratoratus, Commissariatus, & localis Superioratus, quocumque appelletur nomine, dummodo independenter Superior ipse localis gubernet etiamsi Praesideus vel Vicarius foret. Ratio est quia in poenis benigna interpretatio semper fieri debet: ex reg. trita juris 49. *in* 6. sic docentibus Sanchez, Rodriguez, Sausa, Sorbo, Filiuccio, Bonacina, Diana, & aliis citatis per Pellizarium *tr.* 7. *cap.* 6. *n.* 7. Supponit tamen jus Religiosos contra quos infligitur vel comminatur suspensio esse in hujusmodi gradibus actualiter constitutos, quamvis aliis disparatis ultro decorarentur. Ex. gr. Quoties unus & idem esset superior Provincialis aut localis, atque una simul Cathedram obtineret Universitatis vel munere fungeretur Concionatoris, tunc etenim contra eosdem suppositos Superiores lata vel comminata suspensio ab officio, officium superioratus tantum afficeret praescindens a reliquis. Prout adverto pariter quod si quis nullum gradum Superioritatis possidens plura tamen alia officia exercens in suspensionem ab officio a jure latam incideret, haec nequaquam extenderetur ad officia omnia sed ad solum inter illa principalius; ex. gr. gradu pollens Lectoris actualis atque Concionatoris ab illo tantum lecturae tamquam principalioris haberetur suspensus: & sic respective de coeteris, ut salvetur proprietas verborum inter suspensionem quae ab officio indeffinite fertur, & illam quae ab omnibus officiis & gradibus universaliter expresse pronunciatur. Uniformiter ad ea quae tradit loquens de privatione Pater Ludovicus de Ameno pract. crim. *tit. V.* §. 3. *n.* 16.

n. 16. Quoties autem suspensio ab officio præsertim in jure lata esset contra Religiosos indifferenter qui Superioratu non modo sed alio officio minori fungi possent; seu officium aliud præter Superioratum gerere. Ex. gr. comminata foret suspensio ab officio contra ludentes aleis cum possint ludere aleis atque præceptum transgredi veri Superiores & Vicarii Lectores Magistri Novitiorum &c. ad omnia hujusmodi officia suspensio comminata extenderetur sine dubio: & sic officium in casu non sumeretur stricte pro eo quod importat tantum Prælaturam, sed lato modo pro omni ministerio cum aliquo gradu seu distinctione aliqua exercito in Religione, ut notat Pater de Ameno loc. cit. post Sanctorum de pœn. *Cap.* 3. *q.* 2. ℣. *Respondeo ex nostro* Quod idem clarius haberetur, quotiescumque in Bullis seu aliis Apostolicis vel Ordinum Sanctionibus suspensio & idem de privatione pronunciaretur, verbis amplis ab omnibus & quibuscumque officiis dignitatibus honoribus gradibus & administrationibus: videlicet extendi tunc suspensionem sicut & privationem ad officia omnia quæ istis vocabulis secundum communem usum significantur. Lezana *tom.* 1. *cap.* 8. *n.* 32. Quin immo quatenus in aliqua Religione vigeat consuetudo extendendi officii nomen magis & minus ad alia præter Prælaturas standum esse in lege municipali subdit cum aliis Ant. a Spir. Sanct. de regim. Regul. *tr.*4. *disp.* 3. *sect.* 12. *n.* 382. Ut recolligam ergo; quoties in jure *suspensio ab Officio* imponitur lata sub his præcise terminis intelligitur ab officio Superioritatis & Prælaturæ ex allatis per Pelizarium tr. 7. cap. 6. n. 5. uti supra præsertim si adversus Superiores & Prælatos in ipsa lege feratur: ut explicat P. de Amen. cit. n. 19. Secus si verbis perspicuis suspensio ab officiis contra Religiosos indifferenter etiam non Prælatos pronunciatur; tunc enim extenditur ad quodcumque munus cum distinctione aliqua in Religione exercitum. Cœterum perpendenda esse verba juxta eorum propriam significationem consuetudinem quoque interpretandi & executionis praxim in qualibet Religione advertunt opportune Portell. dub. Regul. V. *Officia Ordinis n.* 2. Anton. a Spir. S. *cit. n.* 382. In suspensionibus deinde ab homine latis, vel ferendis licet si absolute contra Superiores actuales *ob Officio* pronunciarentur, deberent intelligi a quacumque jurisdictione eorum circa spiritualia & temporalia; tamen si indifferenter & generaliter omnes & quoscumque feriant & Superiores & privatos earum regulanda foret interpretatio sine dubio juxta præfata; sed attendenda signanter mens pronunciantis. De Ameno cit. *n.* 19. ℣. *Sed sequendo*.

21 Licet autem impræsentiarum de Visitatoribus proprius instituatur sermo; qui ut in plurimum supponuntur Superiores altioris ordinis quam locales: capta occasione non erit incongruum de ipsis etiam localibus doctrinam addere quantum ad facultatem signanter suspendendi. Quamvis namque universaliter substineatur posse ipsos utpote vere Prælatos ferre contra subditos suspensionem in casu etiam veluti censurā eo quia valeant excommunicationem fulminare quæ gravior est; ultra quam quod censuræ currunt pari passu quoad potestatē ipsas ferendi Abb. in cap. sæpe n. 16. de appellat. & in *Cap. Quærendum n.* 2. *de verb. signif.* Angel. Sylvester & alii Summistæ *V. Suspensio*. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 6. Sayr. de cens. *lib.* 4. *Cap.* 2. *&c.* Nihilominus perspicuum est & hic advertendum cadit: nequaquam valere ipsos suspensionem ut censuram quoad omnes ejus effectus alteri infligere, nec etiam posse eamdem absolute ut pœnam. Cum siquidem effectus suspensionis qua censuræ, sit generaliter & absolute impedire usum officii beneficii ordinis & jurisdictionis simul; ut cum Sylvestro, Toleto, Bonacina, Diana aliisque ostendit Lezana. Verbo *suspensio n.* 4. *&* 5 patet, non esse in potestate Superioris mere localis quemque omnibus his usibus vel ad tempus expoliare: nam subalternos subditos officia cum Superioritate atque jurisdictione gerentes minime supponitur sub se habere veluti habent Generalis Provincialis & Visitator: unde suspensionem pronunciando adversus subditos concludendum est quod tantum per illam prohibitum intelligeretur exercitium Ordinum. Prohibitio autem aliorum officiorum minorum, veluti Janitoris, Sacristæ, Rectoris Chori, & similium per accidens se haberet ad suspensionem dictam & censuram, quamvis & hæc intenderet Superior præfatus impedire, cum possint compati munera hujusmodi cum absolute & generaliter suspenso, quatenus nec officia proprie nec beneficia aliquid dignitatis importantia dici debeant aut possint: juxta Portellum Verbo Officia Ordinis in addit. *n.* 1. *&* 2. Peyr. de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 5. §. 1. *n.* 36. *in fin.* Lezan. *V. Suspensio n.* 11. necnon Anton. a Spir. S. *tract.* 4. *disp.* 3.

sect.

sect. 12. *n.* 181. Similiter, si loquamur de suspensione ab Officio prout poena est, non minus evidenter constat fore extra suppositum, quod Superior localis suspendere queat aliquem ab Officio secum ferente Superioritatem cum jurisdictione temporali & spirituali: juxta explicata superius n. 13. cum tales jurisdictionem hujusmodi possidentes sub se non habeat. Sola proinde remanet difficultas, an poenam suspensionis ab officio possit inurere cuilibet officiali sibi subdito etiam respective qualificato puta, Vicario, Magistro Clericorum, sive Novitiorum, Lectori, Concionatori & coeteris hujusmodi potiora munera in propria familia obeuntibus? At veritate hac universaliter admissa quod officia per Superiorem majorem videlicet Generalem, Provincialem, una cum Deffinitorio respective distributa & collecti non possint per Superiorem localem minori jurisdictione pollentem auferri aut impediri. *Cap. Inferior.* dist. 21. Rodriguez tom. 1. qu. Regular. *qu.* 12. *art.* 6. Mirand. *tom.* 2. *man. qu.* 20. *art.* 1. *concl.* 1. Idem namque solus potest Officium auferre aut impedire regulariter loquendo, qui habet potestatem idem conferendi. *Cap. Cum ad Monasterium* §. *tales de stat. Monach.* Gloss. *in Cap. Monachi*. *V. Non mutetur eodem tit.* Innocent. *in Cap. Insinuante tit. Qui Clerici n.* 2. Respondendum est consequenter ad propositum: negative de Superiore locali quantum ad officia praefata a Superioribus majoribus regulariter collata, sed in casu defectus privationem seu suspensionem exigentis, quod teneretur Superiorem illum a quo officia conferri solent consulere & potestatem amovendi, aut suspendendi delinquentes ab eodem obtinere, vel ejusdem sententiam expectare. Coeterum jura peculiaria Religionum esse attendenda, una cum usu & consuetudine opportune notat Peyrin. *tom.* 2. *de Prael. qu.* 1. *Cap.* 4. §. 4. *n.* 32. §. I. Excipe, ni privationes & suspensiones ab Officiis licet per Superiores majores collatis imponerentur a lege, Constitutionibus puta Apostolicis vel Religionis; tunc enim uteretur jure suo Superior localis, per declaratoriam sententiam subditos delinquentes praesertim notorie privatos & suspensos ad normam legis, pronunciando. Videatur Peyrin. qui Doctores congerit. *tom.* 2. *de Praelat. qu.* 1. *Cap.* 4. §. 4. & *qu.* 3. *Cap.* 4. *n.* 26. cum debita semper cautela circa famam subditi in non notoriis, juxta delicti exigentiam. Bonac. *disp.* 2. *de cens. punct.* 5. *a n.* 3. Ant. a Sp. S. Direct. Regul. *tr.* 4. *disp.* 4. *n.* 77. atque juris ordine indeclinabiliter servato, itaut aliqua semper monitio praecederet etiam in notoriis: hoc tamen intellige de muneribus excellentioribus, amotio a quibus ignominiam secum ferret, ut supra n. 17. adnotatum fuit, veluti a Lectura Concione magisterio &c. Sotus, Suarez relati a Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 22. Et nisi auctoritas Praelati localis etiam quantum ad hujusmodi declaratorias sententias limitaretur per statuta municipalia Religionis Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *Cap.* 9. *n.* 60. & alii communiter apud Pelizarium *tr.* 9. *Cap.* 111. *n.* 55. Excipitur quoque in hac ultima suppositione casus in quo non obstante statuto limitante Superioris localis auctoritatem in procedendo aequitas seu Epicheja concederet immo exigeret suspensionem ad breve tempus officialis etiam per superiorem majorem instituti, quoad usque hic certioraretur de delicto & delinquente simulque de periculo in mora, ut in sua Religione ad praxim deduci refert Ant. a Spir. S. *tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 162. In quo casu pariter ad custodiam saltem posse graviter delinquentem carceribus mancipari concedunt DD. communiter apud Bordon. *tom.* 2. *resol.* 58. *n.* 33. & Anton. a Spir. S. qui supra *n.* 162. Repetit autem in adductis, atque aliis similibus casibus jura cuilibet Religioni propria esse principaliter attendenda Peyrin. de Praelat. *qu.* 3. *Cap.* 4. *n.* 5. §. II. Quod si contra incidenter exposita de Superiore locali argumentum repetatur: Superior localis habet potestatem in majus nempe ferendi suspensionem ut censuram; ergo habet etiam in minus scilicet ferendi illam in ratione poenae: statim satisfit respondendo consequentiam valere quoties antecedens foret absolute verum; nimirum quod Superior localis haberet potestatem in majus simpliciter & absolute ferendi scilicet suspensionem ut censuram quoad omnes effectus ejus; non autem in suppositione quae est quod possit in majus cum limitatione quoad solos videlicet effectus qui propriae locali jurisdictioni non repugnant; cum igitur repugnet jurisdictioni Superioris localis effectus suspendendi ab officio importante Superioritatem, quod sub se minime invenitur & esset extra suppositum: propterea neque potestatem habet in minus scilicet ferendi suspensionem ab officio praecise ut poenam quae in suspensione ut censura contineri repugnat in casu. Quo vero ad Vicariatum Lectoratum aliaque munera majoris notae respective inter ea quae Superiori sive Prae-

lato locali subsunt diceretur vel quod minime cadant sub suspensione ut censura, cum non importent jurisdictionem cum administratione, vel quatenus caderent quod neque ab ipsis posset suspendere Superior localis, utpote Officiis collatis per Superiores altioris Ordinis: unde infligendo etiam hujusmodi censuram non censeretur exercitium eorum impedire in casu. Pariter responderetur si argumentum procederet viceversa *negative* sic. Superior localis non habet potestatem in minus, inferendi videlicet suspensionem ab officio ut pœnam; ergo a fortiori nequit infligere eandem ut censuram quæ est aliquod majus. Est vera namque consequentia secundum quid, scilicet quoad illum effectum qui jurisdictioni Superioris localis repugnat essetque effectus idem suspensionis ut pœna est: hic namque effectus destrueret suppositum Superioris localis in casu de quo agitur; ideoque argumentum contra auctoritatem Generalis vel Provincialis nullatenus potest confici; cum potestas istorum ad possidentes Prælaturam inferiorem extendatur & ad privationem sive suspensionem ab iis officiis quæ valent ipsimet conferre. Vel dicendum suspensionem ab officio esse quidem minoris ponderis formaliter cum minoribus privet bonis sed majoris præsuppositive: supponit quippe dignitatem & jurisdictionem ampliorem in conferente. Vel denique non esse inconveniens quod quis possideat secundum leges potestatem in aliquod majus & nequaquam in minus propter graviora absurda quæ ex facultate minori sequerentur & a lege propterea prævaventur. Ita Pater de Ameno *pract. tit. V. q.* 8. *n.* 72.

22 In Religione Minorum speciales occurrunt difficultates quoad præmissa propter municipalia statuta quæ videntur auctoritatem Superiorum, quoad ferendas censuras aliasque pœnas in aliquibus casibus limitare & distinctam methodum assignare: unde breviter per omnes gradus Superioritatis in Ordine eodem discurrentes circa ejusmodi materiam tum in actu Visitationis tum etiam extra quid tenendum sit clare hic proponemus. Dictum primum. Superiores generales in Ordine Minorum tum Regularis tum strictioris Observantiæ puta Ministri, Vicarii, ac Commissarii, seu Vice Commissarii generales habent facultatem absque dubio ferendi censuras contra suos quoscumque subditos pœnamque suspensionis ab officio imponendi. Patet prima pars, quia omnes adducti pollent jurisdictione non minus ac cœteri Superiores generales quasi Episcopali nempe; immo Patriarchali respectu eorumdem subditorum: juxta doctrinam Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 9. *n.*4. & 6. post Sanctum Thomam in 4. *dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. Paludanum item *dist.* 18. *in* 4. *qu.* 2. *concl.* 9. & 10. & subscribit Rodriguez *tom.* 1. *qu.*12.*art.* 5. Sanctor. Consilt. *Cap.* 1. *stat.* 4. §. 1. per tot. Nec non Lezana V. *Censura n.* 2. Ant. a Spir. S. *tr.* 4. *disp.* 1. *sect.* 15. *n.* 107. Immo ipsis in specie Minoritis concessa legitur hæc facultas ferendi censuras per Leonem VII. Sixtum IV. in compend. privil. & S. Pium V. in Bulla *Ex Officii nostri la* 63. nec habetur in lege aut ullo statuto unde sit ipsis adempta; quin potius in generalibus Statutis Sambucanis expresse invenitur firmata *Cap.* 7. §. 6. *n.* 18. Ideoque irrationabiliter possessione juris sibi proprii spoliarentur: ex genera liter anim adversis per Suarez *cit. tr.* 8. Anton. a Spir. S. *loc. cit. n.* 106. *seq.* Secunda pars quantum ad suspensionem ab officio ferendam probatur eodem ferme pacto, quo ostensum est facultatem hujusmodi competere Superioribus quibuscumque; cui etenim conceditur absolute facultas amplior in qua continetur minor, minor quoque ipsa non potest negari concessa. Cum igitur facultas excommunicandi ac suspendendi concedatur absque dubio absolute quoad omnes effectus præfatis Superioribus generalibus; etiam concedenda venit hæc suspendendi ab officio præcise eo maxime, quod effectus pœnalis hujusmodi suspensionis includitur in suspensione absolute ut censura est ex dictis: nec absurdum aut repugnantia relevat, loquendo de Superioribus generalibus: ad generaliter tradita per D. Thom. in 4. *dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 3. Panormit. in Cap. *ex rescripto de jurejur. n.*3. Sayr. *lib.* 1. *censur. Cap.* 8. *n.* 20. Peyrin. de Prælat. *qu.* 3. *Cap.* 4. *n.* 26. qui ait esse opinionem communem fundatam super *reg. jur.* 53. Lezana, qui pariter asserit esse hanc regulam generalem apud Doctores Verbo *suspensio n.* 3. Nec valet replica; quod in statutis generalibus tum Ordinis tum Reformatorum taxentur casus in quibus suspensio ab officio possit infligi ut fusius infra; talis namque præscriptio afficit Provinciales, Visitatores subalternos videlicet Superiores ut legenti est evidens; proinde non potest ad Superiores generales extendi, cum non valeat argumentum ex prohibitis jurisdictionem possidendi limitatam magis ad prohibita præsefferentium ampliorem, nisi hi nominentur ex regulis notis juris in 6. *reg.* 15. 17. & 34.

cum

cum concordantiis tanto magis, quod frustranea foret specificatio Provincialis & Visitatoris in casu, si prohibitio Superiores generales adhuc ultro percuteret. Legatur Doctrina P. Anacleti Reinffestuel *lib. 5. in præm. §. VIII. n. 114.*

23 Dictum secundum. Censuras & suspensionem ab officio potest Superior generalis Ordinis Minorum ferre se solo; itaut se solo possit imponere præcepta sub hujusmodi pœnis; nec non se solo quoad ipsas sententiare servato tamen semper juris ordine & nisi aliter in specie per leges statutarias præscribatur. Probatur quoad singulas tres partes assumptum. Quod enim valeat se solo ferre pœnas tum comminando tum sententiando deducitur ex Potestate Superiore ordinaria & jurisdictione amplissima gradui adnexa, qui gradus est in ipso Mornarchicus nec restringitur nisi in expressis per leges & statuta; ut ex statutis ipsis generalibus. *Cap.* 8. *§. II. n.* 2. *&* 3. Sanctor. Constit. *Cap.* 8. *Stat.* 28. per tot. Quod si per aliqua statuta Discretorum aut Deffinitorum generalium quatenus sint præsentes consilium eidem adhibendum præscribatur in certis casibus: consilium in iisdem erit quidem necessarium, sed non necessario sequendum nisi aliquid ultra addatur: ut de Episcopo obligato quandoque per leges ad consilium adhibendum Capituli tradunt Auctores videlicet; quod consilium debeat quidem in iis casibus requirere, sine consensu tamen immo contra consilium ipsum valeat decernere Crispin. in visit. post *part.* 2. *§.* 21. *n.* 6. allegans S. C. Decretum & alii. Et quantum ad Generales in proposito firmat Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 53. *art.* 1. At responsio foret magis opportuna, quod talis necessitas consensus, sed nec consilii requirendi quoad censuras ferendas minimè invenitur expressè in statutis ipsis; hinc se solo Minister generalis in ordine Minorum ejusque Generalis Commissarius per consequens præfatam possideat facultatem, utpote in Prælatura & in jurisdictione sibi propria fundatam. Sanctor. *Cap.* 8. *constit. statut. cit.* 28. *& pœn. Cap.* 28. *qu.* 1. Secunda pars; quod debeat servari ordo juris ab ipsomet Superiore generali in censuris ferendis & etiam in suspensione ab officio exercite infligenda, est manifesta ex præmissis *n.* 12. *&* 16. Sic etenim exigit gravitas pœnæ & jus quod habet subditus super propria fama non tantum, sed in possessione bonorum quibus privant censuræ & dicta suspensio. Ultraquamquod clamant Canones: non posse censuras ferri nisi in scriptis & cum expressa causa atque audito prius prætenso reo. Suarez de censur. *disp.* 3. *sect.* 11. *n.* 15. Lezana V. *censura n.* 6. 7. 8. quæ acta sive juridica textura non posse expleri docet Pater de Ameno *tit.* 5. *pract. qu.* 28. *n.* 167. *&* 171. post Patrem Sanctorum cit. *qu.* 3. *℣. Respondeo quarto.* Insuper ut de Potestate hujusmodi Superiorum generalium integre resolvamus, posse ipsos hanc eandem alteri delegare usque ad sententiam deffinitivam inclusive clarum est *ex l. More ff. de jurisd. omn. Jud.* & juxta doctrinam communem de Ameno *tit. V. pract. n.* 104. Servato tamen legum & statutorum uniuscujusque Religionis præscripto. In ordine namque Minoritico ad propositum constat delegatum non posse se solo veluti Superior Generalis ipse potest ferre sententiam deffinitivam excommunicationis & reliquarum censurarum neque suspensionis ab Officio absque deffinitorio juxta expressa in statutis generalibus Sambucanis *Cap.* 7. *§.* 6. *n.* 32. *Et Reform. Cap. item n.* 6. *&* 7. *& Cap.* 8. *n.* 10. Ubi limitatur idem quantum ad Provincialem simul & Visitatorem, qui licet nequeat forte dici Delegatus ad Universitatem causarum secundum Portellam *tit. Prælatus in addit, num.* 5. non potest alias negari plenum habere potestatem respective utpote delegatus a Principe scilicet a P. Generali qui in Religione supremo Principi comparatur, sic sentiente cum aliis & probante Patre de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *§.* 3. *n.* 29. Posset autem sententiam ipsemet Superior Generalis sibi reservare in hujusmodi casibus signanter Delegationis ad causam particularem, & tunc reliqua præter sententiam valeret perficere Delegatus se solo servato semper Ordine Juris quoad interlocutorias & deputationes Arbitrorum quatenus opus esset: aut quoties Visitator ipse excommunicatos & suspensos ab eodem Patre Generali denuntiet dumtaxat & promulget, quod peragere quoque se solo valeret tamquam merus executor. Arg. *De potest. Jud. deleg. Cap.* 7. *& de Appell. & recusat. cap. novit ille &c.* Tertia pars assumpti: videlicet: nisi aliter in specie per leges statutarias præscribatur. *Quantum ad ipsos Superiores Generales* ideo apposita est: quia de facto in proposito Ordinis Minoritici aliqua emergunt statuta, quæ facultatem Superioris supremi licet videantur directe vel indirecte coarctare, veluti illud quod non possint electiones jam inchoatas suspendere vel impedire quoties electores fuerint congregati: nec valeant impedire similiter functiones, quæ per-

pertinent ad Congregationem legitime inchoatam & convocatam : Stat. Samb. *Cap.* 8. §. 11. *n.* 12. *&* 13. Perinde censuræ & suspensio ab officio per ipsummet Superiorem Generalem apparet quod contra præfatos electores aut congregatos in eo actu pronunciari minime queant; aut quatenus pronunciatæ nequaquam teneant ad finem impediendi perturbandi aut retardandi electiones cœterasque functiones, prout de Generalibus omnibus quorumcumque Ordinum in similibus sentiunt passim Doctores cumulati a Peyrino de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 5. *n.* 2. *ad* 12. *&* §. 1. *&* 2. *per tot.*

24 Dictum tertium. Superiores Provinciales item in Ordine Minoritico veluti sunt Ministri Vicarii & Commissarii gubernio Provinciæ actualiter præsidentes, possunt etiam censuras adhibere contra quoscumque subditos tum simplices Religiosos tum Superiores locales subalternos vel alio officio præditos: fundatur siquidem hæc potestas super jurisdictione quam possident atque ipsis per jura & Summos Pontifices attributa, Sixtum IV. *Const.* 2. §. 4. Arg. *Cap. Cum contingit de for. compet. Cap. Duo & Cap. Cum ab Ecclesiarum* De offic. Ordin. ubi Panorm. *n.* 10. *Cap. Cum in Ecclesiis junctis Glos. de major. & obed.* Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract. VIII. lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 4. 6. *&* 7. Et tradunt Authores communiter in Clement. 1. *de reb. Eccles. non alienand.* ℣. *Proprii ex Cap. etiam Abbates* de privileg. in 6. Nec obiiciendum (quæ objectio relevaret contra Generales quoque) quod pœnæ quæcumque quibuslibet delictis in Ordine Minoritico sint assignatæ per statuta & in practica criminali, quæ observanda præcipitur per statuta eadem generalia *Cap.* 10. *n.* 11. *& Reform. Cap. item X. n.* 1. Ideoque cum etiam quibusdam criminibus taxetur excommunicatio quibusdam suspensio ut censura aliis suspensio ab officio, non remaneat Superioribus quid addendum jam determinatis pœnis. Non inquam valeret hæc objectio; quia ultra crimina in statutis relata & pœnas ipsismet assignatas possunt dari casus in quibus expediat Superiori præcipere sub excommunicationis & aliarum censurarum seu suspensionis ab officio pœna, qui casus essent minime prævisi a lege neque expressi utpote minoris ponderis: sed addita circumstantia enormis scandali aut detrimenti sive communis sive particularis, gravissimam perniciem aliquando inferre non prætermitterent; ut foret allocutio & familiaritas cum Rebellibus Principis, cohærentia alicui odiosissimæ factioni inter sæculares & similia quæ recensentur & expenduntur per Lamas prim. part. met. *Cap.* 9. §. 22. Et ulterius quia non invenitur statutum aut lex prohibens ultra textuales assignatas pœnas, atque ferendas in praxi criminali delictis ibi enumeratis censuras, quin possint Superiores Provinciales in nostro Ordine alias comminari sub iisdem præcipere in casibus extraordinariis illasque infligere; propter quod evidenter constat hujusmodi facultatem in jurisdictione quasi Episcopali ut diximus fundatam, non esse ipsis voluntarie adimendam. Quod idem tenetur admittere P. de Ameno qui objectioni præpositæ adeo fidit *tit. V. pract. qu.* 8. *n.* 71. cum teneat alibi posse vel ipsos Guardianos excommunicationis pœnam subditis infligere præter assignatas in statutis: ob jurisdictionem competentem iis ratione Prælaturæ; *eod. tit. qu.* 28. *n.* 162. adducitque casus occurrentes ibi *n.* 163. *&* 171.

25 Dictum quartum. Præcipere sub censuris ac etiam sub pœna suspensionis ab officio valent Provinciales Ministri in Ordine Minoritico ac etiam Ordinarii Visitatores se solis; sed censuras eandemque suspensionem ab officio infligere per sententiam possunt una cum Definitoribus tantum. Excepto quod in aliquibus casibus pœnam suspensionis ab officio Superioratus ferre ad tres Menses possunt absque Definitorum interventu. Eadem ratione qua supra probatur prima pars. Nam Provinciales Ordinis Minorum non minus sunt Prælati ac cæteri reliquarum Religionum, quibus omnibus hujusmodi competat jurisdictio per Peyrinum allegantem pluries *qu.* 3. *de Prælat. Cap.* 4. *n.* 26. Ant. a Spiritu Sancto *in direct. Regul. tr.* 4. *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 77. alios communiter. Nec invenitur illis in nostro Ordine facultas hæc per aliquam municipalem legem sublata; quinimmo explicite collatam extendunt Statuta generalia Sambuc. cit. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 28. Et ad quid sustineretur posse eosdem excommunicationem aliasque ferre censuras ob jurisdictionem in propria Prælatura fundatã ut sentit alibi ipse de Ameno *tit.* 5. *qu.* 28. *n. cit.* 162. Si neque sub censuris valerent præcipere? ut prius non satis sibi constans idem Auctor scripsit videlicet *qu.* 8. *n.* 71. Non possunt equidem per se solos sententiam ferre sive excommunicationis sive alterius censuræ sive suspensionis ab Officio contra Prælatos subalternos, ut in secunda dicta parte, quia per statuta associatio Deffinitorum in omnibus

nibus sententiis, propterea etiam in hujusmodi ferendis praecipitur, ut bene quantum ad hoc docet praefatus de Ameno *tit.* 1. §. 2. *n.* 8. *ad* 11. post Sanctorum *Cap.* 8. *Constit. stat.* 37. *qu.* 4. *resp.* 2. *Et poen. Cap.* 1. *qu.* 2. *per tot.* Sicut autem nulla possunt produci statuta, per quae prohibeatur Provincialibus comminatio censurarum & precipere sub censuris ex se solis, ita & quod nequeant se solis sed semper una cum Deffinitoribus sententias quascumque judicialiter proferre, statuta afferuntur satis clara. *Cap.* 8. *in Sambuc.* §. 39. *n.* 8. ibi. *Deffinitores, & omnes Patres, qui sunt de corpore Diffinitorii insuper ad Congregationem &c. & ad ferendas sententias, ubi privatio officii, vel suffragiorum*, AUT ALIA POENA PER PROCESSUM, ET SENTENTIAM *infligitur &c. sub poena nullitatis, a Provinciali semper vocandi sunt*; & magis explicatur *n.* 9. & 10. Extenditurque statutum ad Visitatores n. 11. Nec tantum consilium Deffinitorum eorumdem, sed consensum requiri in qualibet hujusmodi causa, declaratur ibidem *n.* 9. & 11. ac etiam *Cap.* 7. §. 6. *n.* 32. Quae statuta desumpta fuisse ex Salmanticen. *Cap.* 8. Neapolitan. *Cap.* 32. Romana pariter de anno 1575. *Cap.* 8. ac Vallisolet. praesertim de ann. 1593. *Cap. item* 8. ostendit diserte P. Sanctorus cit. *Cap.* 1. *paen. qu.* 2. *respons.* 3. Concordatque practica criminalis *tit. sententia* ibi. *Nullam sententiare poterit judex, sive Ordinarius sive delegatus nisi prius probe cognitis causae meritis, judiciisque discussis cum consilio & voto Deffinitorum Provinciae, vel quando fuerit Visitator, peritorum & gravium Patrum, si Deffinitores ex urgente causa necessum fuerit excludere. Sic ergo &c.* Sub poena suspensionis pariter ab Officio possunt se solis praecipere Minister, sive Superior Provincialis, atque Visitator ex urgente motivo, quod semper supponitur, per Doctores in casibus allatis supra *n.* 15. & per statuta generalia Barchinonen. *Cap.* 6. *tit. de paen. excom.* quae refert idem P. de Ameno *pract. tit.* 5. *qu.* 28. *n.* 165. & 172. Eo quia iste est effectus unus inter alios, tum excommunicationis majoris quae ad officium quodcumque publicum cum jurisdictione exercendum inhabilem reddit pro tempore contumaciae & durantis censurae excommunicatum, atque etiam suspensionis absolute latae in ratione censurae, ut fatetur cum aliis laudatus Auctor *tit.* 5. *qu.* 8. *n.* 72. Concesso igitur, quod possint mox dicti Superiores sub poena excommunicationis, & suspensionis aliquid praecipere absolute; non video quare eis denegetur posse sub poena suspensionis ab officio, quae minor absque dubio censetur, juxta praemissa n. 21. & doctrinam communiter fundatam super regulam juris *in* 6. *n.* 53. ibi. *Cui licet quod est plus licet utique quod est minus &c.*

26 In executione autem per statuta tum Ordinis tum reformationis, extenditur potestas Ministrorum Provincialium & Visitatorum ad infligendam quandoque poenam suspensionis ab officio per tres menses & non amplius se solis absque Deffinitorum interventu ut in tertia parte conclusionis sive dicti proponebatur. Habetur siquidem in Sambuc. *cit. Cap.* 7. *n.* 32. ibi. *Provinciales ac Provinciarum Visitatores Guardianum officio privare non possunt absque Deffinitorii consensu suspendere tamen valebunt ex legitima causa, usquequò per Patres causa judicata fuerit.* At tempus duraturae suspensionis clarius assignatur alio explicante *statuto in Cap.* 8. §. 39. *n.* 9. ibi; *Liberum erit Provinciali ubi privatio ipso facto sit imponenda Guardianum vel Confessarium suspendere dummodo ultra tres menses suspensio non differatur.* Et confirmant Statuta Reformatorum lingua Italica. Cap. item 8. n. 39. ibi *Non potrà* videlicet Provincialis *privare i Guardiani o Confessori di Monache senza il Deffinitorio quantunque gli possa sospendere per due o tre Mesi al più.* Quae quidem Statuta sunt eruta ex Vallisolet. *cap.* 7. *tit. de paen. quibus Prael.* & *Cap.* 8. *tit. de Deffin.* proinde videatur laudatus de Ameno *tit.* 5. *qu.* 8. *a n.* 70. &c. Attenta ergo limitatione hujusmodi poterunt sane Provinciales Ministri & Visitatores praefatam suspensionis ab officio poenam usque ad tres menses inferre se solis: sed in casibus occurrentibus coeteris suspensionis sententiandae ac declarandae sive suspensio sit a jure sive ab homine aut alicui praecepto adnexa, intervenire opportebit Deffinitorium eo, quia exceptio per satis nota principia regulam firmet in contrarium. Opportune tamen repetimus procedere statuta quoad executionem, ita quod scilicet nequeant relati Superiores suspensionem ab officio infligere ultra menses tres; at minime prohibere quod sub poena suspensionis absque limitatione queant aliquid praecipere eamque absolute comminari: juxta explicationem quoque Patris Sanctori *de paen. cap.* 11. *qu.* 3. *per tot.* Absque eo quod urgeat ratio Patris de Ameno quod Judex se solo incompetens in declaratoria sit etiam talis in decisoria *tit.* 5. *pract. qu.*

8. *n.*

8. *n.* 71. Decisoria etenim propria in casu contingeret quoties sententia suspensionis pronuncietur & pœna infeiatur; non vero si aliquid sub pœna suspensionis dumtaxat injungitur. Videndus Anacletus Reinffestuel *de constit.* §. 10. *n.* 231. Quantum deinde ad hujusmodi casus infligendi suspensionem ab officio per tres menses admitto doctrinam Patrum alioquin præstantissimorum quos citavimus Sanctori scilicet & de Ameno: quod nempe contingere possint quotiescumque a jure & ego addo vel ab homine sit lata & expressa, vel arbitrarie juxta qualitatem delicti ferri possit suspensio ab officio absolute absque limitatione, seu Superioratus & officii privatio; atque instituendo processum seu juridicam inquisitionem Superior Provincialis quicumque sit norit indicia aliasque probationes pro eademmet sententia ferenda suo tempore per se & Deffinitorii Patres; juxta legem. Tunc itaque possit ipse solus interim prætensum reum ab officio suspendere, & præcipue si motiva occurrant urgentia eundem a gubernio & familia removere per tempus assignatum duorum vel trium mensium, quod videtur discretum; usque dum sententia debita Deffinitoribus intervenientibus pronuncietur Sanctor. cit. *qu.* 3. *respons.* 3. *seq.* Et uberius P. de Ameno *qu. cit.* 8. *n.* 70. & 71.

27 Colligitur item ex dictis Superiores sive Generales sive Provinciales sive delegatos competentē jurisdictionem habentes non posse in actu Visitationis paternalis sive generalis inquisitionis ad hujusmodi pœnas effective ferendas tum censuras tum suspensionem ab officio devenire; utpote deberent necessario a foro pœnitentiali ad contentiosum transire: etiamsi de necessitate remediis juris similibus occurreret ratio; etenim in quocumque casu monitiones prævia saltem citatio & auditio rei deinde sententiæ, respective interveniant necessario, quæ omnia absque scriptura judiciali exequi nequaquam possunt ex pract. crim. Ordinis *tit. sententia* Sanctor. loc. cit. Ideoque etiamsi in actu Visitationis paternæ hæc peragi necesse foret, per accidens ad eandem se haberent, & extra illam absolute deberent confici; ne ratio paternæ ipsius inquisitionis cum ratione judicialis confunderetur & pervertentur ambo: *Ex Cap. qualiter primo de accus. & cap. cum dilecti eod. tit.* Immo addit Sanctorus peccaturos graviter Visitatores & Superiores quoslibet qui ad hujusmodi pœnas infligendas vel se solis, quando possunt, vel una cum Definitorio absque prævia inquisitione speciali, saltem generali juridica probante ut alibi notavimus procederent loc. cit. *qu.* 3. *Respondeo quinto*: juxta etiam doctrinam generalem aliorum ex *Cap. qualiter & quando* 2. *de accus.* Navarr. de accus. *cons.* 4. *n.* 3. Direct. Inquisit. 3. *part. de recus.* ubi Pegna *Sccl.* 30. & 31. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 3. *art.* 1. Mirand. de ord. judic. tom. 1. *qu.* 3. 7. & 8. & *tom.* 2. *in pract. can. qu.* 3. *art.* nec non Peyrin. in form. *lit. P. Cap.* 16. *n.* 1. 2. 3. & 4. At dicetur fortasse quamvis in hujusmodi pœnis ferendis censuris principaliter ac etiam suspensione ab officio deficiant prædictæ juridicæ circumstantiæ, nempe citationes monitiones caussæ expressæ sententia inscriptis ac prævia auditio rei, fore quidem illicite latas proinde subjacere ferentes interdicto per mensem & aliis pœnis *Cap. Sacro juncta* Gloss. ℣. *Per mensem de sent. excom.* cum concordantiis, semper tamen validas: ita docentibus Suarez de censur. *tom.* 5. *disp.* 3. *sect.* 12. Peyr. de Prælat. *q.* 3. *Cap.* 4. *n.* 13. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 42. & *Verbo Censura n.* 6. & 7. secundum cit. Gloss. in d. *Cap. Sacro* ℣. *Probari* ubi etiam Abbas, qui cit. pariter Gloss. *in Cap I. de excess. Prælat. & Cap. Romana eod. tit. in* 6. Idcirco adhuc sine strepitu judicii valide posse ferri a Visitantibus Superioribus absque eo quod forum ingrediantur contentiosum & ad inquisitionem specialem sive juridicam descendant. Verumtamen respondetur primo si nulla præcedat monitio ad censuras infligendas forte ipsas esse invalidas; ut contendunt Auctores citati per Patrem Reinffestuel *de Syndico* §. 1. *n.* 24. *seq.* Quamvis Pater Lezana limitet necessitatem monitionis pro validitate censuræ ad excommunicationem latam a Prælato contra eos, qui cum excommunicatis participent *tom.* 3. V. *Censura n.* 7. ex Cap. *Constit. de sent. excom. in* 6. cum Bonac. de censur. *disp.* 1. *punct.* 9. *n.* 6. & Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *punct.* 1. *Cap.* 6. *in fin.* Necessitas autem monitionis in supposito intelligitur semper pro censuris inflictis aut infligendis ab homine. Nam quantum ad censuras a jure latas continua virtualis monitio habetur in ipsis Constitutionibus, Statutis seu Canonibus ut tactum est supra & explicant Lezana *cit. n.* 7. atque Reinffestuel allegans jura *d.* §. 1. *n.* 22. qui tamen Doctor indeclinabilem omnino asserit citationem rei ante declaratoriam ut sit valida, per textum, & *Gloss. Clement.* 3. *de cens.* & *Clement.* 2. *de pænit.* exceptis notatis ibi *n.* 23. post Felin. *in Cap.* Rodulphus *n.* 41. *de rescrip.*

rescript. Abbat. *tit.* 3. *n.* 8. Prout etiam nisi interveniat contumacia notoria, ultra citationem rei esse necessariam monitionem quoties excommunicatio in jure sit ferendæ non latæ sententiæ, docet idem Reiffestuel *n.* 26. *&* 27. Quod si suspensio & interdictum infligantur non propriæ ut censuræ sed ut pœnæ vindicativæ recte concludit non esse tunc necessariam comminationem *n.* 28. cum Palao *tr.* 29. *disput.* 1. *punct.* 5. *n.* 5.

28 Porro signanter additur quod cum omnia jura clament debere fontem audiri ante condemnationem, relevat per consequens nullitas sententiæ de qualibet censura, quoties rationes rei prætensi in casu nisi citatus & comparere renuens in contumacia condemnandus foret, audirentur & examinarentur ut disserte probat Pater Sanctorus legendus *Cap.* 1. *de pœn. q.* 4. *per tot.* Et viget statutum expressum pro nobis Minoritis in Compil. Sambuc. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 39. ibi = *Contra inauditam partem, vel contra non legitime convictum vel confessum gravem sententiam ferri non posse, nec debere decernimus, qua quis actibus legitimis privetur, aut in exilium relegetur aut notabili aliquo nocumento afficiatur & latam sententiam ipso jure nullam declaramus atque contrarium facientes, actibus legitimis destituimus.* Cumque inter notabilia nocumenta censura quælibet non tantum, sed etiam suspensio ab Officio connumeretur; ideo neque hanc contra inauditum ferri posse perspicuum est, ut merito Sanctorus idem *Cap. præfato* 7. *n.* 3. ℣. *Respondeo quarto.* His non obstantibus aut illicita aut invalida quoque foret censuræ lata sententia non servato juris præscripto Ordine secundum diversa ab opinantibus allegata jura: semper equidem timenda est ex dictis alibi & doctrina Magni Gregorii *hom. in Evangel.* Statutis item Sambuc. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 1. Verum quod ad propositum pertinet, per accidens se haberet ad Visitationem paternalem, quoties in exercitio ejusdem pronunciaretur, utpote ex se ordinem juris exigens; proinde forum pœnitentialem indeclinabiliter excedens, actû distinctum ab illo de sui natura importaret. *Cap. Cum medicinalis de sent. excom. in* 6. *juncta Gloss.* Monacell. *part.* 3. in prælud. *n.* 64. *seq.* Et in specie Statut. Reform. *Cap.* 7. *n.* 6. *&* 7. Super quæ P. cit. de Amen, pract. crim. *tit. V. qu.* 8. *n.* 70. Idemque ad propositum affero quantum ad præcepta, quæ sub censura aut pœna suspensionis ab officio Provincialis Visitator emitteret, quamvis oretenus; ista etenim neque omnino extrajudicialiter peragi queunt, & ultraquamquod in annuntianda Visitatione prohibentur a jure ut alibi tactum & docet Berti *tit.* de Visit. *Cap.* 31. *n.* 2. referens Decretum Sacræ Congregationis, quotiescumque in ipsa ex incidenti cogeretur prorumpere visitans, relationem indeclinabiliter haberent ad ordinem judiciarium necessario servandum in casu inobedientiæ contra reum contumacem; ut idem de Berti fuse *tit.* 28. *Cap.* 5. *a n.* 7. de Ameno *tit. dict. V. qu.* 28. *n.* 169. Similiter quando statuta n. 26. relata aperte insinuant, quod valeant Provinciales Visitatores se solis sententiam suspensionis ab officio actualiter ferre cum limitatione ad tres menses, licet hoc extrajudicialiter contingeret exequi; videlicet non adhuc fabricato processu & absque sententia in scriptis pro eo tunc prolata secundum opinionem relatam a Lezana inter alios. *V. Censura n.* 6. semper tamen implicite saltem & relative limites paternæ visitationis excederentur; quippe cum supponeretur delictum in casu majorem exigens pœnam quam salutarem fori pœnitentialis, de quo vel esset incepta vel instituenda inquisitio specialis & sententia ultimo deffinitiva per Deffinitorii Patres juridice pronuncianda foret juxta doctrinam vere egregiam quoad hanc partem Patris de Ameno *tit. V. quæst. seq. alleg.* 8. *n.* 70. Quod etiam concludendum obvenit, quoties præter imminens periculum sive maximum scandalum Superior localis esset absque mora ab officio suspendendus; nimirum quod inquireretur hujusmodi actus extra visitationem paternam & ad illam minime pertinens prout Sanctorus *Cap.* 1. *qu.* 3. *Responsf.* 5. Versu *Dixi regulariter.*

29 Dictum quintum. Guardiani in Ordine Minoritico, & alii Superiores locales vere Prælati, ut Præsidentes in Capite &c. de quibus P. de Ameno *tit.* 1. *pract.* §. 2. *n.* 14. *seq.* valent præcepta ferre oretenus cum appositione censuræ veluti excommunicationis suspensionis & interdicti personalis, non autem sub pœna suspensionis ab officio nisi intelligatur de officio minori ad nutum proprium amovibili Probatur prima pars, eo quod iidem Guardiani &c. sint vere Prælati jurisdictionem habentes respective quasi Episcopalem in subditos propriæ familiæ, propterea extendi ad ipsos privilegium præcipiendi sub censuris nequeat negari. Clement. *Exivi de Verb. signif.* Passerin. Tribunal. Regular. *qu.* 2. *n.* 10. *& de elect. canon. Cap.* 25. *qu.* 34. *n.* 436. de Ameno mox cit. *n.* 14. nequaquam limitatam

quoad

quoad hanc partem per statuta, aut municipales leges; quin immo per statuta ipsa expresse firmatum in compil. Sambuc. *Cap. 7. n. 28.* ibi. *Cum omnes Religionis nostræ Superiores sint vere Prælati, videlicet Minister, & Commissarius Generalis, Provinciales Ministri, & qui ab eis delegantur, Custodes etiam, & Guardiani quoque; Propterea declaramus, omnes supradictos, juxta juris communis dispositionem sententiam excommunicationis in sibi subditos fulminare posse, & oppositum asserentes, ut errantes, & perturbatores graviter puniantur Superiorum arbitrio.* Quod si excommunicare queunt, per consequens etiam suspendere & personaliter interdicere ex illatis jam *n. 21.* & communi doctrina Abbat. *in Cap. sæpe n. 56. de appellat., & in Cap. Quærenti n. 2. de Verbor. signif.* aliis concordantibus. In quo tamen supposito censuræ non valerent, nisi ad illos effectus, ad quos jurisdictio ipsorummet Prælatorum localium limitaretur, ut n. pariter 21. fuit explicatum. Et ex hoc probatur item altera pars, nempe, quod sub pœna suspensionis ab officio proprie non possint præcipere, eo quia vel Superiores subalternos officia cum jurisdictione possidentes sub se minime habent in hypotesi, vel quia officia ipsa ibi inferiora, Lectoris nempe Magistri Novitiorum & Clericorum a Deffinitorio vel Superiore majori conferantur, hinc pœnam suspensionis ab iisdem imponere propria auctoritate non possint juxta paulo ante allata ex Rodriguez *tom. 1. qu. 12. art. 6. in fin.* Mirand. *tom. 2. man. qu. 20. art. 2. concl. 2.* & tangit Peyrin. *tom. 2. de Præl. qu. 1. Cap. 4. §. 4. n. 75.* De reliquis officiis infimis non est curandum, quia vel officii nomen vere non merentur sed potius ministerii ut Sacristæ Janitoris Coquinarii similiumve, vel ad nutum Superioris ipsius distributa propter hoc amovibilia per eumdemmet & mutabilia reputantur. Et quamvis per Provincialem vel Deffinitorium forent a principio assignata; tamen in mutatione eorum juxta opportunitates mens Superiorum majorum concurrere interpretaretur ad prænotata per Peyrin. cit. *n. 92.* qui Doctores & jura cumulat, favetque statutum antiquissimum pro nobis Minoritis relatum a Sanctoro *Cap. 1. de pœn. qu. 2 resp. 2. ℣. Probatur 2.* Præcipue si de hinc Superior Provincialis de amotione aut mutatione Officialis certior redderetur. Semper hoc non obstante adhibendam esse cautelam a Superiore prudente; ne notabiliter lædatur fama proximi, quatenus privaretur officio publico: ex. gr. Sacristæ Janitoris &c. titulo defectus monent merito Pasqualig. *tom. 2. decis. 461. n. 79.* Raggius de regim. Regular. *dub. 169. ℣. Advertendum.*

30 Dictum textum. Guardianus attamen vel alter Superior localis in Ordine Minorum jurisdictione Prælatitia pollens nequit censuram in casu appositam præcepto infligere actu transgressoribus vel inflictam a jure declarare; nisi in casibus sibi per statuta permissis. Patet ex præhabitis prima pars. Juris ordo namque requiritur in censuris hujusmodi actu ferendis & declarandis; itaut probatio delicti citatio rei ipsiusque auditio & sententia denique in supposita pronunciatione non possint omitti. Hoc autem per Statuta Religionis Superioribus & Prælatis localibus legitur vetitum, quod videlicet cognoscant causas in quibus Judiciarius ordo necessario est adhibendus, cum tantummodo per salutares pœnitentias procedere queant sine scripto. Ad textum pract. crim. *tit. delictorum discrimina ℣. In levibus* Sanctorus *Cap. XI. stat. 2. qu. 2.* de Amen. *tit. 4. §. 3. per tot.* Igitur ad sententiam vel declaratoriam censurarum nequeunt Guardiani &c. per se ipsos devenire. Colligitur pariter consequens ex Sanctoro cap. 1. pœn. qu. 4. respons. 4. *℣. In quo supposito* clarius ex P. de Ameno *tit. 5. qu. 28. n. 167. seq.* Per quod apparet quod quando asseritur posse ipsos excommunicare, ideoque alias censuras ferre, hoc intelligi debeat de comminando tantum, aut sub censuris præcipiendo; obstantibus alioquin legibus municipalibus ne ultra procedant. Statutis præcipue generalibus Barchinonen. sub *cap. 6.* & allato textu pract. crim. *tit. delictorum &c.* juncta explicatione obvia Patris citati de Ameno *n. 167. & 171.* Quid igitur agant? Si casus occurrat quod ipsimet Superiores Prælati aliquid sub censuris etiam ipso facto præcipiant & subditi inobedientes postea sint & publice contumaces. Certum est subditos ipsosmet in hypotesi censuris respective in foro conscientiæ fore irretitos. At Superior localis se videns contemptum deberet Superiori aut Visitatori Provinciali rem deferre, qui teneretur etiam vel per se vel per particularem delegatum processum conficere & ad sententiam incursæ censuræ aliarumque pœnarum contra inobedientes secundum jura una cum Definitoribus juxta superius dicta devenire. Ita sapienter quoad hoc Pater de Ameno *n. 167.* ubi supra; Quoties autem periculum esset in mora & scandalum grave ex contumacia inobedientis oriturum in

prompta

promptu est remedium in similibus casibus assignatum a lege tit. ubi supra *delictorum de crimine*: nempe carceratio & contumaciæ interim descriptio §. *Verum enim vero.* Addita quoque fuit in asserto exceptio: *nisi in casibus sibi per statuta permissis*; Cum permittatur Superiori quoque locali cuilibet potestas excommunicandi etiam de facto Apostatas. *Cap.* 2. Compil. Sambuc. §. 8. *n.* 29. ibi *Declaramus Superiores omnes tam Provinciales quam locales ordinariam Potestatem habere excommunicandi Apostatas.* Quod legitur iisdem fere verbis in statutis generalibus Reformatorum. cap. 2. tit. de Apostatis n. 22. Ea tamen Potestas est proprie declarandi, seu melius denuntiandi Apostatas ipsos excommunicatione majori inuodatos, ut eademmet statuta explicant *Cap. d.* 2. *n.* 3. cum alioquin a jure excommunicati jam existant & supponantur ibi *n.* 2. Sanct. *Cap.* 2. *Constit. stat.* 64. Et licet hujusmodi declaratio sive denunciatio oretenus soleat fieri, de Ameno *tit.* 1. *quæst.* 23. *n.* 17. Nihilominus in casu Apostasiæ dubiæ vel excusationis allatæ per prætensum Apostatam quod possent ipsimet Locales scripto procedere sustinet post Sanctorum Pater ipse de Ameno; utpote quantum ad hanc partem in statutis exceptam sint Ordinarii: ibi *Ordinariam Potestatem habere*: præsente autem Patre Provinciali quod Guardianus non deberet in hujusmodi causis se ingerere advertit Sanctorus idem de pœn. *Cap.* 9. *qu.* 11. *Responsf. prima.*

31 Porro Pater de Ameno *qu. cit.* 28. multa involvit quæ accuratiore examine indigent, ut omnis æquivocatio juxta occurrentes casus dilucidetur. Concedit primo posse tum Provinciales tum Prælatos locales Guardianos videlicet Vicariosque in capite sive Præsides excommunicationis ferre censuram; quod quidem ultra rationes superius datas *n.* 21. fundatur in claro etiam præallegato statuto *Cap. VII.* §. 6. Compil. Sambuc. *n.* 18. ibi *Guardiani quoque &c. propterea declaramus juxta juris communis dispositionem sententiam excommunicationis in sibi subditos fulminare posse*; itellige uniformiter ad doctrinam mox numero præcedente traditam; comparat tamen ibi Prælatos locales Archidiaconis & sustinet assertum, eo quia administrationem cum jurisdictione possideant. n. eod. prim. Quando verius posset sustinere Potestatem etiam Superioris localis Guardiani scilicet alteriusque Prælati possidentis fixum gubernium fore etiam Episcopalem respective, cum alias non invenia-

tur cui hujus Dignitas & jurisdictio sit comparabilis; & signanter nequaquam Archidiacono qui deficit regulariter in utraque non habens subditos absolute a se dependentes respectu quorum dici queat Ordinarius. Apponitur autem clausula restrictiva *respective* videlicet ad solam suam Conventualem familiam: sicuti illam possident in ordine ad totam Religionem Generalis Provincialis item respectu Provinciæ totius. Sic docentibus Suarez *tom.* 3. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. & *cap.* 2. *n.* 10. *seq.* Portella V. *Abbas n.* 6. & *in addit. n.* 3. Lezana qui allegat jura *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 2. Sanctor. *constit. cap.* 1. *stat.* 3. §. 2. Consentitque ipsemet de Ameno *tit.* 1. *tract.* §. 2. *n.* 14. Hinc currente axiomate: quod possit in sua familia Conventuali localis Prælatus quicquid respectu Provinciæ Provincialis & Generalis in tota Religione; nisi aliunde per leges & municipalia statuta potestas ejusdem localis Prælati limitetur. Ant. a Spir. Sancto *tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 137. Compend. privileg. *V. Guardianus* ex Clement. IV. & Sixto IV. Videndus Corduba *qu.* 4. *in cap.* 8. *Regulæ* & in addit. ad privileg. *V. Guardianus.* Eo modo quo de facto legitur limitata in casu. Videlicet quod nequeat Guardianus causas agere in quibus scripto procedatur, cum alias sibi a jure hæc eadem competeret facultas quæ cœteris Prælatis localibus de jure negari nequit: Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 2. 3. 16. 17. 22. & post Portellam V. Prælatus in addit. *n.* 2. & 8. Ant. a Spir. Sancto cit. *n.* 157. & 159. Qui etiam fatetur facultatem hujusmodi in sua Religione aliqualiter restringi per municipalia statuta; taliter ut processum incipere informativum Priores locales possint atque confessionem rei excipere; non tamen acta perficere sed sic disposita mittere debeant Superiori majori cui ex lege competit ferre sententiam: ubi supra n. 151.

32 Item asserit ibi Pater de Ameno n. 165. & 169 posse quidem Guardianum pro tempore adnectere alicui præcepto excommunicationem vel ipso facto incurrendam vel comminatoriam &c. Dummodo præceptum cadat super aliquod grave cujus trangressio sit peccatum mortale; sed quando præceptum cum excommunicatione addita esset per modum ordinationis generaliter omnibus suæ familiæ fratribus intimatæ deberet scripto exarari, alioquin excommuncatio foret irrita & nulla per innegabile statutum sequens -- *Præcipitur ut nullus nostræ Religionis Prælatus inferat pœnam excommunica-*

tionis per modum ordinationis vel ſtatuti ad praecavenda delicta ; ut eſt prohibitio ingreſſus ad Cellas , ſive in aliquas Saecularium domos & id genus alia , niſi in ſcriptis; & prædicta excommunicatio aliter lata , ex præſenti Conſtitutione nulla eſſe decernitur & declaratur . Barchinonen. *Cap. 3. tit. de pœn. excommun. V. Rurſus* . Orb. Seraph. *tom. 6. fol.* 661. *col.* 2. Addit inde , quod in caſu quo Subditus præceptum hujuſmodi per modum ordinationis generalis transgrederetur minime poſſet Guardianus aut legitimus Prælatus localis contra illum procedere vel excommunicationem ferendo vel declarando &c. hac ratione quia hæc eadem acta abſque eo quod ſcripto exarentur confici nequeunt , & poteſtas ſcripto procedendi Superioribus localibus adimitur per textum practicæ criminalis jam citatum ibi . *Si tamen ſcripto procedendum eſſet Superiores locales a gravium correctione deſiſtant* , *tit. Delictorum diſcrimina . V. In levibus* . Quoties autem præceptum ſub excommunicationis pœna fieret revera per modum præcepti reduplicative & non per modum ordinationis, videlicet non toti Communitati , ſed Religioſo alicui particulari de familia : tunc ait præfatus Doctor poſſe Guardianum ſive legitimum Superiorem localem ad ſententiam aut excommunicationis declarationem devenire , in ſuppoſitione tantum quod ſubditus poſt trinam monitionem vel unam equivalentem tribus cum debito intervallo eſſet publice contumax . Conceditque ſeriem facti poſſe ſcripto deſcribi per ipſum Superiorem localem , ut valeret Provinciali oſtendere acta , & de legalitate ſecundum quam proceſſit in ſententia ferenda, illum docere . Sic numero 170. Cœterum , ſi reus non eſſet in inobediendo formaliter contumax , ſed ſimpliciter transgreſſor præcepti ſub excommunicatione lati , repetit rem debere ad Patrem Provincialem ſeu Viſitatorem deferri , cui privative ſpectaret ferre ſententiam vel inquiſitionem ſpecialem inſtituere ſerſerv. *ſic n.* 171.

33 Veruntamen quamvis luculenter ſuo more omnia prædicta doceat eruditus Auctor, traditæ per ipſum doctrinæ in aliquibus non diſſentire nequeo . Primo itaque quantum ad ſtatutum Barchinonenſe perſpicuum eſt equidem , excommunicationis pœnam adjectam legibus & ordinationibus niſi ſcripto exaretur & publicetur per ipſummet ſtatutum irritari , ſed ultraquamquod videatur ſermo inibi eſſe de Superioribus Generalibus tantum & Provincialibus a quibus proprie aliquid per modum ordinationis & generalis ſtatuti pro univerſitate Fratrum poteſt demandari , ex P. Sanctor. de pœn. *Cap.* 28. *qu.* 4. adhuc in ſuppoſito , quod Prælatos locales includeret , vix ſalvaretur quin æqua lance ordinatio & præceptum ponderarentur in caſu ; ideo etenim præcipiuntur in ſcriptis fieri ordinationes præciſe propter excommunicationem adnexam ſupra quam cadit directe ſtatutum , quod minime videlicet teneat niſi ſcripto ſit exarata , ut legenti eſt evidens , & hoc uniformiter ad jus commune per quod prohibetur cenſura excommunicationis ſignanter aliter quam ſcripto comminari aut ferri . *Cap.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. ubi Gloſſ. & *Cap. Sacro , juncta Gloſſ. eod. tit.* Propterea quoties cenſura ipſamet ſive ordinationi ſive præcepto ut præcepto adnectatur, non apparet ratio excipiens quare non debeat ſcripto ſemper pronuntiari , ſic exigente præcipue ejuſdemmet cenſuræ natura , quod ab homine contra particularem perſonam nonniſi in ſcriptis ſit ferenda , & ideo de comminatione ejus & monitione prævia in ſcriptis pariter debeat conſtare , ex ipſis *Cap. ſacro & medicinalis* cum Gloſſ. & concordantiis Paulin. Berti in prax. *tit.* 28. *cap.* 6. *n.* 7. Ita ut deducerem in caſu ordinationem cum præcepto fore confundendam , quatenus juridice procederetur vel judicialis ſententia intenderetur : & ſic ordinatio veluti terminus genericus aut ſpecificus contineret præceptum individuale ſaltem vage , & proinde quoties excommunicationis cenſura ei adnectatur & forum intenditur contentioſum uniformiter ad jus commune ſemper in ſcriptis ſit publicanda. Navarr. *Cap.* 27. *num.* 8. Suarez de cenſur. *diſput.* 3. *ſect.* 13. *numero* 2. &c.

34 Dato & non conceſſo his non obſtantibus quod valeat Superior localis a fortiori Provincialis & Generalis aliquid oretenus præcipere particulari ſubdito ſub pœna excommunicationis alteriuſve cenſuræ, abſque eo quod ſcriptis intimetur & publicetur præceptum hujuſmodi , ex prætenſo fortaſſe privilegio Leonis X. relato & defenſo per Rodericum alios Doctores citantem *tom.* 2. *qu.* 59 *art.* 3. Aut ex aliis privilegiis magis authenticis ut vult Lezana Verbo . *Cenſura n.* 6. Non video quare poſſit Guardianus excommunicationis ſententiam ferre aut declarare ſeriem facti deſcribendo, ut poſtea de legalitate docere valeret Provincialem, quoties per modum præcepti intimata fuerit

& inde

& inde contra contumacem agat abſque eo quod dicatur tunc ſcripto procedere contra citatum textum practicæ criminalis *tit. Delictorum diſcrimina*, & idem non ſequatur, nempe quod neque dicatur procedere ſcripto contra dictum textum, quando eadem acta conficeret etiamſi cenſuræ adnectarentur præcepto per modum ordinationis & ad ſententiam pariter deveniret omnia deſcribendo, ad hoc ut legaliter conſtaret de legitimo procedendi modo. Vel enim ſalvatur Prælatus localis ab exceſſu in uno & altero caſu, vel in utroque excedit ſcribendo acta & procedendo contra præciſe prohibitum in textu. Concludendum eſt igitur, aut quod privilegium Leonis X. prætenſum ſe extendat ad excommunicationes cenſuraſque alias non tantum ſine ſcripto intimandas & comminandas, quando adnectantur præcepto, ut præcepto, ſuper quod alioquin cadit privilegium, ſed ad omnia peragenda item ſine ſcripto, puta citationes monitiones & cœtera quæ ordine judiciario quoad forum contentioſum indeclinabiliter debent obſervari, ipſomet P. de Ameno teſte *n.* 167. *&* 172. *tit. cit. pœnarum*, uſque ad ſententiam deffinitivam incluſive, & hoc non ſolum contra inobedientem contumacem ſed quemcumque tranſgreſſorem præcepti formalis de quo exemplum tradit idem de Ameno, n. 171. prout item totum concedit allatus Rodericus *art.* 3. *V. Certa quam* aut tenenda eſt altera pars, quod videlicet in nullo caſu non tantum præcepti ut ordinationis, ſed præcepti formalis etiam ut talis, neque in illo contumacis inobedientiæ poſſit Superior localis devenire ad excommunicationis ſententiam, quam utique, præterquam in denuntiandis Apoſtatis, una cum præviis actis citationis monitionis &c. deberet ſemper ſcripto mandare quoties in foro externo & contentioſo procedat. *Ex Cap. cit. Sacro de ſent. excom. & Cap. Cum medicinalis eod. tit. in 6. junct. Gloſſ.* Merant. *part. 6. de citat. n.* 126. Cum abſolute ſcripto is procedere nequeat ex pluries cit. textu pract. crim. *tit. delictorum* §. *III. V. In levibus* Vix excepta neceſſitate urgente in qua expreſſe per leges id ſibi concedatur ut jam tetigimus, & mox replicabimus infra. Quæ ſanè ſententia claris juribus, & conſuetudini magis arridet abſque eo quod valeret privilegium Leonis X. de quo ſatis non conſtat, aut cui in Ordine Minoritico per legem quæ poteſt dici municipalis abſolute traditam in contrarium, & præceptum in practica criminali videtur renuntiatum.

35 At dices ſuperfluam inanemque fore poteſtatem Prælati localis excommunicandi & cenſuras ferendi, ſi facto præcepto formali ſub earum pœna nequeat in ullo caſu etiam contumaciæ publicæ ad ſententiam devenire; ita ut evaginare gladium tantum queat & ipſomet ferire omnino prohibeatur. Item in caſu fore deſtitutos Prælatos ipſoſmet vi coercitiva neceſſaria ad continendos ſubditos ſub diſciplina, ſi facultas excommunicandi formaliter inobedientes & contumaces, ſignanter, quando requiratur contra hos remedium exhibere iis adimeretur quæ ultima eſt ratio P. de Ameno num. cit. 170. & 171. Reſponderem nihilominus: ad primam non fruſtraneam fore poteſtatem Prælati, immo nec ipſam cenſuram ab eo adnexam præcepto vel comminatorie vel ipſo facto incurrendam; quippe cum illa ipſo facto incurreretur a ſubdito tranſgrediente in foro interno: inde poſſet immo deberet declarari per ſententiam aut ſi eſſet tantum comminata deffiniri a Superiore Provinciali ſervato ordine conſueto juris, quod idem reſpondetur per Patrem de Ameno cit. ibi *n.* 167. Et addidi, quod immo deberet Superior Provincialis declarare ſic inflictas ipſo facto aut deffinire comminatas cenſuras; quia in hujuſmodi caſibus Superiores majores tenentur adſiſtere minoribus eorumque juxta præcepta poteſtatemque ordinariam tueri ac ſubſtinere: juxta Tridentinum *ſeſſ.* 24. *Cap.* 2. *de reform.* Portell. *V. Prælatus in addit. n.* 8. Faventque Statuta generalia Compilat. Sambuc. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 78. Ad alteram rationem, cui Pater innititur de Ameno pariter reſpondeo non fore deſtitutos Prælatos locales in coercitiva, quin poſſent per modum præcepti excommunicationem ferre quæ ſuum effectum haberet in foro conſcientiæ & complementum exigeret quoad forum contentioſum per declarationem & deffinitionem Superiorum, quibus de jure. Cæterum quando malum indigeret remedio celeri non deeſt hoc porrectum a ſtatutis in re gravi. Videlicet jejunium, arctatio, domus diſciplinæ & ipſe carcer ut in pract. crim. *tit.* 4. in fin. ibi *Ubi periculum eſſet in mora & delictum notorium, nec Provincialis in proximo reperiretur, poſſint & debeant Guardiani aliique Superiores locales tamquam Provincialium Delegati cum Diſcretorum conſilio delinquentem quemcumque carceribus vel cuſtodiæ mancipare & ſtatim Provincialem de delicto certiorem reddere*. Quo caſu etiam diſpenſatur eiſdem Superioribus localibus non tamquam

Ordinariis, sed velnti Delegatis juxta expressa corpus delicti describere idque deinde ad Superiorem ipsum majorem trasmittere, ad hoc ut idem continuato juris ordine processum perficeret & una cum Deffinitorio vel si esset Generalis seipso sententiam pœnæ proportionatæ delicto ultimo daret. Sic in eodem practicæ texto ibi: *Et si de corpore delicti nisi in instante caperetur informatio, ejus cognitio deperiret vel non ita clare appareret, eadem auctoritate possint & debeant Superiores locales juxta formam juris corpus delicti in scripto redigere Provinciali vel ejus Commissario consignandum.* Ubi Pater de Ameno *tit. IV. §. V. per tot.* Et quamvis superius *n.* 30. præcautum sit posse Superiores locales hoc idem peragere in casu excommunicationis prolatæ vel comminatorie vel ipso facto incurrendæ, ita quod si scandalum immineret posset interim subditum contumacem ante declaratoriam vel deffinitivam excommunicationis sententiam carceribus saltem intra domum disciplinæ coarctare, & calamo factum describere servato ordine juris. Nihilominus istam aliam methodum prudentius apprehenderet Prælatus localis zelans, ita ut per pœnitentias aliasque temporales pœnas delinquentem subditum corriperet & quatenus delictum esset grave inobedientia publica & malum imminens cum scandalo usque ad domum disciplinæ & carcerem illumınet arctaret; sic sine scrupolo excessus in jurisdictione se gerens absque eo quod remedium excommunicationis extremum adhiberet. Ad tradita per Patrem de Ameno pract. crim. *tit. V. n.* 172. & Patrem Reintlettuel de sent. excom. §. 3. *n.* 102. Uniformiter item ad Tridentini doctrinam pro Superioribus quibuslibet Sess. 25. de Reform. cap. 3. ibi. *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari & perniciem potius parere, quam salutem.* Et infra in eodem capite: *In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis fieri poterit etiam a censuris abstinendum. Sed si dictæ executioni facile locus esse non possit, licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas præcedente saltem bina monitione, etiam per edictum id postulet &c.* In quo conciliari texto adnotare simul non omitto duplicem saltem monitionem ad censuram quæ ab homine seu Prælato præcipiente feratur esse necessario præmittendam: Unde bene considerandа fore duco relata verba, antequam absolute ab Auctoribus asseratur nullam prærequiri in casu monitionem vel sufficere unicam; nisi forte intenderet quis quod una præmitteretur æquivalens tribus vel saltem duabus, cum debito tamen intervallo ad minus horarum & hoc in gravissimis tantum casibus ut optime notat item allegans Gloss. in *Cap. Constitutionem* ℣. *Competenter de sent. excom. in 6.* laudatus Pater de Ameno *tit. V. qu.* 28. *n.* 169.

36 Quæ de excommunicatione generice pro Fratribus Minoribus hic ex incidenti dicta sunt quantum ad Superiores præcipue locales fortius tenent si applicentur excommunicationi in specie ad finem revelationis & pro deperditis aut subtractis rebus ferendam, quatenus casus hujusmodi in Conventibus eorum contingat. Quandoquidem ultraquamquod scripto teneretur Superior localis procedere in hisce eventibus, per monitoria nempe scripto repetita ut apud Sanctorum de pœnit. *Cap.* 28. *qu.* 2. *difficultate tertia*. Patrem de Ameno *tit. V. n.* 176. Et Patrem Felicem Potestatem de denuntiatione *part.* 2. *Cap.* 1. Quod absolute vetitum diximus Superiori eidem locali in dicto Ordine supra *n.*30. & signanter ad præfatam excommunicationem in specie ipsemet localis devenire prohibetur per peculiare statutum *cap.* 7. §. 6. *n.* 32. Compilat. Sambuc. ibi. *Pro perditis, vel subtractis rebus Generalis, & Provincialis tantum, qui Episcopalem quasi auctoritatem habent excommunicationis sententiam ferre possint.* Ubi satis patet, quod adimatur Superiori locali potestas ferendi excommunicationem non tantum pro inveniendis rebus per incuriam & oblivionem deperditis, sed etiam pro revera furto sublatis; scilicet *subtractis*, qui terminus non frustra additur in statuto: nec solummodo prohibetur excommunicatio pro revelatione habenda delinquentis; sed pro recuperandis rebus ipsis, ut ibi *subtractis*: contra Patrem de Ameno, qui verbis ludens vellet similem concedere Guardianis facultatem dum ait: *Sed respectu rerum furatarum in Conventu est alia ratio immo potest dari casus quod expediat Guardiano talem censuram ferre* ibi *tit. V. n.* 175. Veruntamen non ideo neganda est absolute Superioribus localibus eadem hæc facultas, quia in eis negetur per Tridentinum, quod Episcopis privative ipsammet concedit, per consequens Generalibus & Provincialibus privative con-

concessa censeatur inter Regulares, qui tantum Episcopali quasi gaudeant jurisdictione inter suos: nam per hanc immo rationem nequaquam excluderentur Prælati locales cum & ipsi quasi Episcopalem potestatem possideant respective ad Familiam sui Conventus ut dictum & probatum est pariter supra *n.* 29. & 31. Sed hac alia potissimum ratione præfata negatur facultas Superioribus localibus in dicto Minorum Ordine, quia per leges municipales in eodem ita explicatur & quasi limitatur Tridentinum: cum alias nisi statutum adesset impediens etiam ipsi ut mox dictum est potirentur facultate; sicuti eam competere Superioribus localibus aliarum Religionum est tenendum cum communi. Nec militant contra præsentem doctrinam & superius traditam *n.* 29. de dignitate & jurisdictione Superioris localis aperta verba ipsiusmet mox citati Statuti *Cap.* 7. *n.* 32. per quæ Prælatis localibus Episcopalis dignitas videtur auferri, dum Generali & Provinciali dumtaxat ibidem conceditur: Statutum siquidem quoad hanc particulam non facit magnam vim, cum alibi inveniatur jurisdictio & dignitas Superiori locali concessa, quæ constituit ipsum vere Prælatum ut in Statuto eodem Sambuc. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 28. & *Reform. Cap.* 8. *n* 47. Præterea que jus eligendi confessarium sibi tribuatur a Doctoribus. Portell. *v. Guardianus n.* 1. Sanctor. Constit. *Cap.* 7. *stat.* 1. *qu.* 7. De Ameno *tit.* 1. *n.* 64. & *tit. V. qu.* 28. *n.* 162. Quod nequaquam sustineri valeret nisi Episcopo in aliquibus compararetur ex ipsismet Sanctor. & de Ameno loc. cit. statutum itaque idemmet aptius explicaretur proportionaliter ita quod localis Prælatus non æquiparetur Episcopis simpliciter & absolute veluti Generalis & Provincialis attenta limitatione Religionis, signanter in casu; secundum quid tamen & respective ad plura non posset eidem in sua familia similis facultas denegari.

37 Id vero additum a Patre de Ameno quod in casu quo Guardianus monitoria publicaret servata debita forma, etiam extra casum necessitatis; illicite quidem, quia contra dispositionem conciliarem & statutorum, valide tamen procederet quippe cum Concilium utatur verbis tantum directivis absque clausula irritante & statutum disponat; sicut a Concilio cit. dispositum legitur: ita *tit. V.* allegato *qu.* 29. *n.* 175. Fateor apud me non mediocrem invenire difficultatem Concilium etenim utitur his, quæ sequuntur verbis = *Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmissis ad finem Revelationis, ut ajunt aut pro deperditis seu substractis rebus ferri solent a nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernatur = ibi a sess.* 25. *Cap.* 3. *de Reform.* Quæ quidem verba imperativo modo prolata & cum expressa clausula. *A nemine prorsus*. Non capio quare non habeant sensum præceptivum & omnimode exclusivum cujuscumque Episcopalem dignitatem & jurisdictionem non præseferentis; itaut inferiores Episcopis Prælati licet exempti quicumque, judices quantum ad hoc incompetentes evadant agerentque invalide in casu sicuti Concilium interpretratur & per S. C. decisum referant Ugolinus, Garzias, Campanilis, Vulpes, Raimundus Machedia, Sancius citato a Barbosa ad hoc caput Tridentini n. 9. Et de facto debere Abbates aliosque inferiores Prælatos jurisdictionem licet Episcopalem in territoriis propriis exercentes, vel eorum subditos, pro hujusmodi monitoriis edendis aut obtinendis Sedem Apostolicam adire, repetit Monacellus *par.* 1. *tit. VI. form.* 15. *n.* 13. adducens S. C. C. declarationem 22. *Januarii* 1598.

38 Novi equidem limitari prohibitionem Concilii & declarationem in casu contra Prælatos Episcopis inferiores licet habentes jurisdictionem quasi Episcopalem extra claustra veluti sunt Abbates & alii exempti nullius, ac etiam Vicarii foranei immo & Vicarii Generales Episcoporum ex vi solius commissionis generalis secundum Barbosam ad cit. *Cap. Trident. n.* 5. & 7. propterea contra alios intra claustra & erga Religiosos subditos simili jurisdictione absolute præditos uti sunt Generales & Provinciales non militare; ut bene notat Sanctorus *Cap. eod.* 28. *de pæn. qu.* 2. & post ipsum P. de Ameno ipsemet *tit. V. qu.* 29. *n.* 173. Quod potest sustineri in aliis Religionibus quantum ad Superiores etiam locales ex animadversis supra n. 21. 29 & 30. Verumtamen quoties pro Prælatis localibus Ordinis Minorum in specie prohibitio Concilii admittatur, & fatente eodem Patre de Ameno juxta dispositionem dicti Concilii dispositа regulariter statuta prohibitio quæ sub pœna nullitatis in dictis casibus percutit Prælatos extra claustra sicuti in n. præcedenti probatum est, quod afficiat pariformiter Prælatos dictos locales nostri Ordinis profecto evitari nequibit; ita quod si in allatis casibus excommunicationem ferant: non solum illicite sed nulliter agant. Quod etiam paucis confirmat & advertit Rodericus tom. 2. qu. 59. art. 4. reputando statutum generale sequens ex quo illud in Sambucana com.

na compilat. fuit desumptum ibi: *Cum tamen idem Concilium dicat excommunicationes latas ad finem revelationis pro deperditis & subtractis rebus a solis Episcopis imponi debere; praecipimus ut Guardiani cum non habeant jurisdictionem Episcopalem* puta absolute quoad omnia & in integra Provincia *non possint excommunicare in tribus supradictis casibus, videlicet ad finem revelationis in judicio & pro deperditis aut pro subtractis rebus; nam in his tribus casibus ad majores nostrae Religionis Praelatos solum jurisdictionem Episcopalem* videlicet absolute & extensive quoad omnes, Provinciae subditos *habentes pertinet excommunicationem ferre*. Capit. generale Tolet. *cap. 6. de corrept. delinquent. tit de paen. excom.* In quo sane statuto examinandum obvenit illud verbum *praecipimus* per quod non tantum dispositio instructiva, ut vult P. de Ameno sed praeceptiva evidenter importatur. Et ultimo advertenda conclusio = *Ad majores nostrae Religionis Praelatos solum pertinet excommunicationem ferre*: per quam clarissime privativa facultas ad ipsosmet Generales & Provinciales attenta dictione SOLUM spectare dignoscitur. Idemque revera tenet Pater quoque Sanctorus licet perperam a Patre de Ameno pro se allegatus. Videndus *Cap* 28. *paen. qu.* 2. *ubi* ultra Rodericum citat Barbosam *allegat.* 96. *n.* 13. Mirandam *tom.* 2. *qu.* 35. *art.* 12. Hieronymum Rodriguez *resol.* 62. *n.* 4. sed expressius eod. *Cap.* 28. *qu.* 3. *respons.* 2. hisce verbis - *cum hoc tamen stat; quod si Guardianus fulminaret sententiam pro rebus deperditis; non solum iniuste procederet, sed etiam nulliter, quia in hac parte non est Judex competens*; ut patuit ex Sacro Concilio & ex statuto & sic defectus auctoritatis facit sententiam omnino nullam. Nec relevat quod idemmet P. Sanctorus quaerens an expedita monitoria contra formam Conciliorum sint nulla respondeat *Negativè*; *quia Concilium non imponit formam sed instructionem* (sunt verba Auctoris) & *nullum verbum invenitur quo irritentur aliter facta* ibi *qu.* 2. ad calcem difficultatis primae; quapropter pro se allegatur a Patre de Ameno *qu.* 28. *n.* 175. in fine. Nil inquam valeret hujusmodi replica; Pater namque Sanctorus clare comprehenditur loqui de instructione quam dat Concilium quoad cautelas servandas in monitoriis expediendis; nimirum quod non debeat statim Episcopus ab iisdem incipere, quando aliquis alius modus sive executio realis & personalis alia sufficere quiret, quamvis subdat non deesse Auctores nullitatem actorum etiam in casu hujusmodi praecipitanter Episcopi sustinentes. Caeterum quantum ad facultatem privative Episcopis aliisque Praelatis Majoribus in Ordine Minoritico competentem apertissime se declarat loco citato: itaque Superiores sive Praelati locales ea destituti quoties monitoria nihilominus expedire attentarent, proculdubio & illicite agerent & invalide. Favetque P. Felis Potestas excludens quoscumque Praelatos locales non solum in Ordine Minorum, sed cujuslibet Religionis quoad hanc specifice facultatem *tom.* 2. *denunt. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. Ubi tamen sententiam super unico a se supposito principio fundat quod nulli Praelati locales jurisdictione polleant quasi Episcopali; super quod tamen ultra ea quae praemisimus *n.* 31. Eidem contradicerent omnes fere Doctores classici oppositum docentes per plura allegata jura & privilegia illud signanter Eugenii IV. concessum Monachis S. Justinae in Bullario Rodriguez Bulla hujus Pontificis 9. Atque in *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alienand. Ex Cap. Abbates de privileg. in* 6. Gloss. *in d. Clem.* 1. ℣. *proprii* Navarr. *Cons.* 2. *de Regul. n.* 63. ℣. *Addo* 2. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 1. *lib.* 2. *Cap.* 2. *n.* 9. & 10. Sanchez *in* 2. *decalog. Cap.* 11. *n.* 7. Tambur. de Jur. Abbat. *tom.* 1. *disp.* 3. *qu.* 2. *n.* 2. Peyrin. *tom.* 1. *privileg.* in Constit. Pirrh. *n.* 46. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 2. Ant. a Spir. Sanct. *tr.* 4. *disp.* 3. Direct. Regul. *n.* 26. & 27. & alii passim. Melius ergo concludatur: hujusmodi Potestatem sive jurisdictionem quasi Episcopalem caeterum per jura omnibus Praelatis in quolibet Ordine respective competentem per Religionum statuta posse coarctari quoad aliqua signanter in Praelatis minoris notae veluti sunt Superiores locales; immo magis limitatam regulariter in his vigere quam in Provincialibus & a fortiori quam in Superioribus generalibus; ut concedunt inter alios citati Peyrin. *tom.* 2. *de Praelat. q.* 1. *Cap.* 4. *n.* 3. Et de Subd. *qu.* 2. *Cap.* 21. §. 2. *Conclus.* 1. Ant. a Spir. Sancto *disp.* 3. *n.* 28. Unde quoad hanc ipsam jurisdictionem *quasi &c.* in Praelatis Regularibus magis & minus amplam sive limitatam statuta & leges cujuslibet Religionis debere proculdubio inspici secundum Doctores ipsos passim ut alibi insinuat idem Felis Potest. in Esam. Confessar. n. 3433.

39 Minus valet quod adducit P. de Ameno n. cit. pro disparitate inter Praelatos Ecclesiasticos & Regulares: quod nempe Concilium decernat posse Episcopum *privative* hujusmodi excommunicationes ferre in

re in tribus allatis casibus ad finem revelationis &c. pro deperditis rebus aut pro subtractis, quando ut Judex procedit ad instantiam partis, non vero si ex officio monitoria expediat;itaut procedendo sic ex officio privativa minime gaudeat: Attenta namque hac responsione non posset negari Prælatos Episcopis inferiores jurisdictionem extra Claustra possidentes posse excommunicationes præfatas adhibere, & monitoriis præmissis processus instituere quoties ex officio procedant & non ad instantiam partis, quod est contra communem praxim & absolutas declarationes Sacræ Congregationis secundum Barbosam citatum ad hoc Caput Concilii n. 9. ubi enim lex non distinguit neque nos distinguere debemus *Cap. quia circa 22. de privil. l. de pratio ff. de public. in rem action.* Ultraquamquod data distinctio non videtur esse ad rem pro Regularibus Prælatis qui ad instantiam partis, stricto jure ut in plurimum non procedunt, sed generaliter ex officio in præfatis præsertim casibus, audito videlicet rumore de commisso adhuc occulto delicto vel de re furata sive deperdita, moventur quatenus opus sit ad monitoria expedienda absque eo quod instantiæ juridicæ fiant pro Fisco, cum officium odiosissimum Fiscalis a Religionibus absit, aut abesse debeat, ut notat Paulinus Berti in sua praxi *tit. 6. cap. 7. Concl. 2.* & post ipsum P. Sanctorus de pœn. *Cap. 8. qu. 12.* prope fin. ubi addit. *Quod tale odiosum munus nunquam fuit auditum in Religione Minoritica*. Necessitas itaque expediendi & publicandi monitoria ex officio poterit emergere, quandocumque alia probatio seu alius modus indagandi veritatem deficiat, secundum præallegati Concilii instructionem, puta si grave & perniciosum sit commissum delictum, cujus Autores ignorentur, desintque testes aut nolint hi verum detegere, vel etiam extra casum criminosum, si aliquod juris Conventus, vel Provinciæ communicati ignotum pro bono ejus sit revelandum, aut aliquod factum relevans & necessarium scitu occultetur necnon in hujusmodi aliis occurrentibus casibus. Verumtamen in data hypothesi monitoria poterunt expedire Prælati privative majores præcipue in Ordine Minorum propter statutum allatum *n. 36.* & replicatum *n. 38.* immediate antecedenti quod Prælatis localibus clare, & rotundis verbis adimit in proposito facultatem. Confirmat totum P. Sanctorus *Cap. 28. qu. 2. difficult. prima*.

40 Dixi autem, præcipue in Ordine Minorum, propter statutum superadditum Prælatos locales excludens in aliis namque Religionibus si sustineatur repeto Prælatos locales in familia propria Episcopalem quasi jurisdictionem respective possidere, eo modo quo Provinciales in tota Provincia & Generales in tota Religione quantum ad potestatem dispensativam absolutivam ac etiam coercitivam: ex Bulla S. Pii V. signanter pro Prioribus Dominicanorum, relata a Rodriguez in suo Bullario *fol.* 920. & ut defendunt Doctores non parvi momenti supra *n.* 29. & 31. recensiti, videretur sine dubio par ratio militare pro ipsis videlicet si concedatur Generalibus, Provincialibus, atque Visitatoribus, sive personis fictis quoad Episcopalem jurisdictionem facultas in allatis casibus excommunicationem ferendi, ad Prælatos ipsosmet locales respective facultas eadem non possit non extendi contra Felicem Potestatem loco jam supra cit. ubi etiam nimis indistincte allegat pro se Patrem Sanctorum de Melphi, quasi non exciperet illa in specie solos Fratres Minores, propter municipale statutum. *Cap.* 28. *pœn. qu.* 1.2.*seq.* Fatendum nihilominus magis Episcopi personam præferre Generales Provincialesque, quam locales ipsos Prælatos, qui respectu primorum semper habentur inferiores. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 66. *n.* 6. Ant. a Spir. S. *tr.* 4. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 25. Generalibus siquidem & Provincialibus attento signanter jure speciali aliqua Episcopalia munera competunt, ut concedere subditis facultatem Confessiones audiendi dimissorias pro Ordinibus suscipiendis patentalesque literas ad Concionandum, quæ licet de jure communi secundum Doctores nonnullos etiam Superioribus localibus convenirent, denegantur tamen juxta fere omnium quas vidi Religionum municipales leges, nisi de Abbatibus sit sermo, immo in Ordine Prædicatorum, Minorumque, Religiosos subditos pro Confessionibus approbare eosque Episcopis ad eundem finem præsentare, ad solos Generales & Provinciales privative pertinere tenendum est de jure communi eorum adhuc statutis minime inspectis: *Ex Clement. Dudum de sepult.* Bord. *tom.* 1. *resol.* 36. *n.* 90. Portell. *Cas. tom.* 1. *Cas.* 29. *n.* 1. &c. Alia quoque localibus contenduntur, absolvere videlicet in omnibus & dispensare respective ad propriam familiam eo modo quo sine dubio conceditur Generalibus in tota Religione & Provincialibus in Provincia, attentis præsertim Religionum propriis Juribus. Sic itaque Superiores locales quatenus Episcopalem quasi jurisdictio-

ctionem respective possideant, hanc poterunt nequaquam exequi simpliciter & absolute veluti Generales antedicti & Provinciales; sed secundum quid, non tantum extensive, in ordine videlicet ad solam familiam propriam, verum etiam intensive, cum aliquæ facultates Generalibus, & Provincialibus concessæ iisdem localibus competere minime comperiantur. Videndi Portella *dub. Regul. Verbo Prælat.* necnon Matteuc. *Offic. Cur. quoad Prælat. Regul. n.* 24. quamvis hic ultimus in aliquibus jurisdictionem & potestatem Prælatorum eorumdem Regularium aperte lædat super quod alias Deo dante.

41 Et ut ad Prælatos locales præcipue in Ordine Observantium ac Reformatorum redeamus, erit in præsenti, non obstante doctrina quatenus militet in contrarium Patris de Ameno, pro ipsis signanter corollarium. Quod etiamsi possent iidem ordinationes publicas edere, pro Conventus familia tempore proprii gubernii duraturas censuris adiectis illasque scripto exponere ne evaderent nullæ juxta statutum supra relatum *n.* 33. In qua hypothesi nequaquam dicerentur scripto procedere contra prohibitionem practicæ criminalis *tit. delictorum discrimina* ℣. *In levibus*. Processus enim juridicus minime institueretur per simplices huiusmodi ordinationes ut est evidens. Esto etiam absque scripto, præceptum dare alicui fratri sub censuris valeant, vel toti Communitati per aliquod breve intervallum, non permanenter pro toto gubernii tempore, in quo neque casu esse necessarium scripto exaratum edictum sustinet Rodericus *tom.2.qu.56.n.4.* Numquam tamen vel ordinationes scripto, vel sine scripto præcepta publicare in his tribus allatis casibus scilicet pro rebus deperditis vel subtractis, vel ad finem revelationis cujuscumque delicti, aut delinquentis, aut alterius facti latentis poterunt ipsimet Prælati locales dicti Ordinis addita excommunicationis pœna, propter expressam prohibitionem municipalis statuti acceptantis Concilii Tridentini dispositionem, alias non tantum illicite sed nulliter agerent, ex adductis & repetitis per Sanctorum eodem *Cap.* 28. *qu.* 1. 2. & 3. Et sane in similibus aliis ordinationibus modo imperativo expressis non dubitat Pater de Ameno importari nullitatem actus: ut quando in pract.crim. *tit.* 4. *iniungitur* ibi. *Si autem scripto procedendum esset, Superiores locales a gravium correctione desistant*. Explicat ipse nullo modo vel licite, nec valide posse Guardianos sic procedere *tit.* 5. *qu.* 28. *n.* 167.

Similiter quando in textu legitur ibi *Gravium, graviorum &c. scelerum judicium ad Provinciales, Generales, eorumque Vicarios, ac Commissarios de jure, & consuetudine spectare dignoscitur*. Exponit idem Auctor judicium hujusmodi attentis verbis, pertinere ad Superiores recensitos majores privative, *tit. IV.* §. *V. n.* 9. Et clarius *tit.* 5. *qu.* 29. *n.* 175. Unde ad propositum aperte asserit quod, *si Guardiani ferant censuras pro revelatione delinquentis attentant: quippe cum talium criminum punitio privativè spectet ad Provincialem. Sicut ergo non habet Guardianus auctoritatem ista puniendi, ita non habet taliter inquirendi per censuras*. Hæc ille. Quare igitur cum statutum generale eisdem fere verbis, sicut in præallegato textu pract. crim. prohibeat Prælatis localibus apponere, sive ferre censuras pro rebus deperditis, aut subtractis, aut ad finem revelationis indeffinite tum delicti tum delinquentis: nempe, *quia in his tribus casibus ad majores nostræ Religionis Prælatos solum pertinet excommunicationem ferre*. Stat. Tolet. *Cap.* 6. *tit. de pæn. excom.* eodem modo sub nullitatis pœna non obligabit? Ita quod Superiores ipsi locales in Religione Minorum contravenientes non attentent? Relegatur P. Sanctorus. *Cap.* 28. *cit. qu.* 3. ℣. *Cum hoc tamen* ad normam signanter Conciliaris dispostitionis, &c.

42 Idem afferendum occurrit, quatenus monitoria ipsamet in proposito pro rebus deperditis, aut subtractis inveniendis, aut pro revelatione aliqua habenda, vocetenus & absque scripto publicari possent, ut volunt virtute privilegii Leonis X. Rodericus ubi supra & permulti citati a Sanctoro *Cap.* 28.*qu.*2. *difficult.*3. vel alterius privilegii ut LezanaVerbo*Censura n.*6.In Religione tamen Minorum Observantium per modum solius præcepti & non ordinationis consequenter ad dicta *n.* 32. *seq.* ex Portella dub. Regul. V. Excommunicatio n. 1. & in addit. n. 2. eodemque Sanctoro ibidem; Potestas siquidem ferendi censuras in istis tribus casibus si de Minoritis loquamur ad solos Generales & Provinciales limitata aperte Superioribus localibus adimitur tum per modum ordinationis tum præcepti & scripto & non minus oretenus vi statuti absolute prohibitivi municipalis Concilii dispositionem limitativam acceptantis absque distinctione; juxta præcitatos Rodericum atque Sanctorum. Et advertatur; quod ratio allegata per ipsummet P. Sanctorum in favorem tamen Provincialium pro monitoriis vocetenus ferendis *Cap.* 28.*qu.*2. *difficult.* nec non Lezanam. V. cen-

censura. Videlicet quod minus durum esset Prælatis Regularibus semper adhibere scripturam in casibus frequentibus adeo censuras ferendi nullatenus placet, eo quia supponat censuras ipsas posse etiam licite ferri ad libitum & frequentissime; contra instructionem prudentem Concilii *sess. cit. 25. Cap. 3. refor.* limitantis hunc ad casus in quibus alter non suppetat procedendi modus, & non nisi causa prius diligenter & magna cum maturitate examinata, contra etiam placitum commune Doctorum apud Barbos. *ad d. Caput Concilii n. 16. 18. seq.* de Amen. *tit. V. qu. 29. n. 174.* Hæc licet cumulanter pro veritate & examinandis assertis nimis libere prolatis Doctorum in hac materia; propterea in tractatu de potestate Superiorum Regularium extra Visitationem non replicanda iterum de licentia humanissimorum respective lectorum proposuimus quæ quamvis principaliter Minoritas tangant reliquis respective ordinibus facile aptantur. Solummodo repetenda hic obvenit uniformiter ad sectionis titulum pro Visitatoribus opportuna conclusio; quod quotiescumque ad ferendas in actu secundo sive pronunciandas aut declarandas per sententiam censuras, de quibus usque nunc devenire judicabunt necesse, sicut devenire absque dubio possunt in casu urgente, juxta tamen normam traditam superius n. 12. & ut probat Sanctorus *Cap. 28. pen. qu. 3. respons.* 1. tunc sciant pro certo Visitationis paternæ limites se egressuros cum hujusmodi actiones proprie forum contentiosum & processum juridicum exigant ex sui natura: ex præfatis *n. d. 12. 16. 27. & 28.* Angelus V. Excommunicatio *n. 12. & 13.* Gloss. in *Cap. Sacro de sent. excom. & Cap. medicinalis & statuimus cod. tit. in 6.* Graff. in addit. ad decis. *Cap. 1. a n. 3.* ubi alia citat jura nec dissentit P. de Amen. *tit. dicto V. n. 176. & seq.* Ubi assignatam methodum excommunicationis pronunciandæ longe excedere suavem Visitationis paternæ praxim nemo non videt.

SECTIO III.

De corrigendis & reparandis defectibus in Visitatione auditis.

SUMMARIUM.

43 *Aliqua debent specialiter observari a Prælata Regulari post Visitationem peractam ad ejus fructum consequendam.*

44 *Contra Juvenum educationem desidem quatenus deprehenderit debet acriat insurgere.*

45 *Defectus enumerantur quibus obviare tenetur Visitator quamvis prima facie levet. Relevet defectus unionis & concordiæ, nec non factiones quibus extirpandis totis viribus incumbat.*

46 *Circa delicta Communitati vel tertio innocenti perniciosa sibi paternaliter denuncia. ta quomodo se gerere debeat Regularis Visitator.*

47 *Si delicta comperiat Visitator nulli nociva præterquam committenti; modus ei præscribitur in corrigendo quatenus delicta eadem sint manifesta.*

48 *Quatenus autem delicta hujusmodi sint occulta & ab unico teste delata suggeruntur Visitanti cautelæ.*

49 *Possunt adhuc esse delicta occulta in jure, licet scita & delata a duobus vel tribus testibus, sive denuntiatoribus, & in eo casu supr. adduntur regulæ pro Visitatore.*

50 *Quoties delicta denuntientur a duobus vel tribus in paterna & correctio præmittatur, delinquens deperdit jus super propriam famam respectu Superioris, non respectu Communitatis, nisi delicta ipsa reddantur publica ex denuntiatione aliorum &c.*

51 *Modus traditur Visitatori corrigendi delicta sic adhuc in jure occulta cum distinctione.*

52 *Quid? si quis in delictis adhuc in jure sic occultis inveniatur recidivus, & nolint testes juridice deponere?*

53 *Agitur de remedio adhibendo remotionis alicujus defectuosi subditi è Conventu, ubi demoratur de familia cum distinctionibus necessariis.*

54 *An licitum sit Visitatori commendare delinquentem subditum Superiori locali, ut mores gressusque ejus observet?*

55 *Excipiuntur a data doctrina Religiosi ii, qui juri super propriam famam propter bonum commune renuntiaverant. Insinuantur tamen necessariæ cautelæ.*

56 *Casualis affertur doctrina super delicta, quæ sciuntur sub naturali secreto, & prius de delictis jam patratis pro reparando siguanter damno tertii. Et adducitur placitum Patris de Ameno.*

57 *Præfati Doctoris sententia nequaquam admittitur, & moderationes assignantur.*

58 *Quoties delictum alteri graviter perniciosum & sub secreto scitum, non esset adhuc patratum posset, immo deberet omnino impediri, sed adduntur cautelæ.*

59 *Clarius expenditur damnum secuturum revelantis & secreto scientis, an debeat cedere bono Communitatis cui damnum immineat grave, vel bono periclitantis graviter proximi.*

60 Periculum proprii damni tenetur despicere Prælatus sive Superior, ut ex officio damnam Communitatis impediat quantum ad crimina sub secreto non tamen Sacramentali sibi nota.

61 Explicatur alter textus practicæ criminalis pro Minoritis in confirmationem præfatorum.

62 Iterum adducitur cum necessaria explicatione textus prohibens Fratribus Minoribus signanter revelare ea quæ sub sigillo secreti naturalis innotescunt.

63 Duplex pariter affertur textus practicæ criminalis pro Minoritis ad propositum de paternaliter visitante.

43 Ultra fines Visitationis paternæ a Prælato Regulari peragendæ egressi sumus & nos in sectione antecedenti, dum de potestate ferendi censuras quæ propriæ ad forum contentiosum spectat, etiamsi tempore & in actu Visitationis ipsius generalis exerceatur, ibi egimus, & ulterius de eadem potestate si & quatenus Prælatis Regularibus quibuscumque absolute competente intra Claustra licet ex incidenti, sermone complevimus. Nunc autem ad Visitationem Prælati Regularis, ejusque socium redeuntes, postquam ipse & loca visitanda inspexerit & visitator audierit subditos, tenebitur sine dubio acta concludere subditos eosdem in virtutibus confirmando, & defectuosos, si quos compererit corrigendo, defectibusque remedium opportunum imposterum adhibendo, in cujusmodi sane conclusione nervus & scopus Visitationis consistit, ut alibi diximus de Episcopo, aut alio quocumque Prælato non Regulari differentes. Non abs re igitur erit hic recolere primum pro visitante Regulari quæ dubit. 8. sect. 1. præmissa sunt, ubi immo plurima quæ Regularibus specifice præscribuntur attenta rationis paritate ad Visitatorem Ecclesiasticum quemlibet transtulimus. Verumtamen quia diversus a Regularibus iisdem solet in praxi teneri modus quoad correctionem dictam morum, malorum remedium, abusuumque fortasse in Visitatione repertorum extirpationem, signanter quoad locum sicut enim in publico Refectorio vel in Capitulo, ut dicitur ad culpas assignato congregatis Religiosis intimatur Visitatio, ita inibi restituitur & clauditur. De hinc facta exaggeratione contra abusus in communi, nominato quandoque tali & tali crimine, ac etiam publice correcto quatenus opus fuerit criminoso salutares pœnitentiæ super addantur non solum juxta exigentias, sed præcepta ac enuncientur necessaria & opportuna: ideo in actu hujusmodi principaliter quæ perficere debeat Prælatus Regularis, quæ non omittere, quæque non excedere hic peculiari sermone insinuabimus.

44 In primis itaque noverint Visitatores Regularium, supposito quod sibi defectus juvenum notabiles delati fuerint, & negligentem horum educationem deprehenderint, se obstrictos arctius fore contra hujusmodi inobservantiam Religioni matri perniciosissimam ab illo publico loco ad declamandum, ita ut non modo defectuosos juvenes pro modo culpæ corrigant exemplariter & paterne puniant, sed etiam desides super eorum educatione Superiores & Magistros acriter reprehendant. Et quia plerumque in aliquo separato ab aliis angulo Conventus invenes ipsi occludi solent; suggerant pro viribus Visitatores, locum sic sejunctum non esse ideo institutum, ut segregati ab oculis provectiorum noviter professi liberiorem vitam ducant absque silentio & debita Religiositate sepe Magistro dissimulante vecorde, sed ut solitudini simul & virtutum studio, scientiarumque acquisitioni quietius vacent. Super hoc malo, quod origo est omnium malorum in familiis Deo dicatis, Visitatores quæso provisiones efficaces, & remedia rigidiora adhibeant, & vehipsis, quoties minus sollicite super hoc negotio se gerant, peccato etenim onerant conscientiam difficulter admodum remittendo, neque in hoc sæculo, neque in futuro, cum etenim ab educatione juventutis, ut mox dictum est profectus omnis sive ruina Religionis dependeat, hinc quoties illa paulatim absque debita vigilantia negligatur, relaxatio non potest non exoriri irreparabilis de facto & sensim observantiæ Regularis excidium, veluti advertit in genere pro bono Reipublicæ cujuscumque gubernio Phylosophus ipse *lib.* 8. *polit. tom.* 2. *cap.* 1. in princ. notabilibus, quæ dantur verbis: *Maxime intendendum est circa disciplinam juventutis; nam id neglectum in Civitatibus affert Reipublicæ exitium*. Firmatque pluries veluti necessarium pro bono Reipublicæ Christianæ regimine D. Joannes Chrysostomus. *Juventus, quando recta rationis freno caret quantum malum est*. hom. 59. *super Gen. lit. A. tom.* 1. Ac clarius subdit in hom. 4. *de fid. Annæ* post init. eodem *tom.* 1. *Tanto gravior pernicies profundiusque præcipitium; quanto concupiscentiæ major vis in juvenibus, ni freno coerceatur*. Nec non in hom. 38. super Math. oper. perfect:

ante

ante finem: ibi: *Otiosa juventus impudenter educata; omni ferocissima bellia immanior est* Legatur Peyrinus de Prael. qu. 1. Cap. 5. signanter *n.* 11. & 12.

45 Dantur pariter defectus aliqui qui videntur prima facie minimae entitatis, propterea tolerabiles, ceu fractio, & inobservantia silentii qualibet hora, introductio passim saecularium in interiora Claustra, Cellas, & Officinas, compotationes & commessationes sive convivia cum ipsismet saecularibus vel privatim vel in mensa communi & Refectorio ipso frequentiora. Verba otiosa & scurrilia publice a Religiosis prolata. Hi inquam defectus, licet parvae relevantiae primo visu tamen Regularem observantiam paulatim enervant, libertates pariunt & fovent communitatemque perturbant, itaut quaecumque Constitutio ad disciplinam pertinens in oblivionem dimittatur & Religiosa vita solo habitu differat a modo libero vivendi in saecularibus. Has ergo rimulas per quas intrantes aquae saeculi demersionem Religiosae ratis pro certo minitantur sollicite obturandas consulto premunt Doctores Sancti Gregorius Magnus *part.* 3. Pastor. *Cap.* 1. *lit. A. tom.* 1. August. *tom.* 9. *tr.* 12. *In Joan. in fin.* Chrisost. Bernardus. Joannes de Cast. & quotquot de obligatione proficiendi in via spiritus disserunt: sed signanter teneri Visitatores obviare iis & remedium ferre sub mortali docent Sylvester, Miranda, Graffius, Bassaeus. Lantfrancus citati per Antonium a Sp. S. in suo Director. Regular. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 31. Et inter alios P. de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *q.* 3. *a num.* 49. *per tot.* Patentior nihilominus aditus, per quem fluctus feri maris Religiosam perfectionem atque charitatem ad eversionem usque aggrediuntur, defectus unionis & concordiae non deplorari nequit; quatenus Factiones in Ordine sive Provincia regnent ex quibus protectiones immeritorum animositates juvenum procedunt, non sine injuriosa irreverentia seniorum & Patrum, qui meritissimi quamvis, veluti alienae factionis & praepotentibus invisi considerantur; ita ut inurbanitatibus continuo hi subjaceant, nec salutationes a juvenibus ipsisque petulantibus Laicis reportent, utpote ad juvandum inutiles & viribus expertes ad resistendum. Has propterea inurbanitates quoque haec temeritatis immo & arrogantiae fomenta praecludere satagat Visitator pius & prudens; taliter ut unicuique, quamvis non ejusdem factionis nec aequalis potentiae, at aliquando superioris meriti debitam denegari observantiam nequaquam sinat: nec defectus similes in protectis juvenibus & discolis, quoties a potentioribus excipiant plausus ullatenus tolerent. Et profecto propter hoc idem damnabile motivum contrariae factionis, & exortae inter Religiosos ob adhaerentias & propensiones varias diffidentiae, rari inveniuntur propemodum Conventus in quibus pax perfecta regnet inter Superiorem scilicet & subditos, subditos eosdem ad invicem aliqua non vigeat aemulatio; indeque murmurationes perniciosa scripta quandoque reciprocae offensae; cum Diabolus, cui ut Gregorius Magnus ait *nihil desiderabilius est extinctione charitatis*, factionarios Religiosos securius invadat & ad crimina non semel atrocia cum Religionis dedecore & maxima pernicie compellat. Hujusmodi itaque malorum omnium diabolica semina factiones improbas charitati & unioni Religiosae aperte adversantes omnino destruere in quantum valeat & radicitus evellere se obbligatum sciat per opportuna etiam severiora remedia sedulus Visitator; si plantare virtutes, extirpare vitia pro indeclinabili fine visitationis intendat. Peyrin. de Prael. *qu.* 5. *Cap.* 7. *n.* 32. Pater de Ameno pract. crim. tit. 2. *Quales &c. n.* 45. & *tit.* 15. *Testes n.* 14. *seq.*

46 Circa delicta peculiaria alicujus Religiosi Communitati vel tertio innocenti nociva, quatenus debeant Visitatori deferri eo modo quo dictum est *dub.* 8. *sectione* 2. *sub n.* 6. primi tomi: de Visitatis ab Episcopo seu alio Praesule non Regulari, & tetigimus in Dubit. praecedente 14. Sect. IV. n. 69. apparet item quomodo se debeat gerere Regularis visitans. Nimirum si notoria sint & manifesta quod publice etiam debeant corrigi ad aliorum exemplum: juxta dictamen Tridentini *sess.* 24. *Cap.* 8. *de Reform.* sic exigente communi bono, ut publice reparetur quod cum scandalo publico fuit causa ruinae. ibi *Ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit sua emendationis testimonio ad rectum revocet vitam*. Et concordat prax. crim. in Ordine Minoritico *tit. Inquisitio* in addit. ℣. *Quilibet igitur* ut infra n 61. Peyrin. item cum communi de subdit. qu. 1. §. 2. ℣. *Dico primo* si expediens judicet Visitator ipse super delicto scandaloso ad Visitationem juridicam transire, de quo in sequenti Sectione; si autem delicta sic perniciosa adhuc occulta remaneant, ita ut ab uno tantum deposita sint nec ulteriori probationi pateat aditus, Visitator ea sub silentio servet quoad usque amplioris notitiae & sic adhibendi efficacis re-

medii, nec non instituendi processus, quatenus opus sit præsentetur occasio & commodum: quamvis si malum certo immineat non adhuc secutum non desint qui sustineant Auctores posse tunc: Prælatum opportuna clam adhibere remedia ad illud impediendum. Angles 2. *part. qu. de cor. frat. tit.* 1. *diff.* 6. Salm. 22. *q.* 68. *art.* 1. *part.* 2. *concl.* 2. At in casu quod a duobus vel tribus paternaliter depouantur delicta eadem, omnino remedium afferre tenebitur solers Visitator, licet adhuc in jure occulta remaneant; cum bonum publicum juvandum prævaleat: uniformiter ad ea quæ in dubit. præcedente præmittebantur *Sect.* 4. Ita DD. communiter Sot. *de teg. secr. membr.* 2. *qu.* 4. *concl.* 3. Cordub. Navar. in Sum. *Cap.* 24. *n.* 12. cum D. Thom. 2.2. *qu.* 32. *art.* 7. *ad* 4. Quamvis cum minori detrimento quantum sit possibile famæ delinquentis ut advertunt ex eod D. Th. quodl. 12. *art.* 13. Angles cit. difficult. 7. Peyrin. *de subd. qu.* 1. *Cap.* 16. ℣. *Notandum etiam*. Atque hic recolenda obvenit per integrum doctrina de criminibus communitati directe perniciosis tradita supra *Dubit.* 14. *sect.* 4. *n.* 50. inter quæ debent procul dubio adnumerari venerea quoties sint publice patrata, aut periculum certum adsit quod publicentur in maximum ejusdem Communitatis dedecus. Berti *tit. VIII. Cap.* 12. *n.* 5. Textus ubi supracitat. praét. crim. in Ord. Min. *tit. denunciatio* ℣. *publica vero* Peyrin. cum aliis *tom.* 1. *de subd. qu.* 1. §. 2. Immo quæcumque alia diversa crimina si ex iis Communitati aut Religioni immineat proxime & certo damnum: ex. gr. Nimis licentiosa & frequens conversatio Religiosi cum parum honesti nominis fœminis, licet absque ulteriori peccato, attentatum contra viri in sæculo potentioris propositum, qui Religioni vel Conventui nocere plurimum valeat & minitetur ebrietas consueta in compotationibus apud Sæculares & similia a paritate rationis: juxta sensum Peyrin. præfati. Anton. a Spir. S. *de regim. Regul. tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 130. & Patris de Amen. pract. crim. *tit.* 9. §. 2. *n.* 14. Videantur in dicta Dub. 14. n. 50. quæ præcaventur.

47 De criminibus tamen quæ sunt committenti tantum nociva diversimode sentiendum est: Nam si manifesta sint & gravia ut si quis contra obedientiam ageret in re gravi videntibus pluribus, qui postea aliis communicaverint & ita notorium evaserit peccatum ejus; vel fornicationem commiserit sine scandalo quidem sæculi, sed quæ per accidens apud Religiosos plures innotuerit; ipsique postea paterne tantum de ea deponant, posse immo debere delinquentem publice corripi addita pœnitentia salutari congrua ad satisfaciendum Communitati consciæ consentiunt sane Doctores. Sot. de teg. secr. *membr.* 2 *qu.* 4. *concl.* 1. Peyrin. de subd. *Cap.* 16. *q.* 1. §. 2. Et de Prælat. *Cap.* 7. *qu.* 1. *n.* 15. ex D. Th. 2.2. *q.* 33. *art.* 7. De Amen. *tit.* 1. *qu.* 1. *n.* 42. Verum nonnisi cum mansuetudine & rigore mitiori, præcipue si reus emendationem certo exhibuerit, & non sit delinquere solitus. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 11. *Cap.* 12. *n.* 18. Rodriguez de ord. judiciar. *Cap.* 3. *concl.* 6. *n.* 8. Salon. super D. Thom. 2.2. *qu.* 62. *art.* 4. *ad* 3. De Amen. pract. crim. *tit. V. qu.* 2. *per tot. a n.* 44. & alii communiter. Attendenda quoque delinquentis conditio, occasionis oblatæ provocatio, itaut si pro vehementi tentatione ceciderit Religiosus alioquin probus & de familia propter scientiam aliasque laudabiles qualitates benemeritus, quamvis publicum evaserit crimen sufficiat privata correctio & pœnitentia, & tantum in Capitulo culparum publice quod per sermocinantem Visitatorem addatur: = *Jam alicui peccato publice manifesto satis providi per opportuna media cum habita certitudine quod reus qui casu cecidit non erit in crimine recidivus*. Ita consulto Tiraquell. de pœn. tempor. *caus.* 49. *a n.* 1. Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 42. *art.* 5. Peyrin. form. de Præl. *Cap.* 16. *lit.* P. *n.* 8. Prax. crim. in Ord. nostro *tit. denuntiatio* ℣. *Publica & tit. pœnarum genera* in ult. ℣. *Et licet*. Et generaliter loquendo in correctione cujuscumque delinquentis præsertim minime scandalosi, quamvis ad locum publicum pro audienda reprehensione & pœnitentia simul accipienda juste evocetur, quod non fit tamen contumeliosis verbis & iracundiæ impetu is nimis exacerbandus & confundendus, adeo ut vilescat penitus & in profundum fere desperationis labatur, uno ore Doctores & Sancti premunt: cum sufficiant hæc tria quandocumque & ubicumque in peccatore correpto quoties necessitas absit gravis etiam reparandi damni; *Delicti cognitio, detestatio, & emendationis certo probabilis spes*, quæ si cum mitiori Superioris tractu obtineri queant, profecto imprudenter is & parum charitative se geret rationem Patris excedens gravando subditum objurgationibus & contumeliis, ut solent signanter exequi rudes. Audiatur Sanctus Pater licet in se ipsum nimium severus, pecca-

tis

tis adeo adversus; erga peccatores tamen misericors. *Cap. VII. Regulae de poenitentia fratribus peccantibus imponenda* = ibi = *Ministri cum misericordia imponant illis poenitentiam*: & infra. *Cavere debent ne irascantur & conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in se & in aliis impediunt charitatem*. Nec non *Cap. X.* de admonitione & correctione fratrum = ibi = *Fratres qui sunt Ministri & servi aliorum fratrum visitent & moneant fratres suos & humiliter & charitative corrigant eos &c.* Legatur P. de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *qu.* 2. *n.* 45. *ad* 48. nec non *qu.* 4. *n.* 57. post Rodriguez Sanctorum & alios.

48 Delicta item nulli nociva possunt esse non manifesta sed adhuc in jure occulta & ab unico teste delata, & eo casu certum est quod nequeant publice obiici committenti quamvis deferens ordinem Evangelicum correctionis fraternae prius servasset; jus etenim semper possidet super propriam famam denuntiatus, ne quod deferetur ut occultum publicum fiat Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 8. *Cap.* 12. *n.* 3. quem sequitur inter alios P. Ant. a Spiritu Sanct. *tract.* 4. *de regim. Regular. disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 62. Quod si ordo correctionis neglectus fuerit a denuntiante potius maligno & in investigandis peccatis occultis proximi studioso seu delictorum tantum conscio sub secreto, teneretur eumdem objurgare Praelatus prudens & rectus in judicando, nec posset de delicto sibi injuste & incompetenter delato convenire culpatum, utpote is ad propriam famam retineat jus etiam respectu ejusdem Visitantis ex notatis pluries in dubitat. praecedente *sect. IV.* & firmatis per Pasqualigum & Bassaeum *V. Correctio fraterna n.* 43. Verum supposito quod correctio Evangelica praecesserit facta delinquenti a teste unico, puta a Socio qui comitem noverit ipse unicus in aliquo crimine pluries recidivum, & proinde correctione nil juvante tertio dicat Ecclesiae scilicet Superiori Visitanti; debet ne aut potest visitans delinquentem corrigere privatim saltem & remedia adhibere ne amplius in crimine licet occulto delinquat: in hoc negotio cautela maxima est necessaria. Siquidem si praevideat Superior quod privatim correctus odium & inimicitiam concipiet adversus testem & deponentem unicum, quem solum novit in occulti criminis conscium, a correctione abstinere prudentius aget, usque dum aliae probationes occulti criminis nulli alteri nocivi exoriantur. Idemque observandum quoties comperiat Visitator vel Superior alter denuntiatum occultum forre delicta sibi imputata pertinaciter negaturum, vel de falsitate accusaturum illum met a quo arguat unice se fuisse culpatum, ut deducitur ex Sayro *lib.* 12. clavis regiae *Cap.* 14. *n.* 26. Portell. in dub. Regular. Verbo *denuntiatio n.* 26. Ant. a Spiritu Sancto cit. *disp.* 3. *sect.* 3. Quoties autem periculum absit inimicitiae reaccusationis vel gravioris mali eventuri & aliunde de bona conscientia delatoris ejusque zelo certo constet Visitatori, poterit quidem os ad os corrigere occultum criminosum & comminari quod in casu amplioris manifestationis sui criminis imposterum non emendati foret exemplariter is puniendus. At si constanter adhuc neget, nulla alia provisione pro eo tunc uti posse Superiorem visitantem nisi illum Deo commendare, sustinent cum Suario Pelisarius *tract.* 9. *Cap.* 4. *nn.* 33. & 39. Bassaeus V. *Correctio fraterna n.* 14. & alii.

49 Alter casus si detur quod a duobus vel tribus non ab unico denuntietur paternaliter crimen fratris soli committenti noxium adhuc proinde remanens in jure occultum juxta dicta *dub.* 14. *praecedent. sect.* 4. *n.* 53. Et signanter pro Minoritis *sect.* 5. *n.* 77. Attenta regula data in eorum praxi criminali tit. Inquisitio ibi. *Occultum autem in jure nominatur quod licet duobus vel tribus testibus notum sit de illo tamen nulla existit infamia*. Tunc vel delatores ipsi ordinem servaverunt Evangelicum correctionis fraternae, & in eo supposito sicut absolute tenetur denuntiationes excipere Visitator ita de remedio proportionato paterne cogitare. Vel ordo non est servatus sed invida malignitas aut ignorantia praevaluit in delatoribus, ita quod clam circumventum delinquentem immediate denuntiant licet non juridice, & eo casu tenetur quidem ipsos objurgare Visitator quare non admonuerint charitate moti peccantem priusquam Superiori patefacerent peccatum illius juxta obligationem sub praecepto; ex alibi dictis & additis per Navarrum in Cap. *Novit de Judic. nec non manual. Cap.* 25. *n.* 33. Ant. a Spir. Sanct. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 160. ubi citat Spatharium Rodriguez & Boerium: verum denuntiationes eorumdem plurium in casu pro sui regula scribet, utpote per omissionem correctionis praeviae quoad substantiam, scilicet pro notitia porrigenda Superiori aliis concurrentibus conditionibus, minime invalidari quamlibet denuntiationem merito docet Pater de Ameno *tit.* 9. §. 1. *n.* 9. Quem sequitur P. Anacletus Reiffestuel *tit. de accusat. &c.* §. 2. *n.*

2. n. 71. & 101. seq. posita tamen semper cautela in casu paternæ visitationis de qua agimus, ita quod denuntiatum hujusmodi nequeat Superior visitans publice corrigere & publica adigere pœnitentia; occultum etenim crimen redderet publicum contra jus & Evangelico minime servato ordine ex *Cap. Qualiter* 17. *cum gloss. & inquisitionis tit. de accusat.* Palao Pelizar. Peyr. Lezana Anton. a. Spir. Sancto quibus subscribit citatus Reinflestuel de accusat. &c. §. 6. n. 303. & dumtaxat redarguere valeret privatim eo modo quo dictum est de Visitatore non Regulari *Dub.* 8. *sect.* 2. n. 5. §. *signanter* 5. Confirmantque pro Regularibus DD. prællegati præcipue Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. n. 163. & Reinflestuel *n. supra* 303.

50 Sed videtur difficultas circa doctrinam hanc non levis insurgere. Quando etenim plures testes denuntiaverint etiamsi soli duo vel tres probati præcipue servato ordine evangelico correctionis, ipse delinquens veluti contumax non habet amplius jus ad occultationem criminis repetiti, cum juxta Evangelium debeat illud potius publicari: ibi *Tertio dic Ecclesiæ Matt.* 18. ideoque quod revera deducitur publicæ pariter sit subjectus correctioni. Respondeo nihilominus supposito quod pro Ecclesia in allata auctoritate accipiatur Superior Ecclesiam seu Congregationem aut Communitatem regens, prout sentiunt Doctores communiter & supponit Anacletus Reinflestuel tit. de accusat. §. 2. n. 63. & 64. non proinde delictum adhuc in jure occultum posse toti Communitati ipsi vel Congregationi fieri manifestum: jus etenim deperdit quidem delinquens duobus vel tribus occultandi amplius delicta propria respectu Superioris, quoties ordo Evangelicus sit pro sui correctione adimpletus, ita quod Superior possit absolute ipsum convenire redarguere & pœnitentia congrua privatim attenta paternali sola denuntiatione in eumdem animadvertere; retinet tamen jus super occultationem criminis respectu communitatis præfatæ, natura ipsa dictante differentiam inter illud quod est notum taliter ut non amplius cælari queat majori parti Communitatis, illudque quod aliquibus paucis duobus vel tribus innotescit. Itaut si quis rationabiliter possit prætendere quod proprium nomen publice non infametur, in casu simili obligetur exinde neque alienum infamare juxta axioma communissimum. *Quod tibi rationabiliter fieri non vis alteri ne feceris*. Subscribentibus huic Doctrinæ Palao Pelizario Ant. a Spiritu Sancto Peyrino & inter alios Anacleto Reinflestuel tit. de Accus. §. 6. n. 313. Non desunt equidem quantum ad hunc articulum Doctores qui distinguunt inter Superiorem ut Patrem & ipsum tamquam Prælatum, seu ut Patrem privatum & Patrem communem, itaut quæ deferantur ad ipsum in prima ratione Patris privati, attenta protestatione denuntiantis non possint publice corrigi, sed tantum privatæ subsint admonitioni; quæ vero in ratione Prælati seu Patris communis cadent sub correctione publica & ad aliorum exemplum publicæ subjaceant pœnitentiæ: sic Pater Paulinus de Berti in praxi *tit.* XII. *Cap.* 4. n. 1. Pater Ludovicus de Ameno *tit.* IX. §. 1. n. 5. & cum Roderico Pater Reinflestuel *tit. de accus.* n. 60. At ego sapientium Virorum quos alioquin veneror pace, superfluam duco distinctionem stando intra limites visitationis paternæ; si enim delicta adhuc occulta in jure exigant ex ratione sui non fieri manifesta, non poterit denuntians ea deferre tamquam publice manifestandus corrigenda, nec Visitans esto ut Prælatus quibit ipsummet propalare. Sicuti nequibit occultare & propter bonum Communitatis publicis non adigere pœnitentiis juxta leges, si jam manifesta sint notoria atque famosa & ut talia denuntientur, sive ut talia ex pluralitate denontiatorum deprehendantur. Attentis communibus regulis quod paternæ visitans semper se gerere debeat ut Patrem, nec Patrem se exhibere taliter ut accedente motivo obliviscatur se esse Prælatum, misericordiam & justitiam simul æquitatem præcipue præ oculis semper habens. Sic recte insinuant pariter Pavinus in baculo Pastorali *part.* 1. *Cap.* 10. n. 56. usque ad fin. Peyrin. de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 3. n. 141. & *seq.* Raggius Centur. prima *dubit.* 63. *per tot.* Et Pater ipse de Ameno pract. crim. tit. 1. qu. 1. per tot.

51 Quid igitur peragat prudens Prælatus justus & misericors pro corrigendo crimine, adhuc in jure occulto alteri tamen minime pernicioso duobus vel tribus testibus noto, atque ab his sibi paternaliter delato. Jam responsum fuit super hoc, quantum ad Visitatorem Ecclesiasticum non Regularem *dub.* 8. *sect.* 1. & n. præcedenti mox fuit tactum, Si namque delinquentes forent bonæ alioquin famæ & apud omnes in opinione probitatis, sufficeret quod admonerentur a Visitatore privatim nullo præsente, cum protestatione nihilominus de severiori adhibendo remedio, ni efficax sequeretur emen-

emendatio. In casu vero, quod criminosi essent inferioris entitatis & magis ad delictum quod supponitur grave proclives, correctio adhibenda esset rigidior, additis absolute minis de instituendo processu juridico, juxta criminis gravitatem quoties nova emergeret notitia de recidivo casu. Utrum autem adhibendi essent testes? teneo negativam partem, in suppositione quod vere delictum adhuc occultum in jure, præterquam duobus vel tribus, alios lateret, & tantum concederem testium præsentiam quoties semipublicum comperiretur, pluribus videlicet jam notum, quamvis non majori parti Communitatis: æquitas etenim hoc pacto magis relevaret, ad tradita in jure *Cap. multa Cap. si peccaverit Cap. Deus omnipotens 2. qu. 1. & 23. qu. 4. per tot.* Quamvis quoad delicta a duobus vel tribus sibi legitime delata, eo magis a pluribus, non inconveniens foret, quod in publico sermone pro Visitatione claudenda & terminanda Regularis Prælatus se explicaret, alia sibi innotescere quæ juxta obligationem charitative correxit, cum reservatione severioris remedii quotiescumque audierit recidivum lapsum in delinquentibus. Quæ omnia opportune insinuantur, ad hoc, ut forus Visitationis, qui est correctio morum depravatorum & virtutis restauratio atque profectus efficaciter habeatur. Atque insimul fama proximi inquantum possibile sit, exigente naturali jure & charitate evangelica, salvetur: Sot. de teg. secr. *Membr.* 2. *qu.* 4. Arag. 2.2. *qu.* 33. *art.* 8. Paulini de Berti *tit.* 8. *Cap.* 12. *n.* 4. Anton. a Spir. S. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 59. cum pluribus aliis.

52 At ponamus casum, quod emendatio correctionem paternam non subsequatur, sed Visitator inveniat delinquentem in iisdem criminibus recidivum, quamvis a duobus vel tribus iterum denuntiatum ut talem & non ultra diffamatum, immo is tum in prima tum in subsequentibus Visitationibus sibi imputata delicta constanter neget. Quid Visitator agat? Clarum est, quod nullum aliud remedium occurrat, nisi Visitationem instituere judicialem, ut in sequenti sectione tradentur, ad proterviam criminosi convincendam & legaliter puniendam. Verumtamen si duo vel tres præfati testes protestarentur, se propter motiva urgentia nolle juridice deponere super iis quæ paternaliter dumtaxat pro exoneratione conscientiæ detulerunt, quod supererit expediens? Respondere videtur Portella in dub. Regular. *V. Correctio n.* 15. posse in casu Visitatorem per Sanctam obedientiam præcipere testibus, ut judicialiter repetant quæ paterne & evangelice denunciaverunt: ad hoc ut justitia omnimode locum habeat adversus contumaces, idemque firmiter tenet P. Anacletus Reinffestuel de accusat. *n.* 76. 88. 115. signanter *n.* 308. Nihilominus hoc præceptum nec prudens censeo, nec obligare testes, in suppositione quod rationes in contrarium proponant, puta de inimicitia incurrenda, de incommodo gravi probabiliter apprehenso, stando super delictum unico committenti nocivum, ut suggerit quoque Portella ipse maturius cogitans. *V. Denuntiatio n.* 10. & 13. Peyrinus pluries cit. de subd. *Cap.* 16. *qu.* 1. *§. III. ℣. Dico septimo*: Alii proinde remedium humanum rationabile desperantes arbitrantur rem commendandam esse soli Deo, qui ad se corda hominum quantumvis indurata pro sui placito misericorditer trahit, & non ulterius per Superiorem infructuose & cum inquietudine fatigandum, eo modo quo superius de criminoso per unicum testem denuntiato præmissum fuit *n.* 48. Sic Pavinus in bac. Pastor. *Cap.* 12. *n.* 4. & cum Suario, Pellizario, Bassæo, Antonius a Sp. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 87. Attamen hoc quoque remedium, quod consistit in nullo dando remedio & deserenda ove Prælato commissa in ejus graviori periculo, minime placet, eo vel magis, quod per testes integros duos vel tres uti supponitur, licet extrajudicialiter, habeatur delicti sufficiens probatio. Idcirco præferendam teneo sententiam aliorum Doctorum: videlicet, quod in casu possit & debeat secreto providere Prælatus taliter, ut occasio delinquendi tollatur subdito, & delictum adhuc occultum in jure minime publicetur. Ex. gr. Si Religiosus de nocte exiverit solitus per aliquam portam non bene obseratam, vel cujus clavem apud se habeat, januam claudi firmiter atque clavis mutationem jubeat Visitator, absque ulteriori manifestatione motivi. Si cum unico Socio confidente e Conventu egredi consueverit defectuosus, ordinet superior visitans juxta Apostolicas Sanctiones socios assignari diversos, nec eumdem sæpius, absque eo quod personam nominet & sic de cæteris, prudentia semper comitante Religionis zelum. Colligitur ex Pelizario *part.* 1. *tr.* 9. *Cap.* 4. *sect.* 1. *a n.* 24. Palao de Charit. *tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 14. *a n.* 2. Bannez, Torres &c.

53 Remanet solvendum dubium. An relative ad usque nunc dicta expediat Prælato visitanti subditum è Conventu, ubi delinquit,

quit vel occasionem delinquendi habet, removere? Vel saltem Superiori locari, ut specialiter ejus mores observet commendare? Circa primam partem, apud Regulares plurimos facilius est dubium resolvere, quam resolutum exequi, apud illos siquidem in quibus filiationes Conventuum sunt in usu, non sine notabili incommodo ac perturbatione Religiosus unius Monasterii ad alium cujus filius non est & in quo propriorum filiorum numerus sit completus, commutatur: sicuti injuria quodammodo videtur inferri Religioso in propria mansione quieto, quoties è Monasterio, cujus filiationem portat ex improviso amoveatur sine culpa, ipseque invitus fortasse loco delinquentis ad Conventum unde hic removetur, transmittatur. His non obstantibus quatenus contingant, quando necessitas urgeat Religiosum è uno ad aliud Monasterium transportandi propter grave damnum, quod ejus ibi permanentia aut causat aut certo minatur, quod providus in regimine Superior hoc decernere & exequi pro viribus satagat proculdubio est concludendum. Damnum namque potest considerari quoties casus occurrat, spirituale primo ejusdem delinquentis, quod esto cum ipsiusmet corporali incommodo impediendum sit a Prælato curam subditorum in spiritualibus signanter, præseferente. Aut damnum immineret toti communitati temporale, veluti subtractio eleemosinarum, vel inimicitia sæcularis præpotentis excitata ab Religioso particulari adversus cæterorum in Conventu degentium cœtum, eo quia ille in negotiis & controversiis publicis sive privatis vellet pertinaciter se ingerere. Aut toti Communitati ex diutina Religiosi permanentia damnum posset obvenire spirituale in fama videlicet, vel existimatione publica propter scandalum oriturum, sive jam oriri incipiens. Et quatenus alia via in hisce casibus remedium publico malo afferri nequiret, quam per publicum item è loco sic male se gerentis exilium, hoc idem remedium efficaciter adhibendum fore repetunt Paulinus Berti *tit. VIII. Cap.* 12. *n.* 8. Peyrin. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 16. §. 2. ℣. *Neque in hoc* ubi sententias addit DD. Hieronymi & Bonaventuræ, & cum aliis a se citatis Anacletus Reinffestuel in terminis Visitatoris Regularis *tit. de accusat.* §. 6. *n.* 302. At si scandalum aliud & forsan gravius ex remotione subditi timeretur, velnti, si removendus esset is propter frequentem nimis ingressum in aliquam domum, vel familiaritatem cum alioquin honesti nominis fœmina, atque ex publicato motivo translationis ad alium Conventum fama frequentatæ domus vel fœminæ amicæ publicam notam pati periclitaretur, indeque litigia, rixæ, inimicitiæ probabilissime apprehenderentur, tunc motivum deberet abscondere sub silentio Superior prudens, & non nisi alio superveniente titulo etiam per industriam exquisito, necessarium remotionis remedium exequi, vel pro interim omni meliori modo malo præsenti providens, tempore congruo, capituli videlicet, aut Congregationis, quando liberum est Superioribus Religiosos de novo de uno ad alium locum transmutare, propositum suum sub aliquo prætextu adimplere. Ita citatus Berti *n.* 8. Cum Soto, Pasqualig., Bassæo Ant. a Spir. S. direct. Regul. *tr.* 4. *disput.* 3. *sect.* 3. *n.* 67. favetque Anacletus tit. cit. *n.* 202.

§. 1. Similiter famæ ipsiusmet Religiosi non Sæcularium tantum est providendum; quatenus scilicet delictum ejus scandalosum quandoque apud fratres in eodem cohabitantes Conventu, sæculo esset prorsus ignotum: atque ex exilio extemporaneo vel notitia vel suspicio motivi infamiam parientis ad sæculares ipsos extra Claustra pro certo dimanatura foret; tunc etenim prudentiæ intererit Superioris quoque remedium alias necessarium exilii seu remotionis ad tempus congruum juxta possibilitatem deferre, vel nonnisi sub aliquo honesto prætextu adimplere: Paulinus Berti cit. Antonius a Spir. S. n. pariter *cit.* 67. sed egregie præ cæteris Emanuel Rodriquez *tom.* 2. *qu.* 3. *art.* 9. a quo Paulinus Berti more solito plura ad verbum transcripsit. Quæ sane dicta sunt si causa removendi subditum foret manifesta & delicta eamdem remotionem exigentia non essent adhuc occulta. An vero removeri possit Religiosus ab aliquo Conventu, quando delictum Superiori innotescens in se revera est occultum, specialis occurrit difficultas; in qua cum distinctione procedendum. Quoties siquidem delictum fit occultum in facto, videlicet sub confidentia & secreto notum, solique committenti nocivum, nullo modo potest delinquens remotionis pœnitentia plecti; cum perinde se habeat delictum in casu ac si nullatenus a Superiore sciretur propter fidelitatem, quam naturali divino & humano præcepto servandam probant. Sot. de teg. secr. *membr.* 1. *qu.* 1. Sanchez 2. *Opusc. lib.* 6. *Cap.* 6. *dub.* 1, Emanuel Lugo de instit. *disp.* 14. *sect.* 9. *n.* 136. Trullench in dec. *lib.* 7. *Cap.* 10.

10. *dub.* 32. Si occultum sit in jure, & ab unico deponente delatum neque remedium remotionis poterit contra delinquentem adhiberi præcipue supposita hujus constanti negatione, nisi in casu quod ipsemet remotioni consentiret utpote cedenti in proprium lucrum & profectum, puta si promoveretur ad Officium gratum in domo diversa; vel saltem ad familiam transferretur in principaliori Convento honorificam absque ullo titulo delicti contra ipsum delati de cujus delatione ipsemet immo foret inscius: nulla namque fieret illi injuria in casu, nec posset conqueri veluti rationabiliter invitus.

§. II. Quatenus autem crimen foret a duobus vel tribus integris denuntiatum, nec alia secreta via occurreret dandi remedium poterit equidem Superior sufficienter certioratus necessarium unicum adhibere remotionis in casu; sed sub specioso motivo itaut nullus suspicari quiret de vera causa nec ullatenus delinquens fieri manifestus. Ratio est quia remedium esset occultum in casu sicut peccatum, immo sub honesto prætextu adhibitum nullum remedii sive pœnitentiæ præseferret speciē. Atque ex altera parte maximum subdito proveniret bonum nempe cessatio a peccato vel absentia saltem a delinquendi occasione: juxta DD. paulo ante allegatos Berti Ant. a Spir. S. Reiffenstuel aliosque quos ipsi citant. Porro hæc quæ de delicto occulto nulli alteri nocivo sunt dicta non militant æqua lance in suppositione, quod crimen quodvis occultum esset alteri a committenti perniciosum, sive etenim Communitati sive tertio innocenti permansio alicujus Religiosi in una domo comperiretur graviter noxia vel periculum esset in mora detrimenti notabilis tertio tanto magis Communitati imminentis ni Religiosus è Conventu quantocitius amoveatur, etiamsi fermo sit de delicto pernicioso indirecte: juxta prænotata *dubit. XIV. sect.* 4. *n.* 50. Quantumvis remaneret occultum adhuc crimen ipsum vel patratum vel patrabile, remedium necessarissimum remotionis deberet statim executioni demandari sic exigente communi bono vel alterius injuste læsi: ex alibi dictis & Peyrin. loc. cit. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 16. §. 2. Quamvis sub prætextu honesto si sit possibile saltem ex motivo charitatis: secundum doctrinam Berti *tit.* 6. *Cap.* 4. *n.* 8. Nec non Peyrin. Cap. 16. ℣. *Noto secundo* §. 2. *cit.* Quod procedit in casu etiamsi criminosus & crimen graviter perniciosum innotescat sub secreto: nullum namque jus, ut mox fuit tactum ad propriam famam relinquit perfidia cum detrimento gravi alterius cujus proinde necessarium remedium ex naturali lege prævalet juri servandi secretum. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. *Et quodlib.* 1. *art.* 15. *in corp.* Et cum eo D. Antoninus, Navar., Reginald. & cæteri recentiores excepto semper secreto Sacramentalis Confessionis inalterabili: ex communi cum Divis Th. cit. & Antonino. 2. *part. tit.* 1. *Cap.* 19. §. 7. *in fin.*

54 Ad alteram propositi dubii partem: nempe an licitum sit Visitatori commendare delinquentem subditum Superiori locali ut mores gressusque ejus vigilantibus oculis observet. Respondendum est hoc pro certo sibi licere si subditus sit publice criminosus talis in Visitatione sibi denuntiatus vel ab alio Conventu remotus propter manifesti criminis notam. Quamvis neque zelus quoad hoc debeat extinguere charitatem, itaut leve quidpiam ab infelici noviter commissum imputetur ei tamquam grave vel tamquam crimen effingatur in ipso, quod toleratur in aliis & persæpe ab iisdem zelatoribus impune peragatur: ex quo non semel fit quod in desperationis baratrum miseri subditi præcipitent, dum se undique vexatos & in cunctis culpabiles deprehensos absque defensa & refugio perspiciunt: prout testatur sæpius citatus Berti in prax. *tit. VIII. Cap.* 12. In casu tamen quod delinquens & delictum intra occulti limites adhuc sistant dico minime posse specialem observationem super eumdem Superiori locali a Visitatore committi, nam publicum fieret indirecte quod occultum erat sicut citatus alias docet Anton. a Sp. S. direct. Regul. *tract. IV. disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 68. Nisi fortasse Superior ipse localis delictum & delinquentem jam bene nosset licet aliis non manifestum vel esset ex illis paucis qui denuntiassent: in tali namque casu nullum afferretur ... subditi majus detrimentum & ex alia parte conscientiæ propriæ de afferendo malis opportuno remedio Visitato provideret: ad tradita per Reiffenstuel *n. cit.* 202. Quod si Superior localis, non esset criminis & criminosi conscius consulto ageret Prælatus visitans postquam delinquentem sic occultum secreto reprehenderit, committere etiam secreto illius morum circumspectionem denuntiatoribus vel tribus vel uni eorum, qui contra eundem in casu deposuerunt ut ex notitia superaddita posset se regulare circa ulterius remedium præbendum malo gravi, quoties emendatio non sequatur. Habetur ex Eman. de Lugo de inst. *disp.* 14.

14. *sect.* 7. Verum quia videtur limitare sermonem doctissimus Auctor ad ea quæ doctrinaliter fuerant tractata in Congregatione generali Societatis quantum ad speciale ejusdem regimen, concedens ibi inter alia quod possit absolute per Superiorem majorem manifestari delinquens Superiori locali sive subalterno licet crimen illius ab uno tantum sit delatum: doctrina hæc propterea quantum ad subditos aliarum Religionum indiget sine dubio moderatione.

§. I. Et primo in suppositione, quod nequeat Superiori locali adhuc inscio revelari delinquens sive delictum innotescens solis tribus ut præmissum fuit, tanto minus poterit in casu communicari si denuntiaverit unicus testis: nimis amplum etenim aperiretur ostium pro manifestandis criminibus proximi sive Religiosi adhuc retinentis jus ad propriam famam ex jam probatis & ut observat Castropalao *part.* 1. *de charit. tract.* 6. *disp.* 3. *punct.* 11. *n.* 7. Cui sane juri non renuntiasse censendus est ullus per vota in professione emissa, nisi expresserit. Sayrus *lib.* 11. *Cap.* 4. *n.* 5. Lessius de instit. *Cap.* 11. *dub.* 28. *n.* 124. 129. *lib.* 2. Peyrin. de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 3. §. 11. *n.* 109. Supponendum est similiter de integritate denuntiantium in casu: nam si suspicio adsit colligationis inimicitiæ contrariæ factionis non posset dici certioratus vel in occulto Prælatus de crimine subditi, itaut remedium posset adhibere certum delicto adhuc dubio cum aliquali signanter detrimento famæ delinquentis, sistere proinde teneretur quo ad usque sinceram & indubiam in occulto saltem acquirat cognitionem ut generaliter subdit Paulinus Berti *tit. VIII. Cap.* 12. *n.* 5. Ulterius limitanda venit absolute doctrina Cardinalis de Lugo ad delinquentes Religiosos qui probabili signo & spe emendationis destituantur; cum alioquin sine motivo gravarentur expositi alienæ observationi inter cœteros, quasi oves ut ajunt obsignatæ Ita Sanc. in select. *disp.* 11. *n.* 52. Palao cit. *disput.* 3. *punct.* 14. *n.* 2. Signum autem emendationis in criminoso sive solito delinquere haberi certum nonnisi post tres annos, quamvis doceant Marcard. *Concl.* 600. *n.* 14. Farinac. in prax. *qu.* 23. *n.* 26. *&* *dec.* 52. *n.* 10. *lib.* 1. In Religioso vero, qui per fragilitatem ceciderit & non assueto, tenet haberi sufficienter per mensem non reincidentiæ Raggius Capuccinus, qui addit Cardinalem de Lugo nimis sinistram opinionem habere de Religiosorum emendatione quasi nunquam sit secutura, nam resolvit hominem Religiosum semel lapsum esse quasi de massa perditionis, & reddit regimen nimis durum si in omnibus ex fragilitate lapsis hujusmodi cura sit adhibenda, habita signanter emendationis si non evidentia saltem spe *censur.* 1. *dub.* 77. *n.* 6. *in fin.*

§. II. Excipiuntur nihilominus etiam hic delinquentes Communitati perniciosi vel graviter tertio, cum quibus superius assignatas non est opus adeo diligenter observare cautelas. Nam si per duos, vel tres testes integros noverit Prælatus. Ex. gr. Subditum esse subdolum furem de rebus Monasterii, consulto suggeret Superiori locali, ut super ipsum invigilet ne bona Communitatis grave detrimentum pati contingat: similiter quoties crimen notum tribus vel quatuor foret scandalosum actu, aut tale posset de facili devenire, ut si quis in aliqua domo speciali se inebriaret, aut conversationes minus honestas coleret cum periculo publicitatis in damnum famæ Monasterii, nil obstaret, quin Superior visitans de his certioratus quamvis per paucos fide tamen dignos, admoneret subalternum generaliter prius quod Socios bene visos non sic faciliter ulli concederet, & deinde privatim ut tali scandaloso sibi noto socium assignaret gravem & integræ vitæ. Quamvis secreto quoque foret id exequendum, sic exigente saltem charitate. Ex Pelizario, Palao, Raggio, & Antonio a Spir. S. *sect.* 3. ubi supra, *n.* 68.

55 Advertendum item, quod doctrina præfata, quantum ad Superiores signanter, nequaquam rigorose afficiat Regulares illos qui, ut dictum est, abrenuntiant aperte juri super famam propriam propter bonum commune Religionis, prout sunt Patres Societatis, itaut minime se obstrictum novit Superior principalis ad servandam legem, quæ modum providendi occultis cum dictis cautelis præscribit Suarez *lib.* 10. *de Relig. Cap.* 7. *&* *Cap.* 9. *tom.* 4. Nec non de fid. *disp.* 8. *sect.* 6. *a n.* 12. Et signanter si deferens delictum Religiosi consensum præbeat Superiori, ut ea notitia utatur, cum secreti jus in casu non remaneat penes delinquentem abrenuntiantem, sed ipsum deferentem, qui & consensum tenetur plerumque dare in ordine ad ea, quæ sine gravi suo detrimento necessaria videantur pro subditi vel communi Religionis bono. Ut Cardinalis de Lug. de just. *disp.* 14. *sect. cit.* 7. Quamvis charitas ipsa dictet apud eosdem quoque in remediis afferendis, infamiam proximi, quantum possibile sit, fore vitan-

tandam, eo vel magis, quotiescumque ex publico remedio posset oriri publicum scandalum, & Religiosis occulte peccantibus possit inuri publica nota. Cœterum superflue suggeritur hujusmodi cautela, cum experientia doceat eandem effective servari: juxta doctrinam etiam Auctorum Societatis Suarez loc. cit. Alphonsi Rodriguez, Pellizarii, Layman, Julii Nigroni, signanter Emin. de Lugo qui refert, id per Congregationem Generalem fuisse opportune ordinatum, ubi supra in *sect. 7. ℣. sexto &c.* Nec omitto, apud ipsosmet Societatis Patres, sicut generaliter apud alios quoslibet, vigere obligationem reticendi proximi Religiosi crimen, quoties non modo occultum, sed etiam sit secretum, pro capiendo consilio videlicet a delinquente in confidentia communicatum, vel sub naturali sigillo sive is, cui communicatur sit subditus, sive Superior, jus enim illud quod habet communicans ad secretum sibi servandum rei communicatæ sub naturali sigillo aut formali aut virtuali non includitur in jure ad propriam famam, cui generice renuntiaverit. Sic Suarez & alii quos refert & sequitur Pellizarius in man. *part. 1. tract. 9. Cap. 4. sect. 1. n. 21.* Ultraquamquod præcluderetur via miseris in necessitatibus urgentioribus consilium conquirendi, ex generaliter animadversis per Anacletum Reinffestuel tit. de accusat. &c. §. 6. *n.* 229. post D. Thom. Cordubam, Navarrum, Sà, Lessium Azorium, quibus relatis subscribit Bassæus Verbo. Denuntiatio n. 11. Idque pro Religiosis in specie Societatis abrenuntiantibus &c. docent Lessius de Instit. *lib. 2. Cap. 3. dub. 6. n. 45. seq.* Castropalao de Charit. *tract. 6. disp. 3. punct. 14. n. 4. & seq.* Fagundez in oct. præcept. decal. *lib. 8. Cap. 51. n. 2.* & Card. de Lug. de instit. *disp. 38. sect. 2. n. 37. seq.* Exceptis tamen semper ut sæpius adnotatum est, delictis Communitati vel tertio Innocenti graviter nocivis, quæ neque sub secreto naturali extra Confessionem Sacramentalem cadunt taliter ut remedium non possit ipsis prudenter adhiberi. Ita cum Sà, Navarro, Lessio, & aliis, Palaus *tom. 1. tr. 7. disp. 3. punct. 14. n. 2.* Raggius *dub. 120. num. 1. ℣. Noto 2.*

56 At, quia licet pluribus vicibus hanc de secreto naturali tetigerimus materiam, nondum ea satis explicata fuit, hic subdere opere pretium duxi, quæ in occurrentibus casibus inter Regulares præcipue sint considerandą, & distinguenda. Delictum ergo, ad propositum quod sub secreto naturali scitur, vel est jam patratum, & remedium non est in promptu nec subest periculum reincidentiæ. Ex. gr. Si quis furatus fuerit calicem, nec habet unde restituat pretium jam consumptum, eo casu sciens sub naturali sigillo non tenetur delinquentem manifestare in crimine quamvis pernicioso, nam damnum communitatis non est impedibile nec pro tunc reparabile & nulli juvaret propalatio secreti in casu, sed noceret tantum delinquenti, excepto tamen periculo reincidentiæ, quod non supponitur, bene quidem communicanti proprium crimen pro capiendo consilio, deberet interpellatus quis in confidentia obligationem satisfaciendi eo modo quo posset suggerere. Ita cum D. Thoma, Navarro, & aliis Bassæus ubi supra *n.* 11. Quod si de crimine in confidentia scito, alium imputari & inquiri innocentem non sine periculo gravis imminentis damni propter deceptionem vel malitiam testium inditiorumque adinventam falsitatem, communis est sensus Doctorum in eo eventu posse immo teneri quandoque conscium sub secreto licet de vero delinquente, hunc revelare pro innocente salvando: sic post D. Thomam *2. 2. qu. 70. art. 1. &* 2. Gabriel *in 4. dist. 15. qu. 6. concl. 6.* Sot. *lib. 1. de just. qu. 7. art. 1.* Navarr. in man. *Cap. 15. n. 6. & Cap 25. n. 40.* nec non *Cap. 18. n. 31.* Ant. a Sp. S. *tract. 4. disp. 3. sect. 6. n. 153.* Pater vero Ludovicus de Ameno censet, tunc procedendum esse cum distinctione, in casu nimirum quod immineret æquale damnum vero delinquenti cujus crimen innotescit sub secreto, non posse a sciente illum revelari, ut liberaretur a periculo gravis item damni innocens culpatus; quando autem delinquens posset damnum evitare vel incurrere aliud minoris ponderis respective ad illud cui subjaceret culpatus innocens, tunc teneri scientem ad deponendum de veritate, quamvis in secreto habita. Ex. gr. In suppositione, quod Titius incenderit domum, cui delicto per leges assignatur pœna mortis vel triremium, & Paulus innocens culpatus de dicto crimine in proximo periculo versaretur subeundi taxatam pœnam, in eo casu si quis sciret secreto verum delinquentem Titium, vel quia idem in confidentia sibi patratum crimen communicasset vel alter sub sigillo revelasset, tenet præfatus Doctor quod nequiret sciens manifestare judici ipsummet Titium ad finem liberandi innocentem Paulum, quoties Titio vero

delinquenti par poena mortis aut triremium foret infligenda quæ innocenti Paulo immineret, quamvis secus in casu quo Titius per fugam posset declinare poenam, seu alteri minoris ordinis videlicet vel exilii vel mulctæ subijceretur: in hoc ultimo namque casu teneretur sciens ad verum criminosum manifestandum, non obstante confidentia & recepto secreto, excepto semper sigillo Sacramentalis confessionis. Ita pract. crim. *tit. XV.* §. 12. *n.* 90. *&* 91. citans ibi cum Soto, Suarez, Navarro, Patrem Paulum Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *Cap.* 5. *n.* 2. &c.

57 Huic attamen doctrinæ plane non assentiri contestor. Etenim ultraquamquod non stamus in proposito de foro tantum paternali in quo delictis etsi gravibus non potest poena a jure taxata infligi, sed ad summum ejusdem possit timeri periculum quoties testes a denuntiatione Evangelica ad judicialem transire statuerent, vel ipsemet Judex post inquisitionem generalem paternam ad juridicam deveniendum esse judicaret ex infra dicendis; falsum generaliter reputo quod in casu æqualis periculi & incurrendæ poenæ non magis favendum esset innocenti quam vero criminis reo, cum jus innocentis ad propriam famam injuste lædendam & poenæ immeritæ indemnitatem, prævaleat longe juri quod retinet criminosus ne manifestetur delictum vere commissum & sub secreto communicatum; utrobique namque damnum æquale, sed uni injuste nempe innocenti, alteri legitime inferendum nimirum delinquenti; cui immo frangi non esset nefas fidem etiam firmatam juramento quod nequaquam est vinculum iniquitatis, ob reparationem gravis damni alteri injuste imminentis: sic sentientibus Sancto Thoma Navarro Valentia Azorio Vega Spathario Lessio citatis per Palaum *tom.* 1. *tract.* 7. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 3. Peyrin. de Subd. *Cap.* 16. *qu.* 1. §. 3. *dicto* 2. Ant. a Spiritu Sancto ubi supra n. 153. Favente etiam pract. crim. Minorum tit. *Testes*. ibi. *Quod sub sigillo secreti &c. quis noverit neque denuntiare neque in judicio ut testis aperire valet nisi in Reipublicæ vel alterius grave prajudicium tale secretum vergeret*. Sed pro Minoritis inferius: bene quidem concedo monendum prius criminosum ab ejus delicti conscio, quod videlicet sibi provideat, quia in conscientia nequeat illud licet in secreto notum amplius celare pro innocentis liberatione prout consulit Angelus in quæstione de correctione fraterna art. 2. diffic. 8. & laudatus de Ameno *tit. XV. n.* 91. Nisi etiam liberari possit innocens a gravi poena aut periculo per solam protestationem ipsiusmet conscii viri gravis, quatenus opporteret addito juramento quod imputatus de crimine non sit revera ejusdem reus, absque eo quod verus delinquens manifestetur: in hoc tamen casu procederetur tantum extrajudicialiter juxta sensum Berti explicantis D. Thomam, & Sotum in praxi *tit.* 6. *de accusat. Cap.* 9. *n.* 6. Neque dissentio in his omnibus pariter damnum revelantis & secreti scientis esse considerandum; nam si grave periculum aut incommodum immineret ei pro aliis juvādis, plus sibimet possetimmo consideratus considerandis favere debere tenent. Navarr. in Sum. *cap.* 25. *n.* 50. Lessius *lib.* 2. *de just. Cap.* 30 *dub.* 6. *n.* 5. Spath. *Cap.* 8. *n.* 9. *tract.* 7. Reginald. *lib.* 24. *prox. n.* 48. Ant. a Spir. Sancto *disp. cit.* 3. *sect.* 6. *n.* 157. Insuper notatur; quod licet opinentur plures in hujusmodi casibus posse quem ad manifestationem rei devenire pro liberando innocēte ex motivo charitatis non justitiæ, attamen etiam ex hoc motivo justitiæ scilicet non posse veritatem celare atque veri rei notitiam non præbere, quoties legitime a Superiore jubente interrogetur aut scita denuntiare jubeatur. conveniunt omnes cum hac insuper limitatione adhuc in casu; quod si queat conscius liberare innocentem ut supra præmisimus absque fractione sigilli in præjudicium rei, teneatur id præstare ad doctrinaliter tradita per laudatum Berti *tit.* 6. *Cap.* 9. *n.* 6. Coeterum ut in plurimum extra limites paternæ ad judicialem indaginem supponitur transitus vel ejus necessitas evitari nequiret, prout in sectione quarta differetur.

58 Vel delictum ut redeamus ad propositum alteri graviter perniciosum nondum est commissum, & secreto sciens nullatenus valet per salubre consilium aut aliud prudens officium retrahere ab intentione illud patrandi deliberatum facinorosum; & tunc potest immo tenetur illud revelare potenti impedire executionem, vel ipsemet Superior secreto conscius tenetur providere ne damnum præmeditatum inferatur propter jus tertii innocentis vel Communitatis ad conservationem proprii boni, cui grave detrimentum imminet prævalens juri quod habere videretur reus super occultatione criminis cogitati, ut probant Portell. verbo *correctio Fratrum* tit. Testis *in addit. n.* 4. Peyrinus cumulans Doctores *qu.* 1. *de Subdit. Cap.* 15. *&* *Cap.* 16. §. 3. *dicto* *secun-*

secundo Ant. a Spiritu Sancto *n. supracit.*
153. Hac tamen addita conditione quod tum revelans tum Superior secreto conscius deberent taliter se gerere si possibilitas afforet, ut crimen & damnum impediretur quidem, sed persona crimen commissura nequaquam publicaretur non violato secreto nisi juxta exigentiam necessitatis; ut cum D. Thom. *quodl.* 12. *art.* 14. advertunt Navarr. *in Sum. Cap.* 19. *n.* 36. & in man. *Cap.* 18. *n.* 31. Cordub. in addit. *ad Sot. qu.* 4. *concl.* 3. Paulin. Berti *tit.* 7. *cap.* 4. *n.* 7. & 8. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 69. *n.* 17. Reginald. in prax. *lib.* 24. *n.* 55. & 58. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 135. & 139. nec non prius *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 4. *n.* 608. Pro quo notandum quoque quod etsi imminens crimen sub secreto naturali scitum nulli foret perniciosum; nihilominus quandocumque ejus executio impediri posset absque laesione famae proximi per aliquod medium prudens atque indifferens tum a Superiore conscio sub sigillo tum a quolibet alio cui fuisset sub confidentia communicatum, impedientes de facto nil mali agerent non tantum, sed meritum apud Deum acquirerent maximum; cum nulli inferrent injuriam & obstaculum simul ponerent Dei offensae vitando mortale peccatum. Colligitur ex D. Th. 2.2. qu. 60. art. 3. ad 4. & est communis.

59 Quoniam vero adnotatum est supra n.57. quod damnum quoque revelantis aut secreto scientis sit considerandum, hinc ad propositum additur non deesse Doctores asserentes quod nullum damnum subdito privato imminens possit ipsum eximere, quin revelare teneatur crimen patrandum licet in confidentia sibi notum, quando aliter non posset evitari gravissimum praejudicium Communitatis ex. gr. scit aliquis sub sigillo non tamen sacramentali secuturum Conventus incendium cum interitu inibi degentium, nec potest reparare absque revelatione criminosi qui minatur sibi mortem quatenus secretum frangat; quod nihilominus ad manifestandum obligatur eo quod bonum commune ejusdem ordinis in casu praestet proprio vitae particularis sustinent Sayrus *lib.* 12. *Clav. Reg. Cap.* 14. *n.* 26. Portell. dub. Regul. *tit. denuntiatio n.* 12. Peyr. *Cap.* 16. *cit.* §. 1. ℣. *Adverte de subdito* Lezana V. *Accusatio n.* 14. & 17. Quamvis ad finem impediendi damni alicujus privati Innocentis nullum subditum teneri addant ad subeundum aequale vel notabile aliud detrimentum ex. gr. ad reparandam necem innocentis proximi non obligari quem ad se exponendum neci vel ad notabilem jacturam pecuniae, tantominus famae, nec ad maximam persecutionem & vexationem patiendam si inter Religiosos sistamus. Sic citatus Portella ac Peyrin. de subd. *Cap. ubi supra* ℣. *Dico septimo.* At in primo signanter casu censerem ego ni aliter reparari posset damnum gravissimum Communitatis sine revelatione personae illud causare paratae, & inde damnum aequale revelaturo pro certo immineret, quod hic deberet prius se in toto ponere & Judici petenti rem commendare, itant brachium justitiae praeveniret contra minitantem supplicio condigno plectendum. Caeterum in casibus hujusmodi qui raro admodum possunt contingere & fere metaphysici sunt pro evitando damno gravi Communitatis ac etiam innocentis privati, prudentia ac solertia adjuncta imploratione Divini auxilii opus esse juxta circumstantias recte consulunt Doctores. Videatur Lezana cit. V. *Accusatio n.* 17. Ant. a Spiritu Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *a n.* 139.

60 Quoties vero sciens etiam in confidentia & sub sigillo praeterquam Sacramentali crimen vel Communitati vel innocenti graviter perniciosum pro certo patrandum sit Praelatus sive directus Superior, nec aliter illud impedire valeat nisi cum periculo gravis proprii damni: conveniunt Doctores quod indispensabiliter teneatur ad providendum quamvis omnem possit in simul adhibere cauthelam pro sui indemnitate. Ratio est quia provisio in casu sibi competit ex Officio, quo stante ad correctionem punitionem & reparationem malorum obligatur, etiam cum vitae periculo ut serio probant Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 34. *art.* 5. & 6. Peyr. de Prael. *qu.* 1. *Cap.* 7. *per tot.* praecipue *a n.* 13. Sanctor. de poen. *Cap.* 7. *cas.* 13. Nec confidentia & secretum in proposito aliquid officit remedio praestando, aut Praelati obligationem minuit; cum circa delicta ut supra nociva etiam addito juramento non teneat & perinde se habendum sit ac si minime intervenisset: Lessius, Sanchez, Palao, Lugo, Navarrus apud Raggium *centur.* 2. *dub.* 120. ℣. *Noto secundo*: propterea sicuti absque secreto scita in casu reparare deberet, tenetur pariter nota sibi sub dicto secreto minime obligante ut etiam cum multis a se relatis Diana *part.* 7. *tr.* 3. *resol.* 28. Qua occasione cautelam addunt prudentes viri, quod Superior in Visitatione signanter caveat in quantum possit sub sigillo expresso & speciali

ciali confidentia aliquid acceptare; nam licet de omnibus sibi paternaliter delatis obligetur de facto servare secretum nec de iis possit publice arguere reum, nisi publicum & manifestum foret delictum: ex Portell. ℣. *Correctio n.* 13. *&* 14. Anton. a Spir. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n n.* 59. tanto minus revelare delatores; ut reclamat inter cœteros P. de Ameno de delict. & pœn. *tit.* 5. §. 6. *n.* 12. *&* 13. quatenus tamen in confidentia & sub sigillo expresso acciperet non posset evitare peculiaris odii periculum; quoties necessitas emergeret remedium provisionemque porrigen. di delictis perniciosis non obstante sigillo ut dictum est, apud imperitos præcipue & legum omnino inscios. Nihilominus; si alia non aperiatur via noscendi defectus præsertim graves, & nolit subditus nisi sub expresso sigillo loqui stans in opinione se non obligari ad quolibet obedientiæ præceptum de revelando absolute alieno delicto etiam nocivo & pernicioso attento periculo damni proprii; nisi de servando secreto fiat securus in hac inquam suppositione, expedire ducerem sub sigillo & confidentia admittere revelanda, ut prudenter de remedio cogitare quiret cautelis adhibitis necessariis præcipue si agatur de gravi impediendo damno: cum alias experientia dictet ex renitentia acceptandi sub tali conditione maximi ponderis discrimina, ruinas & scandala processisse enurmia, quæ fortasse habita qualicumque notitia potuissent provide reparari. Nec sileo magnis & parvulis loquens distinctionem vergere inter audita revera per Sacramentalem Confessionem & illa extra Sacramentum etiam titulo confessionis coocredita sub his verbis: *Tibi* in confessione confido aut sub confessionis sigillo tibi revelo; subhac enim formula quæ deponantur, nequaquam Sacramentali secreto sunt alligata, ut suggerit cum Doctoribus communiter a se citatis. Peyrin. de subdit. *qu.* 1. *Cap XV.* sub dicto primo. ℣. *Et nota*.

61 Pro Minoritis etiam sufficientes regulæ sunt assignatæ per usque nunc tradita, confirmationibus additis statutorum & practicæ eorum criminalis: nihilominus aliqua ulterius advertenda non desunt & explicanda pro clariori resolutione emergentium dubiorum, & exclusione opinionum, si quæ contra præfata eadem insurgerent. Primo igitur in subjecta materia declarandus est occurrens alter textus practicæ criminalis tit. *Inquisitio ibi = Quod si de delicto alias occulto per duos vel tres testes aliquis fuerit convictus, is non publice, sed coram iisdem testibus secreto puniendus est nisi atrox delictum esset cujus correctio cæteris transiret in exemplum*. Qui textus ex Capituli Vallisoletani statutis *Cap.* 7. desumptus ostendit sane, non posse adversus delicta occulta quæ ad visitatorem deferantur publicam adhibere correctionem aut punitionem: insuper delictum adhuc manere occultum in jure, quamvis per duos vel per tres testes etiam integros deponatur: si namque non essent integri & super omnem exceptionem minime possent per eos *aliquis esse convictus* ut in textu & confirmatur ex alio textu pract. crim. ejusdem *tit. testes* ℣. *Testes contestes*. *Ex Cap.* item. *In omni negotio* juncta *Gloss. de test.* cum concordantiis, sed non per hoc intelligitur ibi quis convictus per dictos duos vel tres testes judicialiter, tanquam in inquisitione juridica, bene quidem in sola paternali, ubi ad convincendum etiam extrajodicialiter duo saltem testes omni exceptione majores sunt necessarii. *l. ubi numerus ff. de test. & Cap. cit. in omni negotio*. P. de Ameno pract. crim. *tit. XI. n.* 14. Cum alioqoin convictus judicialiter per duos contestes integros in processu juridico publica pœna posset per sententiam puniri ex eadem pract. crim. *tit. Probatio* ℣. *duo testes contestes*. Omnibus coocordantibus. Proinde quando subditur in eodem explicato textu exceptio. *Nisi atrox delictum esset, cujus correctio cæteris transiret in exemplum* explicari debet sic, quod in casu atrocitatis posset & forsan teneretur Visitator a Paternali transire ad juridicam inquisitionem, & servato ordine juris reum criminis atrocis publice ad exemplum aliorum corrigere. Idem de Ameno ibi *n.* 15. post Paulinum Berti *tit. IV. Cap.* 31. ℣. *Et tunc demum*. Correctio autem impræsentiarum sumitur pro punitione; sicut in præcedentibus verbis ejusdem textus. ibi. *Secreto puniendus est*, punitio viceversa accipitur pro correctione prout de facto ipsos terminos tamquam alterutrum significatum habentes Pater ipse de Ameno plures adhibet; signanter *tit. V.* §. 6. *n. d.* 30.

§. I. Verum enim vero explicatio criminis atrocis, quam affert laudatus Auctor *tit. XI.* §. 3. *n. cit.* 15. trahens ad sulmet sensum Glossam quamdam: nempe quod sit omne illud quod involvit peccatum mortale minime arridet, ut probavimus etiam alibi. Atrocitas siquidem delicti, quæ in jure sonat idem ac enormitas. *l.* 1. *C. de emendat. propinæ l.* 4. *C. de in offic. donat.* vel arguitive desumitur ex pœna imposita; ita quod delicta fiont enormia & atrocia, quibus imponitur pœna mortis naturalis, aut civilis ut triremium seu apud

Regu-

Regolares præsertim Minoritas pœna æquipollens carceris perpetui. Atrociora vero & atrocissima, quibus pœna mortis item correspondet sed cum exemplo & modo conspicuo. ut scindi in partes, comburi &c. sive quando lex speciali modo & severius contra eadem delicta disponit juxta doctrinam Clari citantis Bartolum aliosque *lib.* 5. §. 1. ℣. *Sunt etiam delictorum*. Vel atrocitas deprehenditur veloti a priori in dolo specialiter delictom aggravante aut in præjudicio gravi alterius privati a fortiori Reipublicæ prout notat ex allat. Felin. Bernard. Diaz in pract. crim. *Cap.* 130. in fin. & est consonum sententiæ Bartoli vocantis factum atrox illud, quod est graviter iniuriosum personæ, itaut generet inimicitiam capitalem *inl.* 4. §. *fin. ff.* de adimeo. legat. saltem sententia viget communis ad atrocitatem & enormitatem delicti requiri replicationem ejusdem in materia gravi, ut legere est apud Sanctorum allegantem jura & Doctores: *de pœn. Cap.* 4. ℣. *Dicet secundo*, & seq. Unde satis colligitor pro crimine atroci seu enormi quod idem est, non sufficere peccatum quodlibet esse mortale, scilicet non accipi peccatum quodlibet mortale, sed illud quod in genere mortalis sit gravius aut gravissimum, utpote vel infame sacrilegium vel cum maximo scandalo commissum sive graviter Reipublicæ vel tertio præjodiciale vel saltem post correctionem inutilem audacter replicatum, cui doctrinæ consentit practica crim. *tit. delictorum discrimina* per tot. signanter ℣. *Gravissima & seq.* Ad quod propositum explicandum cadit statutum generale Ordinis *Cap.* 7. §. *de correct. & pæn. n.* 7. ibi. *Enorme autem delictum dicimus vel ratione generis peccati ut est inobedientia contumax, lapsus carnis, perfidia, hæresis & similia vel ratione circumstantiæ; ut frequens iteratio furti etiam non notabilis & de aliis casibus reservatis idem judicium habeatur*. Ubi ad rem notandum quod lapsus carnis ad hoc ut crimen atrox & enorme reputetor intelligendus veniat relative ad textum alium pract. criminalis legendum in tit. *denuntiatio* ℣. *In judiciali autem*. Sicuti illa particula *furti etiam non notabilis* nequaquam accipi debeat pro furto etiam in materia levi & veniali & proot notabile oppositum parvo significat quodcumque magnum aut in genere grave; sed ut importat aliquod gravissimum & insigne in genere peccati mortalis juxta explicationem alibi datam & uniformiter ad citat. pract. criminalem tit. *delictorum discrimina*. Legatur P. Sanctorus *de pæn.* *Cap. d.* 4. & Rodericos *tom.* 2. *qu.* 12. *art.* 2. & 3. Hæc item quantum ad descriptionem casualem quidem sed necessariam criminis vere atrocis.

§. II. Nec omittendum duco quod etiam in his quæ atrocitatem & graviorem notam important quatenus per paucos testes paterne tantum prius deponantur, solers adhibenda sit a Superiore prudentia, itaut quandoque nisi necessitas urgeat publicitati minime exponantur & ad forum deducantur contentiosum per judicialem processum & pœnam inde legalem, præsertim si pejus timeretur malum ex publico remedio, puta scandalum diffamatio Religiosi alioquin boni ominis apud sæculares Religionis ipsius infamia vel alicujus honestæ domus denigratio; tanto magis quoties si ex alia parte per correctiones & pœnitentias salutares æque bene offensarum satisfactio & delinquentis resipiscentia posset auspicari veluti provide insinuant Paolin. Berti in prax. *tit. VIII. Cap.* 12. *n.* 4. Cum Basseo & aliis Ant. a Sp. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 87. nec non laodatos ipse P. de Ameno *tit. XI. d. n.* 15. In quo tamen negotio parum leniter videtur sentire P. Anacletus Reinfestuel tit. sæpius cit. de accusat. &c. §. 6. *n.* 304. *seq.*

6. Uniformiter quoque ad ea quæ diximus de non revelandis & manifestandis criminibus quæ sub secreto auxilii atque consilii exposcendi gratia quis indigens alteri sive Superiori sive privato confidit, fuit allegatus ibi textus practicæ criminalis proprie faciens pro Minoritis quem proinde non erit abs re hic literaliter repetere & distinctius explicare *tit. testes* ibi. *Quod sub sigillo secreti aut consilii aut auxilii poscendi gratia quis noverit, neque denuntiare, neque in judicio tamquam testis aperire nisi aliunde sciverit valet, ne in damnum publicum secreta commissio cedat, nisi in Republicæ vel alterius grave præjudicium vergeret quod deinde reparari non posset*. Patet itaque primo non posse taliter sub sigillo acceptum denuntiari paternaliter, sed neque judicialiter a sciente licet interrogetur is sibi præstito joramento, com hoc non sit vinculom iniquitatis ex datis alibi, obligans videlicet ad aperiendum ea quæ sub peccato mortali reticere quis debet; ot cum Doctoribus item per se relatis respondet Pater de Ameno pract. crim. *tit.* 15. *n.* 90. ex quo apparet sensus subsequentium verborum *ne in damnum publicum secreti commissio cedat* ly etenim *publicum* sonat idem ac publicitate expositum: scilicet damnum

omni-

omnibus notum resultans ex delicto publicato: deducitur item non tenere secretum quoties in Reipublicæ non tantum, sed innocentis grave damnum id & præjudicium vergeret, juxta ea quæ generaliter probavimus quantum ad Regulares omnes; cum in æqua lance præponderare jus innocentis ad non subeundam famæ & personæ lesionem iniuste juri veri delinquentis ad servandam sibi fidelitatem; immo mereri eumdem, quod fides sibi frangatur in casu, substineant Doctores ibi citati, contra ea quæ adducit allegatus ibidem P. de Ameno & replicat postmodum *tit. XV. n.* 91. Verum quidem est, quod mediis omnibus non debeat parcere sciens, ad hoc, ut reus etiam damnum notabile & pœnam sibi debitam effugiat, iu quantum sit possibile, ut n. eodem 57. cautum est. Sicuti non est reticendum distinctionem vigere secundum nonnullos, inter posse & debere: nimirum etsi queat sciens sub secreto verum delinquentem detegere ipsum ad solvendum alium innocentem, non inde probari, quod revelare teneatur, quoties utrique & innocenti & reo par immineat damnum sive pœna: attenta signanter doctrina Berti *tit. allegato VI. Cap.* 9. *n.* 6. Quamvis si conscius delicti & delinquentis in casu a legitimo interrogetur Judice, quod nequeat tunc non fateri veritatem in conscientia pro salute innocentis licet cum inevitabili rei præjudicio teneat idem Auctor post D. Thom. Gabrielem, Navarrum quos citat. eodem *n.* 6. Quia quando juramentum cadit super aliquid quod licite deponi potest licet non necessario alioquin revelari deberet, tunc ad aperiendam veritatem inevitabiliter obligat, ut alibi etiam probatum est ex communi. Repetendum pariter, quod si aliqua quacumque via possit impediri vel reparari damnum imminens Reipublicæ vel privato innocenti, eam arripere teneretur sive Superior sive alter secreti conscius, sic utrique valens oneri satisfacere: sicuti pro Minoritis in specie indigitat practicæ eorum criminalis mox explicatus textus in fine: ibi; *Quod deinde reparari non possit d. tit. Testes*: juxta sæpius adducta.

63 Considerandus pariter obvenit in confirmationem præfatorum pro Minoritis iisdem practicæ criminalis duplex textus titulo. *Inquisitio* ibi. *Si unus & alter subditus occultum delictum aperiat imprudens, & ex inquisitione generali nulla contra reum resultet infamia? Judex contra ipsum procedere non potest, nisi ipsum paterne, & secreto admonendo*. Deducitur namque ex eodem textu: juxta ea, quæ pro Regularibus cœteris tradita sunt, in Religione Minorum signanter non esse revelandum paterne sive generaliter Visitanti delictum, quod paucis, uni scilicet & alteri notum, adhuc occultum supponitur: cum revelanti in casu nota imprudentis inuritur, Ulterius, non posse Visitantem ipsummet, ex sola notitia ab uno, & altero eruta de occulto delicto transire a paterna ad inquisitionem judicialem, nisi accedat & resultet contra reum ex depositione aliorum requisita infamia: sed nec posse publice corrigere, licet paternaliter tantum, corummet de occulto delicto in casu, valere ad summum paterne & secreto admonere ad normam dictorum. n 47. seq. non loquendo tamen de criminibus Communitati, vel tertio graviter perniciosis: juxta doctrinam item generaliter traditam n. 46. & sæpius replicatam. Notabilis alius textus titulo eodem *Inquisitio* pract. crim. occurrit ibi. *Quod in generali Inquisitione ad Prælatum defertur tamquam ad Patrem, in specialem Inquisitionem deduci non potest, sed solum paterne corripi, etiamsi multi id detulerint, dummodo Patrem, non Judicem interpellarint, tunc enim esset simul actor, & Judex, nisi ex infamia ut Judex procedat ad formandum processum*. Ex hoc etenim clare habetur, quod, esto plures deferant crimen ad Superiorem visitantem, & generaliter inquirentem, ad hoc ut delinquentem paterne solummodo corripiat, non sit in arbitrio Visitatoris ipsiusmet judicialem texere telam & specialem inquisitionem de quo inferius contra reum dictum instituere, quia foret is in casu actor insimul & Judex: Iudex quidem ex officio, & simul actor quia in suppositione, quod denuntiationes Evangelicæ delicti, sibi tamquam Patri præcise delati præcessissent, nullus haberetur neque realis neque fictus accusator, & propterea vicem & locum accusatoris sive actoris suppleret idem solus Judex contra communem sensum, & jura. Grat. *in Cap. de manifesta* 2. *q.* 1. *item Cap. multi eadem* per Jul. Clar. in prax. *qu.* 8. ℣. *final. & aliis*. Et sane mirum est Patrem de Ameno ad diversum significatum eadem prædicta verba traducere *tit. XI.* §. 4. *n.* 22. cum obvius intellectus nequeat declinari in textu aliàs satis aperto & evidente qui literaliter fere desumptus est ex *Cap. Licet Heli de Simon.* Additur quidem opportune *nisi ex infamia ut Judex procedat ad formandum processum*. Ex delatione nam-

namque multorum, quoties infamia contra delinquentem emergat & ipsemet delinquens emendationis spem minime præbeat, utpote recidivus etiam a criminibus exceptis præscindendo poterit, immo debebit qoandoque Prælatus inquisitionem instituere juridicam; sed prius juridicam generalem & deinde ad specialem vel in ipsa generali non variato processu vel extra & præter illam per processum proprium descendere: quo casu infamia in paterna prævia resultans locum auctoris sive accusatoris obtineret & sic ut Judex dumtaxat procederet Visitator. Ex allato *Cap. Licet Heli de sim.* Paulino Berti; qui per auctoritatem scripturarum egregie ssertum comprobat *tit. V. C. p. 4. n. 1.* & aliis ipsoque Patre de Ameno *tit. eod. XI. §. 1. n.* 8. Verum quantum ad hoc distinctius proponitur sequens.

SECTIO QUARTA.

Quando possit aut debeat Visitator inquisitionem juridicam instituere?

SUMMARIUM.

64 *Accusationem legitime interpositam nequit Judex immo Visitator ipse non acceptare; sed seorsim ab actis visitationis paternæ neque diceretur in casu judicialis inquisitio per generalem paternam excitari.*

65 *Incidenter agitur de accusatione & denuntiatione & inter alia accusationis requisita præsertim inter Regulares asseritur necessaria inscriptio sive subscriptio.*

66 *Denuntiationis sive denuntiatorum divisio. Comparente inter visitationis acta denuntiatore voluntario; quid agere valeat aut teneatur Visitator.*

67 *Denuntiatio judicialis quomodo differat ab Evangelica & a rigorosa accusatione iterum clarius ostenditur* ibi §. I. & II.

68 *Denuntiatio judicialis differt ab accusatione ea quia prima regulariter Evangelicam monitionem præexigit. Refertur sententia Patris de Ameno & Patris Reiffestuel quæ impugnantur per duos subsequentes §§.*

69 *Replicatur & magis explicatur differentia inter accusationem & denuntiationem judicialem ratione necessaria inscriptionis & necessario efformandi processus.*

70 *Adducitur sententia asserens teneri Religiosos ad accusandos & judicialiter denuntiandos confratres ejusdem Ordinis quoties alia non suppetat via consequenda emendationis.*

71 *Non approbatur hujusmodi sententia nec posse admitti suppositum, quod desit alia emendationis via id etiam in delictis publicis ut in duobus sequentibus §§.*

72 *Non potest Prælatus sive Superior visitans præcipere subditis accusationem sive denuntiationem judicialem ipsisque obligare ad deponendum in casu & negatur suppositum Patris Raggii etiam in publicis &c.*

73 *Inquisitionem juridicam potest, immo debet quandoque Prælatus visitans instituere.*

74 *Negat Prælatus instituere inquisitionem juridicam quoties sibi placet absque motivo, neque debet quando pejus malum inde prævidet eventuram per duos item sequentes §§.*

75 *Tenetur tamen regulariter juridice procedere quando inter paterne visitandum sibi præsentatur accusatio vel judicialis denuntiatio a comparente legitimo & occurritur obiectis.*

76 *Expedit immo pluries opportet a Visitatione & inquisitione generali paterna ad juridicam fieere transitum & assignantur casus.*

77 *Assignantur Prælato regulæ quomodo se gerat in casibus adductis.*

78 *Clarius explicantur prædicta cum additis advertentiis & an juridicam satius expedires in casibus relatis instituere generalem vel specialem.*

64 Certum est quod si accusatio juridica præcedat teneatur competens Judex processum instituere contra accusatum, servato juris ordine, idemque verificari apud Regulares omnes probat P. Ludovicus de Ameno pract. crim. *tit. VIII. qu. 3. a n. 48.* per tot. Itant, quoties accusationem alias legitimam Judex ipse Regularis non acceptet aut ipsa acceptata processum non prosequatur sine justo motivo peccet mortaliter & sit de jure puniendus secundum eumdem Doctorem *qu. V.* eod. *tit. n. 69.* id co firmante Anacleto Reiffestuel tit. *de Accusat. &c. §. 1. n. 54.* Pro Minoritis autem adest ad propositum textus perspicuus practicæ eorum criminalis *tit. accusatio* versus finem ibi: *Legitimo accusatore comparente, non potest Judex accusationem respuere, sed tenetur ipsam acceptare & prout de jure procedere.* Unde si in actu Visitationis quis subditus compareret ante Superiorem sive Prælatum visitantem & prosequendo injuriam propriam sive communem Religionis alium accusaret de delicto gravi omnia præstando quæ ad accusationem juridicam sunt necessaria, non est dubium ex mox dictis quod Visitator eam recipere teneretur & processum juxta necessitatem & opportunitatem effor-

efformare; sed est quoque certum quod per actionem distinctam a visitatione paterna deberet id peragere; ne judicialem cum paternali ipsa confunderet ut alibi non una vice replicavimus; at neque in proposito ab inquisitione paterna diceretur ad juridicam transire, quasi per ipsam generalem paternam excitaretur propter infamiam inde contra aliquem prætensum reum relevatam ad processus juridicos conficiendos, cum potius processum aperte inciperet per veram & realem sibi porrectam accusationem & non per viam ceptæ inquisitionis: ex aliqualiter animadversis in *dub. 2. proemiali n.* 10. & 11.

65 Data autem hac opportunitate priusquam directe ad quæsitum in sectionis titulo propositum respondeamus nonnulla de accusatione simul & denuntiatione quarum alterutra præter infamiam deductam a paterna inquisitione potest sternere viam ad juridice procedendum, afferre hic non erit incongruum pro brevi notitia Regularium in hujusmodi materia non plene instructorum. Accusatio itaque juridica, qua posita potest immo debet ex præmissis institui processus legitimus & formiter agitari causa coram competente Judice, pluribus sine dubio debet fulciri requisitis ad hoc ut sit actus virtutis, scilicet justitiæ apud Religiosos signanter reducibilis ad praxim prout citato D. Thoma 2.2. *qu.* 108. *art.* 1. & 2. docent Passer. Tribun. Regul. *q.* 4. *n.* 46. Peyr. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 16. Pelliz. *tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 83. Nec non P. Reinffestuel cit. *de accusat. &c.* §. 1. *n.* 5. *ad* 14. Unam tamen relevabo ad propositum circumstantiam, apertis verbis in jure expressam quæ legaliter vocatur *Inscriptio*. *Cap. super his* 16. *de Accusat.* Can. *Quisque*. Can. *Cui crimen* 2. *qu.* 4. Juncta *l. si cui* 7. *ff. de accusat.* Nimirum quod accusator se subscribat & subscribendo obliget ad crimen objectum probandum, vel si in probatione deficiat ad pœnam talionis; videlicet ad subeundam eandem pœnam quæ infligi deberet reo secundum leges si crimen probaretur. Et quamvis inscriptio ejusmodi sive subscriptio generaliter recesserit ab aula, atque pœna talionis in arbitrariam & extraordinariam sit immutata præter rationes allatas per Jul. Clar. *prax. crim. lib.* 5. §. 2. *qu.* 81. *n.* 3. Covarr. var. resol. *lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 6. Gall. de pac. publ. *Cap.* 9. *n.* 3. Felici in d. *Cap. super his de accus. n.* 5. Immo nec extraordinaria ulla hisce temporibus in aliquibus causis adversus calumniantes ipsos adhibeatur. Nihilominus pœnam hanc rigorosi talionis contra malitiose accusantes in foro saltem Ecclesiastico esse defacto innovatam per Constitutionem S. Pii V. Cum primum *in* 5. advertit Passerinus Tribunal. Regul. *qu.* 7. *n.* 144. nec non P. de Ameno pract. crim. *tit. Accusatio n.* 18. Sed signanter adhuc vigere pro certo habetur in Religionibus in quibus specialis de eadem extat statutum uti in Religione Minorum *Cap.* 7. *Compil. Sambuc.* §. 6. *n.* 26. & 27. quod per extensum adducitur, utpote prægnantibus & præceptoriis clausulis exaratum a P. Reinffestuel *loc. cit. n.* 12. Uniformiter ad textum pract. crim. *tit. accusatio* ibi = *Nulliut accusatio recipienda est nisi prius juret se malo zelo ad accusandum non moveri & ad probandum se obliget sub pœna, talionis quod si ex ignorantia vel inadvertentia Judicis non fiat declarari debet quemlibet accusatorem ad pœnam talionis obligari*. Sanctor. de pœn. *Cap.* 10. *qu.* 4. *diffic.* 1. & 2. De Ameno pract. crim. *tit.* 8. *n.* 18. Et advertendum; quod licet hic peritus Auctor querelam distinguat ab accusatione asserens spectare potius ad denuotiationem eo quia querelans non petit vindictam a Judice nec se obligat ad probandum delictum nec Judex procedit recepta querela ad instantiam partis sed ex officio, quæ conditiones in accusatione requiruntur *tit.* 8. *qu.* 1. *n.* 50. Attamen experientia docet quod generaliter querelans instat pro satisfactione sibi danda & pro punitione delinquentis; unde deducerem debere Judicem exigere inscriptionem etiam a querelante in suppositione præcipue, quod nomine querelæ exposcentis revera legalem vindictam vellet hic accusationem publicare & ab obligatione se eximere pœnæ talionis; quod sub aliis terminis concedit ipsemet Doctor *tit. eod. n.* 53. saltem dicendum querelam esse potius nomen genericum quod potest & accusationi & denuntiationi convenire tamquam speciebus, sicut pro una & alia videlicet accusatione & denuntiatione etiam extrajudiciali accipit de facto generalem laudatus idem de Ameno *qu.* 3. *tit. VIII. a n.* 59. *ad* 62.

66 Hinc nonnulla alia ex incidenti neque omittemus quantum ad denuntiationem; cujus divisio propria ut in proœmialibus tactum est tom. 1. inter Regulares præcipue supponitur in Evangelicam & judicialem. Judicialis siquidem sive juridica potest contingere, immo sæpius contingit in paterna Visitatione, ita quod in actu Visitationis ejusdem quispiam ex vocatis subdi-

fubditis compareat folia præfentans alienis defectibus plena aut adverfus fubalternum Superiorem aut alium inftans ut juridice procedatur. Quod fi perfonale aut alienum intereffe privatum, puta propriæ factionis vel Nationis refpiciat oppreffionem vel præpotentiam injuftam allegans, dicitur quidem denuntiationem judicialem adhibere, fed civilem & privatam; fi vero publica delicta & delinquentes manifeftet addita proteftatione de inftituendo proceffu ad formam juris denuntiator tunc dicitur criminalis, Reinffeftuel de accufat. §. 2. *num.* 84. Non autem habet locum hæc diftinctio denuntiationis publicæ ac privatæ; quatenus hæc fiat a denuntiatore voluntario & privato; & prima per publicum Miniftrum feu denuntiatorem ex officio: eo quia a bene ordinatis Religionibus hujufmodi Miniftros qui Birrarii & exploratoris officium vile adimpleant & odibile, abeffe prorfus fas eft, prout de Officio Fifcalis tradidimus fect. præcedente n. 39. in fin. Et fic fiftendo in denuntiatore voluntario qui delicta & delinquentes denuntiat fivæ paffæ injuriæ injuftitiæque fatisfactionem quærens five de criminum cognitione publica juridicoque proceffu inftans non autem de vindicta directe, quamvis ex vi denuntiationis hujus Judex de facto ad vindictam procedere queat & fit folitus juxta leges. Abb. *in Cap. Novit* 13. *de jud. n.*48. Quoties inquam in Vifitatione paterna compareant fubditi potius quam Evangelicam denuntiationem hujufmodi judicialem fcripto vel etiam ore fcribendam tamen a Vifitante porrigentes; fuppofito item quod fint ad denuntiandum in cafu ficut ad accufandum undequaque habiles, quid agere tunc valeat aut teneatur vifitator? Refpondet Pater Anacletus Reinffeftuel *tit. cit. de accufat.* §. 2. Quod Judex facta fibi denuntiatione vere judiciali in debitis circumftantiis, non tantum poffit fed obligetur ex officio inquirere & proceffum incipere citando & examinando teftes & alia probationis media adhibendo per denuntiantem infinuata, adeo ut fi omittat peccet ob denegatam feu neglectam juftitiam fubjaceatque fyndicatui atque amittat jurifdictionem quoad illam caufam: allegans per fe Doctores Brunemon Gallum & Patrem de Ameno ibi *n.* 125. Nihilominus ego rem in cafu maturius examinandam duxerim ita, quod regulariter & generaliter nequaquam deberet Ecclefiafticus & Regularis Judex quamvis nil deficeret ex parte denuntiantis proceffum incipere & telam judiciariam texere denuntiatione fibi facta judiciali, fed quoties fatisfactio parti poffet æque bene præftari & nifi publicum delictum tamquam tale denuntiatum reparationem fcandali per publicam pœnam exigeret, nequaquam dictaret potius charitas & æquitas ut in plurimum abftinendum effe a proceffu juridico ex quo incommoda alioquin & perturbationes in Religiofis familiis inevitabiliter oriri experientia docet. Et ratio potiffima eft; quia non invenitur lex canonica tam rigorosè præcipiens quod juridice procedatur generaliter loquendo habita denuntiatione judiciali ficut poft acceptam accufationem. Quinimmo in modo procedendi per denuntiationem femper advertentia five conditio additur obfervanda; ut cautius procedat Judex quod non evenit in modo procedendi per accufationem *Cap. fi quis Epifcopus* 2. & *Cap. qualiter* 24. *de accuf.* Gloff. *in Cap. cum dilectus de calumniat.* Cap. *Licet. Heli de fimon.* Et pro Religione Minorum in pract. crim. ubi *tit. accufatio* præcipitur efformandos proceffus poft accufationem legitimam. ℣. *Legitima* ut n. præcedente attulimus nullum præceptum fimile legitur in titulo denuntiatio, itaquod audita denuntiatione judiciali teneatur Superior abfolute inquirere five juridice procedere; quinimmo in additione ibi perlegenda indicitur Prælatis quod penfatis omnibus circumftantiis decernant quid agendum fit; *Quod eorum difcretioni & prudentiæ relinquitur*. Quæ fane Doctrina defumpta eft a Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 8. loquente ibi indifferenter pro omnibus Regularibus cui concordat Thomas a Jefu *tract.* 1. *de Vifit. Regul. Cap.* 17. *n.* 1. nec non Lezana *tom.* 1. *Cap.* 27. *n.* 21. Quamvis ifte aliique Doctores denuntiationem judicialem cum Evangelica perfæpe confundant. At fi inftet denuntiator quod juridice omnimode procedatur & vindicetur delictum ad exemplum aliorum, opportune fubdunt Doctores tunc denuntiatorem cogendum effe ad infcriptionem fcilicet ad fubfcribendum fe pœnæ talionis quatenus delatum delictum non probet: ex denuntiatore fiquidem fieret accufator: immo fubdolum manifeftaret animum evadendi dictam legem fub figura fimplicis denuntiatoris, cum revera non relinqueret vindictam inquirenti Judici fed ipfemet eamdem directe intenderet & ad illam Judicem extimularet. Ita erudite fuo more Rodericus citatus *art.* 8. *in princ.* Lezana *d. n.* 21. idemque fuggerit Doctor de Ameno *tit. VIII. qu.* 1. *n.* 53. Licet hic ultimus abfolute id con-

sulat, ecto denuntiator non instaret pro pœna sed eam officio Judicis relinqueret; verum pro Religiosis Minoritici Ordinis habetur expresse in practica criminali *tit. Denuntiatio* ibi. *Si facti denuntiatione denuntiator insistat apud Judicem eumque stimulet ad procedendum & puniendum, quia tunc personam actoris sub titulo denuntiatoris abscondit, tenetur Judex illum cogere ut se denuntiationi subscribat & ad probandum tamquam subdolus accusator obligetur.* Ubi præfatus P. de Ameno modum executionis assignat in praxi *tit. IX. §. 3. n. 17.*

67 Verum ad tollendas æquivocationes præsertim judiciis Regularium adhuc clarius adnotandum censeo, debere denuntiationem judicialem ab Evangelica denuntiatione nec non ab accusatione rigorosa distingui. Si namque coram Superiore ut Patre & ut paterne visitante fiat, & correctionem morum vel emendationem Religiosi fraterne correcti absque strepitu judicii intendat, non posset non dici simpliciter Evangelica, quocumque tandem nomine nuncupetur, & nullatenus judicialis, in quo conveniunt jura & Doctores, absque eo quod citationibus folium impleatur. Si tamen vindictam principaliter intendat, punitionemque delicti & delinquentis ad præscriptum juris normamque legum petat formiter & pro ea insistat, judicialis quidem erit, quia ad habendum effectum exiget ordinem judiciarium, constitutionemque processus, sed solo nomine ab accusatione differet, quæ eundem intendit finem, & ad hunc consequendum judicialem sive juridicam processus structuram requirit; propterea eo casu non est dubium, quod etiam inscriptionem veluti substantialis accusatio secum ferret, & ad eandem deberet cogi per Iudicem sic denuntians, videlicet ad subscribendum se pœnæ talionis apud Regulares, utpote subdole nomen denuntiatoris gerens sit actor sive accusator in re. Quin immo per imperitiam aut negligentiam Judicis eadem subscriptione ommissa, quod nequaquam talionis pœnam deberet evadere denuntiator hujusmodi, videtur tenendum, eo modo, quo de accusatore non subscribente sancitur in pract. crim. apud cit. de Ameno. *tit. VIII. §. III. n. 18. & tit. IX. qu. 4. n. 42.* Sicuti in casu etiam quo esset revera simplex denuntiator & non palliatus accusator, quod neque pœnam extraordinariam valeret effugere, quatenus denuntiata delicta non probaret, ac insuper ipsimet pœnæ talionis obnoxius foret, quatenus crimina excepta juridice denuntians in probatione eorum deinde claudicaret ostendit doctrinaliter idem Auctor ad textum practicæ criminalis *tit. IX. §. 3. n. 18.*

§. 1. Deficiunt autem Auctores in assignando inter accusatorem & denuntiatorem purum judicialem, seu inter accusationem & judicialem denuntiationem verum discrimen, si enim vindictam hæc non intendat ad exemplum aliorum, videtur coincidere cum Evangelica, si autem vindictam & punitionem respiciat delicti & delinquentis, ad hoc ut criminalis sit, ut docet si verborum sensus perpendatur Anacletus Reiffenstuel *tit. de accusat. &c. §. 2. n. 84.* naturam accusationis induere deducitur, quod etiam fere admittit auctor idem n. sequenti 85. asserendo, quod hujusmodi denuntiatio, nempe judicialis criminalis habet eundem finem seu principalem effectum cum accusatione publica, nempe vindictam ob bonum Communitatis in exemplum aliorum, agitque vices accusationis: hinc valeat argumentum ab accusatione ad denuntiationem & viceversa secundum Salicetum in *l. 7. n. 11. tit. de denunt.* In hoc igitur puncto non recedendum a jure, videlicet quod judicialiter & criminaliter denuntians teneatur tempus, locum, crimen adnotare & testes nominare sicuti accusans ut concedunt communiter Doctores & pro Minoritis ad verbum describitur in practica criminali eodem tit. ℣. *Denuntians judicialiter.* Item non potest negari quod denuntiatio hujusmodi intendat punitionem malorum in exemplum aliorum: ad textum pariter pract. criminalis pro Minoritis ibi §. 1. *Judicialis vero respicit punitionem, actum justitiæ bonum privatum aut communitatis, ut malus puniatur in aliorum exemplum.* Ideoque Doctores deffinientes denuntiationem in genere assignant, quod sit delatio apud Judicem competentem ad pœnam vel correctionem inferendam delinquenti vel ad utramque, ita ut si contingat ad inferendam correctionem tantum, remaneat Evangelica, si ulterius intendat pœnam evadit judicialis & criminalis. Hostien. *sum. tit. de denunt.* §. *Quod sit* Navarr. *in Cap. Novit deinde notab. 5. n. 2.* Thom. a Jes. de Visit. Regul. *tit. 3. Cap. 2. §. 3. n. 3.*

§. 2. At ex hoc videtur deduci & confirmari assertum, quod judicialis denuntiatio ab accusatione nil prorsus differat. Respondetur nihilominus sistendo etiam super hac conditione ultra differentias alias quæ infra assignantur, quod inter denuntiationem adhuc & accusationem discrepantia relevat, & quia accusatio per se

ad vindictam ordinetur ac pro illa instet formiter, denuntiatio judicialis autem licet correctionem non tantum sed pœnam vindictam punitionem malorum ad exemplum aliorum intendat, tamen pro ea non insistit; intentus immo finis denuntiationis sit potius quam denuntiantis qui describens tempus locum testes simul cum qualitate criminis delati, relinquit postmodum Judici processum instituere & pœnam decernere debitam, non quod procedat in casu Judex per viam inquisitionis, ut potest exequi etiam denuntiatione juridica non acceptata, sed quatenus hanc admittens, via propria quæ dicitur denuntiationis incipiat & super eam processum fundet, examinato prius ipsomet denuntiante ad melius percipiendas qualitatem ac circumstantias facti sive delicti. Quibus ita se habentibus dicitur denuntiator sternere viam ad processum & ad punitionem, non autem eam per se primario intendere, proinde ad probationem delicti non se obligans; ex infra dicendis, sicut accusator. Thom. a Jesu de Visit. Regul. *tr.* 9. *Cap.* 16. *n.* 13. P. de Ameno *tit. IX. n.* 1. *&* §. 3. *n.* 18. ad textum ibi relatum. Non rejecta quamvis ejusdem Doctoris sententia mox relata, quod non probato delicto denuntiator ipse adhuc pœnæ extraordinariæ sit obnoxius. Quod si hic punitionem & vindictam exigens pro ea instet apud Judicem, eo casu, juxta jam repetita, non potest non haberi ut accusator atque in accusationem aperte transit ipsa denuntiatio, obligationem subscribendi consequenter secum ferens. Sic laudatus idem de Ameno *tit. IX. n.* 17.

68 Aliæ autem emergunt inter accusationem & judicialem denuntiationem, ut prænotavimus, differentiæ. Denuntiatio namque judicialis licet regulariter fraternam correctionem & Evangelicam monitionem prærequirat, non sic accusatio. Regulariter dixi, quia in denuntiandis criminibus publicis, sive perniciosis, aut exceptuatis minime monitio prærequiritur, ut tenent communiter ex alibi dictis, cum D. Th. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7. Doctores conglomerati per Peyrin. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 16. *per tot.* Raggium *Cent.* 1. *dub.* 48. *concl.* 1. *&* 2. Reinffestuel de accus. §. 2. *a n.* 98. licet hic nimium excedat in proposito, ut infra. Quod vero differentia allata regulariter interveniat inter denuntiationem judicialem, & accusationem legitur expressum *in Cap. Qualiter il* 2. *de accus.* §. *ad corripiendat & in Cap. Licet Heli de Simon.* addita Gloss. Et cum D. Th. quodl. 1. art. 16. docet Rodericus *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 5. *&* 6. Expresse item habetur in praxi criminali Ordinis Min. *tit. de denunt.* ibi: *In judiciali autem denuntiatione, si delicta sint publica, & exceptuata, correctio charitativa non est necessaria.* Cum etenim exceptio firmet generaliter contrariam regulam, juxta pluries repetita, non potest negari necessaria correctio hujusmodi in denuntiatione quamvis judiciali, quoties delicta minime sint publica & exceptuata: *licet in privatis etiam delictis & minime exceptuatis, neque correctio sit præmittenda sistendo in denuntiatione judiciali quando emendationis spes nulla effulgeat*, ut ad verbum in eodem textu. Pater autem de Ameno sustinet, quod verba textus in casu, quantum ad præmittendam correctionem charitativam & fraternam in denuntiatione judiciali sint de consilio, nullatenus de præcepto, sive de substantia, ita ut, si correctio omittatur, non proinde vitiaretur processus in denuntiatione fundatus, quamquam peccaret contra charitatem & forsasse aliquando contra justitiam denuntiator. *Ita tit. IX.* §. 2. *n.* 9. quod absolute repetit inferius *n.* 14. *in fine*: nempe charitativam monitionem esse tantum de consilio; *proinde omitti semper posse in denuntiatione judiciali, absque eo quod vitietur processus.* Scilicet per viam denuntiationis institutus. Sed idem liberrimo calamo & acriori nisu propugnat P. Anacletus Reinffestuel, generaliter asserens absque ulla exceptione, nullatenus fore necessariam correctionem præviam, aut Evangelicam monitionem in denuntiatione judiciali, non tantum, ut hæc valide sed etiam & licite fiat, & non solum criminum exceptuatorum sed quorumcumque, etsi soli committenti sint nociva, ac etiam occultorum dummodo probari possint: puta per alios duos, vel tres quibus solis essent nota, eum alioquin non possent supponi occulta in jure & sibi contradiceret Auctor. Ita tit. de accus. &c. §. 2. per totam quæstionem sextam a n. 94. ad 10.

§. 1. Porro huic sententiæ, quamvis eam in sua probabilitate placeat relinquere, ut alibi tactum est, quantum ad id signanter, quod charitativa monitio in casu sit prorsus de consilio & nullo modo præcepta &c. nequeo non opponere prius antiqua, quæ jam allegavimus jura sane diversa ab allatis per ipsummet doctissimum alioquin Patrem Reinffestuel ibi. *n.* 10., In Cap. namque citato *Qualiter* 24. *de accusat.* aperte legitur ut infra; quod loqueu-

quendo de excessibus non notoriis. *Si procedatur per accusationem, debet praecedere legitima inscriptio; si per denuntiationem*, CHARITATIVA ADMONITIO, *si per inquisitionem clamorosa insinuatio*. Ex quo perspicue relevant ad propositum duo. Unum, quod fiat sermo de denuntiatione judiciali, per quam scilicet, *procedatur pariformiter, ac proceditur*, sive processus instituitur per illas duas vias, videlicet accusationis & juridicae inquisitionis: cum aliter habita sola denuntiatione Evangelica, nequaquam valeat Judex per viam denuntiationis procedere, nimirum processum construere, licet quandoque possit inde occasionem sumere procedendi quidem, sed per viam inquisitionis, ut omnes fatentur; aliud item ex texto relevat, quod charitativa monitio debeat de facto denuntiationem judicialem praecedere sicuti legitima inscriptio processum institutum per accusationem & clamorosa insinuatio praecedit inquisitionem. Si ergo tum inscriptio tum clamorosa insinuatio, quoad alias duas vias, sunt non de consilio dumtaxat sed de praecepto, taliter ut, esto per negligentiam omittentur aut aperte non exprimantur, necessario tamen subintelliguntur praeceptae & supponuntur, tum ad obligandum Actorem in via accusationis, tum ad sustinendum accusatorem aliquo modo fictum saltem in via inquisitionis, videtur non posse negari pariformiter necessitas correctionis, sive monitionis praeviae, tamquam de praecepto in procedendo regulariter per viam judicialis denuntiationis, tanto minus sustineri posse, quod omissa universaliter & absolute hujusmodi correctione, & Evangelica correctione valeat Judex procedere licite. Id pariter clare & expresse legitur in *Cap.* allegato *Licet Heli* 31. *de Simon*. Nimirum: quod relictis notoriis excessibus in aliis tripliciter potest procedi: primo per accusationem ubi *debet praecedere legitima inscriptio*, secundo per denuntiationem, *quam debet praecedere charitativa correctio*. Tertio per inquisitionem, *quam praecedere similiter debet clamorosa insinuatio per publicam infamiam &c.* ut ibi. Ex quo item evidenter deducitur non esse denuntiationem inventam de jure novo; ita quod Canones antiqui non agnoverint aut dictaverint nisi duos procedendi modos, scilicet per viam accusationis, & per viam inquisitionis, ut vult P. de Ameno *tit. cit. IX. qu.* 1. *n.* 24. & approbat P. dictus Reinffestuel loc. cit. *n.* 101. hoc enim constat ab iisdem asseri voluntarie & contra apertam literam ipsius antiqui juris.

§. II. Opponitur item contra sententiam Patris Reinffestuel pro Minoritis signanter clarus repetitus textus practicae criminalis, quam ipse tanti facit, pluries super obligationem illam observandi premens, & inferius literaliter replicatur. Dissuetudo autem, super qua fundatur laudatus Auctor in casu, scilicet praemittendi charitativam monitionem; objicerent assertores sententiae oppositae quod foret potius abusus pessimus destructivus fraternae charitatis, & ordinis in corrigendo per Evangelium ipsum injuncti, apud Religiones praesertim, quarum alumni iuri super propriam famam ut praemissum fuit nequaquam abrenuntiasse protestantur. Ea, quae asserit deinde n. 105. Judicialem nempe denuntiationem non solum validam, sed licitam esse nullatenus adhibita prius correctione fraterna aut Evangelica monitione, etiam de criminibus jam emendatis, ac nonnisi delinquenti nocivis, & quantumvis occultis, dummodo probari queant per illos duos videlicet aut tres quibus nota sint, ultra quamquod contraria sint expositis juribus, addito *Cap. Inquisitiones; de accusat. & Cap. Qualiter il* 1. cum Gloss. *eod. tit.* manifeste adversantur item Doctoribus fere omnibus concordantibus posse correctionem omitti dumtaxat in casu delictorum publicorum perniciosorum & delinquentium pertinacium quibus correctio praevia nil juverit aliis vicibus & nil certo probabiliter scitur fore ut juvet si replicetur, ut legere quis potest apud Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 1. & 2. Peyr. de subd. *qu.* 1. *cap.* 16. ℣. *Dico tertio* & seq. & §. 2. per tot. nec non §. 3. ℣. *Dico sexto* Raggium *cent.* 1. *dub.* 48. *per tot.* & *dub.* 51. *concl.* 3. qui innumeros alios pro se citat. Prout de Religiosis Minoritici Ordinis loquendo clamat aperte in contrarium praxis eorum criminalis mox allegata, quam iterum litteraliter adducimus titulo *Denunciatio* ibi. *In judiciali autem denuntiatione si delicta sint publica & exceptuata correctio charitativa non est necessaria &c.* Et postquam delicta publica & privata declaraverit continuat ibi: *In privatis item delictis* LICET REGULARITER CHARITATEM CORRECTIO PRAECEDERE DEBEAT; *tamen quando emendationis spes non effulget nec tunc erit praemittenda*. Et consentit Pater de Ameno exponens textum; quamvis arbitrarie interpretetur id esse tantum de consilio. Caeterum in jure novum erit quod de consilio dumtaxat insinuetur quicquid veluti necessarium prae-

ci-

cipitur per verbum *debet*. Sicuti rationi non videtur adeo consonum quod licite fiat ut contendit laudatus Reinffestuel id quod aperte militat contra canones & clarissimas municipales leges. Ex altera parte ad relevandam integre differentiam ex hoc capite inter denuntiationem judicialem & accusationem quod nullatenus hanc videlicet accusationem praecedere debeat charitativa sive Evangelica monitio conveniunt Doctores cumulati apud Peyrinum *qu. 1. de subd.cap. 16. §. 11. ℣. Dico tertio*. Quamvis inter Religiosos non ita criminaliter & rigorose procedendum caveat Rodericus *tom.2. qu. 8. art. 7.*

69 Ex praemissis item alia differentia relevat inter accusatorem & denuntiatorem juridicum sive judicialiter denuntiantem quod primus se obligat ad probandum delictum & ad poenam talionis subeundam si non probet, signanter apud Regulares ut n. superius 65. & praesertim Pater de Ameno pract. crim. *tit.8. §.3. n.18.* Denuntiator autem non sic sed delata qualitate criminis circumstantiis & assignatis testibus ad nil se obliget sternendo tantum viam ad processum & relinquendo vim probationis Judici soli examinandam juxta explicata n. supra 67. §. 11. & laudatum de Ameno *tit. 8. n. 53.* cum addita conditione quod in casu positivae instantiae pro poena delinquenti inferenda, denuntiator in Accusatorem se transferret nec amplius facultate se non subscribendi gaudere quiret ut n. supra 66. circa fin. & egregie docet Rodericus *tom. 2. q. 6. art. 9.* & clare habetur pro Minuritis in crim. cit. praxi tit. *Denuntiatio ℣. Si facta denum*. Unde diximus quod stando in terminis denuntiationis non teneatur Iudex processum construere statim sed possit differre & circumstantias prius examinare *n. supra 66.* circa med. Secus autem in accusatione qua recepta non potest Iudex non formare processum & causam non prosequi ex datis initio sectionis n. 64. Super quod pro majori explicatione venit adendum quod licet quandoque etiam accusationes possit reiicere Iudex supposito non sint legitimae signanter si deficiant qualitates in accusatore requisitae quae legi possunt apud Auctores Reinffestuel *tit. de accus. &c. §. 1. n. 15. ad 32.* & alios cui consonat pract. criminalis in Religione Minor. *tit. Accusatio ℣. Accusationes &c.* tamen hoc efficere absolute nequit quoties accusator revera legitimus compareat ut in add. tit. & supra n. cit. 64. Immo adhuc, deficiente in accusatore aliqua conditione necessaria, consulto suggerit P. de Ameno nihilominus instituendum processum per viam inquisitionis, ne detur ansa accusandi ex una parte personis vilibus & incapacibus; sed ne pereat justitia ex alia parte quoties praesertim de criminibus & criminosis vigeret mala fama *tit. 8. §. 6. n. 36.* & amplius *qu. 3. n. 58. per tot.* Non sic autem observandum fore repetimus in denuntiatione licet judiciali si sit de delictis privatis praecipue & nulli pernitiosis: potest siquidem Iudex receptae denuntiationi etiam a persona qualificata non attendere propter motiva sibi bene visa puta, si delictum foret jam emendatum & scandalum pejus sequeretur ex remedio juridico quam ex ipso malo paternaliter tantum alias correcto, cum Roderico *tom. 2. qu. 6. art. 8.* Lezana qui citat Sotum & Suarez *tom. 1. cap. 27. n. 21.*

70 Ad praefatorum uberiorem declarationem additur quaesitum II. utrum teneantur quandoque Regulares adhibere contra delinquentes Religiosos accusationem aut denuntiationem judicialem & ad utramque possint obligari a Superioribus? Ad cujus quaesiti primam partem est obvia statim responsio affirmativa in abstracto, nempe teneri in conscientia Religiosos ad accusandos aut judicialiter denuntiandos delinquentes ejusdem Ordinis quoties alia via non pateat ad eorum consequendam emendationem. Ratio est quia bonum proximi procurandum est omni modo quo est possibile si loquamur praecipue de iis qui in communitate veluti fratres convivunt sub aliquo capite & speciali regula; inter quos viget per consequens ligamen peculiare reciprocae dilectionis spiritualis & charitatis ut conveniunt DD. cum D. Th. *2. 2. qu. 68. art. 1.* Cum itaque alia via non possit obtineri ut supponitur bonum Religiosi & inde Religionis quae per relaxatos sive non correctos criminosos quomodocumque alumnos labefactatur & corruit, nisi per viam accusationis vel denuntiationis judicialis, patet quod haec a Confratribus sive Religiosis ejusdem Ordinis adhibenda sit ex *Can. Quapropter 47. caus. 2. qu. 7. & ibi* Gloss. *℣. deferre*. Et quantum ad accusationem probat P. de Ameno, propter bonum publicum resultans ex punitione delictorum quorumcumque etiam privatorum *tit. ubi* supra *VIII. n. 53.* Quantum autem ad denuntiationem judicialem in terminis datae responsionis tenent DD. passim Navarr. in prax. Cap. *inter Verb. concl. 6. n.* 380. & in man. *Cap. 17. n.* 134. Angel. V. *denuntiatio n.* 13. Ro-

13. Rodriguez cit. *qu.* 6. *art.* 2. Grail. 1. *part. dec. lib.* 2. *Cap.* 69. *n.* 15. Reginald. in prax. *lib.* 24. *n.* 50. Sayr. in clau. Reg. *lib.* 12. *Cap.* 1. *n.* 7. Anacletus præcipue Reinffestuel. *de accus. n.* 106. seq. cum juribus inibi & Doctoribus aliis a se citatis successive signanter *n.* 115. *&* 116. ubi quamvis obligationem hujusmodi nimium extendere videatur, tamen per totam quæstionem octavam *a n.* 118. *ad* 124. se explicando satis moderari deprehenditur.

71 Magis arridet nihilominus in praxi sententia altera negans obligationem generaliter in Religiosis accusandi & denuntiandi juridice, eo quia rarissime verificetur pro ipsis suppositum antedictum, nimirum quod alia via non suppetat emendationis delictorum & delinquentium; *si loquamur de accusatione rigorosa & voluntaria legali denuntiatione.* Rarò admodum contingit namque quod emendatio nequeat obtineri in delinquente per correctionem fraternam quæ si præmissa consequatur ipsum finem eundem intentum quin intenderetur per denuntiationem dictam judicialem, hanc concedunt omnes superfluam in delictis signanter occultis soli committenti nocivis, utpote sine causa infamaretur proximus in casu *Can. si peccaverit* 19. *cens.* 2. *qu.* 1. apud ipsummet Reinffestuel tit. cit. *de accus. n.* 62. *&* 118. Rarius item evenit quod desit emendationis spes si denuntiatio adhibeatur pure evangelica, qua spe non deficiente obligatio accusandi & judicialiter denuntiandi pariter ruit; subvenitur enim tunc & saluti spirituali proximi & observantiæ Religionis in communi per transgressiones delinquentium periclitanti medio suaviori medela, nempe denuntiatione ipsa Evangelica quæ correctionem emendationemque intendit & ut in plurimum obtinet absque strepitu & perturbatione per processus excitata juridicos ex D. Th. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 6. Sylvest. V. *Correctio* Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 5. *in fin.* & de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *qu.* 4 *per tot.* Hoc item esto delicta sint publica perniciosa videlicet Communitati & tertio innocenti; itaut cesset obligatio deportandi ipsa judici per accusationem & denuntiationem juridicam, quoties satisfactio parti aut remedium scandalis possit æque bene præberi per denuntiationem Evangelicam & inde paternam Prælati provisionem suadent Palao de Charit. *tr.* 6. *dec.* 54. *punct.* 13. *n.* 8. & alii plurimi adducti a Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. *seq.* Raggio *cent.* 1. *dub.* 51. *concl.* 3. Quod si delicta sint occulta cessat item obligatio accusandi & juridice denuntiandi quando in casu accusans & juridice denuntians non valeat ea probare per ipsosmet duos vel tres suppositos testes in occultis forte ad judicialiter deponendum renitentes, juxta dicta alibi. Ad textum Cap. *Plerumque* 2. *qu.* 7. *&* *Can. Erubescant* 15. *dist.* 32. Angel. V. *Excommunicatio* 3. Navarr. *Cap. Inter verba concl.* 6. *&* *lib.* 3. *de rest. cap.* 2. *n.* 358. Suarez de Charit. *disput.* 8. *sect.* 6. *n.* 6. *in fin.* colligiturque ex Sanctoro Consilt. *Cap.* 10. *stat.* 4. Reinffestuel ipso consentiente loc. cit. §. 2. *n.* 89. *seq.* ac *n.* 107. Nec non sufficiens in casu daretur occasio Judici sive sufficienter excitaretur ad juridice procedendum per denuntiationem dictam Evangelicam, quatenus alias notitias exquirere is posset ad probandam necessariam infamiam ac incipiendum processum per viam inquisitionis aut aliter providendum Angles 2. *part. qu. de correct. frat. art.* 1. *deffin.* 6. Solon. 2. 2. *qu.* 68. *art.* 1. *concl.* 2. *part.* 2. & alii cit. per Ragg. *dub.* 51. ℣. *Dixi in conclusione* Reinffestuel *n.* 90. *&c.* Quod pariter asserendum occurrit quatenus delicta exigerent de se vindictam publicam ad aliorum exemplum & ulterius notorie manifesta existerent & famosa; privata etenim denuntiatione Evangelica delictorum & delinquentium hujusmodi a pluribus haberet Prælatus motivum clamorosæ insinuationis vel infamiæ inservientis loco accusationis pro instituendo processu & publice puniendis delictis & delinquentibus ad aliorum exemplum; & ita æque bene haberetur finis a lege intentus absque accusatione & judiciali denuntiatione in casu; juxta doctrinam Suarez *lib.* 5. *de Relig. tr.* 10. *cap.* 12. *n.* 43. Cardin. de Lugo *de justit. disp.* 37. *sect.* 7. *n.* 83. & ut clare id insinuant Patres Ludovicus de Ameno *tit. ix.* §. 1. *n.* 7. nec non Reinffestuel dicto §. 2. *n.* 75. *&* § 6. *n.* 305. *seq.* Ex dicendis item uberius infra.

§. I. Si autem obiiciatur cum P. de Ameno *tit. accusatio n.* 53. & P. Reinffestuel *loc. cit. n.* 114. Prælatum non una vice fore amicitia obstrictum delinquenti, & per denuntiationes Evangelicas non urgeri ad puniendum ipsum sicuti per judicialem & fortius per accusationem, subderemus hoc idem secuturum in suppositione etiam accusationis & judicialis denuntiationis: quoties namque Judex amicus esset & factionarius pro parte delinquentis, quot uti valeret tergiversationibus pro accusatione declinanda saltem infirmanda & denontiatione eludenda judiciali, aut taliter se geren-

gerendi in processu causæ, ut delinquens vel nihil vel minimum pœnæ subire cogeretur? Nihilominus etiam admisso aliquo casu in quo Judex postposita conscientia delinquenti argueretur favorabilis & ad ejus tegendum crimen propensus, utpote factionarius & aperte amicus: non desint tamen inter Regulares etiam zelo ductos, esto hi more Sæcularium ad accusationes & denuntiationes juridicas nolint devenire, aliæ viæ pro adimplenda obligatione si qua sint adstricti, admonendi scilicet extrajudicialiter Superiores altioris Ordinis de criminibus & impunitis criminosis de scandalis apud Sæculum emergentibus ob vecordiam Superioris cujuspiam immediate vel Conventus vel Provinciæ, ita quod ut experientia docet non semel Commissarii extraordinarii super caput & membra expediantur, processus instituantur titulo clamorosæ insinuationis, suspensiones, privationes, remotiones & carceres ordinentur per sententias juris ordine servato: hæc omnia inquam perficiantur absque accusationibus atque juridicis denuntiationibus, quas propterea concluditur fere nequaquam aut in rarissimis casibus esse necessarias subinde per denuntiationes Evangelicas cum debitis circumstantiis exhibitas posse æque bene subditum cuilibet malo propriæque conscientiæ regulariter consulere; remittens judicio Prælati ut juxta exigentiam de jure procederet; in quo tamen casu posset ipse evangelice denuntians interrogari tamquam testis & respondere teneretur, veritatemque fateri in delictis signanter non occultis aut quatenus Communitati vel tertio perniciosis, ut Doctores passim concedunt. Abb. Butr. Anan. Jo: Andræas Felin. Aretin. in Cap. *In omni* de test. Peyrin. de subdit. *qu.* 1. §. 3. *dicto p.* & 20. Mascard. de probat. *conclusio* 7. *n.* 12. De Ameno *tit.* 14. §. 1. *n.* 7. quamvis inibi suggerat cautelas &c.

§. II. Addita est in principali asserto particula si loquamur de accusatione rigorosa, nempe exhibita cum omnibus requisitis in jure & per quæ distinguitur ab accusatione late sumpta, qualis dicitur quæcumque manifestatio criminis vel delinquentis sive ut Judici sive ut Patri sive in inquisitione juridica sive paternali, in quo sane lato sensu aperienda esse necessario crimina Superiori vel generaliter vel criminaliter inquirenti, nisi peculiare obstet impedimentum; immo pluries etiam a subditis prospicientibus bonum commune periclitari, esto non interrogentur & vocentur; merito tenent cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 66. Sotus de tegend. secr. *membr.* 2. *qu.* 5. *concl.* 3. Sylvester. *V. Correctio q.* 5. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 13. *n.* 2. Less. *lib.* 2. *de just. Cap.* 30. *dub.* 2. *n.* 13. & *dubit.* 6. *n.* 43. Palao de Charit. *tr.* 6. *dec.* 3. *punct.* 13. *n.* 10. qui inibi Doctores consiliat. Dictum fuit pariter valere conclusionem de denuntiatione voluntaria; videlicet quod ad ipsam judicialiter adhibendam rarissime, immo fere numquam Religiosus obligetur: nam si sermo sit de denuntiare ex officio deputato, scilicet a Fisco ut delicta & delinquentes denunciet, non est dubium obligari tunc ad denuntiationem judicialem deferendam quoties occurrat casus, in quo potest equidem ultro examinari ut testis a Judice de hinc processum instituente: Arg. *Cap. præterea de test. cog.* Passerin. Tribun. Regul. *qu.* 29. *n.* 6. De Ameno *pract.* crim. *tit. ult. n.* 68. licet hic obtet esse eondem fidei diminutæ; Reinffestuel *tit. sæpe dicto de accusat.* §. 5. *n.* 227. cum communi. Veruntamen advertendum insimul ad propositum nullatenus posse examinari ut testem ex alia parte denuntiatorem voluntarium quatenus judicialem denuntiationem prætendat Mascard. de probat. *concl.* 517. *n.* 12. Passerin. *loc. cit.* de Amen. *tit. IX. n.* 22. & *tit. ult. nu.* 68. & 71. Qui inde optime deducit, quod cum denuntiator ex officio e Claustris exulet ex alibi item notatis, omnes Regulares deferentes judicialiter sint per consequens denuntiatores semper voluntarii, pretereaque in suppositione denuntiationis hujusmodi judicialis nequeant ullo pacto esse simul testes, contra Passerinum cit. *qu.* 28. *n.* 5. Absque eo quod ullatenus relevet replica Patris Reinffestuel, Passerinum & Navarrum propugnantis *d.* §. 5. *n.* 229. Quod Religiosus judicialiter denuntians ex obligatione conscientiæ evadit denuntiator involuntarius & necessarius, hinc etiam pro teste possit inservire; nam ultraquamquod ad denuntiandum judicialiter vix unquam Religiosus obligetur in conscientia ex probatis hoc eodem num., cum propriæ conscientiæ in casu possit æque bene consulere generaliter loquendo per denuntiationem Evangelicam. Esto tamen quandoque ad judicialem teneretur parum in ea suppositione vel nihil hæc differret ab accusatione & ipsamet denuntians ab accusatore, ut P. de Ameno notat n. ubi supra 67. *tit. ult.* Nec potest negare ipsemet Reinffestuel asserens ibi *n.* 228. *Quod qui judicialiter denuntiat agit vices accusatoris*; nemo autem potest esse accusator simul & testis: Arg. *Cap. Forus*

& de Verb. signif. Can. Testes 4. qu. 3. & qu. 4. Quod si hoc non obstante obligatio conscientiæ ad denuntiandum in casu speciali salvaret quod denuntiator alias voluntarius posset esse simul testis in judicio eodem; cum Regularis obligetur etiam in conscientia quandoque ad accusandum ex eodem P. Reinffestuel §. 1. *n.* 33. propter hanc ipsam rationem opporteret concedere posse quem obligatum sic in conscientia ad accusandum esse simul testem in casu; nimis aperte contra Canones allegatos: *præcipue caus. 4. qu. 4.*

72 Remanet solvenda secunda pars propositi quæsiti; utrum videlicet Superior visitans possit ipse obligare subditos ad accusandum & judicialiter denuntiandum in suppositione semper accusationis & denuntiationis rigorose criminalis. Ita quod prudenter & exigente juris Ordine Prælatus id præciperet; & subditi tenerentur in casu obedire. Qua explicatione data Respondetur, non posse Superiorem visitantem præcipere subditis in inquisitione generali, ut delinquentes accusent aut juridice denuntient; nec id expedire. Et sane quantum ad accusationem est sententia communis ex *l.un.C. ut nemo juribus* Quoad vero denuntiationem judicialem est contra Raggium *in centuria prima dubit.* 51. *conclus.* 4. & alios ibi ad ipso citatos, nec non contra P. Philippum de Bictis *qu.* 16. *n.* 9. & 10. Ratio est manifesta, quia in delictis occultis licet Communitati & proximo perniciosis, præsertim si uni vel alteri tantum nota essent, præter quam denuntianti &c. opporteret quod subditus subscriberet pœnæ talionis apud Regulares, quatenus servata forma juris accusaret vel pœnæ extraordinariæ & aliquando ordinariæ se obnoxium redderet juridice denuntiando, quatenus delata non probaret; ut ex P. de Ameno signanter cautum est superius *n.* 67. Quod autem periculo damni, ut in plurimum gravis obligaretur se exponere subditus ipse nemo prudenter censeret: juxta DD. communiter; quantum ad accusationem non tantum sed & judicialem denuntiationem apud Anacletum Reinffestuel sæpe cit. *tit. de accusat. n.* 108. præsertim; quoties de illo uno vel paucis testibus non esset certus quod vellent veritatem deponere vel potius ob motivum aliquod a juridice testificando se retrahere: igitur apparet non posse regulariter prudentem Superiorem examen subeunti subdito huiusmodi obligationem per sui præceptum imponere, nec per consequens teneri subditum parere in eodem casu. Peyrin. *tom.* 1. *de subd. Cap.* 16. *sub dicto* 30. ℣. *Dixi si per testes* Anton. a Spir. S. de regim. Regular. *tract. IV. disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 157. Confirmatur evidentius nam propter punitionem delictorum ad aliorum exemplum vel etiam ad impedienda damna Communitati vel tertio imminentia, quatenus adhuc occulta sint magis & securius iuvat denuntiatio Evangelica: ad quam teneri quempiam scientem in casu nullus ambigit: ex dictis signanter in hoc cap. *sect.* 4. *n.* 69. Siquidem eadem habita, posset & deberet Prælatus in casibus sic urgentibus processum instituere per viam inquisitionis judicialis ex motivo rumoris præcedentis cum indiciis; non facta mentione aliqua Evangelici denuntiatoris ipsumquemet examinare in testem; ut innuimus item n. præcedente 71. §. 1. *in fin.* quod efficere nequiret, quoties ipse denuntiator voluntarius juridice deponeret ex probatis ibi §. *II. circ. med.* Atque ita eodem examinato inde tamquam teste & ad respondendum obstricto; ut in citato n. præcedente §. 1. *in fin.* sibi aperiret Prælatus latiorem viam acquirendi notitias necessarias & testis unus sibi adaugeretur, quem si præciperet ipsi denuntiationem judicialem deperderet; ad tradita etiam per Patrem de Ameno *tit.* 12. *n.* 7. & Patrem Reinffestuel *loc. cit. n.* 229. Ex quo patet iteranda responsio ad rationem Patris Raggii aliorumque per se citatorum: supponit nempe cum suis laudatus Auctor non superesse aliam viam puniendi delicta perniciosa Communitati & adhuc occulta, nisi judicialiter denuntientur; proinde Superiorem cui providere bono communi Religionis incumbit posse in conscientia hoc unicum remedium, nempe denuntiationem judicialem præcipere, ut ibi *n.* 6. in quo supposito laborat pariter P. Philippus de Bictis loc. cit. scilicet aliam non patere viam delicta perniciosa puniendi. Cum itaque alia via, immo facilior & planior aperiatur malo communi providendi ex superius dictis & hic repetitis: non est cur ad præceptum odiosum & difficiliorem reddens probationem sit recurrendum. Per quam doctrinam quoque apparet non necessarium effugium a doctissimo P. Suarez ostensum tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 10. Cap. 12. n. 44. Nimirum quod recusante subdito judicialiter denuntiare in casu, valeret Prælatus juridice procedere creando Fiscalem, qui partes denuntiatoris judicialis assumeret & exinde examinando illum, qui paterne seu Evangelice denuntia-

tia-

tiaverit tamquam testem, alias notitias ex examine ipsiusmet acquirere ad processum terminandum. Patet scilicet; quomodo absque creatione Fiscalis a Religionibus prorsus abiiciendi ut alibi advertimus *dub. 15. sect. 2. n. 39. in fin.* posset inquisitio juridice institui, prius generalis ex sola fama sive clamorosa insinuatione per generalem paternam excitata, & sic ad normam praemissorum dudum in *tom. 1. dub. 2. proem. n. 9. seq.* & mox clarius replicandorum ad sententiam usque deveniri; prout pariter suggerit Paulinus Berti in praxi *tit. 4. Cap. 28. n. 75. ad* 80. & P. Sanctorus omnia fere nunc usque dicta si perpendatur complectens; poen. *Cap. 10. qu. 5. diffic. 1.*

§. Un. Quod profecto praeceptum nec esse necessarium replicamus pro delictis nequaquam occoltis quae punitionem exigunt & vindictam publicam. Valeret enim Praelatus solers è notitiis extrajudicialiter habitis & de Visitatione paterna assumptis tamquam ex fama & clamorosa insinuatione, inquisitionem instituere juridicam, & testes examinare eosdem qui evangelice denuntiassent, & teneerentur veritatem fateri secundum conscientiam in casu, juxta doctrinam Sanctori loc. mox cit. absque eo quod accusationem adhibendam eis praeciperet, a qua solent plerumque se retrahere omnes, utpote inimicitiam naturaliter & legaliter pariente. *Authent. de test. ℣. Si vero dicatur. Cap. meminimus extra de accusat.* Vel judicialem denuntiationem quam declinare solent etiam in re veridica quicumque vexationes inde formidant, praecipue adversus potentiores eorumve factionarios, qui valeant postea de injuria putative allata ulcisci. Propter quod excusat P. de Ameno eos qui formidine adducti denuntiationes absque subscriptione deponere satagunt. *tit. 9. de denuntiat. §. 4. n. 21.* Ex quibus omnibus iterum concluditur, neque necessarium neque opportunum fore, ut Praelatus visitans accusationem sive denuntiationem juridicam subdito visitato praecipiat, qui in casibus probabiliter, formidati damni saltem & non absolute necessariis, nec id exequi teneretur. Contra praefatos quamvis auctores & Patrem Reinffestuel pariter de accus. §. 6. *n.* 308. ubi nullam & ipse sui asserti rationem affert, nisi suppositionem quod alia non aperiatur via delicti puniendi -- Sed nunquid non dictum est, posse subditum quandoque obligari ad accusationem juridicam & ad se subscribendum poenae talionis, inter Regulares, nisi probet? uti supra *n. 66.* prope finem *& 69.* post initium? Equidem hoc dictum fuit [illegible] sed praesuppositive tantum & non absolute; & quodammodo tantum indirecte. Videlicet, quoties ipse subditus foret voluntarius denuntiator, & ulterius pro poena infligenda delinquenti instaret, in quo casu etiam Judex sive Praelatus visitans, nequaquam accusationem absolute & directe praeciperet, sed dumtaxat se retrahendo nollet malitiosam acceptare denuntiationem, nisi a subdolo deferente in apertam accusationem inscriptione addita verteretur: juxta leges & doctrinam solertis Patris de Ameno *tit. 9. n. 17.* quod idem insinuit P. de Bictis *qu. 20. n. 2. & 4.* post Ant. de Spir. S. in direct. Regul. *tr. 4. disp. 3. sect. 6. n. 160.* His omnibus, licet casualiter sicuti de aliis praemissimus declaratis, sed scitu omnino dignis inter Regulares, qui propterea necessarias non dedignabuntur hujusmodi excipere notitias, devenimus ad principale quaesitum breviter resolvendum: nimirum, quando possit & debeat Visitator Regularis inquisitionem juridicam instituere? Prout in titulo hujus quartae sectionis directe proponebatur. Circa quod erit, probando quasi suppositum:

73 Dictum primum, quod possit in genere Visitator Regularis instituere de facto inquisitionem juridicam, ad eamque e pura paternali, juxta opportunitatem transire, quod immo ipsam apprehendere non una vice teneatur. Quod possit, nemo negat, cum sit vere Praelatus & pro eodem habeatur, qui ovium sibi commissarum saluti providendi facultate potitur, & arbitrio omni meliori modo quo prudenter judicet, pollicendo, premiando, minitando, corripiendo, nec non exemplariter poniendo, propter quod super suos subditos jurisdictionem spiritualem & legitimam, etiam quoad forum contentiosum praeseferre non contravertitur. *Cap. Decernimus de judic.* ubi Gloss. *Cap. Cum in Ecclesiis de major. & obed. & Cap. Ea quae de stat. Regul. &c.* Estque sermo de Visitatoribus tum ordinariis, sive sint Generales Religionum, sive Provinciales, sive Conventuum electi Superiores, alias descripti: tum Delegatis ad universitatem causarum, vel a Generali qui est in Religione Princeps, quos omnes posse inquisitiones juridicas instituere, processus formare, ordine juris servato sine dubio repetendum est cum Panormit. *in Cap. Si quis contra Clericum de for. compet. n. 50.* Suarez de Relig. *tom. 4. lib. 2. Cap. 1. n. 6.* Azor. *part. 2. lib. 3. Cap. 22. qu. 2.* Barb. de potest. Episc. *part. 2. al-*

leg. 36. *n.* 42. Sanct. *de pœn. Cap.* 2. *Concl.* 3. de Ameno pluries, cœterisque recentioribus -- Deinde quod non solum possit Visitator Regularis inquisitionem juridicam instituere, sed quandoque debeat colligitur evidenter ex inconcusso principio; quod Prælatus teneatur omnino in conscientia punire exemplariter delicta maxime scandalosa, quoties nulla alia media suppetant a Religione & subditis avertendi, nisi per legitimam punitionem, & debitam inflictionem pœnarum. Per *D. Th.* 2. 2. *qu.* 67. *art.* 4. & prout luculenter ostendunt, allegatis juribus & Doctoribus Peyrin. de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 3. §. 15. *n.* 137. *seq.* Raggius *cent.* 1. *dub.* 63. *Concl.* 3. Ant. a Spir. S. *tr.* 4. *disp.* 1. *sect.* 6. *num.* 156. nec est qui dissentiat. Quoties ergo necessaria hujusmodi punitio, atque inflictio pœnarum delictis & delinquentibus recte nequeat effectum sortiri, nisi præhabita inquisitione juridica & formatione processus, constat sane, quod teneatur sic procedere, & inquisitionem judicialem arripere Prælatus respectivus ordinis ex officio & sub mortali. Ad tradita diserte per Paulinum de Bertis *tit. viii. Cap. V. ad xii.* Patrem de Ameno tit. Inquisitio *qu.* 2. *n.* 57. Reinffestuel de accusat. *n.* 305. *& seq.*

74 Dicitur secundo. Quod nequeat Superior instituere Visitationem sive inquisitionem juridicam quoties sibi placet & absque aliquo rumore saltem præcedente: nec ullatenus debeat quando majus malum inde prævidet certo eventurum. Prima pars est contra Patrem de Ameno tit. *Inquisitio*, in pract. crim. *qu.* 4. *n.* 64. quamvis deinde *n.* 65. ℣. *Passim*: sententiam moderetur. Eaque ratione potissima probatur, quia, licet Regularibus privilegium insit summarie procedendi, & de plano, omissis apicibus, solemnitatibus, & rimulis juris: Arg. *Cap. Qualiter & quando* 24. §. *fin. de accus. & Cap. olim* 26. *eod. tit.* Nec non ex Constit. Bonifacii VIII. *Ad argumentum la quarta tom.* 1. *Bullar.* pro Dominicanis, & ex Clementina *Sepe contingit de Verb. sign.* pro Minoritis. Nihilominus ad essentialia juris eosdem Regulares teneri est indubitatum, nec ea quæ sunt de substantia processus summarii omittere quire, sive ea quæ ad juste judicandum faciant & naturaliter requiruntur, ut subdit Papa in eadem Clement. *Sæpe contingit de Verb. sign.* ℣. *non sit tamen*; omnibus concordantibus. Substantiale autem juris est inter alia principalissimum, quod idem non possit esse simul Actor sive accusator & Judex in eadem causa; nullus proinde processus institui valeat, nisi præter Judicem adsit etiam accusator, aut verus aut fictus: videlicet, nequeat incipi quacumque tandem via procedatur in criminali causa sine prævia legitima accusatione, vel denuntiatione judiciali vel infamia, aut inditiis, sive rumore, clamore &c. vices accusatoris agentibus, vel motivum inquirendi ex officio præbentibus. Paulin. Berti in *prax. tit. V. Cap.* 3. *n.* 5. 6. *&* 7. *& tit. VI. Cap.* 6. *n.* 7. nec non *Cap.* 7. *n.* 2. Sanct. de pœn. *Cap.* 1. *qu.* 2. *& Cap.* 29. *qu.* 6. Neque hanc conditionem veluti naturaliter necessariam audet negare P. de Ameno ad textum pract. crim. *tit. VII.* §. 3. ℣. *Essentialia juris n.* 9. atque clare admittit Anacletus Reinffestuel tit. sæpius dicto de accus. §. 7. *n.* 320. Et præter auctores Regulares, quos primario nos adhibemus, quia de inquisitione & juridico processu agitato intra claustra, concordant Criminalistæ famosi Pellegrin. in prax. crim. *part.* 4. *sect.* 2. *n.* 4. & Rayn. *tom.* 3. *ad Cap.* 32. *supplet.* 7. *n.* 210. juxta textum *in l. Ea quidem C. de accusat.* cum reliquis. -- At, si Prælatus Regularis pro sui arbitrio solo valeret instituere Visitationem juridicam, & criminaliter procedere contra familiam alicujus Conventus & Religiosos inibi degentes, patet quod absque distincto Actore aut gerente vices illius aliquo pacto id tentaret peragere, & sic ipsemet ad libitum suum fieret Actor & Judex. Igitur est evidens secundum jura, quod judicialem tesseram adstruere non possit sic, absque aliquo impellente motivo, quod accusationis faciem sive accusatoris speciem induat, nisi velimus terminos & ordinem juris immutare. Ultraquamquod modus procedendi contra sontes debet esse rationabilis non enim potest per æstrum mentis Prælatus quis processus efformare contra quoslibet, nisi ratione reguletur. Rationabile autem non est, nec potest dici rationabiliter fieri quod adversatur legibus naturali signanter & Divinæ, *Cap. Ea quæ de sent. & re jud.* ubi Abb. Gloss. *in Cap. Si quando V. Rationabiliter de rescrip. & in Cap. fin. V. Rationabilis de consuet* Exigentibus sic proinde legibus, naturali principaliter & Divina, ne infamia aut injuria irrogetur familiæ cujuslibet Conventus, tamquam delicta foveat, instituendo processum contra illam absque motivo & fundamento indiciis rumore saltem & fama præcedentibus, patet per consequens quod si aliquod istorum non præexi-

præexiftat ad judicium excitandum, proceffus minime aut judicialis inquifitio valeat efformati; cum alioquin tefte Paulino Berti *tit. 6. cap. 6. n. 7. Latrocinium potius appellari poffet quam judicium*. Nec juvat replica quod inquifitio in cafu foret generalis non fpecialis de aliquo uno certo aut incerto delinquente; nam ultraquamquod tota familia Conventus confideretur indiftincte per modum unius etiam in generali inquifitione ut tali, fi criminaliter inftituatur aliqua notitia feu rumor aliquis de delicto aut delictis fi non de delinquente neceffe eft quod femper præcedat, per Clar. *in §. fin. qu. 5. n. 5. & qu. 6. n. 1. ℣. Sed certe* & Rainald. loc. cit. *n.* 208. Quod fi inftet Pater de Ameno Vifitationem five Inquifitionem juridicam magis conducere ad Obfervantiæ Regularis profectum & criminum extirpationem, utpote terreantur magis difcoli & foliti delinqnere ob apprehenfum modum procedendi contra fe judicialem ex abrupto: ut prædicta *qu. 4. tit. Inquifitio*. Subderemus terrorem quidem incutiendum difcolis & ipfos non relinquendos fore impunitos; fed modo rationabili uti fupra, videlicet ad præfcriptum legum quoties debeat juridice contra ipfos pro infligenda legali pœna procedi. Si tandem addat atque advertat Superiorem noffe in cafu fubditos incorrectos protervofque ac in malo obfirmatos, quibufque paterna correctio nil profecerit non fumus amplius in cafu. Cum hæc notitia five præcedens mala fama fufficiens habeatur motivum initio judicialis inquifitionis five juridicæ Vifitationis exprimendum, quod loco actoris five accufationis fuccedat: juxta praxim criminalem in noftro Minoritico Ordine *tit. Quam formam juris ℣. Effentialia*.

§. I. Secunda pars afferti eft adeo certa ut Auctores omnes adhuc fpecialem oftentantes zelum contra crimina & criminofos, & pro rigore juftitiæ adverfus iniquitatem & inobfervantias conclamantes ad illam concedendam demum declinent, nimirum quod quicumque proceffus criminalis ad normam juris fit omittendus; quotiefcumque malum deterius ex textura judiciali certo probabiliter immineat aut fit eventurum. Hac ratione potiffimum ducti; quia cum punitio & vindicta delictorum habeat pro fine bonum commune Religionis: ex Cap. *Prodeft* 23. *qu.* 5. *& Cap. Res autem ead. Cauf. & qu.* quotiefcumque bonum commune potius per punitionem legalem aut proceffus juridicos ipfam intendentes detrimentum patiatur, & aliud majus bonum ex omiffione judicialis inquifitionis oriatur, planum eft quod finis publicæ utilitatis & majoris publici boni debeat magis urgere in cafu, in quo locum habere dicatur potiffimum Epicheja juxta doctrinam Arago.i. poft D. Th. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 4. *& qu.* 108. *art.* 1. *ad* 5. *in fin.* Berti *tit.* 7. *cap.* 12. *n.* 8. Raggii *centur.* 2. *dub.* 169 *n.* 3. Immo P. de Ameno in pract. crim. *tit.* 3. *qu.* 5. concludit prudentis effe Prælati porrecta etiam fibi formali accufatione a legitime comparente, quando perturbatio notabilis Religionis aut alicujus Conventualis familiæ fit oritura, abftinere a juridico proceffu & exemplificat de delinquente Religiofo qui a potente viro in fæculo fit protectus ex cujus propterea punitione aut remotione a Conventu aut alterius fententia pœnæ jufte ipfimet infligendæ, non poffet evitari potentis indignatio eleemofinarum fubtractio & in neceffariis affiftentia ejus effet defectura; cum medicina ut ait ipfe ibi n.70. non debeat effe morbo deterior: quod idem fuftinet P. Raggius *cent.* 2. *dub.* 113. *concl.* 3. Multo magis igitur poffet & teneretur fuper federe Superior; fi totum hujufmodi malum timeretur aut pejus in cafu quo proceffus inftitueretur per viam inquifitionis ut in præfenti aut inquifitio inftituenda effet juridica ex excitante paterna; nam in cafu procederet is ex officio & fic prudentia liberius poffet uti & æquitate quam fi præcederet legitima urgens accufatio: ex conclufis per Rodericum *tom.* 2. *qu.* 5. *art.* 5. ℣. *Magnopere & qu.* 6. *art.*8. Berti *tit.viii. Cap.* 12. *alioq. &c.*

§. II. Verum nunquid non viget commune adagium. *Fiat jus & pereat Mundus*: & adfunt vulgares regulæ juris 12. *quod in judiciis non eft acceptio perfonarum habenda & 64. Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi*. Equidem refpondeo vigent hujufmodi regulæ feu axiomata, fed non per hoc regula prima & excellentior in judicando deeft præftare cœteris, æquitas, attentis circumftantiis rerum ex l. *Placuit C. de judiciis & l. In omnibus ff. de regul. jur. ac Cap. ex parte* 13. *de off. Jud. deleg.* addita communi doctrina Tufch. *lit. E. concl.* 112. *n.* 13. Barbof. cum innumeris *axiom.* 5. *n.* 1. *&* 5. *&c.* Porro quod in paucis ipfis hujufcemodi cafibus non prorfus fuffocari juftitiam aut parvipendi, fed potius ad opportunius tempus fas effet deferri ut in circumftantiis magis propriis executionem fortiretur, obfervato interim publico delinquente & impedimentis adhibitis, ne in de-

in deterius prolaberetur. Sicuti & tota series facti videlicet delictum pœna undequaque dignum, & ex alia parte necessitas punitionem suspendendi Superiori generali foret notificanda, ad hoc ut ipsemet juxta opportunitates sibi melius visas provideret deinceps, sentiunt & declarant signanter Sayrus in *Clav. Reg. lib.* 12: *Cap.* 15. *n.* 16. Raggius *dubit.* 113. *n.* 5. ac P. de Ameno *qu. cit.* 4. Cœterum censerem ego regulariter loquendo æquitatem inspiciendam esse & prævalere prout non una vice fuit repetitum, quotiescumque per inquisitionem prius peractam paterne & correctionem civilem pœnitentiasque salutares eque bene malis omnibus provideri & remedium quiret afferri, perinde ac si judicialis inquisitio quæ semper secum fert strepitum adhiberetur, & æqualiter finis Visitationis impletus conspiceretur; videlicet virtutis promotio inobservantiæ abusuumque extirpatio, sistendo intra limites fori paternalis ac si in foro procederetur contentioso, prout etiam cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 68. *art.* 1. firmant DD. Rodriguez *tom.* 2. *q.* 5. *art.* 5. ℣. *Et ut hoc melius* Reginald. in praxi *lib.* 24. *n.* 61. Peyr. de Præl. *qu.* 2. *cap.* 3. §. 15. *n.* 141. P. de Ameno in terminis *tit.* 1. *qu.* 4. *per tot.* At replicabit quis; necessitatem vigere in Religionibus puniendi sontes, cum alioquin nimia indulgentia contemptum legum pariat; præcipue si delicta emergant Communitati nociva & scandalosa, tunc etenim non tantum privato bono prospiciendum esset sed principaliter bono Communitatis læso, cui remedium opportunum nequit porrigi nisi juxta leges per publicam punitionem publicitatis delicti restauratricem ex D. pariter Thom. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 7. *in Corp.* & probat fusius Peyrinus de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 3. §. 15. *n.* 137. *ad* 140. concordatque Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. Cap.* 8. Cui profecto replicæ negare nequeo fore deferendum; verumtamen egrederemus e suppositione sive proposito casu, quod remedium evasurum esset malo ipso pejus & quod æque bene omnibus malis prospici posset per Visitationem paternam sicut per juridicum processum instituẽdum. Dantur etenim casus fateor in quibus a Visitatione paterna insufficiente attentis circumstantiis posset immo deberet Prælatus ad juridicam facere transitum propterea opportune sit addendum.

75 Dictum tertium. Potest immo debet Superior Regularis præter Visitationem & inquisitionem generalem paternam judicialem sive juridicam adstruere inito criminali processu quoties in actu paternalis Visitationis accusationes sive denuntiationes judiciales legitime sibi porrigantur & hoc regulariter. Ratio evidens est quæ superius hujus sectionis initio lata fuit, quia accusatione legitima undequaque interposita vel denuntiatione pariter judiciali a legitimo comparente cum assignatione testium habilium in numero sufficienti & punitionem delicti processum & oppositionem exigentis, ad normam legũ adstringitur Prælatus juris vi & præcepto ad processum efformandum, nec est in libertate amplius sua telam judicialem texendi vel non: prout erat denuntiatoribus regulariter vel denuntiatoribus Evangelicis tantum receptis in visitatione paterna; unde negando justitiam obligationi propriæ minime satisfaceret, indeque inquisitionem & processum teneretur incipere servato ordine juris D. cit. Th. 2. 2. *qu.* 54. *art. ult.* Gloss. *in Cap. Excommunicamus in Verb. neglex imus de hæret.* Abb. *in Cap. cum dilectus de accus.* Berti *tit. vi. Cap. n.* 49. & 50. & *tit. vii. Cap.* 6. *n.* 10. Passerin. Tribun. Regul. *quæst.* 9. *art.* 5. *n.* 39. P. de Ameno *tit. viii. quæst.* 3. *per tot.* signanter *n.* 62. & *tit. ix.* §. III. *n.* 16. P. Reinffestuel de accus. *n.* 54. *n.* 125. & *infra* §. XI. *n.* 307. Nec ullatenus obstant asserto huic præmissa superius *num.* 67. §. II. & *num.* 69. Nempe quod denuntiationi judiciali sibi porrectæ posset quandoque Prælatus non attendere, cum nequaquam necessitetur a denuntiatore accusatoris personam non induente & relinquente facultati & arbitrio ejus super denuntiationem si & quatenus acceptatam formam judiciariam adstruere; immo quandoque pariformiter se gerere queat post receptam accusationem videlicet cunctare & a processu desistere: juxta opportunitatem. Non inquam præfata huiusmodi obstant dicto præsenti in quo supponitur Prælatus visitans denuntiationes judiciales bene librasse & ipsas in nullo deficientes perpendisse ita ut, nisi adstringatur a deferente sive denuntiante qui partes accusatoris nolit assumere & pro punitione sive pęna legali insistere; obligetur tamen a propria conscientia dictante pro hic & nunc delictum fore puniendum absolute secundum jura, nec posse declinari ad exemplum aliorum publicam pœnam, sic cum Panormit. in *Cap. Cum dilectus* ubi supra Bost. *tit. de offic. correpr.* aliisque allegatis per Bictum *qu.* 20. *reg.* 5. *n.* 7. Idemque supponitur, quantum ad accusationem quæ a legitimo comparente deferatur nec casum involvit rarissimum de majori malo obventuro pro cer-

certo; quatenus ad tenorem eius juridice procederetur proinde non posse obligationem procedendi in casu nostro evadi a Judice, qui alioquin litem faceret suam. *Ex l. Mancipia C. de serv. fug. & ibi* Baldo, & Saliceto Farin. *qu.* 111. *n.* 535. cum cæteris apud Bict. *qu.* 142. *n.* 20. Ad quem finem apposita fuit huic dicta Clausula *Regulariter loquendo*; omnis enim casus contrarius attentis peculiaribus circumstantiis excederet regulam ordinariam.

76 Dictum quartum. Expedit immo pluries opportet de Visitatione paterna ad judicialem transire, quando Prælatus visitans comperit delicta gravia jam alias paternaliter correcta absque emendatione perdurare aut trangressiones graves contra Regulam & Statuta sensim induci: sive crimina vigere in Communitate scandalosa, quamvis denuntiationes de iis exceperit tantum Evangelicas. Innegabilis sane deprehenditur prima pars: quandoquidem finis adæquatus Visitationis Prælatis impositæ sit absque contradictione ulla cultus & promotio virtutum, vitiorum delictorum præcipue gravium extirpatio ex alibi sæpedictis uniformiter ad Tridentinum *sess.* 24. *Cap. iii.* Quoties ergo in Communitate aliqua, quoad delicta sine emendatione perdurantia & delinquentes in transgressionibus gravibus contumaces correctio paterne adhibita nil profecerit quoad finem unice intentum, quis neget debere ad eundem finem aliud experiri medium; nempe visitationem juridicam superstitem per leges assignatam? Ad hoc ut delicta non remaneant impunita prorsus in contumacibus criminosis, ut ipsi aliique retrahantur imposterum a transgressionibus gravibus formidine pœnæ, cum alioquin omnis Superioritas esset superflua & inaniter ut dicebamus Visitationes per Sacros Canones præciperentur? Pauci inveniuntur Auctores, qui hunc articulum ex proposito tractent sufficienter tamen P. de Ameno *tit. IX.* §. 1. *n.* 7. & *tit. XI. qu.* 2. *per tot.* Nec non P. Reinffestuel loc. cit. *de accus. n.* 75. 305. & 306. Confirmatur idem & simul probatur secunda pars. Quia Superior sive Prælatus respective obligatur in conscientia, quocumque non obstante sui periculo non permittere aut sinere per socordiam ut transgressiones graves sensim inter subditos introducantur & in Communitate radices figant tempore proprii gubernii. Felin. in *Cap. Quanto post*, & ibi Gloss. de Offi. *Jud. Ord. Cap.* 1. & 2. *eod. tit.* Crisp. Bart. & Bal. *in l.* 2. *ff. de nox.* apud Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 34. *art.* 5. ℣. *Omnibus*. Si ergo omnis alia via præcludatur: præterquam Visitatio juridica & formatio processuum ad hoc ut punitis exemplariter ad normam juris transgressoribus, proserpentes evellantur transgressiones & a Communitate languescere incipiente longius arceantur abusus, non est dubium quod hujusmodi adhibere medium unicum teneatur sub gravi, Rodriguez *qu. cit.* 34. *art.* 7. ℣. *Licet tamen*. Less. de just. *lib.* 4. *Cap.* 14. *n.* 41. Peyr. de Præl. *qu.* 2. *Cap.* 3. *n.* 227. ubi plures adducit textus. De criminibus item scandalosis non minus evidenter hoc demonstratur juxta rationem relevatam superius in objecto n 74. §. II. circa fin. Hujusmodi etenim crimina Communitati per se nociva exigunt ut bono non tantum peculiari delinquentis, sed communi læso Religionis prospiciatur; cum igitur perspicuum sit, quod delicto publico Religionem infamanti veluti remedium magis proprium correspondeat publica ejusdem delicti & delinquentis punitio, constat indubitanter teneri in conscientia Prælatum ad idem arripiendum remedium publicam vindictam scilicet & punitionem, quæ processum & juridicam inquisitionem, necessario utique præexigit. Palao *de charit. tr.* 6. *dec.* 3. *punct.* 13. *n.* 10. Passerin. in Tribun. Regul. *qu.* 8. *n.* 7. post Abbat. in *Cap. licet de sermon. n.* 1. Reinffestuel *d.* §. 6. *n.* 309.

77 Probato itaque, quod expediens immo necesse sit non una vice generaliter Visitanti ab inquisitione paterna transitum habere ad juridicam, juvabit hic assignare regulam id exequendi. Et quia diximus accusationes & denuntiationes judiciales in actu paternalis visitationis dari casum quod præsententur Prælato; quatenus hic necessariis circumstantiis fultas reiici non posse judicet; accusationem quidem respective, acceptare non nequibit, excipiet, sed seorsim extra acta Visitationis met paternæ creato prius Actuario sive Notario, adhoc ut post acceptatam accusationem dictam legitime procedat; atque exacta subscriptione ab accusante eo modo quo diximus supra & tradit P. de Ameno *tit. VIII.* §. 3. *per tot.* causam juridice prosequatur vel per se vel per Delegatum, actione tamen diversa ut mox dictum est a generali jam cepta inquisitione, vel tunc temporis si res possit brevi spatio perfici vel reservando cognitionem causæ super ipsa accusatione fundatam seu titulo accusationis inceptam post visitationem peractam, dehinc terminandam ad normam juris, & praxis assignatæ distinctius inter alios per Patrem

trem de Ameno in formulario *sect.* 2. *n.* 21. *&c.* Quatenus autem denuntiatio judicialis vice accusationis in actu paternæ visitationis præsentaretur Prælato eam legitimam & in nullo deficientem judicanti, nequaquam posset denuntiantem ad se subscribendum pœnæ talionis quoties delictum denuntiatum non probaret, obligare, ut multi perperam autumant & ad praxim deducunt; variaretur quippe substantia denuntiationis ut a dicta accusatione distinguitur ex prænotatis n. 69. traditis per Patrem de Ameno *tit. denuntiatio n.* 32. post Decian. *lib.* 3. *Cap.* 2. *n.* 1. *& seq.* nisi ipsemet denuntiator insistendo pro rei prætensi punitione accusatorem se manifestaret juxta pluries repetita. Attamen qualitate denuntiationis inspecta opporteret ut causæ manum daret Prælatus solers: si etenim denuntians viam sterneret planam & tutam, itaquod sufficientes nominaret testes indicia præberet ad delictum probandum pro terminatione causæ, posset æquidem titulo denuntiationis processus incipere creato prius actuario & examinato formiter denuntiatore, non in ratione testis resistente jure, sed ut legaliter manifestaret & cum debitis distinctionibus omnia ad legitimam ipsam denuntiationem spectantia ad normam præfatorum: addita doctrina Clari in praxi §. *fin. qu.* 7. *n.* 2. & Patris de Ameno in formulario *sect.* 2. *adnotat. III. n.* 17. *& seq.* Et inde continuari & terminari vel tunc vel tempore opportuno; ut mox de accusatione dictum est: At in suppositione, quod denuntians licet integer non aperiret viam inquirendi tutam, nec testes, & indicia sufficienter præberet ad causam cognoscendam & terminandam, atque ex alia parte cognitio judicialis foret necessaria de delicto puta enormi & Communitati vel alteri graviter nocivo; fas esset utique Visitatori denuntiationem excipere & scribere, non tamen ut juridicam sed ut Evangelicam, utpote in conditionibus requisitis deficientem, & de hinc processum construere per viam inquisitionis ex officio, super motivum famæ rumoris habiti sive clamorosæ insinuationis, eo vel magis si alios denuntiantes Evangelice super eadem re audivisset. In quo casu principaliorem denuntiatorem licet prius paternæ auditum, posset deinde formiter examinare in testem: juxta præhabita, & doctrinam Patris de Ameno *tit. Denuntiatio* §. 1. *n.* 7. nec non Patris Reinffestuel. *tit. cit. de accus. n.* 226. Teneretur tamen in criminali incepto processu probare ab initio famam, sive infamiam per duos testes, veluti inquirens ex officio, nisi forent delicta exceptuata: ex communiter admissis apud de Ameno *tit.* 9. *n.* 25. Faciente pro Minoritis practica criminali Ordinis. *tit. Inquisitio V. Specialis* ibi accurate P. idem de Ameno §. 7. *a* *n.* 29. *signanter n.* 34. & seq. vel nisi notorietas interveniat quæ nulla valeat tergiversatione cœlari, Clar. in §. fin. §. 2. *n.* 9. Pract. crim. cit. *V. Quinto &c.* Juxta etiam speciem criminis corpus delicti importantis teneretur criminalis Judex illud describere ac probare præcedenter ad testium examen: ex notatis per Bict. *qu.* 12. *n.* 3. & subseq. & per Ursayam instit. crim. *lib.* 1. *tit.* 4. *ad num.* 9. & deinceps usque *ad* 22. Advertunt item Criminalistæ, quod, si ab initio processus accusator vel gerens illius vices non manifestetur, primus examinatus testis locum accusatoris occupet & sic præjudicium generetur Fisco, qui testem hujusce modi pro se deperdit, non enim faceret probationem personam accusantis indutus, quod esse verum, etiamsi processus incipiatur per formulam illam *devenit ad aures*, sustinent iidem Andreol. *controv.* 345. *n.* 1. Cyriac. *controv.* 482. *per tot.* Conciol. *V. accusatio resol.* 10. *n.* 2. & Sot. de offic. Locumt. *Cap.* 17. *n.* 11. Verum in casu nostro de transitu ad judicialem Inquisitionē a generali paterna, praxis servatur diversa a legalibus ita quod nunquam pro accusatore deserviat ullus testis, aut testis pro accusatore adhibeatur ut infra.

79 Opportunitas namque sive necessitas posset relevare Visitationis aut inquisitionis juridicæ ex ipsamet Visitatione paterna prorsus exercita, absque eo quod scilicet ullus compareret in ea accusans formiter, aut judicialiter denuntians delictum puniendum: eo modo quo præmisimus n. 71. & 73. sed plenius n. 76. & tunc non posse nec debere incipi processum, nisi ex motivo rumoris exorti, famæ sive clamorosæ insinuationis repetimus cum Doctoribus signanter Patre de Ameno ad textum pract. crim. *tit. XI. n.* 42. & Reinffestuel *tit. de accusat. n.* 75. Itaut, nulla facta mentione denuntiationum, seu evangelice denuntiantium, vi officii sui Prælatus judicialiter inquirere decerneret, sic exigente bono communi. Addita quoque advertentia, quod, quando delictum signanter vergeret in damnum Communitatis, aut grave tertii; etiamsi denuntiantes evangelice protestarentur, se nolle inquisitionem judicialem:

nec

nec rei pretensi punitionem, sed intendere tantum delicto patrato aut imminenti remedium absque strepitu & paterne adhibendum: non propterea ligarentur, ut dici solet, manus Prælaio, quin ex officio deinde inquisitionem & processum adstrueret ipse judicialem: veluti posset immo deberet quandoque ex cit. n. 73. denuntiatoribus auditis, & tamquam munus proprium ipsi impleverint, pro tunc dimissis; ut laudatus subdit Reinffestuel *tit. cit. de accus. n. 76.* absque eo quod denuntiationem judicialem aut accusationem eisdem juberet, ne vicesgereret quasi Fiscalis ex probatis supra n. 72. -- Prout notandum pariter occurrit, quod, si ii qui evangelice denuntiaverant, in inquisitione juridica deinde contrarium deponerent, non propterea conveniri possent a Judice de mendacio ex hoc quod non substineant quæ prius detulerint: nec possint interrogari: an confirment quæcumque denuntiaverint in paterna? Rueret enim totus processus in casu, cum paterne denuntiata nullam possint facere probationem in judicio, utpote confidenter apud Superiorem tamquam Patrem deposita. De Ameno *tit. xi. qu. 2. n. 58.* Ulteriusque nullus manifeste evaderet processus ipse ex suggestione interrogantis: ad tradita per Farin. *qu. 43. n. 132.* & Ciazz. ad defens. reor. *defens. 9. n. 473. seq.* Ciriac. *contr. 150. n. 91. &c.* Quamvis alias peccaret mortaliter subditus non aperiendo veritatem Superiori absque suggestione & legitime interroganti in casu, fieretque perjurus, super quo ab ipsomet serio extrajudicialiter posset præmoneri, ut habetur in pract. crim. pro Relig. Min. *tit. Testes ỷ. Ante examen* in fin. Ubi P. de Ameno *§. XIV. n. 103. & 104.*

§. 1. Hic autem emergit dubium. An in recensitis casibus in quibus expediret post paternam, vel hac ipsa nondum terminata, incipere inquisitionem judicialem, sive juridicam, hæc ipsa juridica deberet institui generalis vel specialis? Et respondeo: quod, si processus instituendus foret ex motivo accusationis formiter porrectæ vel denuntiationis judicialis a spontaneo comparente, uti supra, posset immo deberet Visitator juxta tenorem accusationis vel denuntiationis judicialiter porrectæ se regulare, ita quod, si de speciali delicto & delinquente accusatio, vel denuntiatio exhiberetur, specialis inquisitio esset utique instituenda vel tunc vel opportuno tempore deinceps, intereaque Visitationem Generalem paternam fas esset explere, quoad alia omnia ad juridicam depositionem non pertinentia. Reinffestuel de accus. §. 2. n. 125. relative ad præcedenter per ipsum tradita n. 105. & 106. Quoties vero ex officio inquisitionem juridicam Visitator vellet adstruere aut teneretur, quamvis, si motiva inquirendi contra peculiare delictum vel delinquentem in individuo ex depositionibus auditis emergerent, nil prohiberet quod titulo famosæ aut clamorosæ insinuationis & aliquando notorietatis, posset processum inquisitionemque specialem instituere sensim terminandam deinceps, ut videtur sonare sensus signanter praxis nostræ criminalis apud Patrem de Ameno *tit. XI. §. IV. n. 25.* juxta explicationem etiam Patris Reinffestuel loc. cit. *n. 187. in fin. & n. 304. seq.* ac interim paternam generalem absolvere, cum protestatione quod contra delinquentem speciali juris ordine servato providebit per specialem quoque processum. Nihilominus tutius; & exactius in hoc supposito, videlicet inquirendi & procedendi ex officio, actum ducerem, inquisitionem generalem juridicam ex motivo notitiarum habitarum in paterna excitante, antequam per integrum paterna ipsa absolveretur, institueret; a generalibus siquidem tunc facilius ad peculiaria, servato juris ordine, descenderet, ut supponit Phylippus de Bictis *qu. 11.* necnon P. de Ameno *tit. XI. n. 53.* ac sentit regulariter esse adimplendum, exceptis casibus peculiaribus, P. Reinffestuel *tit. cit. n. 163. & 187.* Vel saltem inquisitionem mixtam de delicto videlicet in specie vel notorio vel saltem famoso & delinquente in genere, quatenus urgeret necessitas aut opportunitas, de qua habetur textus in praxi nostra criminali. *tit. Inquisitio §. 1.* ubi P. de Ameno *n. 2.* sed distinctius Reinffestuel allegat. *n. 164. & seq.* Et sic relevantibus indiciis, & probationibus contra peculiares delinquentes in eademmet generali vel mixta juridice instituta, absque speciali processu ipsos constituere, atque ad sententiam usque valeret devenire, ut adnotavimus jam *tom. 1. dubit. 2. proem. n. 11. pag. 9.* juxta doctrinam egregiam laudati Patris de Ameno *tit. d. XI. qu. 1. per tot.* Secus autem, non ita scilicet relevante delicto vel delinquente ex depositionibus juratis in inquisitione generali juridica vel mixta, deinde ad specialem descendere equidem opporteret, & causam servato juris ordine quoad substantialia terminare. Absoluta interim in reliquis generali paterna. Ex ipsomet

met Reinffestuel *tit. cit. de accus.* §. 3. *&c.*

§. II. Nec ommittendum, quod, in suppositione instituendæ necessario inquisitionis sive specialis sive mixtæ super notorietate delicti, sufficeret denuntiari delictum a majori parte Communitatis, seu majori parti Communitatis esse notum, etiamsi de eodem nequaquam fieret publicus sermo. Cum multoties de delicto & delinquente publice non attentent obloqui Religiosi sive in Provincia sive in Conventu ob metum factionis præpotentis, cui sit addictus, vel Protectoris validi, cui adhæreat criminosus, licet de eo apud singulos seu omnes fere singillatim notitia vigeat certa: ex animadversis per Patrem de Ameno, quem citat P. Reinffestuel *de accusat. n.* 306. De notoriis item, & de forma procedendi super ipsis late pariter & egregie agit d. de Ameno *pract. crimin. tit.* 3. §. *xi. a numero* 55. *sequ.* Sicût & de modo procedendi ex abrupto non servato rigorose ordine juris tractat Cherubin. de execut. sent. Cap. Bandit. in præfat. n. 23. cum aliis; in quo tamen procedendi modo debet attendi ultra notorietatem atrocitas & sævitia delictorum, ut late explicat Joan. Grand. Bell. *de exul.* Scaglin. *al. leg.* 1. Burg. *de mod. proced. ex abrupt.* &c. Hoc autem pro certo teneatur; quod etiam in notoriis substantialia juris sint servanda, ob defectum quorum emanarunt decreta de nullitate sententiæ respective a S. C. C. puta in Lauden. 4. *Septembris* 1700. *lib.* 50. *decret. fol.* 680. & Sacra Congregatione Episcop. in Nullius *Burgi S. Sepulchr.* 22. *Febr.* 1701. Hæc omnia compendiose satis, ut Superioribus visitantibus principaliter innotescat quomodo se gerant si præcipue inter Visitationes paternas juridicæ accusationes seu denuntiationes immisceantur vel ex illis aliquid judicialiter in contentioso foro peragendum relevet, ac etiam in aliis extra occurrentibus casibus juxta methodum Religiosis aptatam; super quod Auctores Regulares licet, prolixe admodum & confuse scribunt: exceptis Doctoribus in hac signanter materia collaudandis Patre scilicet Ludovico de Ameno in pract. crim. & Anacleto Reinffestuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 1. de accus. pro Religione propria Minoritica quidem primario, sed doctrina usui omnibus aliis applicabili = Hinc reducendo ad visitationem seu inquisitionem generalem quæ antonomastice inter Regulares paterna dicitur, quia in ultimatione ipsius solent Prælati in Religione Minorum præcipue absolutionem celebrem visitatis subditis verbis amplissimis impertiri, non sine ratione apponitur.

SECTIO V.

De absolutione illa celebri & ampla quæ impertitur subditis a Prælato respective in Visitationis termino.

SUMMARIUM.

79 *Religionum diversa praxis in hujus absolutionis usu.*

80 *Quamvis eadem absolutionis nomine appelletur, dicendum est tamen includere etiam dispensationes inibi expressas.*

81 *Hoc idem privilegium tam amplum quod possint adhibere Prælati Regulares in fine Visitationis & aliis functionibus supponitur potius quam probetur; adducuntur tamen documenta & rationes ex quibus id colligatur.*

82 *Quomodo per absolutionem præfatam verificetur remissio peccatorum vel pœnarum peccatis respondentium secundum Divinam ordinationem sive in jure expressarum; & per subsequentes ibi* §. *I.* & *II.*

83 *An absolutiones & dispensationes in casu valerent etiam quoad forum exterius. Impugnatur P. Ant. a Spir. Sancto cum cæteris ab eo citatis. Solvuntur instantiæ additæ* §. *I.* & *II.*

79 SEctio hæc breviter expedietur sed necessario prænotandum; qualiter absolutio hujusmodi quæ impertiri solet apud Regulares aliquos signanter Minores in fine Visitationum paterne & generaliter peractarum, similis immo eadem prorsus sit ac illa, quæ datur a Religionum diversarum Prælatis in quibusdam solemnitatibus seu diebus statutis per annum ad normam privilegiorum quæ possidere autumant; ex relatis per Lezanam *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 30. *ad* 44. & *tom.* 5. ad Mare Magnum Minorum *n.* 112. & *seq.* Minimorum *n.* 28. 99. *seq.* Servitarum *n.* 118. *&c.* Carmelitarum *n.* 326. Eremitarum Sancti Augustini *n.* 123. concurrentibus Anton. a Spiritu Sancto Direct. Regular. *tr.* 2. *disput.* 2. *sect.* 1. *per tot.* Passerin. de elect. Canon. *Cap.* 26. *qu.* 5. *per tot.* & *qu.* 7. *per tot.* cum communi. Attamen hoc ipsum privilegium distinctius occurrit examinandum per dubia hinc exorta pro verificanda eadem absolutione juxta complexum omnium & quorumcumque contentorum in ipsa & significatum verborum inibi expressorum.

80 Pri-

30 Primum itaque emergit dubium. An privilegium recensitum se extendat revera non tantum ad absolvendum a peccatis, & censuris, sed ad dispensandum super irregularitatibus inhabilitationibus infamia &c. quamvis sub nomine absolutionis generaliter per Religiosorum ora divagetur? Et quidem opportet responderе affirmative, cum alioquin repugnaret praxis, & Superiores Religionum irrisionibus se exponerent facultatem exercentes qua minime potirentur. Præter absolutionem etenim a censuris additur in fine Visitationis dispensatio de facto super irregularitatibus inhabilitationibus privationibus &c. & restitutio executioni Ordinum & officiorum abolitio maculæ cujuscumque ob infamiam &c. ut videre est apud P. Lantuscam Theatr. Regul. tit. *Commissarius Visitator n. 4. in fin.* & Patrem de Ameno in formulario *sect. 1. n. 111.* quæ praxis etiam apud Regulares alios viget in Solemnitatibus & diebus ut mox præmisimus statutis infra annum, ut in eorum Constitutionibus legitur & a pluribus ipsorummet edoctus sum. Videndus Peyrinus in formulario *lit. A cap. 5.* At unde revera tam ampla facultas? Ex Constitutionibus plurimis Summorum Pontificum quæ unum totale privilegium integrant: sic respondent Doctores. Facultas siquidem absolvendi a censuris & peccatis habetur perspicue in Bullis quæ Mare magnum vocantur pro singulis fere Ordinibus signanter Mendicantium adductis uti supra per Lezanam *tom. 5.* superflue quoad specifica verba hic referendum, & in aliis Constitutionibus apud Passerinum de elect. *cap. 26. qu. 5.* Facultas item dispensandi super irregularitatibus & inhabilitationibus legitur expressa in præfatis Bullis apud eundem Lezanam *d. tom. 5.* sed præsertim in Constitutione S. Pii V. 142. pro Prædicatoribus & prius in Constitut. ejusd S. Pontificis *la* 129. pro Monachis Cassinensibus per extensum apud cit. Passerinum de elect. *cap. 27. qu. 2. n. 38.* videndum item *cap. 28. qu. 1. n. 11. & qu. 2. n. 28.* Licet hæc omnia compendiosius congerantur per laudatissimum Doctorem Lezanam *tom. 1. in unico cap. 18.* fere per totum signanter usque ad num. 63.

31 Verum enim vero; hujusmodi facultatem seu privilegium amplum ex tot partialibus privilegiis & concessionibus integratum fateor nequaquam inveniri concessum in terminis in quibus de ipso agitur, nempe adhibendum in fine generalis Visitationis præcipue a Prælatis Ordinum Regularium apud quos sit in praxi immo in tota sua amplitudine, nec ostenditur per specifica & authentica documenta quod valeant eodem uti Prælati in diebus solemnioribus aut aliis functionibus assignatis per quoscumque ipsorum ad libitum statutis infra annum; cum potius id ab Auctoribus Regularibus quos perlegi in dicta amplitudine supponatur quam probetur. Ut apud Lezanam *Cap. cit.* 18. *n. 93. tom. 1.* Passerin. *Cap. 16. n. 119.* Lantuscam in Theatr. Regular. V. Commissarius. Nihilominus aliqua adducemus specialiora ad propositum, ex quibus investigamus ultro, an facultas prætensa ut supra ad libitum adhibenda & functionibus peculiaribus applicanda indubitanter colligatur. P. itaque Lantusca in Theatr. Regul. *loc. cit. n. 4.* addit. quod Leo X. Provincialibus Ordinis Minorum de Observantia & Gregorius XIII. Visitatoribus Societatis Jesu concesserit, quod peracta Visitatione possint impertiri Religiosis sibi subditis etiam Monialibus benedictionem & plenariam Indulgentiam ex Hieronymo Rodriguez *re. fol. 77.* V. *Indulgentia n. 7.* Poterat autem citare laudatus Lantusca auctoritatem Emmanuellis ipsius Rodriguez de utroque privilegio tum Leonis X. Fratribus de Observantia, tum Gregorii XIII. Jesuitis concesso tom. 2. *qu. Regul.* testimonium perh bentis *qu. 86. art. 2.* Sed de absolutione a censuris & dispensatione super irregularitatibus &c. de rehabilitationibus &c. Auctores hic non addunt mentionem. Emmanuel ipse Rodriguez *tom. 1. qu. 20. art. 26.* meminit cujusdam privilegii quoad hoc concessi Magistro generali Militiæ de Avis Cistercіensis Ordinis ejusque Successoribus a Julio II. *de anno* 1577. *sexto Cal. Julii* Pontificatus sui *ann.* 4. absolvendi nempe atque dispensandi in amplissima forma, veluti in absolutione apud Lantuscam *occasione Capitulorum generalium*, omnes magnos Priores aliosque subalternos Superiores, Milites fratres ac cæteros Capitulo generali pro tempore intervenientes, & extra occasionem Capituli generalis, qualibet *die majoris Hebdomadæ*: ab omnibus videlicet peccatis excessibus etiam enormibus & censuris ac super omnes irregularitates &c. (exceptis tantum casibus in Cœna Domini) Quam facultatem sustinet Rodericus ibidem posse delegari, sicut non dubitat aliis Regularibus communicari. Aliud privilegium in amplissima pariter forma refert idem diligentissimus Emmanuel Rodriguez in suo Bullario *fol. 817.* concessum Religiosis S. Benedicti Vallisoleti, seu eorum Superiori &

ri & Abbatibus respective absolvendi ab omnibus censuris &c. & dispensandi in omnibus &c. suos subditos singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ, quod privilegium transcribitur a P. Portella dub. Regul. V. *Dispensatio in addit. n. 1. seq.* ibique explicatur communicatumque asseritur aliarum Religionum Prælatis, sed cum eadem limitatione, videlicet pro prima die Lunæ in Quadragesima singulis annis & non ultra, ut ibi advertit opportune oculatus Auctor, n. 7. Quæ sanæ limitatio pro assignatis dumtaxat diebus vel functionibus non potest evitari in Communicatione pariter privilegii antedicti per Patrem Rodriguez relati, vel aliorum quorumcumque; nimirum quod in eadem forma & non ampliori communicentur & participentur in qua originaliter concessa sunt. Porro P. Peyrinus in formulario Prælatorum *lit. A. Cap. V.* formulam amplissimam absolvendi & dispensandi ab omnibus & in omnibus &c. Eandem prorsus & iisdem fere verbis expressam, sicut apud Lantuscam legitur, ipse refert quam adhiberi subdit per Superiores suæ Religionis in diebus solemnioribus intra annum erga subditos respective, asseritque formulam ipsammet in iisdem omnino terminis approbatam fuisse a Summo Pontifice Clemente VIII *de ann.* 1592. *die* 20. *April.* juxta testimonium Hieronymi Rodriguez resol. 3. *n.* 74. De qua approbatione, si revera per documentum authenticum absolutum constet absque conditione ulla temporis & determinatæ functionis, non est dubium, quod per directam concessionem aut communicationem possint ea uti Religionum Superiores omnes & quicumque in opportunitatibus sibi benevisis. Verum cavendum est ne hujusmodi relata approbatio per Summum Pontificem obtenta sit vivæ vocis oraculo & tradita deinde per successionem, in qua suppositione valde dubitandum foret de ejusdem validitate; cum oracula vivæ vocis exceptis paucis in quibus verificantur conditiones præscriptæ, omnia deleta legantur, & gratiæ per eadem collatæ nullum prorsus sortiri effectum perinde ac si nullatenus fuerint concessæ ut advertit Peyrinus item *tom. 2. privil. ad constitut.* 10. Urbani VIII. *n.* 9. nec non Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 32. *in princ.* & 40. *in fin.* & alibi sæpe,

5. Un. Quid ergo concludendum ad propositum? Quod de facto potestas hæc Prælatis Regularibus insit & quod proprios sortiatur effectus: eo quia revera eammet in forma præfata adhibeant & in Visitationis termino & in aliis die bus atque functionibus intra annum; nec præsumi debeant perperam id peragere & sine fundamento; ita quod prorsus vanæ sint & inutiles pronuntiatæ absolutiones & dispensationes. Ita pluries citatus Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 93. cum Ledesma de stat. Religios. in commun. *Cap.*4.& Peyrin. *tom.* 1. *privileg. ad Const.* 1. Jul.II. *Cap.*16. *n.* 42. Attamen quia validum non censetur argumentum ab actu ad potentiam quando ad probandum posse authenticum requiritur documentum, reassumemus ad propositum præfato n. 79. & 80. nimirum, quod constet de Potestate eadem in antedicta forma per documenta authentica plura partialia quidem, sed quæ constant & integrant unum privilegium totale. De potestate utique absolvendi ab omnibus peccatis & censuris reservatis proprios subditos, constat ex Bulla Mare magnum nuncupata pro Carmelitis signanter edita: exceptis tantum *hæreticis relapsis, schismaticis literarum Apostolicarum falsificatoribus & iis qui ad Infideles arma detulerint*; cui Bullæ consonant cæteræ pro aliis Mendicantium Ordinibus editæ Mare Magnum pariter appellatæ, apud Lezanam *tom.* 5. & *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 33. & *seq.* De potestate item dispensandi super omnibus & irregularitatibus, exceptis provenientibus ex homicidio voluntario Bigamia ac mutilatione membrorum, & quoad inhabilitationes &c. in pluribus Bullis vel iisdem quæ Mare-Magnum dicuntur vel aliis ultro etiam illamet extendentes manifesta replicantur documenta apud laudatum Auctorem *tom. d. V. & Cap.* 18. *cit. n.* 40. *seq. tom.* 1. & ut nos uberius tractabimus infra in dubit. de potestate & dispensatione absolutiva Prælati Regularis; absque eo quod præfatæ potestates limitentur ad tempus, aut ad peculiarem functionem. Unde non est dubium, quod in opportunitatibus valeat utramque potestatem adhibere Regularis respective Prælatus & ita cum in Visitationis termino præcipue ad rem nostram subditi in unum genuflexo supplices absolutionem dictam in forma tribui solitam cum omnibus clausulis dispensandi, rehabilitandi &c. expectent & expostulent, eamdemmet impertiendo Prælatus ipse utatur revera & de facto jure suo, alias idem foret gaudere privilegiis & non gaudere ex generaliter animadversis per Anacletum Reinffestuel *tit. de privil.* §. 9. *n.* 31. & *seq.* Atque ulterius absolutio in casu proprios sortiri debeat effectus eo modo, quo pronuntiatur; nisi pe-

peculiare emergat obstaculum, vel in Ordine ad effectum aliquem specialis ratio aut lex resistat: ne diceretur actio sic generaliter exercita omnino inanis atque inutilis vel elusorie & frustratorie adinventa contra communes regulas *l. quoties ff. de reb. dubii.* Card. Tusch. *lit. A. concl.* 135. *num.* 1. *& tom.* 4. *lit. F. concl.* 120. *n.* 4. Mascard. de probat. *concl.* 595. *a princ.* At peculiare de facto obstativum emergere contra aliquam clausulam, & alicui effectui juxta tenorem absolutionis videtur resistere lex sive ratio. Hinc proponitur non inutiliter.

8. Dubium secundum. Quomodo revera licet privilegium amplæ absolutionis admittatur & eam pronuntiando uti jacet Prælati Regulares jure utantur proprio. Quomodo inquam revera per ipsam remittantur peccata: juxta formam apud Lantuscam & de Ameno. ibi. *Demum eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ &c. & ab omnibus peccatis vestris*: cum non sit absolutio Sacramentalis? Dubium hoc refert agitatum suo tempore P. Emmanuel Rodriguez, & super eodem scripsisse tres Doctores Salmanticenses celebres & inter alios universitatis illius antiquiores, resolvendo, quod pro peccatis accipiantur in absolutione præfata reatus post peccata relicti seu pœnæ in hac & altera vita peccatis jam sacramentaliter absolutis, seu per contritionem deletis debitæ & reservatæ, veluti pluries Summus ipse Pontifex in Brevibus indulgentiarum exprimit se impertiri fidelibus remissionem pecatorum intelligendo videlicet de remissione pœnarum, quæ in hac vel futura vita peccatis respondent. Ita loc. supracit. tom. 1. *q.* 20. *art.* 26. §. *secundam dubitationem*. Qua explicatione utpote fundatissima & Magistrali admissa, satis patet quomodo recensita verba absolutionis in casu proprio neque careant effectu. Verum quid dicendum si peccata quibus pœnæ correspondent neque per Sacramentalem absolutionem neque per contritionem sint deleta? Resp. Quod vel loquimur de pœnis debitis peccato cuilibet in hac vel altera vita secundum Divinam ordinationem; & de his certum est remissionem non posse obtineri ab impenitente, videlicet ab eo qui absolutionem eorumdem peccatorum non obtinuit quoad culpam supposita signanter ejusdem culpæ gravitate & in materia necessaria: Atque universaliter ad indulgentias sive remissiones peccatorum consequendas quoad hujusmodi pœnas prærequiri dispositionem sive detestationem eorumdem quoad culpam, ita ut culpa intelligatur sive supponatur absolute remissa & inde pœna æterna in temporalem transmutari indubitatum est inter Doctores.

§. I. Vel sermo est de pœnis in jure expressis, & tunc extenditur dubium ad alias particulas in forma adductæ absolutionis præmissas, nimirum a censuris & pœnis quibuscumque irregularitatum, privationum inhabilitationum, infamiæ &c. sive absolutionem proprie, sive dispensationem exigant; an videlicet pœnæ hujusmodi quæcumque cuilibet crimini delicto aut peccato adnexæ secundum leges & jura, remitti possint per absolutionem generalem & amplam in casu, esto crimina quibus infliguntur nequaquam sint absoluta & deleta? Et in hoc sensu circa quæsitum non parum intricatum cum distinctione multiplici procedendum est. Quod nempe, vel ista crimina quibus pœnæ adnectuntur ignorantur invincibiliter simul cum pœnis quæ ipsis sunt debitæ, & tunc non est dubium remanere a criminibus indirecte absolutum Reum in Confessione Sacramentali per dolorem universalem, qui supponitur ita a censuris invincibiliter ignoratis absolutione non indigere, quia cum non incurrantur absque contumacia, necesse est per consequens ut de iis sit scientia. Sylvester Verb. *Excommunicatio* 7. *n.* 87. aliique communiter. Post ignorantiam autem etiam invincibilem, si peccata reo patefiant, esto opporteret hunc de ipsis confiteri & absolvi, nullatenus censuræ quia non innotescebant quando peccata Reus ipse commisit cadunt sub absolutione, utpote non supponantur in esse. Idemque dicendum de aliis pœnis, quales sunt inhabilitas privatio vocis &c. Videlicet, quod non incurrantur supposita ignorantia invincibili criminis, ad quod sequuntur per leges, & quia ubi non est culpa neque pœna locum habet: juxta jura & Doctores apud Reinffestuel de Symon. §. *xiii. n.* 320. Excepta nullitate beneficii in symonia ex dicendis alias Deo favente. Si autem crimen fuerit culpabiliter commissum & ignorabantur tunc inculpabiliter censuræ aliæque pœnæ, censuras sane non incurreret reus, utpote de iis non verificaretur contumacia, sed cœteris pœnis, irregularitatis, videlicet, privationis, inhabilitatis &c. subjaceret, licet ignoratis, utpote absolute inflictis a jure supposita culpa Reinffestuel cum aliis cit. ibi *n.* 321. *& seq.* Quapropter in hac suppositione per præfatam absolutionem in fine Visitationis, vel in simili-

mil:bus casibus, habituras effectum suum dispensationes super irregularitatibus &c. rehabilitationes de privationibus, aliisque hujusmodi sic ignoranter incursis, ita ut, licet innotescant postea, nova absolutio sive dispensatio nequaquam sit necessaria, sustinent Peyrinus cum Doctoribus per se citatis in formul. dict. *Cap. V. lit. A.* & Lezana *tom.* 1. *Cap. pluries cit.* 18. *n.* 93. Hæc quidem dicta sunt supposita ignorantia invincibili criminis & pœnarum, simul vel pœnarum tantum, sive censuræ sint sive aliæ canonicæ a jure latæ. Quod si ignorantia tum criminis tum pœnarum foret crassa & culpabilis, resolvendum esset perinde ac si pœnæ innotescerent, & sic incurrerentur pœnæ sient nequaquam posset evitari culpa; talis si quidem ignorantia æquiparatur malitiæ ex Lezana *tom.* 1. *Cap.* 10. *n.* 33. aliisque communiter: nisi in lege apponeretur *præsumptio*, videlicet fulminarentur censuræ contra præsumentes, quia ignorantia adhuc crassa salvaret ab ipsis incurrendis, utpote excluderet præsumptionem in casu: juxta communem sententiam, & exceptionem.

§. II. In suppositione itaque, quod censuræ aliæque pœnæ una cum criminibus quibus essent appositæ committenti innotescerent aut indirecte & æquivalenter, stante ignorantia culpabili, aut directe per veram & certam scientiam. Easque propterea absque ullo dubio incurrisset subditus Religiosus, obtineretne earumdem absolutionem & dispensationem in casu? Respondent affirmative Doctores citati, in suppositione tamen quod censuræ & pœnæ forent occultæ. Ita etiam P. Didacus ab Aragonia in Dilucidatione *tract. II. Cap. VI. n.* 10. cum aliis a se allegatis auctoribus. Ratio est, quia illa verba *absolvo vos*, *restituo vos*, *dispenso vobiscum*: pronuntiantur a Superiore absolute & non cum restrictione ad pœnas tantum ignoratas in casu, ideoque proprium apparere colligitur, quod debeant sortiri effectum quoad omnia, ad quæ se extendit potestas Prælati ejusdem, quam clarum est se extendere ad casus etiam certos quatenus sint occulti, ne dicatur minor potestas Prælati Regularis erga subditos proprios quam illam Episcopi in absolutione & dispensatione occultorum erga subditos Sæculares: contra Sancti Pii V. Constitutionem statuentem & declarantem Regularibus respective Superioribus non imparem competere facultatem in casu apud Lezanam *Cap. cit.* 18. *tomi primi n.* 32. & 46. Passerinum Cap. 26. & alios. Et ut pluries occurret repetere in dubitationibus subsequentibus quantum ad potestatem Prælato nostro tum in absolvendo tum in dispensando, ne pariter pronuntiationes easdem in casu veluti inanes prorsus judicarentur, & inutiles. Lezana idem *n.* 93. & de Ameno in citato formulario *sect.* 1. *adnot.* 1. *n.* 4. De peccatis tamen scienter commissis quibus supponatur adhuc innodatus Religiosus subditus eum præfatam absolutionem audit, profecto opporteret quod deinde confiterentur, quia non dimittuntur nisi per Confessionem Sacramentalem, aut veram contritionem cum dicta Sacramentali saltem in voto: sicut nec a reatibus sive pœnis, quæ per divinam ordinationem peccatis reservantur & debentur, non censeretur liber culpis ipsis nequaquam dimissis; quinimmo a culpis nequiret absolvi sacramentaliter ipse reus, nisi obice censurarum ablato ab habente facultatem: juxta communem sensum Doctorum cum *D. Th.* 3. *part. qu.* 28. At quamvis non possint absolvi peccata, nisi prius ablato impedimento censurarum, hæmet quatenus sint occultæ tolli queunt in foro conscientiæ ab habente facultatem extra sacramentum, ut sequeretur in casu quo irretitus iis foret Religiosus gravibus item culpis gravatus; a censuris siquidem remaneret liber per absolutionem dictam, quæ forum respiceret conscientiæ, & non sacramentale, licet non adhuc absolutio contingeret peccatorum. Aliæ vero pœnæ, veluti irregularitatis, inhabilitatis, privationis &c. dimitterentur sane in dictis occasionibus a Prælato facultatem habente, sed dispensatio, & dimissio earum non esset necessaria ante absolutionem peccati, quia sicut extra sacramentale forum possent illæ dimitti & aboleri, ita independenter ab earum abolitione, si adhue vigeant, valerent Rei in sacramentali confessione a criminibus propter quæ illæ incurruntur absolvi sic. Portell. *dub. Regul. tit. dispensare*: in addit. *n.* 11. Sanctor. super Constit. *Cap.* 2. §. 5. ℣. *Tertia quæstio*: & omnes fere Doctores distinguentes ad propositum inter forum conscientiæ sacramentale & contentiosum seu forum fori. Videatur Passerinus *de elect. Canon. Cap.* 26. *n.* 33.

83 Hac opinione si & quatenus admissa & in sua probabilitate relicta, emergit ultro dubium tertium. An videlicet præfatæ absolutiones, & dispensationes sub nomine unius generalis absolutionis comprehensæ valeant etiam pro foro externo & contentioso, itaut sic absolutus & dispensa-

fatus, nequeat pro censuris & poenis aliis incursis, quatenus manifestae evaderent, amplius in dicto foro molestari? Et responderet Antonius a Spiritu Sancto etiam pro foro externo valere, eo quia, asserit ipse, facultatem Praelatorum Regularium esse constet absolutam, & privilegia aliqua specialia ipsis concessa absolvendi & dispensandi in casibus hujusmodi non limitari ad forum internum vel sit sacramentale vel forum conscientiae extra Sacramentum. Ita in Direct. Regul. *tract.* 2. *disp.* 1. *sect.* 1. *n.* 45. *& disp.* 2. *sect.* 1. *n. item* 45. citatque pro se Bordonum, Sanchez, Candidum, atque Lezanam, prout posset etiam citare Patrem Sanctorum, ob ea quae scribit hic Auctor Const. *Cap.* 2. *stat.* 14. §. 5. *qu.* 6. *& Cap.* 26. *Stat.* 8. Nihilominus non disputando modo; utrum Praelati Regularium facultate polleant in genere absolvendi & dispensandi in similibus proprios subditos etiam pro foro externo & contentioso, quantum ad absolutionem in casu occasione Visitationis, vel aliarum functionum & solemnitatum intra annum a Praelato sive Visitatore prolatam, statuendum est, si & quatenus, ipsam pro solo valere foro conscientiae, ita ut, quoties delicta censurae aliaeque poena a jure taxatae examinentur in foro fori seu contentioso, vel deinde contestata lite, videlicet criminoso citato, ad id forum deducantur; absolutio ipsamet in dictis functionibus sive occasionibus obtenta nil prorsus prosit, quin declarari & denuntiari excommunicatus, vel obnoxius praefatis poenis possit sententiari subditus Religiosus; proinde nova absolutione, novaque dispensatione indigeat in ipsomet foro externo. Ratio evidens est, quia supposita publicitate criminum, contra ea proceditur ad aliorum exemplum, debetque causa cognosci in foro fori, & inde proferri sententia: nec non antequam absolutio proferatur quoad censuras signanter, necessaria est satisfactio parti si quae est laesa, satisfactio immo publica quoties fuerit publica item offensa. *Cap. Solet de excom. in* 6. Passerin. *Cap.* 26. *qu.* 7. *n.* 73. de elect. Reinffestuel *de haeret. n.* 329. *& de sent. excom. n.* 258. & 269. Ad propositum autem nullum istorum intervenit; non cognoscitur causa, non auditur pars satisfacienda, nec ad exemplum aliorum praecedit inflictio vel declaratio ulla poenae ante absolutionem; ideoque intra forum internum & conscientiae si jure censenda est, si & quatenus, dicta absolutio; juxta Doctrinam Passerini inter alios *Cap. cit.* 26. *n.* 119.

§. I. Et quamvis non desit opinio sentientium quod absque satisfactione partis cautelata saltem, absolvens a censuris &c. peccet quidem mortaliter, sed absolutio sit valida licet illicita. DD. apud Graff. *decis.* 16. *n.* 6. Passerin. *d. Cap.* 26. *n.* 79. *&* 80. Monacelli *tom.III. in praelud. n.* 77. *&* 82. Attamen non est praesumendum quod Praelati in absolutione generaliter data in praefatis functionibus agant illicite & velint mortaliter peccare, itant ab omni satisfactione reddenda subditos respective criminosos eximere intendant, & ad parendum Ecclesiae vel Superioribus in excessibus publicis per forum caeterius nequeant hi ullatenus obligari; contra fas & communem sensum & jura *Cap. Ex parte* 23. *de verb. sign.* & ibi Panormit. *n.* 2. Cajet. *Verb. Absolutio* 4. Sylvester *V. absolutio* 3. *n.* 3. & ibi Tabien. n. 1. Lezana *tit. item Absolutio n.* 9. Covarr. in *Cap. Alma mater part.* 1. §. 11. *n.* 11. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 33. *n.* 1. Si autem eadem absolutio non posset in casu processum conficiendum & sententiam contra crimina & criminosos respective ferendam impedire, a fortiori praetensum nequaquam sortiri valeret exterius effectum; quoties emanata jam fuisset sententia ipsamet vel diffinitiva vel declaratoria in foro fori sive criminis commissi sive poenarum crimini inflictarum. Cum alioquin facilis aperiretur reis occasio & via evadendi poenas per sententiam impositas aut declaratas inhabilitatis privationis &c. similiter eludendi censuras cum depressione justitiae, si sufficeret adsistere demum absolutioni publice elargitae a Visitante Praelato aut alias publicas functiones exercente: absque eo quod satisfactio impleretur partis laesae vel auctoritatis spretae, reclamantibus communiter Doctoribus. Sayr. decis. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 31. Donat. prax. *part.* 1. *tract.* 4. *de violat. claus. qu.* 34. *n.* 1. *ad* 6. Passer. de elect. can. *cap.* 26. *qu.* 9. *n.* 95. *seq.* Nicol. lucubr. *lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 43. Quibus subscribunt. Monacell. *part. iii. in praelud. n.* 20. Reinffest. ubi supra de haeret. *n.* 3. 49. *&* 350. nec non *de sent. excom. n.* 267.

§. II. Nec obstaret quod absolvens in Visitatione vel aliis functionibus esset Superior generalis vel ejus vices gerens, propterea valeat hic sententias inferiorum abolere, vel sic absolutus & dispensatus nequiret amplius apud tribunalia inferiorum Judicum inde molestari. Valet siquidem objecta ratio quoties juridice procedatur aut nominatim fuerit quis a Superiore altioris Ordinis absolutus & dispensatus; ha-

habita ut possit constare de hujusmodi absolutione & dispensatione in foro fori pro evitandis poenis alioquin latis aut ferendis, quae omnia sive judicialiter sive extrajudicialiter perficiantur, clarum est speciali aut individuali indagine, saltem expressione indigere. Ex animadversis per Passerinum *Cap.* 27. *n.* 85. Unde ad propositum standum esse vix concludemus in sententia probabili communiori mox allata; quod videlicet absolutio generalis cum dispensationibus etiam in fine Visitationis aut aliis anni solemnitatibus distinctisque diebus impertita per Regulares Praelatos alioquin indefinite & absolute hujusmodi facultatem possidentes subditis congregatis in communi, prosit pro foro interno & in occultis eo modo, quo in praecedentibus numeris fuit expositum; nullatenus pro foro externo in criminibus sive poenis ad dictum forum deductis aut publice deducendis; ut firmat Passerinus jam cit. *cap.* 26. *n.* 119. & post Bellosium Lantusca in Theatr. Regul. *V. Absolutio n.* 14. & V. *Commissarius Visitator sub n.* 4. ex traditis item generaliter per Patrem Reinffestuel tit. de *sent. Excom. n.* 288. Quamvis contra assertam quoque absolutionem praecise talem ab occultis ipsimet absolventi nullatenus manifestis, militare queant in casu non aspernendae difficultates: sed de his loco magis proprio in Dubit. XVII. Sect. 3. ubi de potestate Superioris Regularis in absolvendo & dispensando, proprius & distinctior erit sermo. At quia famosam absolutionem Praelatus visitans ultimo concludit elargiendo visitatis subditis plenariam Indulgentiam apud Lantuscam Theat. Regul. *V. Commissarius Visitator sub n.* 4. *in fin.* attentis privilegiis quae ibidem laudatus Auctor allegat & nos memorati sumus hic n. 81. prope init. Advertit prae caeteris distinctius Rupertus Gueber de privil. Religiosor. *pag.* 350. *n.* 41. *&* 42. hujusmodi privilegium fundari in oraculis vivae vocis Leonis nempe X. in favorem Fratrum Minorum & Gregorii XIII. pro Visitatoribus Societatis Jesu, esse oracula vivae vocis sed quae nequaquam annullata censentur per Constitutiones *Gregorii XV.* atque *Urbani VIII.* omnia & praecipue vivae vocis oracula revocantes; eo quia in revocatione hujusmodi non fit de Indulgentiis mentio sicuti necessaria foret, ad hoc ut ipsae cum indultis caeteris oretenus concessis revocatae & abrogatae intelligerentur: propter rationem & quidem evincentem, quia scilicet in confirmationibus communicationibus indultorum, gratiarum &c. per generalia verba non comprehenduntur Indulgentiae nisi specialiter nominentur; igitur eo fortius in odiosis per generales revocationes indultorum, gratiarum &c. vivae vocis oraculo concessarum, non intelliguntur revocatae absque speciali mentione earum Indulgentiae similiter oretenus impertitae: qua quidem ratione cui Doctores magni nominis subscribunt ibi apud Gueber *n. cit.* 41. utitur pariter P. Theodorus a Spiritu Sancto in comendabili opera de Indulgentiis *tom.* 1. *Cap.* XIII. *art.* 4. contra impugnantem Eusebium Amort Regularem Lateranensem contrariae sententiae assertorem de origine &c. Indulgentiarum *qu.* 56. Verum adhuc ista conclusione admissa; quod in revocatione generali omnium gratiarum vivae vocis oraculo concessarum non comprehendantur oretenus concessae Indulgentiae, militet contra Indulgentiam in casu alia non minus urgens oppositio, quare scilicet non intelligatur revocata per celebrem Bullam Pauli V. incipien. *Romanus Pastor* 26. *Maii* 1606. in qua aboletis omnibus prius concessis Indulgentiis, illae specificantur & individuantur quae Regularibus lucrandae relinquuntur, inter quas haec de qua agitur minime adnumerata legitur: fas est proinde meo videri resolutionem suspendere donec dubium valde relevans ab habente auctoritatem resolvatur; absque eo quod satisfaciat responsum datum a laudato Gueber *loc. cit.* quod per Bullam Paulinam revocatae sunt Indulgentiae prius concessae & redactae ad terminos dictae Bullae; sed nequaquam sit sublata facultas si quae impertiebatur Praelatis indulgentias concedendo. Constat siquidem de insubsistentia actus per legem & voluntatem expressam supremi legislatoris, & in casu frustra recurritur ad facultatem Superioris alias dependentis &c. contra Regulas tritas juris in 6. n. 84. & 88. & l. jure 17. ff. de leg. Barbos. & Felin. in Cap. Causam de rescript. Gonzales ad reg. 8. cit. Gloss. 4. num. 56. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *nu.* 11. Ultra quamquod consideranda sunt verba Bullae Paulinae revocantis Indulgentias quibuscumque Ordinibus & Institutis Regularibus & quibuslibet personis Regularibus concessas, ut Indulgentia in casu non posset non dici concessa Ordinibus uti medio Praelato requirunt in iis &c. videatur Portella *V. Indulgentia per tot.* saltem dubium hoc non posse propria concludendum est sententia tandem a Doctoribus resolvi privatis.

SE-

SECTIO VI.

Quænam jurisdictio remaneat Superioribus subalternis adveniente Visitatore?

SUMMARIUM.

84 *Insinuatur prima. Quænam jurisdictio remaneat subalternis respective; ad adventum Visitatoris Apostolici, aut Archiepiscopo, sive Episcopo Visitante.*

85 *Quid dicendum si Generalis ipse personaliter Provincias visitet.*

86 *Quoties Provincialis Conventus & Monasteria visitat remanet Superioribus localibus jurisdictio œconomica & politica; circa quæ signanter & quomodo.*

87 *Advenientibus Commissariis Visitatoribus a Superiore Generali eongruo vel extraordinario tempore Delegatis quænam jurisdictio remaneat subalternis, Provincialibus signanter.*

88 *Apud Minoritas quæ munia valeat exercere Minister Provincialis adveniente licet Commissario Delegata ad visitandam Provinciam. Ubi de Commissariis extraordinariis.*

89 *Explicantur late statuta probibentia Commissario Visitatori respective Provinciarum procedere contra Patres Ordinis & Provinciæ: cum opportuna doctrina* §. *I. II. & III.*

84 JAm terminata est Visitatio generalis paterna post absolutionem in fine datam quæ in præcedente sectione fuit explicata. Nihilominus aliqua accessoria controversia remanet dissolvenda, quæ fortasse initio Visitationis & in ipso Visitatoris ingressu proponi debuerat. Quia nimirum accedente Visitatore generali ad Provinciam, sive ad Conventum adhuc Provincialis Superior perdurat in possessione: sicut & Superior localis, quicumque sit, usque ad novam electionem obtentum gradum minime deperdit; ad tollenda dubia quæ possint insurgere opportune quærendum obvenit quænam jurisdictio præfatis Superioribus subalternis adhuc insit in eodem nondum respective terminato guberuio, sub actuali licet & incepto Visitatoris ipsius regimine? Etenim si Visitator fuerit Apostolicus, alio licet sub nomine Delegati vel Apostolici Commissarii; ut *dub.* 6. proprio loco fuit prænotatum; est incontroversum, quod debeant attendi ejus literæ; cum nil diminuatur de potestate ordinaria aliorum Prælatorum præter id, quod in illismet reperitur expressum *Cap. Ad aures 8. de rescript.* ubi Gloss. *V. Intentionis Cap Super eo 15. de off. Deleg.* Reinffestuel *de Rescript.* §. 5. *n.* 132. & 133. Alias acta Visitatoris excedentis nulla forent. Cap. *Cum delicta 22. de rescript. juncta Gloss.* & cum DD. Reinffestuel *cit. n.* 144. *seq.* Tenetur tamen Ordinarius Visitatori Apostolico in executione sui officii parere & omnia peragere, quæ pro adimplendo eodem officio videantur esse necessaria illo mandante. *Fagnan. in Cap. Cum in jure peritus n.* 18. & 19. *de off. deleg.* & per extensum in patentalibus hujusmodi Visitatorum apud Monacell. *part.* 2. *tit.* 16. *form.* 10. Hinc ut ad alios transeamus; Archiepiscopo, sive Metropolitano Visitante ad normam Concilii *sess.* 24. *Cap.* 3. non læditur Ordinaria potestas Episcopi. *De offic. & potest. Ordin. in* 6. *Cap.* 1. Abbas *in Cap. Pastoralis n.* 8. nisi inquantum ab hoc ad Metropolitam legitime interponatur appellatio *Cap.* 3. *de Appell. & rec. in* 6. *Cap.* 1. *de for. comp. item in* 6. & *Cap. duo simul de offic. & potest. Ordin.* Similiter quando visitat Ordinarius seu quilibet alter ad quem jurisdictio visitandi pertineat, Parochi aliique visitati jurisdictionem etiam competentem minime deperdunt; cum eam immo exercere teneantur quoad Sacramentorum administrationem prædicationē &c. *Clement. Dudum de Sep. Cap. Ecclesias* 13. *q.* 1. ex Tridentino etiam *sess.* 24. *cap.* 7. *de Reform.* Et recentius id generaliter S. C. C. sancivit. nempe quod *Episcopus: sive Visitans vice ejus nequeat interdicere Abbati sive Prælato inferiori sibi subjecto ne suam jurisdictionem ordinariam exerceat tempore Visitationis* In Pacen. juris visitandi de Zafra *in respons. ad* 4. *die* 29. *Januarii* 1729. In Thesaur. resol. impress. Urbini *tom.* 4. *pag.* 259. Neque est dubium propterea quod Visitante Episcopo sive Ordinario Domos Regularium non exemptas guberuium œconomicum & voluntarium penes Superiores visitatæ domus semper remaneat. Arg. *Cap. ad aures de rescript. & cit. Cap. super eo de offic. Deleg. cum gloss.* nec non ex dubiis colligitur appositis ad Decretum sub Inn. X. *ut in parvis* ibi *in respons. ad XI.* apud Monacell. *tom.* 1. *pag.* 313. nec id controvertitur.

85 Hisce legibus ad propositum nostrum uniformare se Regulares debent in Visitationis exercitio, prout conveniunt Auctores item communiter: distinctius tamen quoad ipsos differendo certum est primo, quod si Visitator sit Pater ipse Generalis tempore opportuno vel sibi bene viso Pro-

vinciam quamlibet ingrediens, eo tunc visitandi munus in se transferat idque in aliis quibuscumque inferioribus suspendat, non suspensione quæ sit censura, sed veluti impedimento exorto ne jurisdictionem hujusmodi exerceant; quia sub Syndicatu Provinciales ipsimet cum cœteris Superioribus reperirentur in casu. Lezana *tom. 2. ubi supra cap. 13. n. 28.* Quod tamen intelligendum est pro eo tunc, cum alioquin causæ inceptæ criminales Visitatione P. Generalis expleta possent & debeant reassumi & terminari apud proprium Ordinarium judicem, ne auctoritas hujus diminuatur sine ratione contra jura; vetitum enim censetur omne illud quod sine urgente speciali ratione a jure communi recedit *l. Jus singulare l. Quod vero contra ff. de leg. Cap. Cum dilectus de consanguin. & affin.* Portell. Dub. Regul. V. *Prælatus in addit. n. 7.* Sanctor. legendus *pœn. Cap. 29. qu. 3.* Nisi tamen Generalis causas ipsasmet etiam inceptas ex speciali item motivo ad se avocaret: sic exigente hierarchico ordine & dependentia Prælatorum inferiorum a principaliore etiam in exercitio potestatis ipsorum. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2 cap. 2. n. 22.* Pasqualig. *decis. 57. n. 3.* Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 87.* Sanct. ubi supra ℣. *Dixi sine causa.* An vero Generalis in sui advocans ad se causas prædictas & impediens exercitium jurisdictionis subalternorum sine motivo justo & rationabili illicite tantum ageret aut etiam invalide, arbitrarer pendere a resolutione Tribunalis alicujus supremi ad quod fieret recursus; sed interim avocationem tenere & Superiorem a quo obligari ad parendum propter dependentiam in officio ex Suarez *loc. cit. n. 23.* nisi pariter obstarent municipales sanctiones cujuslibet Religionis respective pro quibus observandis conciliantur sententiæ variæ Doctorum Suarez ubi supra Sanctori Lezanæ *d. n. 87.* & Ant. a Spiritu Sancto in Direct. Regular. *tr. 4. disp. 1. sect. 5. a n. 144.* Cœterum Patre ipso Generali personaliter licet Visitante ordinariam potestatem Provincialibus quoad alia mittendi videlicet subditos ad Ordinationes approbandi Confessarios concedendi literas patentales Concionatoribus & similia de jure eis competentia, nequaquam adimi; tenet Portell. V. *Prælatus in addit. n. 7.* Vitale *de Prælat. n. 22.* cum communi. Salvo si præceptum speciale de his non adimplendis reciperet eo temporis Provincialis Superior respective a Generali allegante id expediens pro bono publico. Portell. *n. cit. 7.* Ant. a Spiritu Sancto *disp. 1. sect. 5. n. 139.* Quod si motivum boni publici vel aliqua alia justa ratio deficeret in hujusmodi Superioris Generalis præcepto irrationabiliter diminuente auctoritatem ordinariam Provincialis in casu; sustinent præceptum non tantum illicitum, sed invalidum & quamcumque inde provisionem nullam: Peyrin. *de subd. qu. 1. cap. 26. §. 2.* Ant. a Spiritu Sancto ubi supra *n. 140. & seq.* Prætereaque addunt obligari Generalem in casu & similibus causam lati præcepti in genere non modo sed in specie talem assignare cum Navarr. *lib. 3. consil. de Reg. cons. 56. n. 2. & alibi.* Ego vero censerem uti supra teneri Superiores subalternos Generali præcipienti obedientiam præstarem utpote dependentes; atque in suppositione quod nollet is motiva & rationes in specie impositi præcepti detegere, posse quidem haberi recursum ad Sacram Congregationem ad hoc ut pateficrent; sed interim executionem præcepti non posse suspendi a pari de Episcopis & mandatis horum explendis in hujusmodi recursuum occasione: nisi aliter statuta exigerent municipalia aut specialia Decreta ex mox adnotatis & pluries in tom. 1.

86 Quoties sermo fit deinde de Visitatione ordinaria quam exercere solent Provinciales annuatim super Conventus & sibi subjecta Monasteria dicendum similiter, quod suspendatur in Superioribus localibus quæcumque potestas sive jurisdictio contentiosa seu punitiva, in qua videlicet interveniant litigia partium & quæ nequit exerceri plerumque sine strepitu & forma judicii in suppositione quod hæc Superioribus ipsis localibus competat, sicut competere in sua & aliis Religionibus probant. Peyr. de Prælat. *Cap. 4. §. 4. n. 72. & 73.* Anton. a Spiritu Sancto *disput. 4. sect. 4. n. 134. seq.* Verum quoad hos quoque locales Superiores quibus in propria respective Religione jurisdictio contentiosa non est adempta repetendum cadit, quod de Provincialibus diximus respectu visitantium Generalium; quod nimirum horum Visitatione peracta valeant illam jurisdictionem dictam continuare in causis inceptis, in quibus nequaquam impediri deinceps possunt ab ipsomet Superiore Provinciali; ut uniformiter ad Concilium Tridentinum quoad Episcopos resolvit cum Portella Anton. a Spir. Sanct. cit. n. 157. Ubi quod nequeat Provincialis etiam extra occasionem visitandi absolute ad se avocare causas pariter jam ceptas coram subalternis sine justo motivo, salvis semper legibus municipalibus

Re-

Religionum n. 159. In reliquis jurisdictionem voluntariam quæ consistit in gubernio œconomico atque politico competentem generaliter Superioribus localibus cujuslibet Religionis magis aut minus juxta Constitutiones ampliantes aut diminuentes eorum facultatem respective, remanere illæsam & posse ab iisdem exerceri etiam præsente Provinciali in actuali visitatione, omnes concedunt, ut advertunt Ant. a Spiritu Sancto *tr. 4. disp. 1. sect. 5. n.* 144. & alii, proinde poterit Superior localis proculdubio in casu aliqua officia manualia Conventus assignare etiam beneficia ad se spectantia ubi lex & consuetudo viget distribuere licentias exeundi è Conventu concedere dummodo tamen exercitium hujusmodi œconomicæ & politicæ jurisdictionis nullatenus officium Visitatoris impediat: Lezana citans Portella V. *Visitatio n.* 4. Poterit adhuc non obstante Visitatione actuali de defectibus tunc occurrentibus localis Superior subditos reprehendere pœnitentiam salutarem pariter errantibus in Choro vel alio Communitatis loco imponere; nam propriè hæc ad jurisdictionem contentiosam nequaquam pertinent, sed melius ad proprii muneris executionem & jurisdictionem mere politicam ut videre est apud P. Anacletum Reinffestuel *de offic. & pot. Jud. del. §. 1. a n.* 7 Non omissa tamen advertentia quod sicut actus quoscumque ex his potest impedire Superior Provincialis extra Visitationem, eximendo ex.gr. quandoque subditum quempiam ab obedientia Localis propter speciale motivum sui servitii scilicet aut publici boni, valeat per consequens a fortiori in Visitationis actu applicando subditum ad peculiaria exercitia & mandata, ipsis imponendo juxta opportunitates contraria iis quæ a Superioribus localibus injungantur, cum onere hinc obediendi relevante in subditis & Superioribus ipsis subalternis. Suarez *tom. 4. de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *Cap.* 14. *n.* 14. & 15. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 66. *n.* 6. Ant. a Spiritu Sancto *tr.* 4. *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 92. & *n.* 100.

87 Idem dicitur de Commissariis ad visitandas Provincias a Superiore Generali congruo tempore delegatis vel ob speciales urgentias & causas missis; nempe quod Superioribus localibus œconomicam & voluntariam jurisdictionem relinquant sistendo semper intra limites inquisitionis generalis & paternæ: Lezana cit. *tit. Visitator n.* 4. Ant. a Spiritu Sancto *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 18. *seq.* Sed quia Superiores etiam Provinciales ab hujusmodi Visitatoribus signanter opportuno tempore amandari consuetis syndicari solent, quantum ad potestatem seu jurisdictionem Provincialis in casu remanentem ratiocinari *regulariter* debemus perinde ac si Generales ipsi visitarent; cum Delegati hujusmodi ab iis emissi vicem eorumdem gerant omnemque auctoritatem eo in munere præseferant: ex Doctoribus citatis per Sanctorum *in Cap.* 7. *Constit. stat.* 1. *qu.* 9. Patremque de Ameno *tit.* 1. *qu.* 12. *n.* 106. & *qu.* 14. *ejusd. tit. per tot.* Dictum est autem *regulariter*: cum alias attendendæ sint literæ publicæ in quibus limitatio aliqua expressa semper intervenit, atque facultates plerumque principaliores Generalis quilibet Superior sibi reservat, veluti sunt directio pro electionibus subsecutivis & licentia Capituli ultimo celebrandi. Immo in ipsa facultate amplissima licet concessa non comprehendi ea quæ speciali indigent concessione & quæ consimiliter sibi reservat Generalis ipse tamquam gradui magis proprie & personæ quamvis de his explicita mentio minime fiat, autumant Doctores communiter ex notissima regula juris *in* 6. *n.* 4. præcipue si vergant in præjudicium tertii ipsiusmet signanter Provincialis visitati *l. Nulla juris ratio ff. de leg.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *qu.* 9. Salas *tract. de Reg. jur. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 4. Quoties autem agatur de casibus hujusmodi qui concedi minime soleant intelliguntur excipi, quamvis proprietas verborum in literis patentibus videatur illas comprehendere; nam proprietas tunc restringitur a contrario usu. Barbos. cum aliis conglomeratis *tr. de claus. usu frequentior. claus.* 35. Et de offic. & potest. Episc. *alleg.* 54. *n.* 89. Universaliter etiam consideranda sunt Constitutiones Religionum propriæ in quibus ea quæ Provincialibus propter adventum Visitatorum non auferuntur vel Visitatoribus privative non conceduntur in illorum ordinaria jurisdictione contineri saltem arguitive deducitur; ideoque posse ab iisdem legitime exerceri nemo negat: omnis namque præsumptio juris stat pro Provincialibus in casu, & onus probandi incompetentiam jurisdictionis transfertur in prætendentes contrarium: Menoch. *lib.* 1. *præsumpt. qu.* 33. *n.* 1. Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 37. *n.* 7. Merol. & alii apud Bordonum de cens. dub. *Cap.* 4. *n.* 4. & *cap.* 5. *n.* 5.

88 Apud Minores equidem potestas Provincialis distinctius præscribitur ad Visitatoris adventum; videlicet, quod debeat tunc Provinciali eidem Ministro Conventus pe-

culiaris assignari sed non principalior pro sui residentia *Cap. VIII. compil. Sambuc.* §. 56. *n.* 7. Sed specialia munia exercere hic valeat veluti dimissorias concedere clericis pro Ordinibus suscipiendis, destinare Concionatores, recipere ad normam decretorum novitios, ac distribuere spolia defunctorum: simulque conceduntur eidem sigilla majora Provinciae retinere, & quod possit extra Provincias fratres subditos propter negotia publica amandare; propter quod patet spectare ad ipsum pro executione obedientiarum a Superiore generali expeditarum subditis suis pergendi ad Provincias alienas consensum praebere, in *Cap. VIII. compil. Sambuc. §. ultimo Cap. item VIII.* stat. pro Reform. *n.* 10. excepto, quod in hisce statutis Reformat. sequestratio Provincialis Ministri in aliquo Conventu nec de principalioribus durante Visitatione Delegati nequaquam invenitur praecepta, ut legenti patet. Si quae autem alia per Constitutiones expresse Visitatori prohibeantur, Provinciali Ministro censentur proculdubio permissa. Portell. in dub. Regul. *V. Provincialis* addit ad ad lit. *n.* 13. Quoties vero Visitator aut Commissarius ad causam vel causas peculiares a Patre Generali mittatur, servato ordine praescripto in Statut. generalibus Sambuc. *Cap. VIII.* §. 56. *n.* 4. *&* 5. & Reformat. *Cap. item* 8. *n.* 12. juxta explicationem quoque Patris de Ameno *tit.* 3. *pract. qu.* 4. *n.* 107. *& seq.* Et causa tangat privatum Religiosum aut ad privatas personas ejus jurisdictio & delegatio limitetur, omnes equidem tenerentur ei parere in executione causae sibi commissae, atque in adnexis & connexis dependentibus & incidentibus. *Cap. Quia quaesitum. Cap. Praeterea. Cap. Significasti. Cap. Prudentiam extra de Off. Judic. Deleg.* Gloss. *in Cap.* 1. *ỳ. Impedire eod. tit.* Gloss. *item in Cap. Cum dil ctus de arbitr.* Attamen nisi aliter exprimeretur in Superioris delegantis literis, neminem praecederet neque Provincialem neque Deffinitorium aut Superiores locales, relicta his quacumque facultate alioquin competente in utroque foro: excepto dumtaxat quoad causam suae commissionis: Stat. Reform. *Cap.* 8. *n.* 12. De Ameno *tit.* 1. *qu.* 18. *n.* 143. Anacl. Reiffestuel de Constit. *n.* 243. At si ad universitatem causarum, licet extraordinario tempore, destinatus foret, vel ejus extenderetur commissio super Caput & membra, a Provincialibus etiam respective nedum a Superioribus localibus praecedentiam obtineret, utpote eorum Judex. Ex Stat. *Reform. Cap.* 8. *n.* 12. & decis. allata per P. de Ameno *d. q.* 18. *n.* 142. *&* 143. Atque omnes & singuli obedientiam ei praestare obligarentur in executione sui officii ad normam patentalium, ita ut inobedientes, aut sui muneris exercitium quoquomodo impedientes, posset ipse cogere & contra eosdem procedere; in terminis tamen a jure assignatis & per laudatum Patrem de Ameno explicatis *tit. eod.* 1. *qu.* 1. per tot. Ideoque prout diximus de Visitatore solito & ordinario hic pariter extraordinario casu & tempore missus, ultra expressa in literis patentibus jurisdictionem suam circa ea signanter quae Ministro Provinciali & deffinitorio competere non nequeunt, uti supra, nequaquam valeret extendere, utpote Judex incompetens in suppositione contraria, *Cap. At si Clerici de Judic. ex Reg. notis jur. in* 6. *n.* 26. *Cap. Venerabili* 37. *& Cap. per literas* 40. *de off. Deleg.* De aliis Commissariis ad aliquam peculiarem causam contra privatas personas non a Generali, sed a Superiore Provinciali deputatis longiorem non addimus sermonem, sed sufficiat eos intra terminos commissionis contineri fas esse atque compescendos fore, quatenus insolescant, eo quia Guardiani & Superioris localis correctioni subjaceant in foro paterno, ex sapienter traditis per eumdemmet Patrem de Ameno pract. crim. *tit.* 1. *n. cit.* 143.

89 Unum praestat hic examinare, quod Commissario Visitatori opportuno tempore per Superiorem generalem destinato specialiter videtur inhiberi. Videlicet, quod nequeat idem per consequens quicumque alter extraordinarius simili & non specialissima super hoc auctoritate polleus, punire, aut confusibiliter corrigere Provincialem aut Patres Ordinis & Provinciae. Habetur siquidem statutorum *Cap. viii. §. ultim.* de Commissario eodem. ibi: *Neque propterea in Provincialem Ministrum, aut qui alias simili officio functi sunt neque in Patres Ordinis notabiliter animadvertere liceat eidem, nisi ex probata causa, & de consilio & consensu majoris partis Patrum Provinciae aut Provincialis Capituli.* Quod idem repetitur lingua vernacula per statuta Reformationis *Cap. viii. n.* 10. ubi similis inhibitio additur Ministro Provinciali pro tempore, nimirum quod neque iste queat Patres Reformationis scilicet Ordinis vel Provinciae punire, absque consensu majoris partis Patrum & Deffinitorii. Cap. item 7. statutorum generalium mox ante citato id prohibe-

betur distinctius. *Quod nempe prӕfati Patres Ordinis, aut Provinciӕ non possint a Superioribus Provincialibus & Commissariis officio privari nec ad notabilem punitionem aut confusionem cogi, nisi de consilio & consensu Ministri Generalis aut majoris partis Patrum Provinciӕ*. Super hӕc itaque plura occurrunt consideranda. Primum, quod hujusmodi privilegiati Patres sunt, Provincialis ipse, ut in allegato statuto *Cap.* 8. aut Patres qui Officio Provincialis functi sunt. Sive Patres Ordinis, videlicet, qui gradu Ministri Generalis, Vicarii, Commissarii aut Vice Commissarii Generalis fuere insigniti. Sicut ii, qui licet Ministri Provincialis officium per tempus prӕscriptum a statutis minime gestaverunt, tamen Vicarii Provinciales per biennium, Secretarii Generales, Guardiani Montis Sion extiterunt ad normam statutorum, vel Lectores Jubilati de numero sic vocati, per consequens antiquior ex Lectoribus Emeritis inter Reformatos qui Paternitate gaudet ubi viget usus. Vel denique ii qui privilegium prӕfatorum quorumlibet respective Patrum per Breve Pontificium obtinuere. Ut expresse in alio *Cap.* 7. *Sambuc.* §. 6. *n.* 33. & distinctius apud Patrem Sanctorum *de pœn. Cap.* 30. *qu.* 1.

§. 1. Colligitur secundo ex dictis, facultatem procedendi contra hujusmodi Patres concedi disiunctive, vel Congregationi Patrum Provinciӕ, vel ipsimet Superiori Generali: nomine autem Superioris generalis in casu venire Ministrum Generalem, Vicarium, Commissarium, aut Vice-Commissarium Generales, non est dubium. De aliquibus aliis veluti Delegatis generalibus super nationes, vel Visitatoribus plurium Provinciarum potest controverti, sed optime advertit Sanctorus, pendere resolutionem ex literis patentibus Ministri generalis supremi Capitis, vel alterius principalis Superioris ordinarii in alterutra familia juxta Bullam Leonis X., quatenus suis Delegatis vel Commissariis justa opportunitates instituti magis aut minus extensam potestatem conferant. *Cap. cit.* 30. *qu.* 2. *de pœn.* Ubi pariter duo advertit: unum, quod ӕquum sit Superiori generali etiam dispositionem exequi statutariam, nimirum exquirere in puniendis ejusmodi quibuscumque Patribus consilium & votum Patrum congregatorum aliorum, suadente videlicet ӕquitate & congruentia, ut qui in Religione excellentiorem prӕ cœteris gradum obtinuerunt, etiam in judicio discriminentur a plebe ibi. ℣. *Verum ӕqum est*. Hoc autem intelligendum venit, quatenus judicium idem Superior generalis velit quod in Provinciis peragatur, ideoque non debet permittere neque dispensare, quod a solo Visitatore vel Superiore Provinciali respective ultimo executioni mandetur, ita ut non interveniat simul consensus aliorum convenientium Patrum. Alterum est, quod si casus occurrat de puniendis Patribus Ordinis; nempe ex-Ministro Generali, aliisve munere Vicarii, Commissarii generalis, ac etiam Procuratoris generalis jam functis, qui omnes respective suffragium possident in Ordine, vel Provinciis, ӕquitas postulet quod causa a solo supremo Capite vel totius Ordinis vel familiӕ respective perficiatur: cum iidem supra spheram Patrum Provinciӕ, signanter Discreti perpetui, in Religione proprieSuperiorem Supremum Generalem unice recognoscant, eidemque subsint: nisi (addo ego) opportunitas daretur Discretorium sive Definitorium Generale super hoc opus congregandi. In quo casu fere metaphisico vix unquam dato, minuendam quoque fore pœnam probat Sanctorus ibi; *quӕst.* 1. sub responsi. quarta.

§. II. Notandum principaliter tertio ad propositum, quod licet prohibitio facta in statutis mox relatis Visitatori & Superiori Provinciali pro tempore, notabiliter animadvertendi in recensitos Patres, ipsosque puniendi, explicatur a Patre de Ameno restringi ad modum procedendi per viam juris in ratione Judicis, ut pract. crimin *tit.* 4. *n.* 19. ubi citat Patrem Sanctorum de pœn. *Cap. dicto* 30. *qu.* 3 Nihilominus sistendo etiam intra cathegoriam Patrum Provinciӕ Patribus Ordinis minime comprehensis, apparet prohiberi ipsismet infligenda pœna punitio aut pœnitentia quӕ ruborem & confusionem pariat, esto extrajudicialiter, taliter ut verificetur notabiliter animadvertere, vel notabilis punitio & confusio quod prӕfatus ipse Sanctorus non potest non concedere qu. d. 3. ℣. *In quem sensum*. Proinde in Visitatione quoque paterna publice punire Provinciӕ Patres aliis Patribus Provinciӕ inconsultis, prӕsertim si transgressiones essent excessivӕ & cum scandalo indigentes citiori remedio, concluditur saltem incongruum, & probabilius indebitum, tum quia statuta indeffinite loquuntur nec limitant notabilem animadversionem & confusionem ad ea quӕ per sententiam juridicam pronuntiantur, tum quia idem militat adӕquatus finis in extrajudicialibus ne scilicet Paternitas & gradua-

duatio illorum quorum prudentiæ & consilio gubernium Provinciæ fuit concreditum consultivumque votum continuo adhibetur in arduis nimirum vilescat & exponatur contemptui inferiorum, quatenus horum judicio & pœnitentiis publicis sicut quilibet gregarius frater subiiciantur, ex iisdem Auctoribus Sanctor. & de Ameno loc. cit. Quod si, his non obstantibus Visitatores, aut capta occasione Superiores Provinciales contra præfatum quemlibet Patrum punitiones aut notabiles animadversiones confusibilesque correctiones exequi non diffiderent absque aliorum Patrum congregatorum consensu, aut Generalium speciali mandato suppleute, ultra nullitatem actorum, quatenus juridice sententiarent interveniente etiam Deffinitorio & exprobationem in extrajudicialibus, pœna congrua item tamquam transgressores statuti in re gravi eos plectendos fore concludit Pater Sanctorus citatus *Cap.* 30. ℣. *Respondeo* 2. *in fin.*

§. III. Non per hoc tamen Patres ipsi signanter Provinciæ a correctione Superiorum visitantium & etiam extra visitationem proprium munus exercentium censendi sunt immunes; ita quod culpabiles reperti in Visitatione ipsa reprehensionibus paternalibus non sint subjecti & remedia ad cohibendas eorum libertates non possint immo debeant imposterum adhiberi; cum Prælati de animabus omnium sibi subjectorum reddituri sint rationem, & providere teneantur a malis si quæ proveniant ex vita relaxata majorum cum ruina pusillorum, veluti probat sæpe citatus Sanctorus *Cap. eod.* 30. *sub quæst.* 2. ℣. *Si petas*, & Pater de Ameno *n. repetito* 19. Sed hoc idem expleri suadetur cum observantia statuti in suis terminis considerati: ita ut sicut nequaquam laudabilis sit prudentia humana nimis, quæ clausis incedens oculis, cum Dei & legum injuria nullum præsefert zelum ex D. Bernardo Serm. 19. *in cant.* numquam pariter commendabilis sit zelus opportuna prudentia destitutus. Videatur Fanvinus in Bac. Pastor. *Cap.* 1. *n.* 32. Peyr. de Prælat. *qu.* 2. *Cap.* 3. §. *v. &c.* Pater de Ameno *n.* 19. ubi supra ℣. *Verum*. Illud quoque notandum, quod si Visitatores adversus privilegiatos hujusmodi in generali inquisitione accusationes aut denuntiationes audiant, quæ processum juridicum necessario, exigant juxta præfata, nequaquam prohibentur hunc conficere, & telam texere judiciariam, dummodo absque convocato congressu Patrum ad sententiam non deveniant juxta formam Statuti, aut nisi aliter ex speciali motivo ordinet Superior Generalis prout opportune insinuat præallegatus Sanctorus qu. 2. ℣. *Non interim*, usque ad finem quæstionis.

DU-

DUBITATIO XVI.

DE NONNULLIS OBSERVANDIS POST VISITATIONEM PRÆLATI REGULARIS.

Peracta est Visitatio: veruntamen adhuc post Visitatoris discessum dubia queunt habere locum & visitatos non tantum, sed ipsosmet Superiores Judices agitare, nisi dissolvantur. Audiuntur etenim persæpe querelæ eorum, qui se pergravatos autumant ab ejus non sincero, immo & nequaquam recto procedendi modo; propterea dubitandum cadit primo; an debeant admitti hujusmodi frequentes instantiæ recursus sive appellationes. Item in ipso Visitationis termino ordinationes & decreta publicant non una vice pro Disciplina Regulari servanda, aut vitiis quæ inolescant extirpandis sive publicanda post discessum a Provincia si sint exteri vel a visitato Conventu si sint Visitatores Ordinarii, Decreta eadem solent relinquere. Hinc etiam quæsitum occurrit, quanto tempore perdurent & ad eorum observantiam Religiosos visitatos obligent? Quæ sane ambo dubia resoluta sunt *tom.* 1. *dub.* 8. *sect.* 2. *n.* 7. & 8. quoad visitantes Episcopos; aliquid tamen magis proprium pro Regularibus non inutiliter hic superaddetur: sed tertium opportunius præ cæteris insurgit dubium; cum etenim Visitationis acta servent in plurimum Prælati Ordinarii; ut inde procedendi, ipsi ajunt, methodum in gubernio subsequenti subditorum desumant: nec non Visitatores a Generalibus amandati inquisitiones paternas quas peregerunt & denuntiationes Evangelicas apud ipsos in confidentia depositas, secum asportant earumque notitia abutuntur fortasse non semel; idcirco resolvere videtur necesse attentius quoad Regulares de tempore quo Visitationis acta possit retinere apud se Visitator quicumque sit & de modo quo illis uti liceat. Tres itaque controversiæ in tres Sectiones divisæ inferius agitabuntur; & primo occurrit.

SECTIO I.

An detur Appellatio a pœnis impositis in Visitatione ordinaria paterna.

SUMMARIUM.

1 *Non datur apud Regulares signanter appellatio quoad suspensionem in iis quæ spectant ad correctionem morum & concernunt paternam Visitationem.*

2 *Et si concedatur in visitatione generali appellatio a correctionibus & pœnitentiis impositis quantum ad effectum devolutivum non tamen admittenda est in omnibus casibus etiam quoad istum effectum.*

3 *Ex textibus juris confirmatur non licere Regularibus appellationem a correctionibus in casibus in quibus liceret appellare Clericis Sæcularibus saltem quoad devolutivam sed gravem pro Religiosis debet esse super aliquatenus notabile, & relevans.*

4 *Quoties in visitatione & corrigendis moribus excessus contingat enormis, habet locum appellatio etiam quoad suspensionem: excessus autem enormis habetur, quando in Visitatione paterna proceditur juridice ibi* §. *I. & II. ubi impugnatur Cardinalis Petra.*

5 *Præsertim valet appellatio ad effectum utrumque si gravamen in visitatione fuerit irreparabile simul & excessivum.*

6 *Gravamen irreparabile excessivum inter alia reputatur censura signanter excommunicatio comminata vel imminens. Cum distinctione tamen ibi.*

7 *Teneret itidem appellatio ad utrumque effectum; quatenus in Visitatione adhiberetur pœna suspensionis, quæ non esset censura, a Superioratu aut alio officio honorifico.*

8 *Inter gravamina excessiva irreparabilia connumerantur indebita carceratio propria atque formalis, & tortura si & quatenus, ac quodcumque aliud irreparabile damnum exorbitans.*

9 *Appellatio deinde sive recursus extensive etiam ad quoscumque actus aut judicia quælibet extra visitationem debet fieri gradatim attentis pluribus sanctionibus Summorum Pontificum & explicantur gradus &c.*

10 *Novæ recentesque sanctiones & ordinationes adducantur & enumerantur, in quibus per Summum Pontificem & Sanctam Sedem præcipitur pluribus Religionibus ordo servandus in appellationibus & recursibus; prohibeturque appellatio & recursus per saltum, quæ tamen Constitutiones quatenus varientur in aliquo, nequaquam sunt communicabiles.*

11 *Hinc quæcumque appellatio contra præscriptum ordinem etiam ad Apostolicam Sedem neque valida reputari debet, neque attendenda propter replicatas sanctiones uti supra & ordinationes in contrarium quæ a Summis Pontificibus pro unaquaque fere Religione emanarunt.*

12 *Præfatis usque modo non obstantibus non desunt Doctores in præsenti materia distinctius differentes & varie concludentes.*

13 *Casus necessarii recursus in subdito vere oppresso contra colligatos Superiores omnes; licet non impossibilis; foret tamen rarissimus. Improbantur è contra appellationes & recursus criminosorum & ambitiosorum cum læsione famæ Religionis Matris & benemeritorum fratrum.*

14 *Prohibentur Minoritis pro quibus militant speciales leges & Constitutiones appellationes & recursus sicut & aliis Regularibus; tamen pariter sicuti aliis in casu gravaminis & excessus in corrigendo non denegantur.*

15 *Recensentur divisiones gravaminum adductæ a P. Ludovico de Ameno; sed non approbatur, quod subditus patiens gravamen etiam facti transeuntis agat contra Superiorem de injuria & de calumnia; excipitur gravamen nimis enorme &c.*

16 *Neque approbatur assertum ejusdem Doctoris quod pœnitentiatus subditus possit suspendere executionem pœnitentiæ interim appellando, præsertim in casu per ipsum allato.*

17 *Non admittitur explicatio data a laudato Auctore statuto Religionis, neque doctrina in favorem subditi inobedientis in adducto casu.*

18 *Quoties vero gravamen est vere notabile excessivum & inducens revera infamiam; ejus appellatio parit utrumque effectum pro Minoritis sicut pro aliis Regularibus.*

19 *In suspensione ab officio qualificato per Visitatorem, an & quomodo valeat appellatio similiter ab aliis officiis publicis ibi; distinctiones notandæ pro Minoritis.*

20 *Excipiuntur casus, in quibus suspensio esset inflicta a jure delictis notoriis, quando non haberet locum appellatio, sed sententiæ declaratoriæ deberet consensum præbere Definitorium apud Minoritas. Et replicatur opinio Patris de Ameno.*

21 *Iterum impugnatur hujus Doctoris opinio, & sustinetur quod nempe nullatenus valeret suspensus in casu perseverare in officio ante ulterius judicium Superioris ad quem in ordine nostro præcipue.*

22 *Profitentibus signanter Regulam Sancti Patris non debet præberi ansa contendendi publice cum Superioribus respective, & non exequendi pœnitentias, licet aliquantulum excessivas.*

23 *Quantum ad suspensionem similitudinariam disseritur an habeat locum appellatio? Ubi etiam de remotionibus a Conventibus §. Un.*

24 *Quid agere deberet Judex ad quem supposite validitate appellationis juxta exposita ibi? Nec placet responsio Patris de Ameno: attenta practica crimin. Ordinis, & ratione.*

25 *A Fratribus Minoribus item signanter sive strictioris observantiæ sive quolibet alio nuncupentur nomine, appellatio quæcumque seu querela, aut quicumque recursus debet fieri gradatim, juxta Decretum editum sub Sixto V.*

26 *Afferuntur statuta, & practica criminalis Ordinis Minorum, ubi appellatio sive recursus iniungitur fieri gradatim sub pœnis &c. cum appositis adnotationibus.*

27 *Casus adductus supra non impossibilis de colligatione Superiorum omnium contra Religiosum oppressum, rarissime potest incidere in Religione Minorum.*

28 *Recensetur per integrum Constitutio BENEDICTI XIV. pro Fratribus Minoribus prohibens recursum ad Tribunalia Sæcularia absolute Ecclesiastica etiam, nisi gradatim cognitis prius causis intra Religionem cum aliquibus prænotatis.*

1 Pos-

1 POssunt hic mox diximus data proportione applicari ea omnia quæ sub eodem quæsito præmissa sunt de Episcopo Visitante *Dub. viii. Sect. ii. n. 7.* Nempe, quod pro pœna accipienda sit quæcumque pœnitentia vel punitio etiam extrajudicialiter absque prævio processu & non per viam juridicæ sententiæ defectibus imposita. Ulterius, quia pari passu procedunt appellatio & recusatio in judiciis, itaut ab eo quis possit appellare formiter quem volet in judicio recusare & viceversa, idcirco recolenda sunt quæ de recusatione præmisimus item *tom. 1. dub. 4. sect. 2. & 3.* quamvis in proposito sermo sit de appellatione non ita stricte sumpta, puta de usurpata etiam in iis, in quibus recusatio nequeat locum habere, utpote, quando ad effectum devolutivum dumtaxat illa valere queat; ut distinctius infra. Uniformiter itaque ad dicta *dub. VIII. cit. sect. II. n. 7. §. 1.* statuendum hic pariter universale assertum, quod non detur apud Regulares præ cœteris a fortiori appellatio in paternis Visitationibus, neque in iis quæ spectant ad correctionem morum quoad suspensivum *Cap. cum speciali §. Porro in fin. de appellat. Cap. Ad nostram Cap. Reprehensibilis §. ult. eod. tit.* juncta gloss. deduciturque ex Tridentino *sess. 22. Cap. 1. & sess. 24. Cap. 10.* concordantibus Doctoribus communiter Berti *tit. 3. Cap. un. n. 41. & tit. 27. Cap. 3. n. 55.* Portell. *V. Appellatio n. 1.* Sanchez *lib. 6. in decal. Cap. 8. n. 101. & 102.* Peyr. de subd. *qu. 1. Cap. 19. sub dicto primo. Et Cap. 20. dicto secundo.* Lezana *tom. 1. Cap. 9. n. n. 4. & tom. 2. V. Approbatio n n. 3.* qui duo ultimi varias citant Summorum Pontificum sanctiones Auctoresque antiquiores. Itemque firmat Cardinalis Petra *tom. 3. constit. 4.* Bonif. VIII. n. 2. ad 4. ubi alias affert Constitutiones &c. Nec non P. Anacletus Reinffestuel tit. de appellat. &c. §. 11. n. 300. Assignaturque communiter ratio manifesta, eo quia nimirum perturbarentur Religionum hierarchica gubernia si propter quamcumque justam correctionem morum secundum Constitutiones & Regularia instituta in defectuosos adhibitam posset interponi appellatio. Eo fortius quia medicinalis pœnitentia & paterna correctio juxta Leges & statuta nulli gravamen infert, & non interveniente gravamine gratis ad appellationem confugitur, peculiarisque ratio militat in Regularibus uti supra, tum propter obedientiam & reverentiam majorem inter eos debitam Superioribus, tum propter peculiares ordinationes & specialia instituta et animadversis per laudatum Petra *ubi supra num. 9.* Ex quo subinde non pauci deducunt indebite appellantem peccare graviter, recensentque excommunicationes & alias pœnas contra eundem veluti Religionis perturbatorem & legum contemptorem per Summos Pontifices pronuntiatas: Lezana præsertim *tom. 1. cit. Cap. 9.* Ant. a Spir. Sancto *d. n. 780.*

2 Addidi consulto particulam, *Quoad suspensivum*; nam quantum ad effectum devolutivum appellationem tenere adhuc in Visitationibus paternis & correctionibus Regularium, affirmant cum Rodriguez & Spathario Peyrinus *de subdito qu. 1. Cap. 20. §. un. ℣. Dico tertio.* Pignatell. *tom. 8. consult. 61.* neque dissentit Cardinalis Petra ad dictam Constitut. 4. Bonifac. VIII. *n. 10.* in fin. uniformiter ad ea quæ insinuavimus *tom. 1. Cap. 2. dub. 4. n. 11. & dubit. viii. sect. ii. n. 7. §. iii. in fin.* Hoc non obstante nequaquam in omnibus correctionibus & pœnis seu pœnitentiis impositis fas esse subdo appellationibus dare locum quoad effectum vel devolutivum qui licet executionem non suspendat transferat tamen cognitionem causæ ad Superiorem; cum alioquin in Religionibus turpis sequeretur deordinatio, si propter quamcumque correctionem aut mortificationem factam posset appellare subditus, & proinde Superior seu Judex apppellationis teneretur causas omnes hujusmodi quamvis extrajudicialiter cognoscere. Limitatur ergo doctrina, quod nullum remaneat appellandi effugium neque quoad devolutivum primo, quoties de minimis agatur veluti si subditus non qualificatus appellare tentet a sibi præcepta disciplina propter leves defectus vel a reprehensione Prælati aliquantulum asperiori. Et appage in Religionibus istud absurdum pessimum, quod in allatis casibus ansam usurparet subditus Superiori præcipienti aliquam pœnitentiam, vel obiicienti defectus cum exasperata loquela, publice respondere & appellationem proponere. Foret siquidem subditus procax in tali suppositione super temeritate puniendus potius quam audiendus; ut ex D. Thom. 2. 2. *qu. 69. art. 3.* Deducunt Lezana *tom. 1. cap. 9. n. 3. & tom. 2. V. Appellatio a n. 4. seq.* Ant. a Spiritu Sancto loco mox citando 2. Quod nullum pariat effectum appellatio manifeste frivola aut frustatoria quæ nullo peculiari innititur fundamento, intendens dumtaxat evitare judicium & inflictionem pœnæ per leges aut Regularia statuta taxatæ contra culpam publicam & notoriam, quæ non indiget proba-

tione, ut quando non intervenientibus Choro esset imponenda pœna statutaria legis non exeundi è Conventu, vel se inebrianti cum scandalo incluso in domo disciplinæ per aliquot dies; esset enim appellatio contra jus clarum ad cujus tenorem juste punitus pro nota culpa nullatenus de passo gravamine posset conqueri. Lezana *tom. 2. V. Appellatio n. 3.* Reinffestuel *de appell. §. 2. n. 308.* Quin immo contra hujusmodi temere appellantes militarent revera pœnæ a Summis Pontificibus latæ quas recenset Ant. a Spiritu Sancto Direct. Regul. *tract. 3. disput. 6. sect. 5. n. 780. seq.* Sed numquid posset impedire quis defectuosum ne apud Superiorem altioris Ordinis querelam interponeret & se gravatum allegaret in casu. At in hoc equidem consistit temeritas quam asserimus compescendam ita quod, sicuti Superior sive Visitator in casu nihil querelæ frivolæ contra manifestam culpam deberet deferre; Generalis pariter vel alter ad quem conquerenti vel appellanti contra pœnam crimini vel defectuoso publico a lege taxatam congruam, teneretur & exemplarem addere punitionem; quamvis minime prohibitum sit delinquenti cuicumque per recursum humilem Superiores majores exorare ut pœnas moderentur atque emendationem pollicenti misericordiam præstent; per hoc enim non provocare neque appellare ullo pacto diceretur. Lezana cit. V. *Appellare n. 3.* Ant. item a Spiritu Sancto cum Palao & aliis a se relatis *sect. d. 5. n. 784.* Tertio additur, quod neque ullo modo attendenda sit appellatio contra merum executorem. In casu ex. gr. quod Superior mandet Commissario Visitatori vel Visitator ipse mandatum Superiori locali relinquat, ut detineat per aliquot dies in domo disciplinæ notabilem defectuosum vel prohibeat omnino exitum e claustro aut accessum ad aliquam domum Religioso particulari, minime audiatur appellans contra exequentem dummodo de mandato sibi præstato constet: executor siquidem gravamen non infert suis Superioribus obediendo, sed si gravamen ullam relevaret de facto hoc a principali mandato ortum duceret evidenter: consonant plura jura a P. Reinffestuel *relata n. 309. ubi supra.*

3 Remanet proinde solummodo locus appellationi licitæ etiam quoad effectum devolutivum dumtaxat inter Regulares, si loquamur de actis in Visitatione & correctione morum; quoties revera infertur appellanti gravamen notabile & relevans, præscindendo ab irreparabili. Hoc patet ad textum *in Cap. cum speciali de appellat.* ubi præmissis constitutionibus assignantibus modum aliis Ecclesiasticis & quibuscumque recusandi Judicem & appellandi ab ipso de quolibet gravamine indeffinite, excluduntur in fine Regulares: ibi: *Cæterum has duas Constitutiones præmissas nolumus ad Regulares extendi contra suas speciales observantias.* *In Capite* pariter. *Ad nostram; & Cap. Reprehensibilis eod. tit.* prohibetur Regularibus contra correctionem suorum Superiorum appellare; inter alia ibi: *Ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi contra Regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant.* Unde perspicuum est appellationis & recusationis remedium quoad Regulares respective ad cæteros aliqualiter limitari; & sic non pro quocumque levi gravamine aut motivo non urgente iisdem licere hujusmodi remedio uti; needum in casibus in quibus liceret uti eodem cæteris Clericis sæcularibus vel aliis in Visitatione quomodolibet gravatis. Est conformis hæc sententia Lezanæ citanti alios *tom. 1. Cap. 9. n. 7. & 8.* Ant. a Spiritu Sancto *tom. 3. disp. 6. sect. 5. n. 790.* Sed præcipue conveniens habetur æquitati & Ordini Religioso in genere perfectionem profitenti.

§. I. Quando vero gravamen de quo agitur, inferatur revera subdito notabile & relevans, præscindendo ab irreparabili, quod valeat hic rationabiliter contra Superiorem gravantem appellare quoad devolutivum, & quod teneatur Superior altioris Ordinis causam cognoscere, ostendit jus naturale cujuscumque recurrendi ad quem de jure pro evitando notabili præjudicio proprio & adhibendi remedia opportuna a lege provisa pro sui indemnitate, inter quæ potissimum est appellatio præcipue quando pœna habet tractum successivum & diutius duraturum, juxta eademmet superius citata Cap. *Cum speciali Cap. Ad nostram Cap. Reprehensibilis de appellat.*: in quibus aperte casus notabilis gravaminis excipitur a prohibitione recurrendi etiam quoad Regulares concordantibus auctoribus, Foller. *Cap. 36. de ordin. proced. contra Monach.* Sylvestro *V. Appellatio n. 9.* Angel. *eod. n. 9.* Tabien. *eod. tit. n. 11.* Quod si illatum gravamen non haberet tractum successivum, sed per transeuntem terminaret & sic per appellationem devolutivam non posset reparari, ut si quis absque sufficiente motivo jubeatur in publica Communitate capucio dimisso panis & aquæ pœnitentiam ge-

genuflexus subire vel alias provectus in Religione & bonæ famæ publice se disciplinare ultra Regulæ & Statutorum præscriptum, saltem posset post adimpletam exemplariter punitionem apud Superiores legitimos recursum & querelam interponere, ad hoc ut indiscretus localis Superior corrigeretur ipse publice, & sic remedium aliquod juxta possibilitatem gravamini injuste passo apud opinionem communem reportaret; eo modo quo in Sancti Patriarchæ Benedicti Regula insinuatur *Cap.* 68. & firmat Paulinus Berti in prax. *tit.* 27. *Cap* 2. *n.* 1. ne impune committatur excessus ab indiscreto Præsule.

§. II. Et adverte, quod gravamen notabile posset relevare ex pœnitentia etiam justa vel taxata per leges vel Superiori imponenti arbitraria, quoties tamen aliqua circumstantia vel excusaret totaliter vel diminueret valde delictum vel redderet distincte considerabilem personam delinquentis. Ex. gr. Quoties prohiberetur exitus è Conventu Religioso, qui propter negotia vel applicationes alias ab obedientia sibi commissas Choro non interesset, aut in domo disciplinæ includeretur qui semel casu propter vinum ex proposito præparatum se inebriasset, vel disciplina publica plecteretur seu acriori reprehensione vexaretur Pater in lectura, ætate & fama provectus perinde ac Novitius propter ordinarios defectus. In omnibus his inquam casibus gravamen profecto notabile inferretur Religioso correcto attentis circumstantiis, atque recursus sive appellatio adhuc post factum a Superiore ad quem necesse foret, ut admitteretur, necnon Superior localis seu alter qui indiscrete se gesserit inde ad exemplum respective redarguendus & corrigendus. At minime concedo licere gravato subdito in publica Communitate mandatis Superioris sic gravantis resistere, & interposita appellatione incontinenti eum eodem contendere propter scandalum inde oriundum & venerationem Communitati debitam nullatenus lædendam. Satius siquidem tolerandum foret pro eo tunc damnum aliquod in membro licet injuste offenso quam totius Communitatis corporis scandalosam perturbationem causare, ex Palao *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 4 *punct.* 25. *n.* 7. & 8. Lezana mox allegato *n.* 7. Prout possunt casui nostro adaptari resolutiones S. C. C. emanatæ *die* 15. *Maii an.* 1700 quantum ad appellationis in causis Visitationis & correctionis morum pro Ecclesiasticis Sæcularibus *in respons. ad primum, & secundum dubium* apud Monacel. *par.* 2. *pag.* 153. & replicabitur infra *n.* 6.

4 Inferendum pariter juxta dicta alibi *tom.* 1. *Dub. IV. n.* 27. esse locum apud Regulares etiam appellationi devolutivæ non tantum, sed & suspensivæ, quandocumque in peragenda Visitatione vel corrigendis moribus enormis contingat excessus quoad modum; tunc enim finis transgreditur Visitationis, quæ dicitur paterna & quia cum mansuetudine procedere & charitatem potius Patris non vigorem Judicis in Visitante requirit; ideoque in casu dicti gravis & enormis excessus in corrigendo, privilegium sibi competens de appellatione excludenda absolute deperdit *Cap. de Priore juncta Gloss. de Appell. Cap. licet de off. Judic. Ordin. Cap. super quæstionem de off. Jud. Deleg.* §. *Nos autem &c.* Et subscribunt Doctores passim. Abb. *in Cap. ad nostram de Appell. & in Cap. ut licet de off. Ord.* Dec. in eod. Cap. Sylvester *V. Appellatio n.* 9. Ang. *n.* 10. Tabiena *n.* 11. Navarr. *consil.* 4. *de appell. n.* 2. sequ. *tom.* 1. *& in Comment.* 3. *de Regul. n.* 51. *& alibi*; Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 29. *art.* 2. Peyr. *de subd. qu.* 1. *Cap.* 1. *dicto secundo*. Lezan. Ant. a Sp. S. loc. jam cit. Appellantes namque in casu, licet Regulares jure proprio uterentur naturali secundum Margam Oper. Canon. *p.* 2. *qu.* 2. §. 3. *a n.* 61. Quod si Pontifices hujusmodi recursus & appellationes a se abdicarunt, non tangendo nunc; an recursus fieret per saltum immediate vel etiam gradibus eiusdem servatis, id intelligendum esse quoties Superiores juxta Regulam Statuta ordinationes atque legitimas consuetudines procedunt, non vero cum per injuriam & manifestam injustitiam aut contra leges notabiliter excedunt: subdit Cardinalis Petra *tom.* 3. *cit. n.* 7. & 14.

§. I. Non est dubium autem enormem hujusmodi committi excessum in Visitatione paterna & correctione morum apud Regulares quoque, quoties judicialiter procedatur: ut dictum est alibi de Prælato Visitante non Regular. *Dub. viii. sect.* 2. *n.* 7. §. *ii.* cum in casu absolute varietur Visitationis forma quæ de paterna transeat in juridicam, Tancredus & Vincentius & post eos Joannes Andræas Gloss. *ult. n.* 6. Gentiensis in praxi *Cap.* 21. *n.* 5. Berti *tit.* 3. *Cap. un. num.* 41. & 42. Consonat Decretum S. C. C quoad Episcopos *die* 6. *Octobris* 1588. apud Pascucci *part.* 2. *tit. de Visit. pag.* 433. Et in terminis Decretum S. C. Episcop. a Clemente VIII. approbatum *sub die* 13. *Octobris* 1600. ✠. *In*

causa verò visitationis alibi pluries citatum. Quando item *non confesso quamvis judicialiter processu* pœna taxata per leges imponitur non poteſt non argui enormis exceſſus, cum pœna debeat ſemper eſſe extraordinaria & minor in Viſitatione paterna comparative ad debitam criminibus de rigoroſo jure, ut verificetur ſcopus in ea inducendi obſervantiam præceptorum & mala extirpandi cum miſericordia & manſuetudine non cum rigore & legali vindicta: Arg. *Cap. Irrefragabili* §. *Exceſſus de offic. Ordinarii*. Ex Pignatelli *tom.* 8. *conſult.* 61. *n.* 9. Paulin. Bert. *tit.iv. Cap.* 25. *n.* 37. juxta præfata a nobis etiam *tom.*1. *Dub. viii. ſect. ii. ſub n.*7.§.*ii*. Replicatur item hic *non confeſſo quamvis judicialiter proceſſu*. Parum enim intereſſet, quod proceſſus prævius conficeretur vel non, quando eadem infligeretur delicto & delinquenti pœna in qua proprie conſiſtat vindicta pro qualitate criminis ut cum in proceſſu; juxta illud Deuteronomii *Pro menſura delicti erit & plagarum modus Cap.* 25. 2. Bartol. *in l. levia circa princ. ff. de Accuſat. & conſ.* 48. *lib.* 2. Soccin. *conſult.* 157. *n.*5. Decius *conſ.* 65. Sylveſter ℣. *Pœna n.* 7.

§. II. Cæterum nequaquam adhærendum puto in hac parte ſententiæ doctiſſimi alioquin Cardinalis Petræ aſſerentis, quod neque liceat Regularibus appellare ad effectum ſuſpenſivum, etiamſi Prælatus in Cauſa Viſitationis & correctionis procedat ſervata tela judiciaria, improbans cum reliquis ſupracitatis Joannem Andream ſignanter, dum ait poſſe Monachum ſicut & Clericum appellare ſi correctio fiat in forma judicii: ſic loc.cit.*n.*10. Ubi tamen admittit recurſum Regularium ad S. Cong. Epiſcoporum, quaſi apud hoc idem tribunal effectus ſuſpenſivus in appellationibus non attendatur etiam quoties frivolæ non ſint. Et ſane laudatus Cardinalis ibidem in ſubſequenti immediato numero 11. Aperte ſuſtinet: *quoties Superiores Regulares per injuriam contra ſuos ſubditos procedant gravamen manifeſtum inferendo, ſi modum corrigendi exceſſerint tam in quantitate quam in qualitate pœnæ; quod Religioſis etiam ad utrumque effectum appellare non prohibetur, & Prælatus tenetur ſub pœna hujuſmodi appellationi deferre*: Qua ſuppoſita ibi doctrina quæro, an revera injuria fiat Religioſo & gravamen manifeſtum ei inferatur cum exceſſu modi in corrigendo, quoties delictum ſuum quod ſecundum leges & naturam Viſitationis paternæ intra forum pœnitentiale continebatur, trahatur ad forum contentioſum, & pœna quæ ei imminere poterat extraordinaria dumtaxat imponenda cum miſericordia a Superiore tamquam Patre, in legalem convertatur per ſententiam Prælati procedentis juridice in ratione Judicis ad vindictam? Reſponſum profecto nequibit quis dare negativum, alioquin miſericordia cum juſtitia confunderetur, & idem importaret pœna extraordinaria multo levior, ac ſtatutaria ut in plurimum gravis & magis ſequens poſt ſententiam ſervato ordine juris pro criminibus vindicandis; ultraquamquod Viſitatio paterna formam judicii induens omnes conditiones hujus nequit non contrahere,& ſic etiam jus ad appellationem ex parte delinquentis, quam excludit qua vere paterna ut eſt incōfeſſo apud omnes. Et quamvis injuria fortaſſe non fieret Regulari crimino ſo procedendo contra ipſum in forma juris & pœnam reſpondentem delicto infligendam ſecundum leges, hoc tamen ſupponi debet, quoties cauſa agatur contentioſe extra forum pœnitentiale; ſed ſiſtendo in Viſitatione paterna de qua loquimur & in correctione delinquentis ad puram emendationem & non ad vindictam, ſi velit Prælatus rationem dimittere Patris & ſubditum rigoroſo ſubjicere proceſſui in forma judicis; ipſemet repugnans tranſitus Viſitationi paternæ qua tali de una forma ad aliam, non poteſt non dici conditio delinquentem aggravans ipſique injurioſa in caſu, & proinde appellationi ad ſuſpenſionem præbens pro certo locum attentis juribus per eundem Petram citatis ibidem *n.* 11. Et Doctoribus in id convenientibus apud Berti ubi ſupra Pignatell. *tom.* 8. *conſ.* 61. *n.* 9. &c. Abſque eo quod valeat contra Regulares ad propoſitum ratio per laudatum Cardinalem adducta *n. dicto* 10. quia videlicet in cauſis eorum etiam juridice actitatis ſola veritas inſpicitur [& ſubſtantia facti relictis juris apicibus: nimis nempe probaret hujuſmodi ratio; cum idem privilegium procedendi contra ipſos ſine apicibus & ſolemnitatibus juris, ſola inſpecta veritate & ſubſtantia facti, vigeat in Religioſis nibus etiam quoad crimina quæcumque excepta atrociſſima & enormiſſima in proceſſibus judicialiter initis & per ſententiam juridicam terminatis: unde ob rationem eamdem in nulla cauſa penitus integrum eſſet Regularibus appellare contra generale Decretum Innocentii PP. III. deffinientis *in Cap. Ad noſtram in princ.* etiam quoad Regulares expreſſe ibi: *Hodie non eſſe differentiam inter Regulares & alios inter correctionem & alium proceſſum cum ſemper liceat*

liceat appellare, si excedat aut gravet. Sed in terminis Visitationis paternæ & generalis, contra decretum aperte resistens S. C. C. sub die 6. *Octobris* 1588. & decretum aliud celebre S. C. Episcop. a Clemente VIII. ut paulo ante commemoravimus approbatum sub die 13. *Octobris* 1700. indeffinite id præcipiens absque ulla exceptione §. *In causis vero*: cujus verba juvat, quamvis centies allegata literaliter repetere: ibi *In causis vero visitationis Ordinariorum aut correctionis morum* appellationes *quoad effectum devolutivum tantum admittantur* nisi de gravamine per diffinitivam irreparabili agatur, vel cum *Visitator citata parte & adhibita causa cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum suspensivum*. Apud Quarantam, Paulinum Berti & alios.

§. III. At quia subdidimus mox, patere viam appellationi ad suspensivum, quoties infligatur crimini paterne tantum delato pœna ordinaria sive statutaria & taxata per leges, quamvis neutiquam conficeretur processus prævius: necessario occurrit item advertentia insinuata alias *dub. iv. sect. ii. n.* 23. duplicis esse generis pœnas per leges & statuta taxatas, aliquæ etenim sunt levis momenti, & dicuntur potius pœnitentiæ quæ ordinarie imponuntur a Superioribus ad normam statutorum ipsorum absque examine & scripto præcedente, dummodo constet de reatu vel melius de commisso defectu, ut pœna se disciplinandi in publico refectionis loco assignata pro prima vice non intervenientibus defectabiliter horis nocturnis, vel subtractionis obsonii aliquid ab horto vel Conventus viridario subripientibus, aut aliæ similes, in quibus magis & minus non variant speciem. Aliæ vero sunt proprie pœnæ graves, nonnisi post processum & legitimam probationem regulariter infligendæ per latam sententiam; itaut si processus in iis non præcederet & servato juris ordine sententia, enormior relevaret conculcatio legum & oppressio prætensi rei. Et hujusmodi sunt privatio officii & vocis, inhabilitas ad gradus & Officia licet pro tempore determinato, formalis carceratio præsertim per notabile tempus, & similes delictis gravioribus per leges manicipalia etiam Religionum statuta taxatæ: verum quæ sint secundi generis appellationem quoad utrumque etiam effectum evitare nequirent, si delictis quibus alioquin essent debitæ quatenus procederetur in foro contentioso infligantur per Visitatorem paterne se gerere profitentem; excederet siquidem is paternum corrigendi modum, immo omnino perveteret dum ad veram punitionem pro vindicta malorum progrederetur: Imola *in Cap. Romana de cens. in* 6. Pater de Ameno *pract. crim. tit. Inquisitio n.* 7. *&* 8. & alii.

5 Quoties pariter gravamen irreparabile simul & excessivum subiturus esset in Visitatione paterna subditus regularis ejus appellatio quoad utrumque effectum valeret proculdubio: juxta dicta *tom.* 1. *Cap.* 1. *dub.* 4. *sect. ii. n. signanter* 23. *&* 27. nec non *dub. viii. sect.* 2. *n. jam cit.* 7. *sub* §. *ii.* Tale quippe gravamen indicat regulariter pœnam ex natura sua nonnisi per deffinitivam vel vim deffinitivæ præseferentem infligendam, alioquin posset per sententiam reipsa reparari contra suppositum, propterea non subsisteret amplius ratio visitationis paternæ, & charitativæ correctionis appellationem suspensivam excludentis, ultra jus naturæ non denegandum Regularibus, a gravamine sic irreparabili se tuendi, ut in primo tomo loc. cit. satis ostensum est, & passim ratiocinantur Doctores conglomerati a Peyrino de subd. *qu.* 1. *Cap.* 20. *quibus* subscribit Ant. a Spir. S. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 5. *a n.* 789. Sed aperte docet famosum Decretum S. C. Episc. quod attulimus n. præcedente a Clemente PP. VIII. approbatum §. *In causis vero &c.* nisi ad verbum transcripto; adeo ut fore appellationi locum in casu hujusmodi gravaminis esto in decretis respective adderetur clausula *Appellatione remota* velint Murga *qu.* 5. *supra per tot.* Passerin. ad titul. de appellat. *n.* 545. Pignattell. *tom.* 2. *consult.* 61. *n.* 6. Cardin. Petra ubi supr. addens decis. Rotæ *n.* 13. Statuta autem Religionum in contrarium si adducantur abrogari debere tamquam injusta subdit Petra ibidem *n.* 14. Gravamen tamen dixi debere esse non tantum irreparabile sed etiam excessivum, eo quia gravamen aliquod irreparabile simul & notabile possit aliquando contingere quod appellationis ad devolutivum solummodo sit capax, tum quia non habeat tractum successivum, tum propter scandalum aliquod oriturum; ut si quis Sacerdos provectus injuste & præter leges ob imputatum defectum minime gravem jubeatur in pane & aqua genuflexus se mortificare coram tota communitate: in quo quidem casu nequaquam fas esset Superiori jubenti publice contradicere item propter scandalum, sed non posset negari licitum ipsi ad majorem Superiorem habere recursum seu appellare, qui teneretur Visitatorem vel Superiorem illum in-

indiscretum ipse corrigere & respectivè mortificare, & sic gravamen, quamvis respectu personæ gravatæ notabile atque irreparabile, posset dici capax appellationis ad devolutivum, non vero ad suspensivum. At gravamen irreparabile non tantum & notabile sed & excessivum absolute loquendo, sterneret pro certo viam appellationi quoad utrumque effectum, secundum Jura & DD. *Cap. De Priore tit. de appell. Cap. Pastoralis in fin. de sent. & re judic. Cap. Qui in Ecclesiarum de constit. n.* 3. cum concordantiis. Qui sane modus loquendi de gravamine excessivo usurpatur & exprimitur in citatis juribus: ibi in Cap. *Ad nostram -- Nisi in correctione excedatur modus*: & in *Cap. de Priore* ibi. *Prælatus cum enormiter castigat*. addita Gloss. *Quando Prælatus excedit modum in correctione*. Confirmantque decreta in *tom.* 1. *tit. de ann.* 1587. & 1588. quæ refert Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 61. *n.* 9. & *tom.* 10. *consult.* 123. ubi excessus præcise notatur.

6 Si deinde quæratur, quodnam revera foret gravamen irreparabile simul & excessivum in casu. ℟. Ultra dicta in dubitatione VIII. *sect. ii. n.* 7. præcipue sub §. II. de quibuscumque Ecclesiasticis visitatis, in præsenti sermone præcipue de Regularibus esse comminationem seu inflictionem imminentium censurarum, itaut ab ipsa utpote injusta vel prætensa tali posset appellare quoad utrumque effectum subditus a Prælato visitante vel alio Superiore gravante; censura namque signanter excommunicatio major censetur mors spiritualis &c: *Cap. Delictus de appell. Cap. licet de sent. excom. in* 6. Sylvester *in sum. V. Appellatio n.* 4. Naldus eodem tit. *n.* 5. Lezana tom. 2. *V. Appellatio n.* 11. estque communis ad normam supradicti celebris Decreti sub Clemente VIII. de an. 1600. n. ibi 21. Sicuti etiam similis posset interponi appellatio secundum communiorem sententiam, a declarativa, declarans etenim in casu censuras quem incurrisse, posset item injustitiam committere vel ex ignorantia vel ex malitia, in quo casu procederet contra mentem infligentis, propterea appellationi uti supra etiam daret locum. Bonac. de censdisp. 1. *qu.* 2. *punct.* 2. Lezana cit. *n.* 11. Sgrai *part.* 8. *Cap.* 2. *n.* 4. & 5. ubi citat Abbatem, Scacciam & alios. Quamvis citatus ab eo Scaccia videatur potius asserere contrarium, nempe quod nequaquam appellatio detur a declaratione excommunicationis incursæ. *tract. de appell. p.* 17. *lim.* 22. *n.* 1. & 6. cui consentit Ricc. in prax. *p.* 4. *resol.* 18. *n.* 2. & *seq.* ubi quod ita observet Curia Romana Sperell. *decis.* 43. *n.* 42. *lib.* 1. & *dec.* 160. *n.* 57. *lib.* 2. Cæterum certum est appellationem non dari ab inflictione secuta censurarum seu a censuris actu latis licet injuste; trahunt siquidem hæ secum executionem. *Cap. Item* §. *fin. de sent. excom. in* 6. & *Cap. Pastoralis* §. *Verum de appell.* videndus Peyrin. Doctores congerens *tom.* 1. *de subd. qu.* 1. *Cap.* 20. §. *un.* nec non Lezan. cit. n. 11. Quod si fulminarentur censuræ sub conditione, pronuntiaret ex. gr. Superior contra peculiarem subditum. Si ingrediaris talem domum declaro te excommunicatum, tunc valere quoad utrumque effectum appellationem subditi legitime interpositam, sentiunt Doctores relati a Lezana n. eodem.: quamquam videatur limitari hæc doctrina ad censuras ferendas ab homine tantum, quia latæ a jure semper præsumuntur justæ. *l. Si quæ pæna ff. de verb. signif. Cap. facta sunt autem & Cap. erit autem dist.* 4. Considerandum ideo Decretum S. C. C. in Tropien. 17. *Martii* 1619. relatum a Barbosa in collect. Bull. *V. Appellantes* sequentis tenoris -- *Appellatio non est admittenda a comminatione Episcopi facta contra incurrentes excommunicationem & alias censuras Ecclesiasticas a jure latas ad dicendam causam quare non debeant declarari incidisse, secus si comminatio fiat contra aliâs delinquentes ad effectum illos excommunicandi ob aliquod delictum sub pæna excommunicationis ab homine latæ* quod invenitur quoque apud Pascucci *part.* 1. *pag.* 149. & tamquam applicabile casibus in hac materia Visitationum affertur a Lezana *d. n.* 12. A censuris autem vel latis, vel declaratis quomodocumque qui se gravatum senserit in Visitatione sive actis ejusdem, posset proculdubio appellare quoad devolutivum saltem, & appellationi teneretur deferre Superior seu Judex ad quem, atque in suppositione quod Visitator injuste vel contra leges processerit, eundem punire, ne daretur hujusmodi exorbitantibus gravaminibus ansa. Navarr. in *man. Cap.* 25. *n.* 25. Peyr. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 20. §. *un. dicto* 3. & post eum Lezana *n.* 11. sæpius citato uniformiter item ad Decretum famosum sub Clemente VIII. apud Matteucci inter alios Cap. V. §. Appellatio *n.* 18. 19. & 20. nec non alteri S. C.C. quantum ad Delegatum Apostolicum Regni Sardiniæ uti supra *n.* 5. §. 11. *in fin.*

7 Sed in casu suspensionis quæ propriæ non sit censura, videlicet a munere Superioratus

ratus vel ab alio officio publice honorifico puta Ministri Noviciorum Lectoris Concionatoris, non vero a quocunque minori per se ad nutum amovibili; tenebitne appellatio quoad utrumque effectum? Respondetur affirmative. Suspensio siquidem hujusmodi injuste illata saltem ut talis prætensa, gravamen inferret irreparabile & exhorbitans ad minus arguitive, induceret videlicet apud opinionem communem argumentum gravioris criminis pœnam inter graves computatam promerentis. Navarr. *lib. 2. cons. de appell. cons. 6.* Rodriguez *tom. 1. qu. Regul. qu. 29. art. 5.* Spathar. *part. 4. tr. 10. Cap. ult.* Peyrin. de subd. *qu. 1. Cap. 20. §. un. dicto 3. ∛. Dices*. Sanctor. de pœn. *Cap. 1. qu. 3. per tot. signanter. Resp. 4. ∛. In quo suppono*. Cui rationi, ad probandum assertum, addo aliam supra adductam contra pœnam ordinariam &c. Vel siquidem Visitator suspendens infligeret hujusmodi pœnam cum prævio processu & tunc excederet evidenter Visitationis paternæ limites, appellationi per consequens quoad utrumque effectum locum præberet. Berti prax. *tr. 4. Cap. 28. per tot. & Cap. 21. n. 3. & 4. ex Cap. Romana de cens. §. Sane* juncta Gloss. Tridemt. *sess. 24. Cap. 3. & sess. 25. Cap. 8. & 20.* de reform. concordantibus pluribus S. C. Decretis apud Pignatel. *tom. 8. consult. 146. & tom. 10. consult. 123.* vel absque processu prævio se gereret in eadem infligenda pœna, & tunc non minus indubitanter appellationi præfatæ subjaceret, omnia quippe excederet jura, processum prævium ad pœnam gravem ipsammet inferendam, exigentia. Clement. *Sæpe de Verb. signif.* & per textum *in Cap. olim de accusat.* & Gloss. ibi. *V. Copiam*. Abbas expresse pro Regularibus *in d. Cap. olim*. Villoget. in *pract. crim.* Can. *lib. 6. concl. 3.* Berti *tr. 5. Cap. 2. n. 19. & Cap. 5. per tot.* Sanctor. item fuse de pœn. *Cap. d. 1. qu. 3. respons. 4. & seq.*

8 Gravamen pariter excessivum enorme reputatur indebita carceratio propria atque formalis, lædit namque irreparabiliter, atque enormiter famam Religiosi cui magis quam alterius laici universaliter loquendo prospiciendum est, propterea appellationem etiam quantum ad suspensivum admitteret proculdubio: & Decreto S. C. C. relato per Quarantam. *V. Archiepiscopi auctoritas* & repetito per Paulinum Berti. *tit. 27. Cap. 4. n. 3.* prout supponitur quoque in alio sub Clemente VIII. de anno 1600. & consentiunt Doctores passim Franchea de appellat. *Cap. super eo* 20. *n. 1. 2.* Rebuff. in concord. *tit. de formul. appell.* Peyrin. *de subd. qu. 7. Cap. 13.* Sanctor. de pœn. *Cap. 40. q. 7.* de Anen. *tit. V. qu. 18. n. 99.* & nos diximus *tom. 1. dub. 4. n. 7.* sed latius *dub. VIII. sect. ii. n. 7. §. 1.* A Testum nis autem id de carceratione propria & formali qualis non reputatur communiter carcer ad custodiam seu inclusio in domo disciplinæ. Julius Clar. *qu. 46 ∛. Sed quid si reus*. Sanctorus & Pater de Ameno *locis citatis*, quæ tamen ad puram custodiam appellationem permitteret ad devolutivum, est enim semper notabilis injuria non supposito defectu eam merente attenta etiam qualitate personæ. Peyrin. cit. *∛. Noto primo & noto 2.* Sanctor. *Cap. 4. cit. qu. 1.* Tortura similiter non est dubium quod excessive torturatum Religiosum gravaret, quippe cum sententia ejus non sit per definitivam reparabilis, ut omnes concedunt; verum ista processum supponit jam ceptum necessario, hinc ad Visitationem paternam nullatenus pertinere evidens est. Quodcumque denique gravamen, quod non posset ulterius a Superiore majori absolute reparari, & exorbitanter læderet famam vel personam Religiosi, appellationem non posset non admittere licitam etiam quantum ad suspensionem juxta commonem Doctorum. Navarr. *Comment. 3. de Regul. n. 5. & lib. 7. consil. de sent. & re judic. cons. un. n. 6. & tit. de appellat. cons. 4. n 1.* Azor. *lib. 12. instit. mor. Cap. 11. qu. 8* cum aliisque permultis cumulatis per Ant. a Sp. S. *tr. 3. disp. 6. sect. 5. n. 785.* Cum hac tamen conditione, quod gravamen ut diximus supra, debeat esse respective saltem ad personam excessivum, ac insuper certum atque manifestum, nec sufficeret dubium: Murga, Passerinus, pluresque apud Petram *tom. 3. cit. ad const. 4. Bonifac.* VIII. *n. 15.* Ideoque scripto foret exponendum ad hoc ut de certitudine ejusdem constaret. Cum etenim mandatum de non appellando ab actis in Visitatione & correctione morum habeatur in Religionibus signanter tamquam privilegium ut aliquid operetur supra communem legem, debet restingere apud Regulares ipsos appellationem quantum sit possibile respective ad alios Ecclesiasticos & Laicos, quibus in dubio excessus adhuc appellatio concederetur; attento prudenti ratiocinio Patris Lezanæ *to. 1. Cap. 9. n. 7. & 8. & V. Appellatio n. 11.* Antonii pariter a Sp. S. cit. *n. 791. &c.* Adhibita etiam cautela addam ego, quod appellationes præfatæ nequaquam in publica com-

Communitate cum scandalo & apparente spretu Superioris interponantur, sed extra coram honestis viris cum reverentia parique humilitate & propter obsequium Superioribus ipsis debitum, & ne ex præsumpta arrogantia appellantis ejus causa detrimentum pateretur, atque injuste gravantis malitia adversus præjudicatum rationem de proprii honoris declamatam læsione valeret emendicare. Quo si non obstante, nollet hic appellationi justæ deferre, nil proficientibus etiam mediis aliis, juxta instructionem Patris de Ameno pract. crim. *tit.* 13. *n.* 13. *seq.* & gravatum subditum ad pœnam subeundam vi adigere non desisteret, conscientiæ Superioris seu Judicis ad quem pro certo incumberet exemplariter iniustum tyrannum punire, oppressione & injusta violentia probata prius, quemadmodum namque erraret Judex appellationis cuicumque etiam frivolæ deferendo, ita puniendus proculdubio foret si appellationem ab evidenti excessivo gravamine parvipenderet. Videatur Petra Eminentissimus *n. cit.* 17. ubi pœnam judici non deferenti in casu apte recenset. Cum alias utrique Superiori & a quo & ad quem vindicta supremi Judicis indeclinabiliter imminet, ita ut unus & alter fateri cogeretur aliquando -- *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis & vindictam pauperum p.* 139. *n.* 13.

9 Clarum est deinde apud Regulares appellationem sicut quemcumque alium recursum debere fieri gradatim ad tenorem Constitutionum cujuscumque respective Religionis ac etiam Pontificiarum quas citant Auctores esto non moderniores: nempe *Sixti V. Constit.* 22. *Ad Romanam*. Ultra Decretum S. C. peculiaris ab eodem Sixto V. deputatæ de anno 1587. cujus scopus licet sit proprie prohibere accessum Regularium respective ad Sanctam Sedem & ad Urbem sub prætextu gravaminum a Superioribus sibi allatorum, tamen ibi gradus appellationis tenendæ ut infra aperte specificantur. Constitutionis item Clementis VIII. signanter pro Carmelitis *n.* 110. *de anno* 1604. Ejusdem pariter Pontificis pro Augustinianis sub eodem anno, sicuti Bullam ejusdem tenoris pro Servitis refert Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. taliter ut a Superiore locali ad Provincialem seu Visitatorem gerentem vices generalis, a Provinciali & Visitatore ad Patrem Generalem ipsum, a Generali ad Cardinalem Protectorem &, ab hoc ad Apostolicam Sedem videlicet ad Sacras Congregationes respective & ad ipsum Papam appellationes & recursus esse practice adhibendos, præceptive legitur in dictis statutis passim & Pontificiis Sanctionibus, in quibus tamen advertere est omnino necesse; qualiter gradus appellationis aut recursus injunctus vel permissus a P. Generali ad Eminentissimum respective Religionum Protectorem per S. M. Innocentium PP. XII. sublatus est in Constitutione incipien. *Christifidelium de anno* 1693. *quarto decimo Kalendas Martii* Apud Julium de Venetiis in sua Chronologia *pag.* 243. ubi inter alia cognitio cujuscumque causæ ad Religiosos in communi & in particulari spectantis ipsismet Cardinalibus Protectoribus interdicitur absolute, & super hoc conscientia tum in subditis appellantibus seu quomodocumque recurrentibus aut scientibus tum in Prælatis sinentibus & permittentibus serio oneratur. Ampliatur autem hic articulus scilicet non interpellandi Protectores ad quascumque appellationes & quoscumque recursus etiam extra actum visitandi in qualibet occasione in qua Subditus a Superioribus Ordinis gravatum se sentiat aut prætendat. Quod si deinde quæsitum fiat de appellationibus & recursibus Regularium ad Legatos Summi Pontificis ipsiusque Nuncios Apostolicos in partibus. Attentis usque modo dictis respondendum foret valere equidem appellationes & recursus hujusmodi per Regulares a Superioribus ad Legatos & Nuncios præfatos interpositos præsertim servata prius intra Claustra præscripta methodo, sed consideratis diplomatibus sive Brevibus in quibus ab Apostolica Sede facultates eorumdem Legatorum &c. numerari & assignari solent magis & minus extensæ: justa præmissa dubit. 5. sect. 2. tom. 1. exceptis item causis quæ Sedi ipsimet Apostolicæ regulariter censentur reservari, ac non nisi specialiter demandari solent dictis Legatis nec propterea in generali concessione reputantur inclusæ ut ibi. Licet in dubio recursus rite interpositi nec ne pro Legatis & Nunciis videbitur resolvendum eo quia in distantia maxima a Romana Curia & persæpe a loco residentię Superiorum altioris gradus æquitas suadeat quod aliquis possit adiri Judex qui causas minime delationem patientes; non autem reservatas & exceptas ut mox dixi citius terminet; attentis uti supra diplomatibus Card. de Albici de inconst. in Jud. qu. 50. n. 12. Favente etiam Decreto S. C. C. in Colonien. jurisdictionis 13. *Septemb.* 1690. Ubi appellatio ad Nuntium Apostolicum Coloniensem per Commendatarium Cappel-

pellarum Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani se gravatum sentientem interposito a Decreto Magni Prioris Germaniæ fuit declarata valida ideoque sustinenda Decr. lib. 40.

10 Hæc equidem resolvenda forent esto In adductis & Religionum & Sedis Apostolicæ statutis decretisque seu constitutionibus antiquioribus sustinemus. Verom novæ provisiones & Apostolicæ ordinationes super hac eadem re distinctius emergunt pro Ordinibus sive Religionibus pluribus prout in recenti Constitutione BENEDICTI XIV. *Cum sicut dilecti filii* emanata die 19. Septembris 1746. perspicue describuntur. Asseritur ibi siquidem alias ipsummet Regnantem BENEDICTUM pro Ordine Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum & recol. itidem mem. Benedictum PP. XIII. pro Ordine Fratrum Prædicatorum confirmasse & renovasse supradictum Decretum S. C. sub Syxto PP. V. & alias Romanorum Pontificum literas appellationem accusationem & recursum præscripto ordine minime servato prohibentes, ac pro Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini præcepisse ut recursus & appellationes gradatim fierēt a Superiore locali ad Provincialem, deinde ad Generalem & tandem ad Sacram Congregationem; nec non Clementem PP. XII. idem Decretum & easdem literas extendisse pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, ac præcepisse Cardinalium Congregationibus, ne causas & lites dicti Ordinis reciperent nisi gradatim a Superioribus deffinitæ fuissent, ac dictam prohibitionem extendisse etiam pro memorato Ordine ejusdem Sancti Augustini ac pro Ordine ejusdem Sancti Augustini Excalceatorum nun. cupatorum; necnon pro Congregationibus Monachorum Sylvestrinorum & Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum; idemque pariter pro Ordine Sancti Francisci Conventualium concessum extensum & provisum fuisse; hujusmodi provisiones repeto recensentur in novissima Constitutione mox citata BENEDICTI regnantis XIV. incipien. *Sacrosancti &c.* quæ edita fuit ad preces Reverendissimi P. Generalis Raphaelis de Lugagnano pro toto Ordine Minorum Observantium & Reformatorum; prout uberius de iisdem Minoribus infra. Unde Satis aperte constat prohibitos esse recursus etiam ad Sanctam Sedem, nisi servato prius ordine præscripto per memoratum S. C. sub Sixto V. Decretum sub pœnis quæ in ipsismet Constitutionibus pro qualibet Religione respective editis continentur. Ad quorum pleniorem notitiam advertere non omittimus quod hujusmodi ordinationes nequaquam inter Regulares communicationem sortiuntur, sed uniuscujusque Religionis obtenta diplomata consideranda sunt, nec extra illam obligationes extenduntur ad cæteras quantum ad substantiam & modum atque impositionem pœnarum, quatenus in iis sit varietas atque difformitas: communicatio nempe non contingit in odiosis & pœnalibus, quia nullibi habetur in jure. Confettius & Sorbus citati a Lezana *tom. 2. Cap. 1. n. 52.* Ultraquamquod cum agatur de jure, quod a se abdicat Summus Pontifex & quo Sacras Congregationes veluti spoliat acceptandi appellationes & recursus immediate, debet utique interpretatio restringi ad usum privilegii pro Religione cui conceditur expresse, nec ampliari ad alias cum diminutione ipsius AuctoritatisPontificiæ pro cujus integritate stat quæcumque præsumptio præcipue in casu appellationis. *Cap. Ad Romanam. Cap. Quoties 2. qu. 6.* Abb. *in Cap. dilecto 66. de Appell. n. 11.*

11 Appellatio itaque quæ non servato ordine sic præscripto immediato ad Sanctam Sedem fieret validane censenda foret & idcirco attendenda a quibus respective de jure? Neque valere, neque attendendam fore censent Doctores etiam vetustiores in majori numero passim ratione dicta; quia Constitutiones sive Sanctiones ordinis in appellationibus, immo quibuscumque recursibus assignantes sunt præceptivæ, & Sedes Apostolica propter bonum commune Religionum proprio juri in hac parte renuntiasse reputatur, sicuti abrenuntiare potest, & in aliis privilegiis Religioni cuipiam collatis pariter renuntiat, ut juri colligendi vectigalia & contributiones respectu peculiarium Mendicantium &c. Ita Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 5. lib. 2. Cap. 11. n. 2. 13. & 16.* Sanchez *lib. 6. in decal. Cap. 8. n. 108. & 109.* Allegantes præcipue prohibitionem factam Cistercienfibus appellandi per saltum etiam specifice ad Sedem Apostolicam sub pœnis excommunicationis: idemque privilegium concessum Canonicis Regularibus asseritur & Minoribus a Julio II. & videntur subscribere Lezana *tom. 1. Cap. 9. n. 6.* Diana *part. 2. tr. 2. resol. 54.* atque Anton. a Sp. S. *tom. 3. dub. 6. sect. 5. n.* 188. qui ad summum admittit recursum immediatum ad Papam cum exclusione cujuscomque alterius ad tenorem Bullæ Urbani VIII. per se citatæ pro Benedictinis Hispaniarum de anno 1624. vocatque quemlibet usum in con-

trarium corruptelam. Sed fortius id sustinerent Doctores iidem, sicut sustinent hisce temporibus moderniores: propter recentius editas & numero præcedente recensitas prohibitiones per saltum, quæ licet Ordines pro quibus emanarunt absque communicatione cum cæteris adigant quoad substantiam, modum pœnasque inibi impositas tamen sub una vel altera forma unicuique fere concessæ & demandatæ legantur pro Ordine Minorum Observantium & Reformatorum signanter, de quibus specialis in posterioribus numeris mox agemus, ne voluntarie & absque fundamento ullo inutiles & invalidas ipsasmet pronuntiare præsumamus, contra fas & contra expressa jura. *l. licet Imperator ff. de Legatis* 1. *& l. Illo aut illa ff. de Legatis* 111. *Can.* 2. *dist.* 4. *Cap. ad audentiam* 12. *de Decim. & Cap. Porro* 7. *de privil.* Abb. *Cons.* 97. *num.* 5. *lib.* 2. Card. Tusch. *lit. V. Concl.* 508. Barbos. Ax. 222. *num.* 32. Ex Reg. *item juris* 88. *de Reg. jur. in* 6. nec est discrepantia quoad hoc.

12 His non obstantibus nequaquam defuerunt neque adhuc desunt qui super præfata doctrina accuratius distinguere velint. Primo etenim conveniunt cum cæteris omnibus appellationem atque recursum esse prohibitum Regularibus a correctione suorum Superiorum ad Judices extraneos sive ad Tribunalia Magistratus vel Personas insignes Sæcularium: Regularibus quidem quibuscumque absque exceptione per jus commune in *Cap. Ad nostram de appellat. & Cap. reprehensibiles §. ne Religiosi eod. tit.* De his Religiosis in specie pluribus distinctorum Ordinum per peculiares Summorum Pontificum Sanctiones sub pœnis inibi espressis referente Cassarubio in Compendio privil. Mendic. *V. Appellare* sed signanter Carmelitis per Clementem PP. VIII. in Bulla quæ est *n.*10. *edita de an.*1604. ubi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo ipsi Pontifici reservatæ, nec non privationis perpetuæ officiorum obtentorum & inhabilitatis ad quæcumque alia vocisque activæ & passivæ ipso facto absque declaratione ulla incurrendis Carmelitis dictis inhibetur *ne ad ipsa Tribunalia Saecularia quovis prætextu seu quæsito colore appellare vel ad illa CONFUGERE aut ea propterea quoquomodo ADIRE audeant & præsumant*: extenditque pœnas ipso facto contra Consultores & Fautores; ibi inferens ac precipiens ordinem appellandi sive recurrendi superius præscriptum &c. *tom.* 3. *Bullar. antiqu. pag.* 159. Similisque legitur prohibitio facta Augustinianis ab eodem Clemente VIII. in Bulla *Quoniam nostro*: de anno pariter 1604. Et prius Patribus Servitis *de anno* 1593. Quem sane recursum ad Magistratus & personas Sæculares tamquam inventum diabolicum apud Religiosos detestantur inter alios Sotus *de just. & jur. lib.* 5. *qu.* 6. *art.* 3. Arag. 22. *qu.* 69. *art.* 3. citati a Lezana *tom.* 1. *Cap.* 9. *n.* 5. Atque prohibere videntur quomodocumque adhibendum sive per saltum immediate, sive etiam post servatam recurrendi methodum superius assignatam intra Ordinem præfata jura ac Pontificia Decreta per verba illa Clementis Papæ signanter *quoquomodo adire &c.* Et quamvis speciales Constitutiones pro peculiari Religione ad reliquas non se extendant in pœnalibus, tamen non cessant exemplariter contra cæteras excessus sive defectus detestari. Veruntamen de istis recursibus ad Tribunalia Sæcularia fusius & magis proprie agetur in Dubit. XVII. subsequenti Sect. 2. n. 32. *seq.* inquirendo de potestate absolvendi ab hujusmodi excessu.

§. L Quantum deinde ad appellationem sive recursus ad Tribunalia Ecclesiastica extra Ordinem respective quicumque sit, nimirum ad Legatos, Sacras Congregationes, Summum ipsum Pontificem, conveniunt pariter omnes, quod possint adhiberi in praxi post servatos recursus & appellationis gradus intra Claustra; prohibitio etenim quæcumque in casu ponendi dumtaxat appellationes recursus item per saltum non servato prius ordine præscripto sive appellandi sive recurrendi ad Superiores in Religione gradatim; non enim dici possunt *extendi ad non expressa ex l. præcipimus C. de appell. l. si vero §. de jure ff. solut. matrim.* ubi Bart. *in sum.* DD. concordantibus. Recursus autem ad Legatos & Apostolicos Nuncios post experta in Religione judicia in rebus tamen levioris momenti & dilationem minime patientibus, non tamen in causis magni ponderis & interpretative reservatis ad ipsam Sanctam Sedem, item admittunt juxta doctrinam superius traditam numero 9. circa fin. Verum de isto pariter recursu ad Tribunalia Ecclesiastica extra Ordinem inclusis tribunalibus Episcoporum distinctius & opportunius agetur in Dubit. eadem XVII. Sect. II. num. 36. Porro controversia magis urget impresentiarum circa principale quæsitum. An appellatio scilicet sive recursus a gravato Religioso ad Sanctam Sedem immediate non servatis gradibus de quibus agitur atque per saltum, valeat & teneat & non obstan-

obstantibus allegatis diplomatibus Decretis & Sanctionibus ab iis quibus de jure debeat attendi? Et adhuc affirmative respondebant ante Constitutiones ultimo per Benedictum recol. mem. XIII. Clementem XII. felicis pariter record. & BENEDICTUM in Solio Petri actu sedentem XIV. pro diversis enarratis Ordinibus editas, Auctores Classici. Covarr. in pract. *Cap.* 4. *n.* 9. Rodriguez in prax. crim. *tit.* 27. *de appell. n.* 29. Peyr. de privil. *tom.* 3. *fol.* 427. *n.* 14. de Ameno de delict. & pœn. *tit.* 2. §. 3. *n.* 46. Privilegia namque concessa Regularibus (ecce eorum ratio) nunquam contra Papæ & Sanctæ Sedis auctoritatem militare interpretanda sunt: quod si proprio juri propter bonum commune Religionum respective renuntiare valeat in aliquo casu Pontifex Summus veluti initio numeri XI. adducebatur, id tamen non ita facile debeamus asserere in casu isto, in quo non sic in aliis Supremum Principis Dominium vulneratur: velando quasi faciem ejus, ne oppressus subditus eum respicere & benignum auspicari queat, & restringendo potentiam ne se solo perficiat quod per dependentes & inferiores Judices continuo operari non desistit. Ultraquamquod & si Supremus Princeps & Judex proprio juri cedere vellet per generalia verba, & mandatum in genere ob relevans inde bonum quod haberet præ oculis in tota Communitate Religionis respective privilegiatæ, nullatenus est præsumendum quod suffocare intendat jus naturale cujuspiam oppressi in aliquo casu, in quo esset adversus ipsum colligatio inita & persecutionum juncta catena inter Superiores ab ultimo usque ad primum, ut legimus non una vice successum in Chronicis Ordinum respective signanter contra reformationis morum zelatores, aut in scientia & speciali aliqua dote cæteris eminentiores; prout etiam recentiora exempla possunt in medium afferri. Non ergo in hujusmodi emergente casu autumari posse, quod justissimus Legislator, & Vicarius espertissimi divini Judicis in terris velit occludere os de passa expressione congoerenti, & istud ultimum effugium recursum habendi ad sui unice paratam rectitudinem in judicando negare signanter a viro Religioso, ita quod si haberet recursum de facto incurreret ipse in gravissimas ultro pœnas; id inquam de supremo justissimo Judice nequaquam autumari fas esse, contendunt & concludunt. *Ex Cap. de Priore de appellat. Cap. licet de Off. Ordin. & Cap. Supra quæ* ℣. *Nos autem de Off. legat.* Navarr. *Consil.* 3. *de Regular. n.* 51. *& lib.* 2. *consil. tit. de sent. & re judic. consf. unico n.* 6. *& tit. de appellat. consf.* 4. *n.* 1. Azor. *lib.* 12. *instit. mor. Cap.* 11. *qu.* 8. Specialesque casus assignat Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 35. per tot. citans pro se Speculatorem *lib. de appell.* §. *nunc tractamus n.* 3. Felin. *in Cap. super quæstionem* §. *Porro n.* 3. Follent. 3. præter Abbat. Franchus & alios, sicut & potest ad propositum doctrina applicari Cardinalis de Albericis, quod etsi nimirum Supremus Princeps a se judicium abdicando deputaret Judices certos & causas juberet apud eos terminari remota appellatione ad se ipsum, adhuc appellatio ad ipsummet tanto magis recursus valeret & quod ut acceptaretur esset æquum: de inconstantia in judic. *qu.* 42. *per tot.* ubi pariter quod hæc quæstio accerrime disputata fuit in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis sub Pontificatu V. S. D. Papæ Innocentii XI., & insuper quod neque admittatur consuetudo in contrarium firmavit Rota in dec. 148. numero 8. part. 16. rec. Quod si pro negativa sententia sectatores ejus urgerent nequaquam impediri per Bullas & Decreta appellationem tanto minus recursum ad supremum Judicem & Sanctam Sedem, sed interdici dumtaxat per saltum & non peractis prius judiciis gradatim intra Claustra; neque deesset contra adductam instantiam non inopportuna replica, quod nimirum in casu concordatæ persecutionis adversus invisum zelatorem aut de Religione benemeritum, inter Superiores se gradatim subtrahentes, tot vexationes minæ & expertæ injuriæ inevitabiliter insurgerent, ut ille interminatis dilationibus defatigatus sistere & silere cogeretur, vel in carceribus tabescens (non sunt impossibiles casus in regestis Sacrarum Congregationum descripti) aut eorum vi consumptus vitam terminaret prius, quam a supremo tribunali auditus formiter inciperet causam, eo vel magis quod apud Romanam Curiam adeuntes, subodorato probabili recursu enormiter sic gravati, omnes prævenire & preoccupare justitiæ tramites, ne aliquando eidem aperirentur, pro certo satagerent: ambitiosum, inquietum, justis & prudentibus Superiorum sensibus & judiciis numquam acquiescenti, quot in casu notas: imputaret conspiratio! Aliæ etiam responsiones ad Bullas Pontificias Sanctionesque Apostolicas atque Religionis statuta legi possunt apud Patrem de Ameno de delict. & pœn. tit. cit. 2. §. 3. *n.* 23. 46. 47. ubi toto conatu recursum ad tribunalia suprema etiam

per saltum nititur tamquam utilem immo pluries necessarium inter Religiosos cohonestare.

§. III. Quid igitur in re tanti momenti? Ubi & quoties verba legis clara sunt, interpretationi ullatenus non relinquent locum; itaque in sanctionibus atque Decretis emanatis olim pro diversis Regularium Ordinibus sed in recentioribus præcipue superius recensitis distincte clare & grammaticaliter pluries pro Religionibus respective prohibitio replicata legatur Religiosis subditis in unoquoque earum appellandi, sive recursus habendi in casu ad Congregationes sacras, atque ad ipsam Supremam Sedem, sub pœnis vel in Constitutionibus respective ipsorum Ordinum vel per easdem sanctiones & per decreta novissima taxatis & expressis, perperam quisque se gereret pro certo de obligatione seu vi obligandi earum dubitando. Non posse per consequens subditos recensitorum Ordinum concludimus appellationes interponere sive recursus dirigere ad ipsam Sanctam Sedem immediate & per saltum, ad summum Pontificem nempe, vel ad Congregationes Sacras, antequam per gradus in Religione assignatos & in Bullis, appellatio ascendat & recursus de uno ad alterum Superiorem progrediatur. Sic exigente obedientia & reverentia erga Summos Pontifices supremos Dominos a Religiosis quibusque debita. Nec ullius potestatis est adversus hujusmodi generalem regulam & conclusionem blacterare, cum nimis claræ sint leges & manifesta subjectio. At in casu descripto, impossibili nequaquam, cujuspiam Religiosi inter angustias undique pressi & conspirationibus expositi Superiorum iniqua unione inter se colligatorum, non auderem proferre quod justissimus & supremus Judex Vicarius ejus in terris qui facit judicium inopis, inauditum vellet permittere defatigandum & suffocandum ita & taliter, quod eloqui si tentaret pro recursu indignationem promereretur & graves pœnas deberet incurrere; unde licet consulendus de patienter sustinendo in afflictione foret, potius quam Religionem de persecutione injusta & iniqua cospiratione eidem illata infamare, cum præjudicium sit tolerabilius in membro quam in toto Religionis corpore per læsionis notam, ut Lezana pius & prudens collaudat *cap. d. 5. n. 7.* Tamen an posset interpretari Legislatoris mens ut oppressionem gravissimam subditi juste recurrere tentantis vellet permittere, aliis relinquo concludendum. Unum memoro cum Roderico jura plura citante, quod Princeps numquam potest præsumi velle aliquid injustum. *tom. 7. qu. 4. art. 2.* Adderem quod non per hoc intendunt adducta privilegia pervertere ordinem juris, quoties in causis procedatur juridice, ita quod neque recusari Judex inferior & adiri alter Superior in gradu, quando verum & legitimum occurrit recusandi motivum, hoc etenim foret progredi gradatim in ipsa recusatione quæ pari passu fere ac appellationum concomitatur in necessariis, ex præhabitis *tom. 1. dub. 4. n. 3. pag. 119. & n. 18. pag. 127. seq.* Utrum autem possint recusari adhuc omnes Prælati & quicumque in Religionibus & simul appellatio interponi extra ad Congregationes & Papam in causis mixtis quoad jus, & legaliter in foro contentioso introductis & agitatis. Contra hoc etiam faciunt allegatæ prohibitiones quæ cognitionem quarumcumque causarum quibuslibet tribunalibus extra Religionem petunt, nisi prius cognitæ & terminatæ intra Claustra gradatim componantur. Quamvis alii adducant casum recusationis legalis in causis criminalibus præcipue magni ponderis non esse exclusum expresse, prout foret necesse in odiosis, attentis juribus & communi sensu Doctorum. Videatur in hac materia doctus solers & pius Lezana *Cap. cit. 9. n. 6. ad 9. &c.*

13 Porro casum appellationis tanto magis recursus in extrajudicialibus cujuspiam miserrime oppressi contra colligatos Superiores in aliqua Religione signanter dixi non esse impossibilem: attamen vix quirem suspicari rarissimum, cum potius reprehensibiles quoties relevent e contra extra Religionem respective recursus ad Congregationes Sacras & summum met Pontificem immediate, non ab injuste oppressis sed sæpe ab inquietis & criminosis revera & sæpius adversus benemeritos viros ab invidentibus signanter sive malignantibus, ne illi ad gradus formidatos ascendant, & sic ineptitudini & ambitioni indigne aspirantium cedant locum: Pro reprimenda igitur speciatim horum perditorum hominum audacia & vindicando honore tum Religionis matris tum infamatorum fratrum quem pessumdare non erubescunt, rationabilissime editæ sunt provisiones & supra enarratæ Sanctiones, adhoc ut cogantur Religionis & Prælatorum in ea judicium experiri hi scelesti proditores priusquam Sacras Congregationes & Sanctam adeant Sedem, atque inputent. Quoties proinde hujusmodi recursus per saltum ad suprema tribunalia extra Religionem con-

contingerent, sciant recurrentes iidem ultra pœnas in Constitutionibus Pontificiis vel confirmatis per eas statutis contentas, etiam mortalem sine dubio culpam incurrisse, non propter inobedientiam tantum præcipientibus summorum Pontificum & aliis obligantibus legibus, sed & ob famam læsam Religionis matris cujus plagæ absconditæ deteguntur cum scandalo sæcularium ab uno casu consuetudinem ut in plurimum arguentium, atque ob damnum voluntarie illatum intra Religionem insamatis fratribus, quorum defectus intra claustra possent sufficienter corrigi. Tanto magis si crimina fratrum, quæ tribunalibus exteris exponuntur sint supposita, vel non nisi levibus auspicata indiciis & enormibus gravata circumstantiis, ut assolet peragi ab iis qui extra ambitionis elati super æmulorum ruinam, infamis fortunæ fabricam adstruere adnituntur. Detestabile flagitium, sed proh dolor, in indignis recurrentibus, licet non semel de falso vel injustitia convictis numquam in praxi punitum.

14 Pro Religione Minorum scilicet Regularis & strictioris observantiæ eadem valent absque dubio in præsenti appellationum materia; quæ de aliis respective Ordinibus præmissa hic sunt atque probata nihilominus non est fas æquum omittere speciales municipalesque Constitutiones, quibus distincte adiguntur ejusdem Religionis professi. Et quamvis nonnullæ adductæ jam fuerint signanter etiam pro ipsis in *tom. 1. Cap. I. dubit. iv. sect. iii.*; quia tamen confundebatur ibi promiscue Appellatio cum recusatione & de prima potius casualiter quam ex proposito agebatur. Idcirco non inopportuum duco distinctius impræsentiarum quantum ad appellationem in extrajudicialibus præsertim & Visitationem concernentibus, quæ Minoritas ipsos in specie tangunt explicare. Primo itaque prohibetur iis non secus ac Regularibus cœteris districte appellatio, quæcumq. a correctione morum & in causis otique Visitationum, per statutum expressum in *Cap. 7. Compil. Sambuc. §. 7. n. 1. & Cap. x. n. 9.* quæ inhibitio replicatur in practica criminali Ordinis *tit. Canones circa recursum ℣. Octavo a correctionibus &c.* prout in *dubit. iv. cit.* afferebatur *n. 26.* Sanct. *de pœn. Cap. 26. qu. 1. respons. 4.* Ludovic. de Ameno *tit. 3. pract. crim. qu. n. 82.* At non per hoc potest denegari subdito in casu proprii gravaminis & excessus in corrigendo respectu Visitatoris sive alterius Superioris appellatio a fortiori recursus etiam in Religione Minoritica sicuti in aliis, hoc enim est conforme juri naturali quod pro omnibus militat, ex dictis in *sect. præcedente n. 3. §. 1.* Et firmat Sanctorus Doctores cumulans *loc. cit. in respons. 3. & 4. ad qu. primam*: necnon P. de Ameno *in qu. 2. relata a n. 83.* Et est textus clarus practicæ criminalis in quo asseritur quidem nulli fas esse appellare *a correctionibus &c. tit. Canones ℣. Octavo*, ut in dicta *dub. iv. n. 26.* verum in fine textus debet addi exceptio dicta *n. 26.* non relata ibi: *nisi ubi notabiliter modus in mortificationibus excederetur; & non a pœna legis, sed a Judice pœnam applicante appellaretur*. Similiter potestas Visitantium limitatam in casu ad puniendum esse *juxta statuta*; ita ut in hoc supposito dumtaxat quæcumque excludatur appellatio: *Cap. cit. x. Sambuc. n. 9. ibi* « *Habeant Visitatores, & Ministri circa correctionem morum juxta tamen generalia, & Provincialia statuta potestatem puniendi ordinandi exequendi moderandi, prout Provinciarum utilitati expedire judicaverint; a quibus nulla appellatio inhibitio vel querela executionem impedire, aut suspendere poterit: nec prætextu talis factæ appellationis poterit quis ad præsentiam Prælatorum venire.* Ex quo pateuter constat, quoties correctio aut punitio juxta generalia aut provincialia statuta non succedat, aut illa excedat dari locum appellationis; juxta axioma tritum quod exceptio firmat regulam in contrarium. Everard. *in topic. legal. loc. 3.* Dec. *in Cap. cum dilecti n. 6. & 7. de confirm. util.* Barbos. *axiom. 85. n. 4.*

§. Un. Repeto nihilominus hujusmodi appellationes licet de gravamine aliquo notabili, dummodo juridice non procedatur valere ut in plurimum quoad effectum devolotivum secundum Patrem Sanctorum Barbosæ subscribentem *Cap. relato 26. in respons. ad quæst. 2. ℣. Item in causis Visitationis*; præcipue in facto transeunte, ut contingeret in præcepto se disciplinandi publice Patri alioquin probato & gravi, se mortificandi item in publica Communitate in pane & aqua sine caputio Clerico sive converso Laico propter defectus leves, & casibus consimilibus in quibus appellatio potius deberet dici recursus & querela, utpote post factum interposita; cum propter reverentiam Communitati debitam & præferenti Prælati formam minime esset contentiose ipsi respondendum a gravato subdito, sed potius patienter parendum ad prænotata in *d. dub. iv. n. 28.* Non sine obligatione ta-

tamen Superioris ad quem recursus deinde a gravato porrigeretur, Superiorem indiscretum subalternum qui contra fas gravaverit exempliter corrigendi & quatenus expediat puniendi: ut optime quantum ad hoc sentit P. de Ameno *cit. n.* 84. *seq.* colligiturque ex Card. Petra ad Constitut. pluries citatam 4. *Bonifac. VIII. n.* 17. In causis autem minoris momenti in quibus Superior visitans & arbitrarie procedens dubium insurgeret quod aliquantulum excederet, nullatenus appellationem aut querelam attendendam tenent Auctores qui supra & subscribit signanter pro Religione Minorum ipse de Ameno *tit.* 3. §. 8. *n.* 47. ✠. *Quod autem*. Et advertatur veluti potissima regula, pro cœteris etiam in genere Regularibus, quod quæcumque appellationis causa frivola censeatur in processu juridico minus attendenda sit in appellatione, seu quocumque recursu extrajudiciali, quoad correctionem morum, ubi lex generaliter appellationem prohibet; ex speciali doctrina hic applicabili P. Antonii a Spiritu Sancto citantis plurimos in direct. Regul. *tr.* 3. *disp.* 6. *sect.* 5. *n.* 791.

15 Cœterum divisiones quas adducit P. de Ameno ad textum pract. Crim. pro Minoritis. *tit.* 3. *qu.* 2. *n.* 83. Videlicet, quod gravamen aliud potest esse solum in apprehensione, ceu si subditus apprehenderet quodlibet verbum Superioris esse propriæ famæ læsivum, seu pœnitentiam vel minimam propriæ estimationi perniciosam, aliud appretiative tale, veluti si reprehensio nimis acris Superioris apud communem opinionem judicaretur subditom qualificatum maxime dehonorare; aliud vero gravamen reale per quod subditus in re & non in sola apprehensione gravaretur, ut per mortificationem in pane & aqua sine caputio. Ulterius aliud fore gravamen absolute, quod indifferenter pateretur Religiosus quilibet sive Sacerdos, sive Clericus, aut Laicus, & aliud denique comparative quod gravaret subditum attenta qualitate ejusdem, ut mandatum se publice disciplinandi Patri merito & seni. Has inquam gravaminum divisiones admittere libeat; verum Doctrinam ejusdem Auctoris in totum super hisce gravaminibus nequaquam sequor non examinato siquidem gravamine in apprehensione & imaginario; nimis indeffinite docet *n.* 85. quod subditus propter quodcumque gravamen in verbis post passam reprehensionem possit contra Superiorem reprehendentem *agere de injuria & de calumnia*; quod esset accusationem præbere & pro punitione Superioris illiusmet formiter instare. Frequens nimirum pro certo atque molesta decertatio; si propter quemcumque excessum Visitantium vel Superiorum subalternorum in verbis, teneretur Superior altioris Ordinis ad quem hujusmodi instantiis attendere. Eo vel magis, quod si in æstimatione audientium sistat gravamen apud opinionem eorumdem detur statim remedium imprudens namque & præceps in dictis judicatur subalternus sic excedens; & laudabilior evadit subditus qui prudenter & patienter gravamen transiens verborum tolerare malit: juxta illud Apostoli: *Libenter suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes*. 2. *ad Cor.* 11. Quod si pro libito suo vellet subditus in verbis gravatus apud Superiorem majorem nihilominus conqueri; non proinde congrueret agere contra Prælatum indebite corrigentem actione injuriarum & de calumnia; ut sentit citatus Auctor, sed humiliter illi excessum significare, quatenus data opportunitate valeret, honorem reparare gravati atque indiscretum Superiorem acriter monere ut deinceps in corrigendo cautius se contineret, sic religiosa charitate suadente atque prudentia. Videatur Peyrinus de Prælato *qu.* 2. *Cap. III.* §. 16. Excipio quidem & ego casum in quo nimis enormiter onestus subditus gravaretur in fama per verba delictum falsum imputantia aut excessive dehonorantia a forenti & extra se rapto Superiore respective: tunc etenim actio injuriarum haberet utique locum: attenta doctrina ejusdem Peyrini loc. cit. *Dicto* 2. *n.* 150. ipsiusque Patris de Ameno in ea suppositione accepta n. ubi supra 89.

16 Illud etiam quod addit laudatus Auctor posse subditum quoties Superior arbitrarie procedens excedit pœnam rationabiliter debitam appellare super reale gravamen, adducens exempliter etiamsi juberetur se disciplinare apud publicam Communitatem in illis Provinciis in quibus mos est quod id exequantur soli Apostatæ, atque interim executionem injunctæ pœnitentiæ ex se suspendere; ita ut utrumque effectum appellatio in casu sortiretur: pace eruditissimi alioquin Patris authoritatem Superioris nimium videtur ipse deprimere & subditis prætextum seu occasionem quærentibus inobediendi & pœnitentias injunctas non adimplendi ansam temeritatis suggerere; præcipue in nostra Religione in qua celebre urget Regulæ præceptum: *Fratres obediant suis Ministris* pro quibus Ministris veniunt secundum com-

communem sensum & praxim quicumque Superiores *in omnibus, quæ promiserunt Domino observare & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ* Cap. 10. In huiuscemodi ergo casibus in quibus prætenderet subditus se irrationabiliter gravari, nisi gravamen relevaret notabile simul & excessivum ad tradita superius sect. 1. n. 3. sustinerem præter scandalum alias eventurum, nec non ob reverentiam & Communitati & Superiori debitam obligari subditum ipsum ad parendum, inde quidem fore expediens ut Superior ad quem haberet querelam & recursum mortificatus excessive subditus, eum subalternum qui excesserit item mortificare ut etiam repetitum est superius n. 3. §. III. in fine & n. 5. post med. atque proinde insinuat idemmet de Ameno n. 85. 87. 89. Et sic subinferre liceret quoties gravamen esset aliquanto notabile vel absolute ut pœnitentia in pane & aqua absque caputio, vel comparative ut disciplina in publica refectione respectu viri probati & Sacerdotis senioris, & gravamen hujusmodi a subdito prævideretur quod posset hic equidem coram honestis viris ante refectionem extra Communitatem ad Prælatum maiorem appellare, ad hoc ut indiscretus Superior pœnitentiam irrationabilem cogitans ab ipsa infligenda abstineret; at in suppositione quod Superior ipse propositum suum adimplere vellet de facto, teneretur gravatus in casu humiliter parere ob reverentiam tum Communitatis tum Superioratus a quocumque ulteriori altercatione abstinens: neque ex hoc aliquam sibi irrogari infamiam apprehendere valeret pœnitentiatus ipse: culpa etenim non irrationabilis pœna dedecus parit tanto magis quod propter obedientiam patienter præstitam honor eidem maxime augeretur apud cordatos viros: juxta placitum ipsiusmet Doctoris de Ameno n. cit. 87.

§. Un. Propter quod addo; gravamen *notabile* in hisce casibus: interpretandum quidem pro eo quod mere infert infamiam veluti exponit mox laudatus de Ameno *tit.* 3. §. 8. *n.* 49. juxta aliquam glossam a se relatam; atque Abbatem *in Cap. de priore n. 2. de Appell.* Sed ad hoc ut vere inferat infamiam debere esse gravamen relevans in excessu prout ly *notabile* significat aliquod dignum speciali nota scilicet observatione & consideratione, quo termino utuntur in Bullis Summi Pontifices & idem sic sonat apud Grammaticos & Juristas in significatione propria. Quo posito proculdubio patet quod disciplinam subire in publico Refectorio etiam in Provinciis iis in quibus mos viget quod soli Apostatæ hanc adhibeant pœnalitatem, non sit tam magni ponderis gravamen & adeo speciali nota dignum ut vere irroget infamiam obedienti sicuti vult citatus Auctor n. dicto 49. Propterea que sistendo in hoc simplici motivo nequaquam licere pœnitentiato reclamare publice & media appellatione resistere concludendum apparet, attento eo magis statuto generali Simbuc. cap. 1. n. 7. ibi. *Qui Prælato suo in culpa vel in mensa in Communitate non habita prius licentia responderit &c. voce activa & passiva per triennium privetur aut si rebellis & inobediens inventus fuerit aut pœnitentiam impositam subire noluerit statim etiam trina monitione non præmissa carceri mancipetur donec &c.* Rueret enim totaliter æqua lex quoties subditus valeret publice non habita prius licentia Prælato corrigenti & pœnitentiam imponenti respondere causamque pœnitentiæ sibimet impositæ sciscitari & non assignante Prælato aut adducente falsam eam minime adimplere; & ita in a se allegato casu Sacerdos quilibet Superiori jubenti disciplinam publicam & renuente obiicere defectum seu pœnitentiæ motivum, nequaquam teneretur obedire, posset consequenter veluti a notabili excessu appellare ut exponit citatus Doctor extendens doctrinam alibi quoque *tit.* 18. *qu.* 3. *a n.* 19. Excessus siquidem posset reputari fortasse Superiori imprudenter se gerenti sed non ita gravis ut comparative obedientia publica contemneretur & statutum pro bono communi Religionis editum nihili habendum foret.

17 Nec juvat prorsus effugium a Patre ipsomet de Ameno allatum quod statutum nempe prohibens subdito in publica mensa & Communitate respondere sit vitiatum; nam in originali Romano de anno 1625. legitur simpliciter *sine licentia*; & nequaquam *Non habita prius licentia* propterea non sit interpretandum quasi licentia loquendi petenda & obtinenda foret per Subditum a Superiore pœnitentiam imponente, sed sufficeret quod licentia dicta quoquomodo haberetur itant ly *sine licentia* juxta sonantia verba originalis statuti intelligatur de licentia vel imposita a Superiore vel a lege; quæ in casu esset naturalis de tuenda propria fama, & de non puniendo reum inauditum: neutiquam repeto hoc effugium juvat: nam quoties imponitur præceptum de non dicendo aut operando aliquid sine licentia, profecto interpretatur sine licentia con-

concedenda ab illo ad quem de jure spectat licentiam dare; ita ut neque sufficiat licentiam petere si non obtineatur simul. Barbos. cum a se relatis *dist.* 371. *n.* 2. & 4. & habemus exempla similis phrasis in *Cap.* 2. §. 8. *n.* 7. & 10. de Apostatis &c. Ultraquamquod in statuto exprimitur quoque: *Aut pœnitentiam impositam subire noluerit*; quod impune verificaretur item de subdito contra pœnitentiam salutarem publice impositam qui appellaret & ejus executioni resisteret in casu. Minusque relevat ad rem maxima seu regula illa, quod de jure naturæ sit defensa, & de jure divino quod non puniatur inauditus; quam Auctor allegat cit. tit. 18. n. 19. & 24. Urget namque hoc effatum diximus in caussis gravibus quando evidenter in punitione relevat excessus notabilis & gravamen enorme; cum alioquin prævaleat naturale principium aliud; quod bonum commune præferendum sit aliquali bono particulari; aut melius, quod inter duo mala sit evitandum majus comparative ad minimum, ut in casu foret læsio & perturbatio hic hierarchici gubernii in Religione respectu aliqualis detrimenti quod posset pati subditus inauditus se disciplinando ut jam discussum fuit tom. 1. dubit. iv. n. 28. init. Attenta doctrina Suarez de Relig. *tom.* 4. *lib.* 2. *Cap.* 11. Navarr. *conf.* 5. *de Appell.* Sotus *lib.* 5. *de just. qu.* 6. *art.* 3. Abdreta de Relig. discipl. tuend. *lib.* 2. *Cap.* 28. Eo vel magis quod Superior indiscretus, & reprehensibilis vituperium & inde fortasse ut cautum fuit pœnam, Religiosus tamen resignatus ex obedientia præstita laudem apud probos, quidquid blacterent discoli atque inexperti, & apud Deum meritum reportaret, fatente ipso Patre de Ameno *tit.* 3. *qu.* 3. *n.* 94. in fin. cujus veniunt quoque notanda verba præmissi *tit. ead. qu.* 2. *n.* 89. *ibi*: *Caveant proinde subditi; ne ad appellationem deveniant; nisi enorme & manifestum sit gravamen.*

58 porro quando gravamen sit vere excessivum atque notabile & proinde infamiæ notam revera irroget, quod appellatio liceat & teneat quoad utrumque effectum sicuti pro cœteris Regularibus pariter pro Minoritis aliqualiter ostensum est loquendo in recusatione tom. 1. dub. 4. sect. iii. n. 27. colligitur namque ex eorum statutis in Compil. Sambuc. Cap. 7. §. 7. n. 1. & Cap. 10. n. 9. sed clarius ex pract. eorum Crimin. *tit. Canones* ℣. *Octavo &c.* ibi: *nisi modus notabiliter in mortificationibus excederetur.* Cujus quidem excessus seu excessivi gravaminis casus & exempla eadem sunt, quæ superius pro cæteris Regularibus a n. 4. recensebantur: nempe quoties procedatur in ipsa Visitatione juridice; vel pœna inferatur delinquenti eadem quæ post suppositum juridicum processum fuerit taxata a lege: vel censura comminaretur; nisi fortasse adhuc appellatio possit dari a sententia declaratoria, ut ibi n. 6. sive carcer imponeretur formalis n. 8. supra, quamvis enim in his fere omnibus actionibus Visitator extrajudicialiter procederet non servata juris forma, propterea Visitationis paternæ limites neque egredi prætenderet, tamen appellationem quoad utrumque effectum ex dictis evitare nequiret cui si non deferret debere ipsum severe puniri, ultra datam doctrinam pro omnibus *n.* 8. *circ. fin.* adest textus practicæ crimin. pro Religione Minorum signanter *tit.* 3. §. 3. super quo Sanctorus de pœn. *Cap.* 26. *qu.* 5. & P. de Ameno *tit. eod.* 3. *n.* 26. ℣. *Un.* Præfatis autem casibus in jure expressis, & pro Minoribus in eorum pract. crim. recensitis, alios appono vere irrogantes infamiam, & in notabilitate excedentes puta quoties in Domo disciplinæ per longum nimis tempus quis præsupposito defectu includeretur, vel ad dies multos arctaretur, præcipue Religiosus vitæ probatæ, sive absolute prohiberetur exire e Conventu titulo gravis criminis leviter suspicati non sine scandalo; in his etenim & aliis hujusmodi viam remanere apertam appellationi quoad utrumque effectum negare quis nequibit: cum graviter læderetur fama sic correcti nec supposito pœnæ adimplemento reparationi esset aditus: hinc tanquam actus irretractabilis censendus foret quivis ex prædictis æquivalens cuicumque per deffinitivam irreparabili, pro quo valere appellatione m etiam quoad ad suspensivum uti superius omnia jura clamant. *Cap. ad nostram Cap. cum in speciali &c. de Appell.* sed quantum ad Minoritas Statut. *jam cit. Cap.* 7. §. 7. *Cap.* 10. *n.* 9. & pract. crim. *alleg. tit.* 3. ℣. *Vedecim.* Hujusmodi item gravamina notabiliter excessiva cum extra communitatem executioni mandentur ut consideranti patet, extra ipsam quoque appellationi interponendæ dabunt locum vel oretenus vel scripto prout dictabit opportunitas quamvis postea scripto essent exaranda; ut Superior ad quem injustitiam allegatam diligentius posset examinare juxta præmissa *n.* 8. circ. med. alias observantia Communitati debita exigit indispensabiliter quod intra ipsam non excitetur altercatio ad tradita item

n. eo-

n. eodem 8. nisi casus occurreret contra Statuta tam evidens quod expediens foret appellationem in publica Communitate interponere, veluti si Patri Provinciæ publica imponeretur & confusibilis pœnitentia tamquam simplici Fratri gregario, quando appellatio proculdubio ad utrumque effectum esset profutura ex cap. de *Priore* 31. juncta Gloss. *de appellat.* & Statut. Sambuc. *Cap. d.* 7. §. 6. *n.* 33.

19 Circa suspensionem ab officio qualificato, puta Guardianatus, præter dicta de Regularibus cæteris n. 7. militant pro Minoritis & recolenda sunt ea quæ adduximus in hoc 2. tom. Dubit. XV. Sect. 2. a n. 25. *seq.* si etenim juxta leges imponatur ad tres menses dicta suspensio pro criminibus exigentibus privationem de quibus jam adsint indicia licet peculiaris processus pro suspensione minime instituatur, sed inserviret ad effectum ejusdem processus inceptus & ordinatus ad privationem; clarum est tunc non esse locum appellationi, quia Prælatus in casu uteretur jure sibi evidenter præstato per leges & statuta Ordinis citata in Dubit. eadem *f. H.* 2. *n.* 26. Sanct. de pœn. *C. p.* 1. *qu.* 3. *respons.* 4. *ad septimum*. De Ameno *tit. V. qu.* 8. *per tot.* qui allegat, & vere quidem Patrem Sanctorum in hac re valde implicatum; veruntamen idem processus ordinatus ad privationem deinde foret conficiendus extra actum visitandi. Quoties vero dicta suspensio imponeretur a Visitatore proprio arbitrio ut pœna extraordinaria vel salutaris, manifestum est appellationi ad utrumque effectum illam subesse; utpote sit pœna gravis de se prævium processum uno vel altero modo exigens, Sanctor. *præfatus respons.* 4. & distinctius P. de Ameno *d. qu.* 8. *n.* 70. Quamvis enim, possit comminari quidem dicta suspensio a Provinciali vel Visitatore, a neutro tamen potest imponi absque Definitorio apud Minores de Observantia & Reformatos: juxta alibi dicta; & doctrinam Patris Sanctori mox cit. *qu.* 3. *respons.* 4. Patrisque de Ameno *d. n.* 70. ℣. *Patet ergo*. De suspensione deinde ab aliis Officiis, puta ab officio Lectoris & Concionatoris inter alia non ita certum est; quod nequeant a Superiore Visitante infligi absque processu; cum non adsint Statuta expresse prohibentia: unde super hoc reccurrendum ad Regulas generales: nempe quoties reatibus deberetur lecturæ privatio, idem dicamus de munere concionandi, quæ cum sit pœna respective gravis exigeret equidem processum prævium ex *Cap. Qualiter & quando* 2. *de accus.* Sanctor. *Cap. cit. qu.* 2. *&c.* tunc valeret Prælatus paterne visitans propter eosdem reatus extraiudicialiter cognitos suspendere Lectorem ad tempus, veluti utens pœna minori & extraordinaria & modum correctionis non excedens ex datis supra *n.* 4. §. 1. secundum Paulinum Berti loc. ibi cit. ac actum *tit.* 4. *Cap.* 31. *n.* 3. In qua suppositione; non aperiretur appellationi via saltem quoad suspensivum: juxta sæpius cit. Tridentinum *Sess.* 22. *Cap.* 1. *de Reform. & statut. Ord. Ad Cap.* 7. *de appell. n.* 1. Quoties vero imputatum delictum non foret adeo relevans ut privationis pœnam prævio medio juridico processu mereretur; immo nec pœna suspensionis per tempus notabile posset juste infligi eidem etiam ordine juris servato, tunc vere notabiliter excederet in corrigendo Superior pœnam ipsam suspensionis a dictis officiis extraiudicialiter imponens; propterea ad utrumque effectum appellatio posset adhiberi, in qua exprimenda esset causa, sicuti eadem met admitti deberet: ex notatis supra *n.* 7. a Paulino Berti mox cit. *tit.* 4. *Cap.* 31.

20 Excipiuntur ab hac doctrina casus omnes in quibus esset assignata a jure vel statutis suspensio ab officio & in quibus delicta simul essent notoria: nam a Visitator tunc absque ullo processu posset pœna, eadem suspensionis infligi vel declarari incursa ad tenorem legum. *C. p. Olim de re judic. Cap. Venerabilem de elect. Clementin. Pastoralis de re judic. Cap. Vestra de cohabit. Cleric. & mulier.* ubi Gloss. Sanctor. de pœn. *Cap.* 1. *qu.* 3. *respons.* 5. & *eod. Cap. sub qu.* 4. *dub.* 1. ℣. *Secundo excipe*. Quæ tamen declaratio apud Minores apparet exigere semper consensum Deffinitorii, ex quo sit sententia pœnæ gravis juxta dicta alibi & statuta generaliter id præcipientia: ex eod. Sanctor. Capit. 1. *qu.* 2. *resp.* 3. & 4. & de Ameno *tit.* 5. *pract. n.* 69. ideoque extra Visitationem aliquantulum Prælatus progrederetur; sed appellationi nullus remaneret aditus in casu cum nullum inferretur gravamen notorie delinquenti a judicante & declarante secundum leges & statuta *Cap. cum speciali* §. *Porro de Appel.* pract. crimin. ordinis *tit. Canones circa recursum*. ℣. *Undecimo*. Attamen movetur hic dubium supposito; quod Visitator ex se suspenderet ab officio Superiorem localem vel Confessarium Monialium addamus & Lectorem vel horum quemlibet secundum jura suspensum declararet; non explicando tamen delictum, vel suspen-

pensionis causam quid agere quiret sic suspensus in casu? Respondet Pater de Ameno; quod posset causam seu culpam propter quam sibi infligeretur hujusmodi pœna publice sciscitari, quam si renueret patefacere Visitator vel Provincialis Minister vel assignaret falsam seu talem cui in jure non esset suspensionis pœna taxata; licite simul & valide posset tunc appellare quoad utrumque effectum; ita quod suspensione non obstante valeret dehinc in officio perseverare. Et ratio ab ipsomet Doctore adducitur; quia de substantia judicii etiam in foro paterno est; quod reus prætensus habeat notitiam proprii delicti; ad hoc ut veniat in cognitionem, an pœna commeosuretur culpæ, sibique inferatur gravamen vel non? Ac etiam, ut possit se impostetum de imputato delicto emendare; pariterque clare omnia jura clamant, esse nullam sententiam latam etiam extrajudicialiter, uti supra jam fuit allegatum contra inauditum ac indefensum. *Ita tit. 3. practicæ qu. 3. a n. 94. sequ.*

21 Sed contra hanc responsioné aliqua non possunt non occurrere adnotanda. Primo namque fatuus sane aut penitus imperitus supponeretur Visitator qui pœnam suspeosionis ab Officio vellet publice infligere reo, cui esset occultum delictum proprium, vel adhuc dubium omnino apud alios; quando clare constet de juribus & statutis in Ordine nostro figuanter sancientibus, non posse per solum Visitatorem inuri hujusmodi suspensionem a Guardianatu præsertim vel ad tres menses; nisi incepto jam processu ordinato ad privationem Officii & habitis de delicto indiciis sufficientibus oti Dubit. prævia 15. *sect. 2. n. 25. cit. superius n. 19. init.* Aut quatenus suspensio infligeretur absolute ut pœna arbitraria delicto gravi jam noto & pœnam merente acriorem io jure, vel ut in eodem ipso textu declaretur de consensu Deffinitorii per sententiam, quæ non potest non intelligi luridica esto sine processu prævio in suppositione notorietatis ad mox præmissa num. antecedenti. Unde impossibilem repeto casum quod Visitator aut Provincialis propriæ facultatis aut sui muoeris omnino sic inscios velit infligere ex abrupto suspensionis pœnam in publica Communitate propter delictum prorsus ignotum præcipue ipsimet suspenso. Secundo: in suppositione etiamsi & qoateous quod Visitator delictum exigens suspensionem taceret in hac infligenda aut publicanda; posset quidem se tenens irrationabiliter suspensum in casu illud percunctari obsequentibus & reverentibus verbis, sed adderem ego extra Communitatem præsentibus tantum necessariis testibus, utpote pœna illata non esset actus transiens; ita quod foret neccesse incontinenti damnum reparare. Similiter, quoties exoratus & interpellatus Visitator delictum in specie allegare nollet, super gravamine sibi illato posse appellare tunc concedo Guardianum, sive alium respective suspensum ad normam præmissorum n. dicto 19. At nisi Provincialis Superior vel Visitator appellationem admitteret, & in lata suspensione persistere vellet, nequaquam admitto ego in casu licere Guardiano, vel alteri suspenso perseverare in Officio cum Visitatoris despectu & scandalo publico, alia siquidem supersunt remedia juris, videlicet supposito recessu ab Officii exercitio gravati prudentis recursus cum facta descriptione ad Superiorem Generalem qui teneretur veritate comperta, & Visitatorem præcipitem castigare, & suspensum reintegrare, actum irrationabilem irritando cum omnibus inde secutis ad textum practicæ criminalis pro Minoritis tit. cit. 3. §. *fane* ℣. *Tertio*, *& nono* Doctoribus item concordantibus. Ad quod profecto sustinendum moveor ex regula inconcussa, honorem Superioribus gradatim in quantum fieri potest fore præstandum juxta dicta *tom. 1. dub. 4. sect. 3. n. 31.* & bonum commune Religionis in gubernio hierarchico situm servandum esse etiam cum aliquo peculiaris Religiosi detrimento, juxta doctrinam Suárez de Religione *tom. 4. lib. 2. Cap. 11.* aliorumque citatorum supra n. 17. prope finem. Et a fortiori, quatenus reparabile sit detrimentum, ut in casu, ex Tridentino *sess. 13. Cap. 1. sess. 22. Cap. item 1. sess. 24. Cap. 10. & 20. de r.fo m.* Ubi licet de Visitatoribus Ecclesiasticis aliis sit sermo, applicabilis est tamen quibuslibet Præfatis visitantibus etiam Regularibus. Attento *Cap. Romana de censibus* cum concordantiis & tit. 3. pract. crimin. pro Religione Minorum. ℣. *Vndecimo Appellationes frivolæ &c.* ut tradidimus etiam *tom. 1. dub. 4. n. 28.*

22 Nec replicare hic omitto laudatum de Ameno eodem n. 94. nimis se extendere in concedenda hac libertate subditis petendi scilicet a Superioribus rationem, quare publica pœnitentia adigantur, & quatenus gravatos se putent appellandi ad Prælatos majores, absque eo quod pœnitentiam a Superiore subalterno impositam ex. gr. disciplinam in publica

blica refectione exequantur; quæ libertas utique non minimum parit absurdum inconveniens ex pluries repetitis, in Religione signanter cujus professoribus seraphicus Pater præcipit absolute, *& firmiter ut obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Ubi Expositores communiter notant pro Ministris venire omnes & quoscumque legitimos Superiores, & pro omnibus quæ non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ omnes & quoscumque actus qui tendunt ad commune bonum inclusis signanter mortificationibus, quæ etsi forent injuste impositæ, aut cum excessu severitatis illatæ (exclusis ut supra enormibus seu cum excessu valde notabili gravantibus) non proinde Regulæ quam fratres professi sunt evadunt contrariæ apud Corduham *qu.* 2. *in Cap.* 8. *Reg.* Sanctor. *Cap.* 1. *Constit. tit.* 4. §. 2. Item *Cap.* 9. *statut.* ℣. *Sed examinatis* necnon de pœn. *Cap.* 7. *Casu* 9. *diffic.* 2. sistendo signanter in exemplis per Patrem de Ameno adductis *loc. cit.* Et licet excipiat idem Auctor ibi Laicos atque juvenes quoad pœnitentias ordinarias taliter ut, si de ipsis reclamarent hi atque appellarent, cogendi essent immo duplicatas subire mortificationes: tamen minime sufficit tam stricta exceptio, cum relinquat alioquin ansam Sacerdotibus quibuscumque etiam simplicibus contra Superiores in publica Communitate insurgendi & contentiose resistendi non sine illorum vilipendio & cœterorum conturbatione, & scandalo. §. un. Sciant itaque Religiosi subditi esse contra fas cum Superiore respective in publica Communitate contendere, & ab eodem in pœnitentiis sibi impositis aut mortificationibus regularibus etiam arbitrariis publice injunctis appellare esto aliquantulum in notabilitate relevarent vel absolute vel comparative. Absque eo quod valeat præfata Doctoris replica, quod in casu non emergeret scandalum ullum nec verborum contentiosa procacitas, quatenus subditus gravatus humiliter pœnitentiæ sibi impositæ causam expesceret. Non valet hæc replica, quia vel Superior delictum assignare nollet, vel manifestaret; si primum, subdito renuente pœnitentiam exequi: ecce inevitabilis contentio scandalosa: nam Prælatus utique per obedientiam præciperet; at ille, & verbis; & facto attenta ejusdem Patris doctrina inobedientem se præberet. In casu vero quo manifestaret delictum tamquam verum; & subditus allegaret falsum: en scandalum pejus, nam Superior tamquam de mendacio publice culpatus suam procul dubio vellet tueri sententiam, inde forum contentiosum in Communitate apertum. Recolamus ergo quæ pluries usque nunc sunt repetita; (non loquendo de appellationibus extra Communitatem permissis super gravamine enormi;) licere quidem Patri provecto & bonæ famæ, post obedientiam præstitam coram Superiore in communi Religiosorum congressu; quantum ad casus a Patre de Ameno relatos, ad Superiorem altioris Ordinis habere recursum si velit; & de. passo descripto gravamine sive in re, sive modo conqueri, qui Superior sive Judex ad quem veritate gravaminis comperta atq. perspecta teneatur in conscientia ut sæpius dictum est, indiscretum subalternum acriter corrigere & quatenus sit expediens punire, id insinuante laudato ipso de Ameno *tit.* 3. *n.* 89. ℣. *Nec per hoc dico*: attamen honorem debitum Communitati & Superioritati quod nulli fas esset pessumdare publice resistendo & contendendo, cum veluti commune bonum aliquali damno peculiari proprio teneretur potius illum præferre: juxta pluries dicta superius.

23 A suspensione autem similitudinaria de qua tactum est opportune Dubit. XV. præcedente sect. 2. n. 18. estne licitum Fratribus item Minoribus appellare? Respondeo si juste infligeretur a Visitatore propter rationabiles causas; puta si tota Communitas fratrum vel sæcularium multitudo contra Superiorem reclamaret & gravia absurda possent inde timeri, quoties in loco & officio Superior invisus continuaret. Aut aliud quidpiam emergeret motivum provisionem quantocitius exigens, tunc minime licere Superiori ipsimet subalterno ob peragenda exercitia spiritualia ad alium Conventum destinato aut sub aliquo prætexto extra regiminis proprii fines emisso appellationem interponere, vel si interponeret nullatenus fore attendendam: ratio est quia modus corrigendi in visitatione nequaquam excederetur eo casu *Cap. Ad nostram Cap. Reprehensibilis de Appellat.* Consentiunt in specie quoad Minoritas P. de Ameno alibi citato *tit. V. pract. qu.* 8. *n.* 72. ℣. *Quæ autem*. In suppositione vero quod irrationabiliter absque subsistente motivo & ad beneplacitum Visitantis passione ducti aut factioni contrariæ adhærentis fuerit adhibita præfata similitudinaria suspensio; Dico quod liceret & valeret appellatio cui non deferente Visitatore teneretur attendere Judex ad quem & ad proprium regi-

regimen restituere Superiorem suspensum; at hic interim ad evitanda scandala satius obediret Visitatori aut Provinciali in propria sententia persistenti juxta tradita superius non una vice & ratio appellationis in casu licitæ & validæ fundatur in jure competente Superiori vel Prælato cuilibet canonice electo ad proprium gubernium, quo nequit ab ullo sine maxima injuria & iniustitia arbitrarie spoliari; prout recte ratiocinatur P. Sanctorus *Cap. 1. pæn. qu. 3. respons. 6.* atque Pater de Ameno *tit. 1. allegato quæst. 8. n. 67.*

§. Un. Si extendatur deinde quæsitum ad remotiones e Conventibus præsertim in quibus sic remoti possiderent officia minora Procuratoris Lectoris nec non Vicarii; certum est quod si hujusmodi remotiones quibus assertæ privationes adnectantur sine justo & urgente motivo ordinentur etiam tempore Visitationis famam remotorum & privatorum notabiliter lædant; propterea eo casu utpote concurrere appareat excessus & Visitatoris jussio præceps appellationi subjacere non nequeant ut in terminis Vitalin. in *Clement. un. §. Præmissa n. 3. de suppl. neglig. Prælat.* Fagnan. in Cap. de Priore *n. 13. de Appell.* Lother. *de re benef. lib. 1. qu. 33. n. 46.* Pignatell. *consult. 19. n. 4. tom. 10.* P. de Ameno in pract. crim. *tit. 3. qu. 3. sub n. 9. & n. 94.* Quos allegans Ursaya *tom. V. qu. 1. discept. 10.* remotiones & privationes ejusmodi quæ per Patrem Provincialem fuerant peractæ in Conventu Dominicanæ familiæ declarandas fore nullas totis viribus contendit ibi a n. signanter 42. usque ad finem. Nihilominus advertendas in hisce casibus Constitutiones Religionum & facultates Provincialibus præsertim in actu Visitationis concessas nullus negabit sicuti etiam facta peculiaria in suis circumstantiis fore examinanda. Ulterius pro Religione Minorum in specie advertere necesse sit quod ipsa comparative ad Religiones cœteras filiationes Conventuum non admitiat nec jus aliquod possideant ejus alumni degendi de familia in una domo potius quam in alia; attentis expressis & præceptivis verbis Regulæ *Cap. 6.* ibi = *Fratres nihil sibi appropient; nec domum, nec locum nec aliquam rem.* Et denique animadvertendum venit; quod tum ipsi Minores principaliter tum reliqui cujuslibet professores Regulæ quatenus gravamen allegarent notabile in similibus remotionibus &c. extrajudicialiter ordinatis per Visitatorem, appellationi eorum tamen in casu effectum tantum devolutivum qui executionem non suspendit interim tribuendum esse dictat Decretum famosum de anno 1600. sub Clemente VIII. *n. 18.* apud Matteucci inter alios *Cap. V. §. Appellatio.* Ratio est quia gravamen ipsum sive damnum esto injuste illatum reparabile foret per Judicem ad quem, qui injustitia comperta posset ac deberet ad pristinum officium & Conventum a quo remotus fuerat gravatus ipsum revocare: ex alibi repetitis. Nec prætereundum duco quod licet præfatus D. Ursaya remotiones fratrum simul & privationes munerum quæ actu exercebant acerrimo conatu nitius fuerit improbare citatis juribus ac Doctoribus & rationum adhibita vi ad hoc ut provisiones Provincialis Visitantis attentatæ declararentur; Sacra tamen Congregatio Episcoporum *die 28. Septembris* proposita causa per Cardinalem Tanaram rescripsit: *gesta per Patrem Provincialem sustineri*; ut ibidem tom. V. part. 1. discept. 10. n. 64.

84 Ad quæsitum insuper quod posset addi; quomodo deberet se gerere Judex ad quem appellationis supposito quod hæc liceret & valeret, nec teneretur aut posset ipsammet tamquam frivolam reiicere? Respondet P. de Ameno præfatus; quod deberet Judex sive Superior ad quem in Religione respective præcipue de qua agitur Minoritica extrajudicialiter procedere se informando ad veritatem comperiendam circa motiva appellationis expositæ & juste postea decidendum; quia cum agatur de causa extrajudicialiter introducta a principio pertinente ad correctionem morum ita, scilicet eodem modo extrajudiciali exigit usque ad terminum continuari. Verumtamen quoties aliter non posset veritas innotescere & ageretur de gravamine enormi seu notabiliter excessivo; veluti de excommunicatione carceratione suspensione a Superiorato &c. Visitationem seu inquisitionem juridicam quoad hoc instituendam esse ego judicarem; eo vel maxime instante aliqua ex partibus quod sic juridice procederetur & tunc de foro paterno non posset non transire causa ad contentiosum: quæstio namque esset de punitione inferenda vel Superiori qui enormiter gravasset vel subdito qui injuste Superiorem de gravamine excessivo & contra leges sibi allato taxasset ut in praxi criminali Religionis tit. *Canones circa recursum ℣. Nono & ℣. Decimotertio* nec non tit. *Delictorum discrimina. ℣. Quippe &c.* Nec consilium approbo additum a laudato Doctore quod Superior ad quem in casu ju-

tamen-

ramentum exigeret ab examinatis supra facti veritatem & scripto exaratas depositiones apud se propter indemnitatem propriam retineret: etenim vel talis supposita inquisitio esset juridica; & sic deberet cum voto Deffinitorii ad judicium & sententiam devenire, ex allegata praxi tit. *Canones* ℣. *Decimotertio* & alibi adnotatis nec essemus amplius in casu inquisitionis paternæ quam P. ipse de Ameno a Judice ad quem continuari prætendit; vel sistendo intra limites extrajudicialis inquisitionis extra forum contentiosum tunc nec interrogatoria specialia deberent instituti nec juramentum a formiter examinatis exigi, saltem scripto nequirent exarari omnia ista juxta ea quæ probavimus *dub. XIV. sect. III. n. 43. seq.; & Sect. IV. n.* 59. Et clare docet practica ipsa Criminalis *tit. Inquisitio* ℣. *In generali &c.*

15 Postremo perspicuum est a Minoritis signanter appellationem esse gradatim faciendam, quod idem intellige de quærela & de recursu quolibet etiam extrajudiciali, dictante hoc ratione naturali ne videlicet injuria fiat Superiori immediato ad quem appellatio de jure spectaret, cum unicuique tribuendum sit quod suum est. Pro quo quidem ordine gradatim servando apud Observantes consequenter ad omnes etiam Observantiæ strictioris communiter allegant, ut melius dicam, allegabant Doctores extranei quoque Bullam Gregorii XIII. *Quoniam nostro sub die* 8. *Aprilis* 1575. a meipso non semel citatam. Nihilominus, si bene perpendatur Bulla, reiicere nequeo per eam condemnari proprie *Religiosos & Religiosas ad Tribunalia Sæcularia appellantes, & temere confugientes, & ut in eorum malefactis & inobedientia se diutius confirment* sic ibi. Et ulterius non assignari ibi proprie & præcipi gradus absolute servandus in appellationibus & recursibus a Judice inferiore ad Superiorem, cum utatur Pontifex dictione disiunctiva ut ibi. *Sed, si a Prælatis suis gravari prætendant ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis seu illius Protectorem, aut Vice-Protectorem in Romana Curia, vel ad nos, seu Romanum Pontificem successorem nostrum, supremum in Ecclesia Dei Judicem &c. recursum habeant*. Unde profecto deducitur, non violaturum fuisse Bullam gravatum subditum, stando in vigore verborum, qui ad unum, vel alterum ex assignatis in ea judicibus recursum de facto habuisset; Decretum postea Sacræ Congregationis sub Sixto V. approbante de anno 1587. & relatum a Peyrino *tom.* 3. Bullar. in addit. ad Bullam Leonis X. *Cap.* 4. *n.* 15. & repetitum in Compilatione Sambucana *Cap.* 7. §. 9. ad calcem Bullæ etiam ibi recensitæ Gregorii XIII. *Quoniam nostro*: non pro Minoribus tantum de Observantia specifice editum est, ut autumat Portella in dub. Regul. allegans Capuccinum ℣. *Appellare n.* 3. Sed afficit revera Regulares quoscumque Urbem & Romanam Curiam adeuntes absque Superiorum licentia ad declinandas sibi debitas pœnas, & non servato prius ordine graduum ibi præscriptorum in recurrendo a Priore ad Provincialem, a Provinciali a Generalem, a Generali ad Protectorem & hinc ad Sanctam Sedem. Quod quidem Decretum emanatum ut diximus de anno 1587. quamvis moderatum fuisse per Bullam Sixti V. *Ad Romanum spectat* §. *In alma vero*, anni subsequentis 1588. notet Sanctorus Constit. *Cap.* 3. *Statut.* 22. ibi proinde concludens standum esse usui confirmato per Decretum aliud S. Congregationis de anno 1632. signanter quantum ad Regulares Romanam Curiam petentes. Attamen quia Decretum idemmet sub Sixto, quoad ordinem in appellationibus sive recursibus servandum & ibi clare expressum, a Romanis Pontificibus successoribus præcipue a BENEDICTO XIV. Regnante, legimus approbatum confirmatum & observari demandatum, veluti supra ostensum est pro Religionibus sive Regularium Ordinibus pluribus numero 10. & uberius pro Minoribus de quibus agitur in casu exponit infra; hinc omnibus remanet clausa via illud impugnandi minoritis præcipue pro quibus constitutio ipsa ultima Benedicti super Solium Petri actu Sedentis emanavit.

16 Pro Ordine utique Minorum ut cum omni distinctione in hac materia procedamus dicendum prius: præcipi ejus alumnis tum Regularis tum strictioris observantiæ gradus in appellatione sive quocumque recursu servandos per clara statuta Vallisolet. *Cap.* 7. *de appellationibus* ibi. *Ubi appellationi sit locus a Provinciali ad Generalem a Generali ad Protectorem a Protectore ad SS. Romanum Pontificem appelletur, qui ordo etiam servetur de recursu*. Transgressoribus deinde statuuntur pœnæ eodem *Cap.* 7. ℣. *Qui autem* ibi. *Qui supradictum recursus ordinem temere violaverit is omni suffragiorum jure triennio careat & bimestrè carceri mancipetur*. Quibus uniformis consequenter adest textus practicæ criminalis Ordinis *tit.* 3. *Canones &c.* ℣ *quarto* ibi -- *Ubi appellationi sit locus a Provinciali ad Generalem a Generali ad Protectorem, a Protectore ad Sacram*

cram Congregationem, a Sacra Congregatione ad Sanctissimum appelletur: Quo ordine temere non servato, appellans non audiatur, immo omni suffragiorum jure triennio careat & bimestri carceri mancipari debet. Notatque opportune P. de Ameno, quod licet textus sicuti & statutum incipiat gradum recursus a Provinciali ad Generalem; liquet tamen possibilem adhuc esse gradum inferiorum, nempe a Superiore locali ad Provincialem, cum ab illo in foro etiam paterno inferente gravamen notabile possit subditus ad Provincialem recurrere eo pacto semper, quo cautum fuit supra *n.* 3. §. 11. Repetendum venit insuper, recursum a Generali ad Protectorem non posse amplius controverti, an vigeat nec ne juxta consuetudines, uti dubitabat P. Sanctorus de pœn. *Cap.* 18. *sub quæst.* 8. ℣. *Sed si a Prælatis*, utpote totaliter sublatum per S. M. Innocentium XII. in Constitutione *Christifidelium* §. *Hinc autem* supra allegata *n.* 9.

27 Porro casum diximus non impossibilem in quo Superiores intermedii forent contra Religiosum invisum & oppressum vel aperte vel saltem tacite colligati, aut evaderent eidem rationabiliter suspecti superius *n.* 12. §. 1. & 2. Et tunc licere Religioso appellanti ordinem præscriptum minime servare secundum Doctores fere communiter explicantes, quod in casu non supponeretur amplius Superior omissus tamquam verus & legitimus Judex, coram quo gravatus subditus sua jura producere tuto posset, ideoque fieri injuria ipsimet in ratione Judicis nequaquam præsumeretur, ut erudite probat Peyrinus in addit. ad Constit. Leonis X. *Cap.* 4. *n.* 18. subscribente P. de Ameno Minorita *de delict. & pœn. tit. appellatio n.* 47. Quæ sane ratio, sicut valet de uno vel pluribus Superioribus suspectis, ita contra colligatos omnes relevare non nequiret quatenus suppositio verificaretur & probaretur in casu juxta præfata. His non obstantibus, sicuti casum adduximus non esse impossibilem generaliter loquendo pro omnibus ordinibus & temporibus variati respective gubernii; in Religione tamen Minorum esse magis impossibilem colligationem hujuscemodi quamcumque subalternorum Superiorum vel extrajudicialiter vel juridice procedentium addideram, cum experientia doceat apud aliquem inter ipsos conscientiam honoremque laudabiliter præferentem, justitiam atque veritatem locum semper invenire, eo vel magis quod in sanctione quam mox adducemus Regnantis BENEDICTI non omnis & quicumque absolute vetatur, sed post peracta intra Religionem gradatim judicia, ad Sacram Congregationem, & Sanctam Sedem conceditur ultimo recursus, & quamvis satageret quidem dato hoc & non concesso Superiores Religionis a quibus in casu &c., propriam tueri & cohonestare sententiam; non desinerent tamen in causis præcipue gravibus Eminentissimi Patres veritatem funditus investigare & examinare, signanter quatenus allegarentur Superiorum eorumdem colligationes & prædominantium passiones, ut non semel in praxi apud Congregationes sacras contingere comperimus.

§. Un. Quod si extenderetur ex incidenti etiam impræsentiarum quæsitum ad Legatos & Apostolicos Nuncios, an valerent videlicet post editam Benedicti Sanctionem, habitis jam recursibus & judiciis gradatim intra Claustra recursus & appellationes ad præfatos in Regionibus quibus intersunt vel præsident. Sane prima facie videtur respondendum negative: inordinatis namque & præscriptis recursibus sive appellationibus de gradu in gradum, per ipsam Apostolicam ultimate Sanctionem hic mox apponendam de Legatis Apostolicisque Nunciis nulla fit mentio, & insuper confirmantur Constitutiones & Decreta in quibus a Generali ad Sacras Congregationes inibi expressas præscribitur appellationis sive recursus immediate habendus ut legenti liquet: Ultroque præcipitur inibi quibuscumque Judicibus etiam Legatis de latere & Apostolicis Nunciis ita judicare & deffinire sicut in expressis sublata eis *nominatim* aliter judicandi & interpretandi facultate. Non obstante tamen hujusmodi ratiocinio putarem amplectendam esse doctrinam superius traditam n. 9. pro Regularibus in genere: nempe, quod considerare fas sit facultates Apostolicis Nunciis magis & minus impertitas, atque in Brevibus seu Literis pro ipsis expeditis expressas circumstantias, item Regionum supracitatis ab Urbe valde remotis & Religiosorum inter hæreticos quandoque degentium, itaut nec ad Sanctam Sedem, neque ad Generalem ipsum poterunt nisi cum difficultate maxima pervenire recursus; proptereaque opportunam nimis evadere non nequiret Legatorum Nuntiorumque Apostolicorum præsentia sive propinquitas in causis & casibus præsertim dilationem minime admittentibus & neqnaquam Apostolicæ Sedi specialiter reservatis nec expresse nec interpretative: in confirmationem cujus alleganda non deest ipsamet BENEDICTI XIV.

Con-

Constitutio nam ibi verbo *demum* prohibens laudatus Pontifex omnibus & quibuscumque Judicibus his etiam Sacrarum Congregationum Cardinalibus, ne recipiant seu *admittant recursus sive appellationes Fratrum dicti Ordinis super cujuscumque causæ cognitione &c. nisi prius eis constiterit causas ipsas per Superiores præscripto ordine servato cognitas & diffinitas fuisse.* Inter eosdem Judices appellationis connumerat ut legenti patet *Sedis Apostolicæ Nuncios*. Quoties ergo ordo præfatus sic injunctus servetur in causis per eosdem Superiores intra Religionem cognoscendis Apostolici Nuncii; tanto magis Legati de latere poterunt appellationes & recursus admittere ex celebri sæpius dicto axiomate; *quod exceptio firmat regulam in contrarium*. Verum considerandas reputo circumstantias atque clausulas in diplomatibus quæ pro dictis Legatis & Nunciis respective expediuntur, expressas: juxta etiam enunciata in *primo tomo Dub. V. sect. 2.*

28 Nunc pro pleniori notitia ejusdem novissimæ pluries supra memoratæ Constitutionis sive Sanctionis a BENEDICTO Pontifice Summo Ecclesiam universalem feliciter gubernante pro Religione Minorum sive Observantium sive Reformatorum, Recollectorum, & Discalceatorum aut quocumque nomine nuncupatorum sub regimine Ministri Generalis totius Ordinis pro tempore existentium editæ: ipsam ad verbum hic transcribere placuit: cum addita advertentia, quod simili pœnæ a statutis Ordinis contra non servantes ordinem præscriptum in appellationibus sive recursibus taxatæ uti supra; confirmantur tamquam ipso facto absque ulla declaratione incurrendæ *ult. §. Præterea in casibus*. Prout etiam prænotatur; quod in eadem Sanctione prohibentur simul sub pœnis &c. Recursus ad quæcumque Tribunalia Sæcularia, sive pro causis cognoscendis & terminandis, sive pro dignitatibus & gratiis in Ordine consequendis, sive pro pœnis quæ patratis delictis debitæ sint sibi condonandis; attamen prononc ad propositum relevare intendimus Bullam ejusque citationem contra appellantes, sive recursus aut querelas, ut ibi adhibentes ad Tribunalia Ecclesiastica ipsamque Sanctam Sedem extra Religionem non servato ordine judicii appellationis sive recursus præscripto apud Prælatos proprios gradatim intra Claustra; reservantes citationem Constitutionis hujusmet adversus recurrentes ad favores Principum sive Potentium Personarum in sæculo pro consequendis dignitatibus & gratiis &c. Cum hujuscemodi improbabitur recursus in Dubit. subsequenti XVII. Extenditur ergo ad verbum prout jacet hæc eadem Constitutio.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ, meritis licet imparibus committere dignata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes in eam præcipue curam, sollicitis studiis incumbimus, ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sublatis iis, quæ Regulari eorum Observantiæ, atque disciplinæ detrimentum afferre noscuntur, juxta Regularia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, multipliciter in dies benedicente Domino, proficiant incrementis. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Raphael a Lugaguano Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dudum fau. mem. Pius Papa V. per quamdam incipien. *Pastoralis Officii* xxviii. Maii MDLXXI. ac rec. mem. Gregorius PP. XIII. incipien. *Consuevit* xxix. Aprilis MDLXXIX. Paulus PP. V. xviii. Octobris MDCXIX. & Urbanus PP. VIII. Prædecessores nostri incipien. *Admonemur* xxix. Junii respective diebus MDCXXXIX. suas respective expeditas Literas, Constitutionibus ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica confirmatis inhærentes statuerunt, mandarunt ac præscripserunt & inhibuerunt ne Fratres dicti Ordinis ad Sæculares vel alias Personas extra eundem Ordinem constitutas, sive pro obtinenda commissorum criminum debitæ eis pœnæ remissione sive pro assequendis in præfato Ordine gradibus vel cujuscumque generis gratiis recurrere auderent, sub nonnullis præscriptis & præsertim excommunicationis ipso facto incurrend. incarcerationis ac perpetuæ inhabilitationis ad Officia pœnis; Ac insuper memorati Paulus & Urbanus Prædecessores in virtute sanctæ Obedientiæ ac sub eadem excommunicationis pœna præceperunt itidem & mandarunt supradicti Ordinis Superioribus pro tempore existentibus ne ad instantiam & requisitionem quarumcumque Personarum tam Ecclesiasticarum quam Laicarum cujuscumque qualitatis extra dictum Ordinem con-

constitutarum, cuivis ejusmodi Ordinis Religioso ullam gratiam concedere aut pœnam remittere præsumpsissent & alias prout in supradictis eorumdem Pii, Gregorii, Pauli & Urbani Prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius dicitur contineri. Præterea quod per alia sæpedicti Ordinis Constitutiones pluries renovatas & confirmatas cautum, præscriptumque reperitur sub pœna privationis suffragiorum per triennium & Carceris per bimestre, ne Fratres ipsius Ordinis quæmcumque recursum vel appellationem aliquam peragant nisi gradatim, nempe de Guardiano ad Ministrum Provincialem, de Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio agatur dicti Commissarii Familiam concernente) de Provinciali seu Commissario prædictis ad Ministrum Generalem ac tandem ad S.R.E. Cardinalium Congregationes vel ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Raphael Minister Generalis, qui (ut asserit) præmissis non obstantibus ac quodam particularis tunc existentium S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationis a fel. rec. Sixto PP. V. pariter Prædecessore Nostro deputatæ Anno MDLXXXVII. edito decreto tenoris sequentis videlicet = *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio sive dum imminentem admissorum Criminum pœnam ex suis Constitutionibus aut aliis debitam sibi metuunt, falsa & commentitia gravamina causati non ad immediate sui Ordinis Superiores scilicet a gravamine Prioris ad Provincialem a Provinciali, ad Generalem a Generali, ad Protectorem, prout cujusque Religionis, Constitutiones disponunt sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius quam recurrant ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur & ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi ex Ordine Sanctissimi statuere ut si quis Regularium imposterum temere levive ex causa Almam Urbem seu Curiam absque Superioris licentia & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit ad suos eosdem Superiores severiorique pœna plectendus mittatur* = Compertum habet quod nonnulli dicti sui Ordinis Alumni Constitutionum præfatarum immemores illasve exoletas & antiquatas esse credentes, tum favores personarum extra præfatum Ordinem constitutarum pro obtinendis gratiis pœnisve fugiendis sibi procurare, tum non servata forma pro recursibus & appellationibus, sicut præmittitur præscripta ad Superiores mediatos sive Prælatos majores Ordinis prædicti ac etiam ad eamdem Sedem recurrere & appellare, tum denique a decretis suorum Superiorum contra Constitutionum Apostolicarum ac dicti Ordinis & præinserti decreti tenorem & dispositionem ad Sæcularia Tribunalia ausu temerario recurrere non prætermittunt, unde Regularis disciplinæ detrimentum immediatorum Superiorum, eorumque jurisdictionis contemptus, ac non raro impunitas delinquentium, aliaque multiplicia incommoda oriuntur, nec non Almæ Urbis Tribunalia non levibus afficiuntur molestiis & Sæculares non sine admiratione & stupore Religiosos, qui strictam paupertatem & rigorosam tam suis Superioribus quam Sedi præfatæ Obedientiam in sua professione præstiterunt, litigantes & inobedientes observant; atque propterea sibi omni ratione adnitendum proposuerit, ut quælibet via præcludatur ambitioni & debita respective Subditorum erga Prælatos & Sedem præfatam obedientia exactaque Regularis Observantia in dicto Ordine conserventur & sicubi exciderint restituantur, opportunum gliscentibus malis & abusibus ejusmodi remedium adhiberi & alias in præmissis salubriter a Nobis, ut infra, provideri summopere desideret, prout alias a Nobis pro Ordine Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum & recol. itidem mem. Benedicto PP. XIII. pro Ordine Fratrum Prædicatorum confirmasse & renovasse supradictum decretum & alias Romanorum Pontificum suorum, & nostrorum Prædecessorum literas, appellationem, accusationem, & recursum, præscripto ordine minime servato, prohibentes, ac pro Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Augustini præcepisse, ut recursus, & appellationes gradatim fierent a Superiore Locali ad Provincialem, deinde ad Generalem, & tandem ad Sacram Congregationem necnon a Clemente PP. XII. Prædecessoribus quoque nostris pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum extendisse, ac præcepisse Cardinalium Congregationibus, ne Causas, & Lites dicti Ordinis reciperent, nisi gradatim a Superioribus definitæ fuissent, ac dictam prohibitionem extendisse etiam pro memorato Ordine ejusdem Sancti Augustini, ac pro Ordine ejusdem Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, necnon pro Congregationibus Monachorum Silvestrinorum, & Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, & Ordine memorati Sancti Fran-

cti Francisci Conventualium concessum, extensum, & provisum fuisse memoratur. Nos, qui aliunde ex diutina rerum experientia probe novimus, quot, & quanta Regularibus Ordinibus ex prædictarum, & similium Ordinationum inobservantia, & infractione eveniant incommoda, ipsius Raphaelis Ministri Generalis piis postulatis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Pii, Gregorii, Pauli, & Urbani Prædecessorum nostrorum literas, ac præinsertum ejusdem Congregationis Regularium decretum cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, & quatenus opus sit, omnibus & singulis dicti Ordinis tam de Observantia, quam Reformatis, Recollectis, & Discalceatis, aut quocumque alio nomine respective nuncupatis professoribus nunc, & pro tempore sub obedientia, regimine & administratione dicti Ministri Generalis existentibus, ne futuris temporibus sub quovis prætextu, causa, ratione, & occasione ad Sæculares, vel alias Personas extra dictum proprium Ordinem pro obtinenda aliqua intra præfatum Ordinem gratia, vel vitanda pœna, necnon Generalibus, vel Provincialibus, cœterisque Ordinis hujusmodi Superioribus cujusvis status, gradus, & qualitatis nunc, & pro tempore itidem existentibus, ne ipsi ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum tam Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque Sæculari dignitate, & præeminentia Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium cuicumque ipsius Ordinis professori ullam gratiam, ullumque gradum, aut dignitates, vel officia, & administrationes concedere, vel pœnam aliquam remittere, & condonare audeant quovis modo respective, seu præsumant, sub excommunicationis pœna eo ipso absque alia declaratione incurren., auctoritate; & tenore præsentis interdicimus, & prohibemus, ac præcipimus quoque, & mandamus. Præterea in casibus, in quibus Fratribus dicti Ordinis de jure, vel juxta illius Constitutiones appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse, auctoritate, & tenore præsentis statuimus, & ordinamus, ut gradatim, à gravamine scilicet Guardiani ad Provincialem, a Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio, & Causa agatur Familiam dicti Commissarii concernente, alias immediate ad Generalem) & ab isto ad Ministrum Generalem, itaut Causæ appellationis hujusmodi antequam ab eodem Ministro Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, & agitari nequeant; Quam quidem legem non solum in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus, & querelis, aut Causis inter dictos Ordinis hujusmodi professores quoquo modo agitandis inviolabiliter observari, sub pœnis per memoratas ejusdem Ordinis Constitutiones præscriptis, & in illis contentis ipso facto absque alia pariter declaratione incurrendis. Demum omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibusvis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicæ Nunciis nunc, & pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recursus, aut appellationes super cujuscumque Causæ cognitione admittant, Causasque ipsas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas juxta præinsertum decretum per dictos Superiores præscripto ordine servato cognitas, & definitas fuisse, sub pœna nullitatis actorum inde secutorum, auctoritate, & tenore præsentis itidem harum serie interdicimus. Ac omnibus, & singulis Ordinis præfati professoribus sub pœnis in supradictis Gregorii Prædecessoris literis contentis, & contra inobedientes inflictis eo ipso irremissibiliter incurrendis, ne ipsi ad Sæcularia Tribunalia adversus ea, quæ a dicti Ordinis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, sub quovis prætextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant quoque, seu præsumant, seu per interpositas personas præmissa peragere curent, & faciant dicta auctoritate prohibemus. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter Judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane,

inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Procuratoris Generalis, seu Secretarii Generalis dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo Ordinis præfati munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die ij. Augusti 1748. Pontificatus nostri Anno Octavo.

D. Cardinalis Passioneus.

SECTIO II.

Quanto tempore perdurent Decreta, seu mandata per Visitatorem edita?

SUMMARIUM.

29 *Exponitur titulus sectioni appositus, ubi plura remissive.*

30 *Decreta, & ordinationes quæ a Visitatore relinquuntur quoties a pleno Provinciali Capitulo confirmentur possunt habere vim obligandi perpetuam verificatis tamen conditionibus.*

31 *Decreta pariter Visitationis innixa Pontificiis sanctionibus, vel statutis generalibus perpetua sunt reputanda. Ea autem quæ ex se conderet Visitator, perdurare censentur quoad usque perduret in Officio Generalis a quo missus est.*

32 *Si Provincias visitet Generalis personaliter quomodo, & quantum durent ejus Decreta.*

33 *Lex sive statutum per modum legis ad hoc ut in perpetuum obliget debet confici vel a Capitulo Generali pro tota Religione, vel a Capitulo Provinciali pro tota Provincia. Nisi Generalibus aliquorum Ordinum insit privilegium distinctum.*

34 *Sententia sustinens quod perpetuas conficere leges spectet tantum ad Capitulum totum generale, potius quam ad congressum aliquem peculiarem magis arridet. Et quid si Generalis in aliqua Religione adhibeat adsistentes quoad votum dumtaxat consultivum.*

35 *Pro Minoritis signanter exponitur in hac materia Bulla Gregorii XIII.*

36 *Apud Fratres Minores nequit Superior Generalis condere leges, aut statuta perpetuo obligantia se solo, sed neque uno cum Definitorio generali.*

37 *Pro Religione Minorum affertur statutum, omnia præfata quantum ad potestatem Visitatorum condendi statuta complectens. Statuta neque sive decreta edita ab ipsis, vel fundantur in generalibus & eo citant vel a generalibus virtualiter deducuntur. Et quid in alterutro casu?*

29 HÆc eadem controversia breviter proposita, & resoluta fuit quantum ad Episcopos visitantes qui decreta & mandata opportuna condere possunt & debent juxta exigentiam etiam distincta a Synodalibus in *dub.* 8. *sect.* 2. *n.* 8. Sicuti de præstantia decretorum Episcopi quoties decretis aliorum Prælatorum inferiorum cumulative visitantium forent contraria, actum est signanter in citata dubit, eodem n. 8. circa finem, sed præcipue respective ad Prælatos Regulares in *dubit. n. sect.* 11. *n.* 20. prope med. Ut limitemus itaque sermonem ad Visitationem Regularium supponimus itidem Decreta in fine Visitationis, & opportuna mandata posse ab ipso adstrui & relinqui juxta necessitatem abusuum si quos repererit ob rationem datam pro visitante Episcopo *d. dub.* 8. *loc. cit.* Quo supposito ad quæsitum apte devenimus, pro quanto tempore videlicet perdurent hujusmodi decreta; aut edicta sive præceptiva sive prohibitiva sint, ita ut obligent in conscientia transgressores & ad subeundas pœnas, quatenus in edictis ordinationibus sive decretis forent contra eosdem taxatæ, vel comminatæ, vel arbitrio Iudicis respective remissæ. Et quia ordinationes possunt fieri, vel pro particularibus Personis seu Religiosis vel pro aliqua determinata familia Domus alicujus, seu Conventus reformatione specialiter indigentis, vel pro tota Provincia in qua magis & minus respective ad Con-

ventus vigeant inobservantiæ & abusus, prodeunt responsa principaliter quoad bonum commune Provinciarum: nimirum de ordinationibus, & decretis respicientibus rectum earum regimen abusuumque extirpationem, quatenus a Visitatore post peractum suum Officium relinquantur quanto tempore ut supra durent & obligent: & non nisi ex incidenti ad decreta, & præcepta concernentia domos & personas in particulari descendemus, quamvis omnes etiam peculiares casus reliqui ex apposita hic doctrina poterunt facile deduci.

30 Et primo Visitatores Regulares quatenus decreta edant in Capitulis de Capitularium consensu; seu ordinationes proprias curent a Capitularibus confirmari, vel ab iis quorum regimini Provincia committitur & ad quos privative spectat novos eligere Superiores Provinciales secundum uniuscujusque Religionis usum manifeste patet, quod per hoc dent robur decretis & ordinationibus ipsis alioquin propriis, ita ut in perpetuum vigeant pro eadem Provincia ad quam visitandam fuerint deputati: Capitulum etenim Provinciale se habet veluti Provinciale, aut nationale Concilium, quod potest subditos pro quocumque tempore obstringere & Decretis sive statutis in Provincia, seu Natione pro qua condita sunt dare vim legis. Arg. *Can. Quod dictum dist. 16. & Cap. sicut olim 25. de Accus.* Lezana *tom. 1. Cap. 18. n.* 90. Ant. a Sp. S. in Direct. Regul. *tr. 4. disp. 2. sect. 3. n. 28. & 29. & disp. 8. sect. 3. n.* 74. Reinffestuel *de Constit. §. io. n* 99. addita conditione tamen quod juri communi Pontificiis diplomatibus acConstitutionibus generalibus non repugnent. Cum respectu illorum quæ in jure communi sancita, nisi adsit Pontificia derogatio, vel in Capitulis generalibus ordinata, seu per Sedem Apostolicam confirmata & jussa sunt, Capitulum Provinciale consideretur ad modum inferioris impotentis ad infirmandam Superioris voluntatem & legem ex notissimo *Can. Inferior dist. 21. & Clement. Ne Romani §. 1. de el & ibi Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*, Et in terminis Navar. *tom. 1.* Consilior. tit. de Constitut. *cons. 9. n.*14. Suarez *lib. 4. Cap.* 19. Portell. dub. Regul. V. *Lex n.* 10. post quos Lezana *tom. 2. Cap. 12. n. 3. & 6.* Reinffestuel de Constit. §. *cit.* 21. *n.* 540. *& seq.* Similiter cum limitatione videlicet nisi Decreta sive statuta ipsa Visitatoris licet cum pleno Capituli consensu edita a Superiore generali revocentur, quia supra quamcumque Provinciam dominium gerens potest is per consequens decreta & Statuta per Vocales seu Capitulares illius condita abrogare & annullare: ex *Cap. Nullam 18. qu. 2. & Cap. Ecclesia Sanctæ. Ut hac prudente*. Lezan. *tom. 4. tit. Leges Regularium n.* 53. Reinffestuel de Constit. §. 19. *n.* 484. *&* 485. Prout etiam hujusmodi Decreta & statuta, quamvis per Capitulum Provinciale firmata, cassari & abrogari posse per aliud subsequens Capitulum Provinciale Auctores concedunt; eo quia subsequens æqualis auctoritatis nequeat per præcedens ligari & in propria legitima facultate diminui attento *Cap. Innotuit de elect. & Reg. 1. juris in 6. Omnis res &c.* Reinffestuel §. *d.* 21. *n.* 533. Dissuetudine etiam possunt cassari omnino Decreta Visitatoris licet pro Capitulo Provinciali recepta; quoties nimirum sensim inobservantiæ dederint locum nec Capitulum aliud Provinciale sed nec Superiores Provinciæ pro tempore curent de remedio, quinimmo consuetudinem in contrarium potius foveant Abb. *Cap. ult. n.* 13. *de consuet.* Less. *lib. 2. Cap. 6. n.* 45. Angel. *eod. tit. n.* 19. Layman *lib. 1. tr. 4. Cap. 24. n.* 2. Mastr. Theol. Mor. *disp. 2. n.* 202. Reinffestuel *tit. de consuet.* §. 4. *n.* 93. *seq. & n.* 139. nisi forte forent Decreta ob observantiam substantialem Regulæ professæ pertinentia, & super statutis generalibus signanter per Sedem Apostolicam in forma specifica confirmatis fundata. In tali namque suppositione quæcumque consuetudo in contrarium foret corruptela & abusus, nec obligationem vigore generalium legum & Apostolicarum Sanctionum inductam valeret tollere aut infirmare *Cap. Cum inter 5. de consuet. & Cap. extirpandæ de præbend.* Suarez *lib. 6. de leg. Cap. 6. n. 8. & 10.* Azor. *part. 1. lib. 5. Cap. 2. qu.* 5. Layman. ubi supra *n.* 4. Reinffestuel loc. cit. *de Consuet.* §. 2. *n.* 34. *ad* 39. *&* §. 3. *n.* 56. *seq.*

31 Decreta autem si conderet Visitator ipse auctoritate propria pro bono regimine & regulari observantia quæ communi consensu & acceptatione Capitularium Provinciam repræsentantium minime fulcirentur, quatenus tamen statutis generalibus sive Apostolicæ Sedis sanctionibus essent innixa, in perpetuum obligare dicendum est vigore generalium statutorum & legum nec non Apostolicarum ordinationum quæ perpetuo durant; ut si edictum publicaret quod nullus ex Religiosis ad alloquendas Moniales accederet pro observantia Decretorum super hoc a Summis Pontificibus & Sacra Congregatione ema-

emanatorum & similia: nec super huiusmodi re potest vergere lis nisi de nomine. At statuta sive Decreta illa quae aliis generalibus editis aut per Sanctam Sedem confirmatis minime innixa a Visitatoribus solis iuxta opportunitatem & exigentiam Observantiae Regularis magis & minus periclitantis conderentur, perdurare per totum tempus quo duraret in officio Superior generalis a quo Visitatores missi sunt & cujus vices gererent in decernendo sustinet P. Lezana *tom.* 2. *Cap.* 13. *n.* 33. post Rodriguez inferius citandum pro Minoritis, esto P. ipse Generalis minime Decreta confirmaret dummodo positive non invalidet: nam semper auctoritate ejus & non propria constat operari missos Visitatores ex eodem Lezana loc. cit. Quoad haec nihilominus considerandas esse Constitutiones cujuscumque Religionis concludunt recte Doctores.

§. Un. Caeterum idem sentire debemus quoties decretum Visitatoris prodiret non per modum statuti sed in forma praecepti; quae distinctio insinuatur apud P. Reinffestuel de *Constit.* §. 2. *n.* 43. *& seq.* Quando nempe afficeret nō indifferenter omnes sed particularem Familiam vel personam: praeceptum etenim imponeret Visitator auctoritate semper illius, a quo missus esset; propterea quoad usque perduraret in officio ipse Generalis Superior Delegans in casu sive principaliter mandans, non posset non urgere obligatio praecepti servandi, sed non ultra. Ex eodem Reinffestuel ibi *n.* 45. *&* 46. Et profecto enim Delegatus eamdem auctoritatem praeseferat in causa vel causis sicut Delegans quem repraesentat, Dominic. in *Cap. fin. de Off. Vic. in* 6. Rebuffus, Menoch. Corset. & alii apud Sanchez *disp.* 34. *n.* 2. propterea ordinationes & Decreta ejusdem sive per modum statuti sive etiam praecepti praescindendo a quacumque alia firmitate nequeunt non considerari tamquam si conficerentur a delegante, nisi censeretur & interpretaretur Superior generalis delegans sentire contrarium, eo vel maxime cessante Decreti motivo: veluti si praeciperet Visitator quod Religiosi talis Conventus non ingrederentur talem domum, cessaret sane praeceptum cum desineret motivum propter quod accessus ad domum fuerat prohibitus; a pari de cessatione legis. Videndus Lezana *tom.* 4. *tit. Leges Regularium n.* 59. post Barbosam conglomerantem Doctores *axiom.* 136. *n.* 9. Vel nisi etiam ex circumstantiis argueretur praeceptum vigere durante dumtaxat Officio Visitatoris; ut si decerneret hic subditum aliquem longius abesse a Conventu principali, ne electiones perturbaret aut suae Visitationis acta *perverteret*: in tali siquidem suppositione secutis electionibus & visitatione expleta deficeret omnino motivum praecepti sive Decreti *ex Cap. Cum cessante de appell.* Neque super hoc est controversia.

32 Quod dictum est de Visitatoribus a Superiore Generali respective destinatis applicandum cadit Generali ipsimet, si personaliter visitaret; decreta etenim ab ipso edita non perdurarent ultra eius gubernium, ni aliunde majori auctoritate, videlicet statutorum generalium vel Papae aut Sacrae Congregationis ordinantis & confirmantis fulcirentur. A pari de Episcopis per se solos mandantibus aliqua licet generaliter per modum statuti vel legis omnibus subditis sine consensu aut consilio saltem quaesito Capituli Barbos. *part.* 3. *de Offic. de potest. Episc. allegat.* 93. *n.* 23. cum decisione ibi cit. Sacrae Rotae. Zerol. *part. pr. prax. Episc.* ℣. *Edicta* §. *Ad tertium*. Sperel. *decis.* 14. *for. Eccles. n.* 21. *&* 22. Fermosin. de potest. Cap. *tr.* 2. *quaest.* 4. *n.* 1. *&* 3. & in specie de Regular., post Lezanam Ant. a Sp. S. *disput.* 1. *Sect.* 4. *n.* 56. *&* 57. Sed neque durarent per gubernium ipsius totum, quoties motivum decretorum cessaret in casu ex dictis n. praecedenti: Granad. *Controv.* 7. *de legit. tr.* 3. *part.* 1. *disp.* 15. *Sect.* 1. 2. *&* 3. Diana post multos. *Prima part. tr.* 10. *res.* 18. Immo si adversarentur statutis municipalibus rite introductis, nequaquam obligarent; quia statuta municipalia rite & laudabiliter introducta supponuntur innixa legibus generalibus & rationi naturali secundum Peyr. de Praelat. *qu.* 1. *Cap.* 8. *n.* 20. *&c.* Excipe nisi statutis ipsis municipalibus, iustis tamen semper & gravibus de causis derogaret idem Generalis; valet enim id peragere per seipsum Generalis in Religione Princeps ex causa praesertim justa, cum possit & derogare per se solum legibus latis pro ipsa Religione ab Antecessoribus majoris Auctoritatis comparative ad particularem Provinciam. Ut secundum doctrinam D. Thomae 2. 2. *qu.* 97. *art.* 1. *&* 2. tradit Vasquez *1.2. disp.* 178. *Cap.* 1. *n.* 3. *& seq.* & Sayr. in Clavi Regia *lib.* 3. *Cap.* 4. *n.* 13. Dixi tamen justis & gravibus de causis. Cum alioquin Generalis peccaret, derogando absque motivo justo & gravi legibus, tum generalibus, tum municipalibus rite introductis; potestas namque tradita est ei ad aedificationem, non ad destructionem, ut eod.

eod. D. Th. a. 2. qu. 88. art. 12. ad 2. tenent DD. communiter. Sylvester in Sum. V. Dispensatio n. 2. & alii, quos adducit, & sequitur Reinffestuel de Constit. §. 19. a n. 488. seq. Quamvis derogatio in casu illicita, sustineatur tamen ex præmissis valida, juxta probabiliorem sententiam Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 17. n. 27. & disp. 18. n. 13. Bonacin. de legat. Cap. 1. qu. 2. punct. 3. n. 1. post Vasquez loc. cit. n. 3. & 8.

§. Un. Si redeamus deinde ad Decreta facta per Visitatorem Provinciæ ordinarium, vel delegatum: quoties Visitans pro bono regimine Provinciæ per se ipsum condità curaret eademmet per Deffinitorium confirmari, nequaquam majus robur daret ipsis per hujusmodi confirmationem, itaut per longius tempus essent valitura, cum Deffinitorium nequeat ligare subditos propriæ Provinciæ, nisi pro tempore sui gubernii, prout pariter ex D. Th. 1. 2. qu. 90. art. 1. probat Lezana tom. 1. Cap. 18. n. 90. & Cum Bordono Anton. a Spir. S. tract. 4. disp. 2. sect. 3. n. 35. & 36. Non dissentio tamen, quod adhuc vigere argueerentur præfata decreta in posteriori gubernio, quoties Superior, & Deffinitorium succedens eorum observantiam sustineret transgressores increpando & puniendo, confirmaret siquidem eadem in casu, licet non novo statuto, facto tamen & continuata consuetudine, quæ est optima legis perdurantis interpres. Al textum l. Cum quod ff. si certum putatum. Et Summar. ibi: Quod agitur tacite, pro expresso habetur. Concordat Cap. In istis dist. 4. Cap. Sopita 14. de cons. Reinffestuel tit. de consuet. §. 6. n. 152. & 153. Verum cum hac limitatione, quod accipiatur de decretis factis per modum statuti: nam illa, quæ proferuntur per modum præcepti a Superiore quocumque, terminato ejus, vel illius cujus vices gerit, gubernio, omnino cessant, nisi per novum Superiorem præceptum renovetur. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 28. n. 47. Layman. In Cap. Gratum n. 6. de Off. Deleg. Reinffest. tit. cit. de Constit. n. 45. & 46.

33 Ex his ergo deducitur, quod decreta quæcumque a Visitatoribus edita per se loquendo, nisi aliis innitantur fulcimentis, nequaquam valeant in perpetuum subditos obligare, saltem regulariter. Et ratio est, quia lex seu statutum sive Decretum per modum legis obligans in perpetuum condi debet cum omni maturitate per personas repræsentantes totam Communitatem, quales sunt Generalis simul & alii in unum collecti in generali Capitulo pro tota Religione, & Provincialis una cum cœteris componentibus Provinciale Capitulum pro tota Provincia, tum quia sub ista forma concessa est auctoritas condendi leges & statuta perpetua Ordinibus Regularibus de quibus est sermo a Summis Pontificibus, tum quia in praxi pro honesto rationabili & pacifico regimine ita apud ipsos observatur. Vasquez in 1. 2. disp. 153. Cap. 1. Sanchez. lib. 6. in decal. Cap. 2. n. 17. Additum est in asserto: saltem regulariter; nam attendendæ sunt Regulæ & consuetudines cujusque Religionis diversimode, si quæ sunt potestatem condendi leges & statuta perpetua conferentes pluribus vel paucioribus in ea respective, sive inserviant pro toto Ordine sive pro Provincia sive pro distincto Conventu ut prudenter insinuant Lezana tom. 1. Cap. 8. n. 3. Ant. a Sp. S. sect. d. 3. n. 29. Et Anacletus Reinffestuel de constit. n. 97. Unde quatenus verificetur quod in aliquibus Religionibus attenta præsertim consuetudine vel privilegio valeat solus Generalis pro toto Ordine & Provincialis pro sua Provincia statuta edere perpetua secundum probabilem doctrinam Suarez lib. 4. de leg. Cap. 5. Bonacin. tr. de leg. disp. 1. qu. 1. punct. 3. in hac suppositione non est dubium quod talem vim perpetuæ videlicet durationis possunt conferre decretis propriis etiam in visitatione promulgatis. Immo in hac eadem sententia quod facultas ordinationes adstruendi per modum legis perpetuæ resideat penes Superiores saltem generales in Religione privilegiata ut asserit P. Lezana de Religione propria tom. 1. Cap. 18. n. 90. & de sua Societate R. Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. Cap. 13. n. 14. Esto decreta ab iisdemmet Superioribus Generalibus personaliter Visitantibus non emanarent, sed ab aliis Visitatoribus per eos amandatis & deputatis, eorum tamen auctoritate utentibus, si accederet eo magis Decretum Generalis præfata respective confirmantis, certum est quod in perpetuum vigerent, saltem usquedum ab alio ejusdem auctoritatis revocarentur. Ex regula notissima in 5. decret. tit. 41. n. 1. omnis res per quascumque causas nascitur per easdem resolvitur.

§. Un. Quod sane universaliter additur advertendum: nimirum a quocumque fiant decreta sive statuta a Generali vel Provinciali, sive Visitatore ipsorum vices sustinente; quoties revera facultas condendi perpetuas ordinationes juxta exigen-

tiam,

tiam & opportunitatem illis iusit per privilegium, aut legem respective; duratura in casu decreta & statuta ipsamet, non solum durante Officio proprio, si Visitatores sint ordinarii, ut Generales mox dicti & Provinciales, vel durante gubernio Generalis a quo sint missi & cujus auctoritatem in Officio præseferunt: atque etiam durante Generali, vel Provinciali subsequente, sed usque dum ab alio æqualis auctoritatis, tanto plus majoris revocentur; ut observari in Ordine Augustanensium testatur Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 90. & de Societate Jesu Pelizarius *tr.* 9. *Cap.* 3. *n.* 10. quibus subscribit Anton. a Sp. S. *tract.* 4. *sect.* 4. *disp.* 1. *n.* 57. Usque dum dixi ab alio ejusdem vel majoris Anctoritatis revocarentur. Sed non ultro: utpote præcessor nequeat ligare manus successoris æqualis secum auctoritatis & dignitatis aut majoris. Reiffenstuel de Constit. *n.* 487. cum communi. Cum advertentia adhuc quod dum Superior generalis per decretum proprium velit dare perpetuum robur ordinationibus per se conditis vel specialiter confirmatis in Religione ubi hujusmodi vigeat privilegium & dispositio de iure speciali, debeat id exprimere claris verbis & distinctis; nec sufficiat uti forma communi; quandoquidem id præstaret auctoritate absoluta & jurisdictione extraordinaria per Constitutiones & privilegium sibi specialiter attributa, non vero ordinaria sive consueta ut pariter advertit Lezana *Cap. cit.* 18. *n.* 90.

34 Additur pro pleniori notitia; quod licet in quibusdam Religionibus ad hoc ut Decreta per modum statuti & legis obligent in perpetuum sufficiat quod a generali, nisi per se solum una cum Deffinitoribus vel Assistentibus seu Consultoribus generalibus sint condita; absque eo quod tota Universitas generalis Capituli in iis edendis conveniat & forte hoc juri communi non sit difforme; utpote sufficienter tota Religio per illa nobiliora & excellentiora membra videlicet Definitores Adsistentes aut Consultores Generales repræsentetur. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 9. quam videtur sequi Lezana præfatus *tom.* 1. *cap.* 8. *n.* 3. Attamen magis placet sententia superius casualiter allegata initio numeri præcedentis 33. nimirum quod jure communi & statutis Religionum ut in plurimum inspectis ad solum Capitulum generale utpote totum Religionis corpus efformans & vere repræsentans spectet leges & statuta perpetuo condere. *Ex D. Th.* 1. 2. *qu.* 9. *art.* 1. Lezana ipso articulum solide & erudite tractante *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 93. & signanter *tom.* 2. *Cap.* 12. *n.* 6. nec non P. Bordono *tom.* 2. *resol.* 38. *n.* 17. In præfatis autem distinctis Ordinibus si quid observatur diversum circa hoc, ad statuta & privilegia municipalia eorum proculdubio est referendum secundum D. D. citatos Anton. a Spiritu Sancto signanter *tr.* 4. *disp.* 1. *sect.* 4. *n.* 56. *ac disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 30. Neque omittendum: quod in Religionibus ipsismet apud quas Generalis auctoritate prænarrata absolute pollet, nec Consultores aut adsistentes sive Deffinitores quomodocumque vocentur adhibet, nisi pro excipiendo eorum consultivo voto; non autem decisivo, ut pro certo in Societate Jesu præ cæteris observatur, nequaquam exinde valeat saltem licite condere leges obligatorias absque eo quod de facto placitum audiat eorum qui de more adsistunt prout idem servandum fore in gravioribus & extraordinariis præceptis (secus de ordinariis) quæ vel toti Communitati vel item privato Religioso imponerentur, sustinet præ aliis doctissimus Suarez ubi supra *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 8. *n.* 6. *&* 7. secundum siquidem naturalem legem dictat prudentia quod res gravis non peragatur sine maturo consilio, præcipue ubi ad hunc effectum instituti sunt Consiliarii, subscribente Lezana quoque in *Cap. cit.* 18. *n.* 90. Sed quoad hæc omnia attendenda esse specialiter jura Religionum propria & municipalia concludunt merito Lezana idem loc. cit. nec non sæpe allegatus Reiffenstuel *tit. de Constitut.* §. 4. *n.* 97.

35 Apud Minoritas deinde; de quibus aliqua subdemus breviter absque speciali sectione; videlicet Fratres de Observantia per consequens etiam Reformatos pro perpetuitate ordinationum sive Decretorum quæ a Visitatoribus sive Commissariis relinquantur, videtur prima facie militare obligatio peculiaris, quia adest specificum mandatum Summi Pontificis ordinationes sive Decreta hujusmodi observandi & in aliquo non immutandi. In Bulla siquidem Gregorii XIII. *Quoniam nostro sub die* 8. *Aprilis* 1575. apud Sanctorum in *Cap.* 8. *constit. statuto* 71. *dicto* 9. expresse legitur ibi. *Insuper quia aliquando nonnulli Ministri ex visitatis Provinciis per Commissarios ad hoc deputatos quæ a dictis Commissariis recte & salubriter ordinata & gesta fuerint rescindere mutare aut contemnere solent, sub omnibus & singulis supradictis pœnis expresse prohibemus; ne quisquam ab iisdem Commissariis facta & ordinata mutare & alterare aut pervertere sine expressa licentia*

Ge.

Generalis ullo modo præsumat. Pœnæ autem hic citatæ in præcedentibus verbis ejusdem Bullæ specificantur. Excommunicatio nimirum Papæ reservata & pœnæ itidem rebellantium. Videtur igitur respeto in Ordine signanter Minoritico nostro obligatio servandi Decreta a Visitatoribus emanatæ & alia quæ per ipsos gesta & ordinata sunt etiam post peractam Visitationem perdurare sub culpa gravi; dum transgressoribus imposterum hujusmodi gravissimæ imponuntur pœnæ. At indubitatum est præfatam Pontificis dispositionem pro Fratribus Minoribus scribi tantum transgressores ad normam juris communis cum, quo debet concordare; nempe durante ad summum gubernio Ministri generalis aut alterius Generalis Superioris a quo Visitatores mittantur attentis iis quæ paulo ante dicta sunt *n*.33. Habent enim hujusmodi Decreta & mandata licet pro omnibus promulgata potius vim præcepti in Religione nostra, quam legis. Reinffestuel de Const. n.99. cum fiant in præsenti supposito a particulari persona quamvis auctoritate delegantis munita; propterea nisi deficiant omnino postquam officio functus est Delegatus cessant saltem cessante motivo; ut est apud omnes in confesso, nec non cessante in officio & gubernio ipsomet delegante Generali Ministro ex Roderico *tom*. 1. *qu*. 54. *art*. 4. &, favet Reinffestuel supracitato tit. de Constit. §. 2. *n*. 45. Quod si tempore gubernii ipsiusmet Generalis aliqualem rationem statuti etiam contraherent, hoc foret tamen cum dependentia semper ab arbitrio ejusdem. Propter quod non inconsiderate additur in §. citatæ Bullæ Gregorii quod non possint a Ministris Provincialibus alterari nec mutari *sine licentia expressa Generalis*.

36 Insuper cum numero præcedente 34. cautum sit valere in aliqua distincta Religione Superiores generales una cum Adsistentibus sive Consultoribus quocumque appellentur nomine & adhuc per se ipsos statuta perpetuo obligantia condere, saltem usquedum ab habentibus parem auctoritatem per positivam revocationē irritentur; notandū occurrit ad propositum in Religione Minoritica potius vigere contrarium, nempe quod solus Generalis nequeat statuta sic perpetuo duratura condere; ut probat luculenter Sanctorus. *Cap*. 12. *Const. stat*. 12. *qu*. 2. immo nec simul cum Deffinitoribus generalibus; cum non inveniatur unde Diffinitorio generali potestas legislatoria competat; sed potius contrarium adducat P. Sanctorus ex citatis generalibus Statutis Neapolitano, & Vallisoletano: addens quod Generalis quidem posset per se ipsum præcepta Religioni imponere pro tempore sui gubernii duratura; sed neque hoc præstare valeat Deffinitorium generale congregatum, quia Superioritatem non habet. *In Cap*. 28. *pæn. qu*. 4. *Ad quartum prope fin*. Cui tamen dicto non assentirem: cum Deffinitorio generali simul cum Patre Generali congregato per saltum nequeat non tribui auctoritas veluti Generali ipsi soli; proinde facultas absque dubio competat condendi leges & statuta saltem pro tempore quo in officio & gradu Deffinitores collegæ continuent. Attento signanter statuto Capituli Generalis Romæ celebrati de anno 1679. *ibi n*. 1. ab Innocentio s. m. XI. in forma specifica confirmato per Breve incipiens *Militantis Ecclesiæ sub die* 22. *Novembris ejusdem anni*, apud Julium de Venetiis in Chronologia *pag*. 142. Quantum itaque ad præsens attinet, deducitur nec Decreta nec mandata Visitatorum in Religione Minoritica, licet hi a Superiore generali destinentur & illius auctoritate fulciantur, ultra tempus gubernii ipsiusmet Superioris generalis posse extendi; resistentibus cum jure communi ejusdem Religionis municipalibus juribus sive statutis, quibus propterea, nisi specialiter abrogentur, debet conformari Bulla Gregorii interpretata atque intellecta, ut præmisimus, pro eo tempore, quo Superior Generalis dans facultatem Visitatori misso in gubernio perduret. Ita in specie cit. Rodericus *tom*. 1. *qu*. 44. *art*. 14. Et advertit P. Sanctorus, quod quando in præfata Constitutione Gregorii pœnæ pronuntiantur contra illos, qui gesta & ordinata per Commissarios Visitatores ausi fuerint rescindere transmutare &c., pro iisdem transgressoribus veniant Ministri tantum Provinciarum aut qui Ministrorum loco Provincias gubernant, veluti Provinciales Vicarii &c. Itaut si subditus alteraret, mutaret, contemneret, præscindendo a culpa, quam patraret pœnas inibi inflictas nequaquam incurreret; & ratio evidens est; quia Ministri dumtaxat inibi specificantur ut legenti constat nec odia sunt amplianda. *Sic Cap*. 8. *Constit. Statut*. 71. *in fin*.

37 Porro omnia relata circa potestatem Visitatorum firmandi & relinquendi post se ordinationes in Religione nostra, Observantium videlicet & Reformatorum sive a Generali Religionis amandentur delegati, sive ordinario utantur visitandi jure, veluti Ministri ipsi Provin-

cia-

ciales, declarantur adhuc magis per Statutum Sambucanum Cap. 10. §. 1. n. 9. ibi: *Habeant Visitatores & Ministri circa correctionem morum juxta tamen generalia & provincialia statuta potestatem ponendi ordinandi exequendi, moderandi prout Provinciarum utilitati expedire judicaverint &c.* Aut igitur juxta statuta generalia & municipalia Provinciarum proprias ordinationes efformant ii qui visitent; citando videlicet eadem statuta & quodammodo renovando; & tunc virtute Statutorum respective citatorum, quæ sunt veræ leges & per corruptelas introductas fortasse infirmabuntur ordinationes latæ, possent dici perpetuo duraturæ; ut n. 31. tactum est. Vel decreta edit, & publicat Visitans ex ipsis statutis generalibus tantummodo virtualiter & per modum conclusionis deducta seu ad observantiam eorumdem per additas pœnas & novas cautelas conducentia: & eo casu quod perdurent hujusmodi de novo addito gubernio dumtaxat durante Ministri ejusdem statuentis & visitantis seu Superioris generalis, qui Visitatorem delegavit; repetendum est juxta insinnata superius *n.* 31. *post init.* & §. *un.* Quod si aliquando Decreta ipsemet de novo emergentia contraria juri communi vel municipali Religionis, sive a lege nimis exorbitantia aut minime opportuna pro utilitate Provinciæ deprehenderentur; nullo modo tunc obligare nec ad observantiam illorum subditos ullatenus teneri, infertur ex mox allegato statuto & probe firmat Sanctorus *Cap.* 11. *Constitut. stat.* 12. *in fin.* ℣. *Respondeo de materia.* Consonantque iis, quæ pro validitate statutorum in qualibet Religione præscribuntur per jura & Doctores allegatos ab eruditissimo Roderico *tom.* 1. *quæst.* 67. *art.* 4. necnon Lezana *tom. item* 1. *Cap.* 8. *n.* 4. 19. *Et simulque tom.* 4. *tit. Leges Regularium a n.* 4. *ad* 12. Nec Pontifex præcipiens observantiam statutorum aut Decretorum quæ a Visitatoribus relinquuntur scilicet Gregorius in primis XIII. in Constit. citata *Quoniam nostro* irrationabilia in casu complecti censendus est. *De Constit. Cap.* 1. juncta Gloss. *Et Cap. Licet Romanus in* 6. juncta *pariter* Gloss. *eod. tit.* Bald. *in l.* 1. *apud quæ q. fin.* Quin potius præsumatur semper suum arbitrium juxta leges regulare: Card. de Luca *de Emphyteusi disc.* 21. *n.* 6. Proptereaque in rescriptis supponatur se conformare de facto velle, nisi contrarium exprimat, cum dispositione juris communis. *Cap. Novit de judic.* Rota coram Seraph. *decis.* 773. *n.* 17. & *decis.* 965. *n.* 14. Corrad. *prax. dispens. lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 31. Immo neque præsumatur per legem communem a se factam derogare alicujus Religionis statutis propriis, præsertim si cum lege conciliari queant; nisi claram derogationis clausulam apponat. *Cap. cit. Licet Romanus de Constit. in* 6. Roderic. *tom.* 1. *qu.* 54. *art.* 4. *in fin.* &c. Nec ad propositum reticebo, satis rationabiliter sustineri posse, quod Decreta, quæ a Visitatoribus ordinariis, videlicet Ministris Provincialibus vel aliis Provinciam respective gubernantibus, seu a Delegatis per Generalem fiant pro bono regimine Provinciæ visitatæ, pro Conventibus item, aut Religiosis respective juxta exigentiam, perdurent Regulariter de una Visitatione ad aliam, atque cessantibus motivis eorumdem, cessare etiam deprehendantur decreta: motiva autem cessare conijciuntur de facto, ex eo quod in Visitatione subsequenti Provincialis Superior aut Visitator succedens, ordinationes ipsasmet minime renovet & nihil super inobservantia earumdem corrigat, aut exageret. Hæc pro Religione nostra Minoritica dicta sint inspectis circumstantiis personarum locorum & utilitatis cujuslibet respective Provinciæ, prout suggerit supracitatum statutum *Cap.* 10. &c. Et pro sua Religione advertit item Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 32.

SECTIO III.

Quanto tempore acta Visitationis possit apud se retinere Visitator Regularis & an illis valeat uti?

SUMMARIUM.

38 *In triplici acceptione replicatur quod possint sumi acta visitationis & in prima acceptione insinuatur Prælatis Visitantibus, eadem apud se conservare.*

39 *Acta secundi generis explicantur, neque potest apud se retinere Visitans Prælatus, sed assignantur cautelæ.*

40 *Quando & quibus possint acta hujusmodi secundi generis communicari & cum quibus cautelis?*

41 *Acta item explicata tertii generis additur quod nequeant apud se retinere Regulares Prælati post visitationem, nisi gravi impellente necessitate, quæ exponitur.*

42 *Perpenditur distinctius resolutio secundæ partis quæsiti. Quando & cum quibus cautelis possit Prælatus Regularis uti actis Visitationis præsertim de actis tertii generis.*

43 *Pro*

43 *Pro Minoritis adest peculiaris lex de non servandis actis Visitationis ultra sex menses, idque intelligitur praecipue de actis tertii generis.*

44 *Refertur casus assignatus a P. Ludovico de Ameno quoad necessitatem servandi acta Visitationis ultra semestre & quatenus sit probabilis explientur.*

45 *Non obstante sententia laudati Patris de Ameno substinetur adhuc observantia legis de comburendis actis visitationis post semestrè, & solvuntur objecta.*

46 *Adducitur alia sententia Patris de Ameno contra textum practicæ criminalis, quod confessiones spontaneæ delinquentium debeant servari ultra semestre.*

47 *Impugnatur hæc sententia, & statuitur observantia legis.*

48 *Additur ulterior probatio, quod post triennium commissi, & confessi criminis, neque summaria ejus memoria conservanda sit in Archivio.*

49 *Insinuatur praxis observanda, quantum ad conservationem confessionum spontanearum, simulque, quid agendum cum relapsis post triennium a confessione primi criminis?*

50 *Replicatur, quod præfata de Visitatoribus missis a Superiore Generali valent etiam quoad Prælatos Ordinarios, qui Visitationis acta prohibentur omnino aliis ostendere ut supra.*

38 Acta Visitationis in triplici acceptione pro Regularibus item consideranda veniunt prout diximus quando de visitantibus Episcopis *in tom. 1. dub. VIII. sect. II. n. 9. per §§. distinctos* ibi tres quorum materiam expediens erit hic replicare; utpote Visitatoribus ipsis Regularibus applicabilem utique, sed in aliquibus variandam atque ampliandam opportune non semel. Ant itaque Decreta & ordinationes quæ a Visitatoribus publice emanarunt de quibus in Sectione præcedenti accipiuntur nomine actorum, & hæc procul dubio ab oculato Visitatore conservabuntur ad effectum probandi apud Superiores generales se publicis transgressionibus providisse quatenus etiam peculiari confirmatione indigerent, vel Superior ipse generalis perpetuum robur etiam vellet ipsis conferre in suppositione facultatis sibi competentis per statuta propriæ religionis, saltem usquedum per alium Superiorem ejusdem auctoritatis ordinationes ejusdem revocari contingeret, circa quæ observandas cujuscumque ordinis leges diximus superius & repetit post Lezanam *tom. 3. tit. Leges Regularium n. 6.* Ant. a Sp. S. *tract. 4. disp. 2. sect. 3, Tom. 2. n. 19.* Probatio autem præfata se providisse publicis transgressionibus necessaria foret visitatori respective pro sui defensa, quoties apud subsequentem Visitatorem is inculparetur abusus de facto neglexisse discolos promovisse & publicis transgressionibus nullum adhibuisse remedium. Unde prudentis erit copiam authenticam provisionum mediis Decretis ipsis, edictis, publicisque ordinationibus, adhibitarū, retinere ad compescenda malignantium attentata; in suppositione præsertim quod in Provincia visitata deperderentur aut voluntarie abolirentur, ut contingere non est impossibile. Hoc autem cavetur attenta dispositione statutaria quæ apud plures viget Religiones, quod Visitatores immediate subsequentes de antecessoribus inquirant eorumque facta syndicent, prout pariter ab ipso jure com nuni clare imponitur. *Cap. Ea quæ de statu Monach. §. sequentes* ubi Gloss. & DD. Idem pariformiter dicam de Visitatoribus ordinariis videlicet Superioribus Provincialibus, quod nimirum opporteat hosmet servare apud se decreta & mandata publice edita, seu per se promulgatas ordinationes & super earumdem observantia premere, nec non tempore proprii gubernii, in replicatis signanter Visitationibus, an executionem sortiantur diligenter explorare, ne falso zelo tantummodo se fuisse ductos ostendant in ordinando, ut plerumque revera evenit; quod de facili nimirum ordinationes prodeant, sed ab ipsismet ordinantibus eorumque factionariis opera deinde negligantur: contra obligationes alioquin Superiorum, qui mandata per ipsos se edita non tantum præcipiendo sustinere, quantum exemplari observantia tenentur fovere, quod egregie probat. Peyr. de Prælat. *qu. 1. Cap. 8. n. 1. ad 10.* & post ipsum Ant. a Spir. Sancto *tr. 4. disp. 5. sect. 8. n. 238.* cum aliis. Acta item præfata consulto servarent Provinciales & ipsi propter aliam præmissam rationem; nempe ad tuendum se contra maligantes in casu, quo de negligentia & socordia in gubernando accusarentur vel apud Visitatorem suo tempore mittendum vel apud Superiores Generales: juxta morem Religionis cujuslibet rationem villicationis a subalternis exigere solitos: ex præallegato *Cap. Ea quæ de stat. Monach.* & communi Religionum praxi.

39 Porro acta secundi generis uniformiter ad ea quæ de Episcopis adnotavimus *dub. d. VIII. sect. 2. n. 9.* possunt dici ordinationes & provisiones non generales sive

in genere pro bono totius Provinciæ gubernio, aut pro evellendis abusibus publice in communi vivendi ratione sensim serpentibus; sed peculiares a Visitatore adhibitæ contra abusus repertos per inquisitionem generalem in aliquo determinato Conventu & in determinatis personis sive Religiosis reprehensibilibus, sed plerumque in occulto reconditos, videlicet qui non adhuc publicitatis notam contraxerunt. Has autem secretas provisiones contra delicta adhuc occulta paternaliter scita: sicuti nomina & qualitates adhuc occultorum delinquentium, contra quos remedia sunt secreto adhibita atque ordinata minime possunt publicare Visitatores; cum occulti transgressores in casu retineant jus super propriam famam quæ præterea sine gravi peccato nequeat lædi: juxta dicta & repetita alibi & tradita ad propositum per Pelizarium *tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 17. 19. & 20. Anton. a Spir. S. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 62. *&c.* Bene quidem valent hujusmodi etiam acta secundi generis conservare ad effectum eundem tuendi se adversus accusationem quamcumque proprii muneris indebite præstati, videlicet de non allato remedio gravibus defectibus privatorum delinquentium in paterna inquisitione compertis: quoties illorum denuntiatores, pauci licet, vellent Superiori generali vel alteri Tribunali defectus iterum exponere, & simul de partialitate erga defectuosos arguere Visitatorem. Ratio est; quia ut jam tetigimus & replicabimus, licet apud se confidenter deposita fuit quæcumque in paterna & generali inquisitione recepit; nihilominus non obligant Visitatorem ita ad secretum, ut pro hoc tegendo grave ipse detrimentum subire cogatur, eo ferme pacto, quo obligaretur alias etiam cum vitæ dispendio reticere scita sub sigillo Sacramentali. *Ex D. Th.* 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 2. & *quodlib. art.* 15. D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *Cap.* 19. §. 7. *in fin.* Navarr. *Cap. Inter verba concl.* 6. *n.* 309. Sot. de teg. secr. *n.* 3. *qu. ult. concl.* 4. Less. *de Inst. Cap.* 30. *dub.* 6. *n.* 45. Quamvis teneatur semper eadem acta etiam pro sui defensa minus propalare, quam sit possibile, & sub confidentia dumtaxat ostendere necessitate urgente; quatenus hoc sufficiat, sicuti etiam cessante probabili timore proprii damni & necessitate dicta propriæ defensæ illamet omnino delere & flammis dare: id exigente fama proximi, cui propter præceptum naturale de non causando aliis malo, quod rationabiliter nullus vellet sibi inferri in quantum se extendit æquitas, consulendum est. *Matr.* 7. *D. Th.* 2. 2. *qu.* 7. *art.* 5. *ad* 3. Reginald. *lib.* 24. *n.* 103. Pelizar. ubi supra. Similiter Provinciales sive Ordinarii Superiores hujusmodi ordinationes de delictis adhuc occultis peculiarum Religiosorum ex visitatione generali relevatis & provisionibus contra eadem adhibitis, poterunt quidem de una ad aliam visitationem apud se detinere, ut comperiant, an delinquentes emendationem quam pollieiti sunt præstiterint, atque fructum desideratum pepererint correctiones secretæ, ad remedia severiora arripienda juxta dictamen legum imposterum, ni prior lenitas & mansuetudo profecerit. Paulin. Berti in prax. *tit. IV. Cap.* 12. *n.* 4. & 8. Ant. a Sp. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *a n.* 160. Et insuper pro sui indemnitate acta hujusmodi conservare valebit quilibet Provincialis Superior respective, usque ad proprii terminum gubernii & peractum a Visitatore adventuro aut alio quocumque modo juxta consuetudinem Religionum syndicatum: cum jus naturale dictet bonum proprium cæteris paribus alieno præferendum: *ex regul. jur. in* 6. *sub n.* 65. cum concordantiis.

40 Cæterum peccarent graviter post Visitationem Regulares Prælati, quoties ad libitum dicta secundæ acceptionis acta cuipiam ostenderent; cum vix concedatur posse revelari similia occulta prudentiori & graviori Patri pro consilio capiendo, si tamen adsit talis consilii necessitas, ut mox præcautum fuit, neque omissa hic advertentia consulenti de silentio servando sub mortali. Pelizar. *tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 17. Palao de charit. *tr.* 6. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 5. Ragg. *dub.* 77. *concl.* 5. *n.* 4. Reinffestuel de Accusat. §. 6. *n.* 31. In quo item casu communicanda forent delicta tantum in genere, quatenus necessitas non urgeat in contrarium, absque eo quod nomen & qualitas delinquentis patefieret; cavent Auctores, ut obligatio secreti in Visitatore & jus ad propriam famam in delinquente ipso quantum fieri posset salvaretur: secundum doctrinam repetitam D. Th. *quodl.* 12. *art.* 13. Gabriel *super Can. l.* 54. *lit. S.* Berti *tit.* 6. *Cap.* 4. *n.* 8. & ut differte Raggius cit. *concl.* 2. *n.* 5. *nec non dub.* 145. *concl. item* 2. & *n.* 5. Quibus addendum, quod si malis in Provincia vel in aliquo Conventu occultis subjectorum peculiarum respective per se ipsum mederi possit Provincialis, contra conscientiam ipse referret scita delicta, juncto tanto magis nomine delinquentium Superiori generali, præcipue

si

si in foro paterno sint apud se deposita confidenter: etiam sub prætextu quod Superior idem generalis remedium liberius præberet & sic Provincialis ab odiositate se eximeret: tenetur siquidem ipsemet proprium adimplere munus & immerito subditum apud Superius tribunal infamaret in casu; ut cum Palao probat Pelizarius *tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 18. Ant. a Sp. S. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 69.

§. Un. Et hæc sane doctrina potest opportune extendi ad Superiores subalternos quoscumque etiam locales, quoties transgressiones subditorum reservant Provinciali, seu Visitatori per Generalem delegato revelandas & ab eodem puniendas, cum ipsi possint & teneantur ovium suarum languores charitative mederi tamquam Pastores immediati & proximi, nec sine malignitatis nota perinde auribus Superiorum majorum detegere satagant. Ant. a Spir. S. cit. una cum aliis *tr.* 4. *sect.* 4. *n.* 179. Quod adhuc indigne magis perageretur, quatenus ipsimet salutare contra transgressiones & transgressores adhibuerint remedium, & hoc non obstante, occultis Visitantium exponere atque emendata delicta denuntiare & revelare ob confusionem inurendam jam correcto fratri non erubescerent, contra apertam sententiam Divorum Thomæ & Antonini & Sylvestri, quos citat & sequitur Sanchez in Sum. *lib.* 6. *Cap.* 18. *n.* 49. *&* 60. Emanuel Sà. *tit. Correctio n.* 108. Veh ipsis; quia contra proximorum, immo filiorum sibi concreditorum famam hoc detestabili pacto & abusu sævientes, absque eo quod infirmatibus eorum curam & misericordiam simul paterna charitate adhiberent, a se ipsis etiam misericordiam Dei in propriis reatibus prorsus excluderent juxta celebrem S. Joannis Chrisostimi sententiam. *Acerbe enim aliena exquirens in suis excessibus nullam unquam nanciscetur misericordiam* tom. 3. ad popul. post med. tom. 5. Hæc incidenter, sed opportune non omissa.

41 Ultra acta quæ diximus primi generis: nempe decreta generaliter edita & ordinationes pro bono Provinciæ regimine in communi latas, præter itidem acta secundi generis veluti provisiones peculiares pro conservanda Regulari observantia & extirpatione abusuum vigentium in determinato Conventu vel determinatis subiectis adhibitas; aut quæ concernant mandata pro defectibus personalibus Fratrum abolendis &c. remaneant acta quæ alibi etiam appellabantur tertii generis, nimirum depositiones delationes singulorum, qui visitationem respective subierunt cum subscriptione eorumdem in ipsa prorsus forma in qua Visitator eas excepit. Et de his cadit consequenter quæsitum quoque cum aliqua observatione distincta pro Visitatore Regulari; quanto tempore scilicet hic valeat hujusmodi acta apud se retinere & an possit iisdem & in quibus casibus uti? Etenim de jure communi possunt Visitatores Delegati quique acta eadem originalia apud se servare; quoadusque syndicatum ipsimet subierint tempore debito secundum Religionis cujusque mores ad defendendos ipsos se videlicet, quoties culparentur vel depositiones datas non scripsisse, vel scripsisse id quod denuntiatum minime sibi fuerit vel proprio arbitrio de non sibi delatis defectibus innocentes correxisse &c. Et ratio jam pluries allegata repetitur: quod nimirum secretum naturale & legale nullū obliget cum damno suo gravi, sed neque cum damno Communitatis sive Tertii innocentis; ex pluries allegato *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 7. *art.* 1. *& quodl.* 1. *n.* 5. D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *Cap.* 22. §. 5. Navarr. de pœnit. *disp.* 6. *Cap. Sacerdos n.* 37. In quibus casibus item cum prudentia semper & minori saltem promulgatione depositionum inquantum possibile foret Visitatoribus se tuentibus procedere fas esse ad servandum omni meliori modo secretum, docent. Gabriel. super *can. lect.* 54. Mirand. *tom.* 2. *qu.* 17. *art.* 5. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 3. *disp.* 1. *qu.* 5. Sot. de tegend. secret. *membr.* 1. *qu.* 1. *& alii*. Idemque repetitur de Provincialibus atque Visitatoribus non delegatis sed ordinariis, hi namque valent equidem retinere depositiones originales sibi paternaliter præstitas cum subscriptionibus denuntiantium usquedum syndicatum subierint vel ejusdem cessaverit periculum; juxta Religionum distinctarum propriam & diversam praxim & hoc ad sui defensam vel ad impediendum grave damnum, ut paulo ante notavimus probabiliter alias imminens Communitati vel tertio innocenti. At hujusmodi damno nequaquam imminente aut ejusdem periculo post syndicatum passum omnino cessante, obligari Visitatores tum Ordinarios tum Delegatos quoslibet ad depositiones in casu cum subscriptionibus penitus delendas & comburendas, Doctores conveniunt passim propter diffidia quæ ex eorum ostensione aut fortuita lectione exorirentur; quorum Visitatores ipsimet rei pro certo haberi non nequirent, eo quod acta eadem secreta retinere voluerint absque necessitate, sicuti dicitur de

cooperantibus ad grave malum sive inconveniens cum culpa lata quæ in similibus æquiparatur dolo. *l.* 1. *ff. si Mensor falsum &c. l. Quod* Navar. *ff. Depositum &c.* Gloss. *in stat. Quibus modis contrab. obligat. circa fin.* ℣. *Dolo cum concordantiis*. Ultraquamquod operarentur contra naturale jus quod habent rationabiliter tum denuntians paterne tum denuntiatus si hic in occulto deliquerit ad observantiam secreti apud Visitatores ipsos depositi, utrique quorum præterea gravis irrogaretur injuria secundum alibi exposita cum Cajetano 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Petr. Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *part. ult. num.* 316. & communi. Ex quo manifeste relevat perfida fine & prava conscientia quorumdam, qui alias Visitatoris vel ordinarii vel quoquo modo Delegati munere functi jactant se adhuc retinere depositiones habitas contra talem & talem vel a tali & tali sibi porrectas contra aliquem, cujus deinde delator inde se fecit amicum. Hos siquidem veluti arma desumentes contra proximum ex promptuario charitatis, videlicet ex Visitatione paterna, in qua charitative solummodo procedere valent visitantes immo sic processisse supponuntur; in casu tenerentur Superiores altioris ordinis ad traditionem actorum statim comburendorum districte obligare, immo veluti secreti proditores severe punire, ut erudite probant Rodericus *tom.* 2. *qu.* 2. *art.* 3. & Pater de Ameno de delict. & pœn. *tit.* 5. §. 6. *n.* 12. & 13.

42 In præfatis clare item habetur resolutio secundæ partis quæsiti an videlicet Regularis Visitator actis mox explicatis uti possit? Decretis namque editis pro bono Provinciæ regimine & extirpatione gliscentium abusuum in genere, nil prohibet quin utatur & pro inferendis Superioribus signanter generalibus & pro indemnitate propria quatenus de socordia nimia in visitando culparetur. Decretis autem sive provisionibus contra transgressiones determinatæ familiæ alicujus Conventus & peculiarium transgressorum in ea, sive adversus quemlibet alium delinquentem in particulari minime uti posset ad sui placitum, quatenus delicta in casu adhuc essent occulta; nempe a paucis delatoribus non sufficientibus ad publicitatem seu notorietatem deposita, nisi ad propriam defensam cautelis supra expositis præsertim pro necessario tempore & non ultra, quæ quidem diximus acta primi & secundi generis. At actis tertii generis nempe depositionibus subscriptis &c. quod nequeat Visitator quicumque uti nisi ad propriam defensam, & ad damnum impediendum Communitati vel imminens innocenti tertio, quatenus ab impostoribus attentaretur, cum cautelis item, præcipue durante tempore determinato dumtaxat syndicatus subeundi vel periculi proprii aut alieni damni, ab una Visitatione ad aliam hujusmodi pariter permissus usus debet intelligi civiliter & extrajudicialiter; quippe cum in foro contentioso acta eadem inquisitionis paternæ & generalis a quocumque citentur contra prætensos reos nullam faciant probationem; utpote depositiones hujusmodi juramento ad hoc necessario minime fultæ, secundum intentionem denuntiantium ad forum paternum tantummodo pro correctione extrajudiciali morum restrictæ. *Cap. Hortamur* 3. *q.* 9. *Cap. Fraternitatis Cap. Nuper de test.* Mirand. *tom.* 1. *Ordin. judic. qu.* 6. *n.* 5. Sanct. de pœn. *Cap.* 1. *qu.* 2. ℣. *Hinc patere*. Tanto minus ergo quis Visitatoris munere dudum functus valeret easdem depositiones evangelicasque denuntiationes in medium proferre ad authenticandos transgressorum contra quos ageretur juridice defectus, eo quia scilicet sibi in confidentia concreditas & nequaquam sine gravi culpa publico examini exponendas Alex. *caus.* 13. *n.* 9. *lib.* 6. Decian. *lib.* 7. *Cap.* 19. *n.* 13. Sot. *de teg. secr. membr.* 1. *qu.* 1. *concl.* 2. Molin. *tr.* 4. *disp.* 5. & 6. Hinc S. C. Episcop. in una Papien. *die* 8. *Februarii* 1715. medio Emo Corsini qui postea ad Summi Pontificatus Solium fuit evectus Ponente, ordinavit comburendas esse scripturas in quibus judicio publico exponebantur transgressiones Religiosorum in paterna generali visitatione compertæ; teste Ursaya *tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 13. *n.* 163.

§. Un. Verumtamen revelare depositiones easdem arbitrarie datis occasionibus alteri personæ motivo affectionis erga amicos vel odii adversus invisos posset dici quid sacrilegum; utpote Visitator illas apud se receperit sub naturali sigillo vel aperte protestante cum visitationem annuntiavit, ut regulariter contingit, vel implicite saltem importato ex intrinseca ratione ipsiusmet paternæ inquisitionis; inde a peccato gravi contra fidelitatem nullatenus posset excusari ad tradita per Sot. ubi supra de teg. sec. *membr.* 1. *qu.* 5 Sanchez 2. *Opusc. lib.* 6. *Cap.* 6. *dub.* 1. De Lugo de just. *disp.* 14. *sect.* 9. *n.* 32. Trullench. in Decal. *lib.* 7. *Cap.* 10. *dub.* 136. Quod equidem crimen certum delicto perjurii æquivalere erudite probat P. de Ameno de delict. & pœn. *loc. cit. tit.* 5. §. 6. *n.* 12. & 13.

& 13. allegatis Juribus simul & Jurisperitis: Propter quod minime crediderim posse Visitatores adeo impudentis conscientiæ inveniri, qui potentioribus quorum factioni adhærent vel a quibus favores aut promotiones sperent, seu aliis sibi acceptis Religiosis, in familiaribus collocutionibus quicquid adversus illos eorumque amicos deposuerint Visitati revelent vel depositiones ipsas ostendant. Hi nimirum præter proditoris & perjurii notam, gravissimi damni inde secuturi sese constituerent proculdubio reos; nam justo timore acti a denunciationibus necessariis deinceps Religiosi retraherentur sub motivo, se nullatenus obligari ad exponendas inobservantias atque transgressiones, esto Religioni perniciosas; quoties nullum remedium malis sed potius sibi ipsis damnum pro certo eventurum nossent: juxta exaggerata per Rodericum *tom. 2. qu. 6. art. 2.* & Lezanam *tom. 1. Cap. 27. n. 2. & tom. 3.* V. *Judex n. 7.* Quam profecto rationem absque eo quod super ipsa disputemus fateor in actu Visitationis ab exterritis subditis allegatam me audivisse non semel. Legatur quæso P. de Ameno hujusmodi procacium Visitatorum culpam merito improperans §. *cit. 6. n. 13.* Perniciem itaque maximam Ordini proprio per ipsos causari extra dubium vergit; cum occludatur aditus observantiæ Regularis conservationi nec non transgressionum libertatumque extirpationi per visitationem ad hunc finem iuxta Concilii mentem *sess. 25. de Regul. Cap. 1.* institutam; quæque propterea Religionis salus apte nuncupatur ab Hostien. in Sum. de Off. Archid. §. *Quod sit* ℣. *Sed dices*. De Ameno pract. crim. tit. 3. n. 101. &c.

APPENDIX PRO MINORITIS.

43 PRO Fratribus Regularis & Strictioris Observantiæ extant statuta peculiaria quantum ad præfata: nempe, quod acta in Visitatione paterna sive inquisitione generali, intellige scripto exarata non serventur ultra sex menses. Sic ad textum practicæ criminalis tit. Inquisitio ibi: *Visitationes autem hujusmodi, ultra sex menses conservare non debent Visitatores, nec tenentur, quod etiam in statutis Ordinis servari mandatur in omnibus processibus seu confessionibus Fratrum & actis judicialibus. Itaque semestri elapso, numerando a conclusione causæ causis omnibus jam agitatis, & per finalem sente ntiam ultimo terminatis imponitur perpetuum silentium*. Qui textus desumptus fuit ex Constit. Salmant. *Cap.* 10. & Congr. Cismont. Rom. *de an.* 1603. Ultra quamquod generaliter cadit advertendum, textum quemcumque (ut etiam alibi tactum est) practicæ ejusdem facere legem, tum apud Observantes vigore stat. gener. Sambuc. *Cap. 10. n. 11.* tum Reformatos *ex Cap. etiam 10. statut.* ubi absolute practica allegata præcipitur observari. Sistendo igitur super Visitationibus paternis in casu (processibus aliisque actis judicialibus omissis) apparet manifeste accipi pro illis acta principaliter, quæ appellavimus superius tertii generis; nempe depositiones originales denuntiationes subditorum apud Visitatorem cum eorum subscriptionibus, quamvis reducantur ad eadem, acta etiam secundi generis nuncupata: videlicet crimina signanter occulta, ex ipsis depositionibus relevata criminosorumque nomina in distincto folio descripta, & pœnitentiæ impositæ, seu remedia secreto adhibita provisionesque privatæ, quæ omnia parem exigere in Visitatore fidelitatem & sigilli naturalis observantiam, certum habetur ex dictis, propter jus, quod possident denuntiatus & denuntians super confidenter depositis, & discordias alioquin ex publicitate oriundas. De Lugo *disp. 14. n.* 139. Bonac. de vastat. *disp. 2. qu. 1. p.* 1. Mastr. in Theol. Mor. *disp. 11. qu.* 9. Felix Potest. *tom. 1. part. 2. n.* 2786. Hujusmodi, inquam acta prohibet conservari ultra spatium sex mensium Visitatoribus Franciscana Religio in allegata practica criminali & allegatis statutis.

44 Tamen dari casum non semel, quod ultra præscriptum semestre possint acta eadem servari a Visitatoribus, docet absolute P. de Ameno pract. crim. *tit. 11. §. V. n.* 86. nempe quoties ii dubitarent accusationes contra se præbendas de partialitate, addamus, de injustitia de falsitate in scribendis depositionibus de socordia in providendo criminibus & inobservantiis denuntiatis & similibus, jus etenim naturale proprium se tuendi cujuscumque positivo vel etiam naturali alieno cœteris paribus in casu prævalere, subdit laudatus auctor in casu. Ex Diana *part. 3. tr. 6. resol.* 60. Tambur. *tom. 1. n.* 21. quibus potest jungi Felix Potestas id ex proposito probans *tom. 1. part. 2. n. 1706. seq.* Et quanto tempore acta hujusmodi quibunt Visitatores penes se retinere? Non specificat idem Doctor; verum quia in eadem practica criminali sub eodem titulo invenitur adnotatum ut sequitur: *Poterunt etiam Visitatores Provinciarum de*

suo

suo prædecessore immediato generaliter inquirere, ut vel hac ratione in suo munere cautiores incedant. Quodque specialius inde injunctum habetur in Capitulo generali Toletano *de an.* 1682. pro Ultramontana Familia *n.* 34. sed signanter in statutis Reformatorum *Cap.* 8. *n.* 8. Unde videtur deducendum etiam huic inhærendo sententiæ, quod usque dum expleatur Visitatoris subsequentis officium; quatenus prædecessor fundamentum satis probabile habuerit providendi propriæ indemnitati vel propter morem Provinciæ inquietæ, vel attentis sibi adversantium minis, poterit acta de quibus in casu reservare; verum si timor hujusmodi fundatus obsit, teneatur omnino in conscientia legi, quæ supra, parere & nullo unquam tempore secretum sibi concreditum propalare, juxta doctrinam & Doctores *n.* 41. & 42. quibus potest addi Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 1. *a n.* 55. Cum alioquin ultra patratam culpam gravem pœnis subjaceret arbitrariis, præcipue si una cum denuntiationibus nomina revelaret denuntiantium ad normam Statuti generalis Sambuc. *Cap.* 10. *n.* 7. ibi = *Visitatoribus prohibemus, ne eorum, qui Visitantur nomina cuiquam ullo tempore quovis modo revelent. Secus facientes, ultra grave peccatum, quod committent, arbitrio Superioris puniri mandamus*. Transacto autem tempore Visitationis subsequentis, scilicet elapso triennio, intra quod solent a Generali in Ordine Minorum Visitatores ad Provincias amandari, adhuc hac opinione admissa, deberet omnino Visitator præcedens acta de quibus loquimur abolere & flammis dare, eo quia neque de delictis neque de delinquentibus, de quibus in actis deponebatur possit amplius emergere controversia; cum proinde in Religione nostra de triennio in triennium id est ab una Visitatione regulariter ad aliam seu de uno ad aliud Capitulum, delicta & transgressiones Fratrum præscribantur, ita ut non possint amplius in quæstionem deduci, salvis tamen aliquibus exceptionibus extra nostrum casum; & sic post peractam Visitationem immediate sequentem patet, quod prævius Visitator, qui triennio ante suum explevit munus, nequeat amplius, vel super socordia in puniendo delicta, vel partialitate in favendo delinquentibus molestari, ad tradita item per Sanctor. *de pœn. Cap.* 24. *qu.* 4. & egregie per Patrem ipsum de Ameno in pract. crim. *tit.* 20. *n.* 94. & 95.

45 His ultro admissis quantum ad sententiam Patris de Ameno, cujus auctoritati deferre utique æquum censui in hac materia, proprium tamen sensum, quoad præsentem articulum de Visitationibus seu depositis in Visitatione delendis, nequaquam tacebo nimirum, quod ipsas omnino teneatur perdere & comburere Visitator post semestre in observantiam supra allegatæ legis, & quatenus semestri completo accusaretur ipse de iis, quæ ab ostensione præfatarum depositionum inevitabiliter pendent: ex. gr. quod ipse falsa scripserit, quod non correxerit delicta inibi denuntiata, vel imputaverit non denuntiata crimina sibi invisis, responderet optime, penes se non amplius servari ad convincendos calumniatores acta Visitationis, quæ combussit juxta Religionis justissimas leges post sex elapsos menses, hinc non audiendos fore eos, qui in opportuno tempore super mox allatis se incusant; præsumuntur etenim tempus congruum & assignatum in accusando malitiose præteriisse contra legem publicam, quam scire supponebantur quatenus illam scire debebant juxta tritum axioma, *quod scire & scire debere paria sunt* Arg. *l. Quod se ff. si certum petatur*. Surd. *cons.* 150. *n.* 23. quin immo paria sunt. *scire & de facili scire posse*. Arg. *l. Si duo ff. de acquis. hæred.* ac notat Barbos. *axioma* 124. *n.* 22. Poterant videlicet intra sex menses post Visitationem assignatos tamquam tempus congruum habere recursum ad Superiorem generalem circa ea, quæ ab ostensione actorum comburendorum necessario comprobanda erant. In cujus suppositione malitiosæ dilationis, tum pro Visitatore & quibuslibet delinquentibus, tum contra inopportunum cujusvis recurrentis conatum militat insuper salubre statutum videlicet, quod idemmet recursum sive accusationem ultra tempus congruum differens, *tamquam conspirator severissime puniatur & actibus legitimis perpetuo privetur, ac infamis existat, nec audiatur*, apud Sanctorum de pœn. *Cap.* 24. *qu.* 4. *respons.* 4. Vel, ut legit P. de Ameno. *D. tit.* 20. *n.* 94. ibi = *Ut publicæ tranquillitatis, quietis & pacis perturbator, alienæ famæ insidiator & invisor ac fraternæ charitatis impugnator*. Ex Vallisolet. *de an.* 1593. *Cap.* 7. *tit. de fratr. defect. in Orb. Seraph. tom.* 3. *fol.* 391. & 476. In Sambuc. item *Cap.* 7. §. 6. *n.* 34. Consonatque statutum pro Reformatis editum in Cong. gen. Rom. *de ann.* 1688. *n.* 46. Quæ profecto addidi, ad hoc ut comperiat quis etiam generaliter extra nostrum casum contra hujusmodi vafros homines, qui malitiam propriam explere ten-

tentant denuntiando & accusando extra congruum tempus, veluti alienæ famæ insidiatores in Ordine nostro fuisse provisum. Cœterum asserta de non differendis accusationibus & recursibus contra Visitatores in casu ultra sex menses, intelligendum venit quantum ad ea præcise, quæ necessario ab ostensione Visitationum delendarum, juxta allegata, dependent quoad veritatem & falsitatem expositorum uti supra. De aliis enim notoriis, vel extra actum excipiendi depositiones fratrum commissis, videlicet de muneribus acceptis, de vita scandalosa de sumptuosa mensa de Visitatione perfunctoria & apparenter tantum & scandalose consummata in curribus & in equis, poterit immo debebit quatenus culpabilis, apud subsequentem Visitatorem licet in fine triennii accusari & denuntiari: sunt enim hæc correlativa inquisitioni faciendæ de suo prædecessore ab ipsomet successore immediato, tum juxta citata superius statuta *de an.* 1682. tum ex prax criminali ibi *tit. Inquisitio*. allegata.

46 Hac vero occasione notanda occurrit alia ejusdem Patris de Ameno doctrina. Cum namque praxis criminalis textus *n.* 43. citatus ordinet quod ultra *semestre non debeant conservari visitationes*: cum addito ibi *Quod etiam in statutis Ordinis servari mandatur in omnibus processibus seu confessionibus Fratrum & actis judicialibus* insurgit præfatus Doctor contra particulare *de Confessionibus* nititurque probare easdem conservari debere usquedum vivat delinquens qui crimen confessus est his rationibus; quia confessiones spontaneæ de patrato crimine non sunt acta absoluta & terminata, sed important judicium veluti suspensum quoad usque aliud delictum patretur ab eo qui confessus primum misericordiam obtinuit. Ideoque expectandum esse delictum super quo conficiatur & absolvatur processus; & tunc de secundo & primo delinquens puniatur, sicque causa omnino absoluta post semestre poterit processus ultimus cum confessione primi delicti revera comburi. Ultraquamquod nisi servaretur confessio delicti primi, non posset Judex venire in cognitionem juridicam ejus ad augendam punitionem; juxta statutum Salmanticen. *Cap.* 7. ℣. *Si tamen* apud Gubernatis *tom.* 3. *fol.* 309. & *statut. Reform. Cap.* 7. *n.* 11. Nec qualitates ejusdem delicti ipsimet Judici innotescere quirent. Si enim delinquens omnia negaret aut cum tergiversationibus diminueret, unde convincendus foret? nisi propria ejus legalis confessio contra eundem adduci posset? Proinde cum post delictum primum sit capax quoque patrandi secundum usque dum vivat, toto ejus vitæ tempore, per consequens ut præfertur confessio utique servanda erit. Ita ille pract. crim. *tit. XI.* §. 5. *n.* 26.

47 At ego absque eo quod celebri Doctori aliquid detraham non video cur textus allegatæ praxis non sit literaliter observandus. Qui confessus est siquidem suum crimen spontanee ad obtinendam misericordiam, propterea coram duobus tantum testibus pœnitentiam salutarem consecutus, ne crimen idem cum infamiæ nota & pœna publica sibi inflicta fieret manifestum: juxta præcitata statuta Salmanticentia *Cap.* 7. & *reform. Cap. pariter* 7. *n.* 11. non est ratio quare deberet evadere deterioris conditionis ac ille, qui crimen publicum patraverit nec præventive beneficio legis usus fuerit. Ideoque cum processus contra publicum delinquentem per consequens scandalosum, qui beneficium legis neque adhibuit neque meruit comburendus nihilominus sit post semestre cum impositione perpetui silentii ex Stat. Sambuc. *Cap.* 12. §. 23. *n.* 4. atque pract. crim. cit. tit. *Inquisitio* ℣. *Visitationes &c.* Quomodo non debebunt sortem eandem nancisci confessiones spontaneæ de delicto minime scandaloso, ut exprimunt Statuta signanter Reformat. Cap. 7. ibi *purchè non sia con scandalo publico* & adhuc sub latebris idest non manifesto? Ad summum sicut post semestre combusto processu servatur in archivio nota delinquentis & delicti sententiæque prolatæ: juxta normam datam ab ipsomet de Ameno *n.* 27. Ita posset addi de confessione in casu, quod de ipsa post transactum semestre combusta retineretur nota in separato folio cum brevi expressione delinquentis & delicti nominisque eorum qui fuerint testes nec non pœnitentiæ gratiose impositæ confitenti solaque subscriptione Secretarii. Quo posito omnes sane ruunt rationes ex adverso adductæ; memoria etenim delicti & delinquentis nequaquam omnino periret quo minus; si secundum patraret crimen severiori exponeretur punitioni.

48 Sed neque hæc abbreviata adnotatio sive memoria servanda foret toto tempore quo Religiosus delictum confessus duraret in vita superstes: nam ultraquamquod contra charitatem & rationem præsumeretur etiam in senectute commissurus probabiliter crimen quod alias non publice & fortasse in peculiaribus circumstantiis

pa-

patrarat; utpote si aliquem fremens ira percusserit; si in sensus illecebram ardore juventutis impellente lapsus fuerit; viget namque in favorem ipsius communis lex in suppositione quod per aliquod tempus honestam & morigeratam duxerit vitam. In hoc videlicet casu quod minime teneat illa regula juris in 6. n. 8. nempe *Semel malus semper præsumitur esse malus*; nec quidem in eodem genere una vice commissi colligatur ex Can. *Ferrum dist.* 30. Et quod cesset quæcumque malitiæ præsumptio in criminoso quolibet, cum per lapsum triennii ab improbe gestis se abstinuit, & in bonis honestisque actibus se exercuit *ex Authent. de Monach. §. sancimus ergo collat.* 1. ac notant Jason. *l. si prius n.* 43. *ÿ. Tu ergo dic de novi operis nunciat.* Felin. *in Cap. Cum deputati de Judic.* Mascard. de probat. *concl.* 466. *n.* 10. & alii quos hi citant apud Reinffestuel *de præsumpt. n.* 100. *& de testibus n.* 56. *&* 57. Uniformiter ad quæ attulimus superius n. 44. in fin., quod vigeat praxis in Religione nostra de præscriptione delictorum ab una Visitatione ad aliam, scilicet a triennio ad triennium seu ab uno Capitulo Provinciali ad aliud secundum citatum ibi de Ameno *tit.* 20. *pract. crim. nu.* 94. *&* 95. Esset ergo præsumptio irrationabilis pro certo quod quis in idem crimen per tres continuos annos minime relapsus illud deinceps patraturus esset; consequenter primi criminis jam confessi & cum pœnitentia salutari remissi jugiter notitiam oculis Superiorum succedentium aliorumque archivia inspectantium exponere, non charitatem tantum sed fortasse justitiam offenderet, quæ naturaliter clamat famæ proximi consulendum esse quantum fieri potest, eo ferme pacto quo quis vellet propriæ rationabiliter provideri; ut cum D. Thoma, Navarro & Graffio sustinent Anglus 2. part. qu. de correct. fratern. art. 1. difficult. 6. & seq. Salon. 2. 2. qu. 64. art. 1. concl. 2. part. 2. Ant. a Spir. Sanct. in direct. Regul. tr. 4. disp. 3. sect. 3. n. 47. aliique communiter. Quod idem fortius probatur ad hominem per Doctrinam ejusdem Patris de Ameno, in qua tradit alibi Religiosum legaliter admonitum propter suspectum consortium vigore statuti Vallisol. 1593. *Cap.* 11. *& Reformat. cap.* 1. *n.* 2. in suppositione quod a similibus consortiis suspectis per triennium abstineat præsumi omnino emendatum; adeo ut si post triennium bonæ vitæ in suspecto iterum deprehendatur consortio, minime possit pœna statutaria quæ post legalem admonitionem imponitur puniri, sed denuo debeat admoneri tamquam si numquam in tali materia deliquisset; & secundus hic lapsus habeatur veluti ac esset primus. Ita plane tom. de delict. & pœn. *tit.* 4. §. 1. *n.* 56.

49 Ad propositum itaque censerem confessiones fratrum de delictis absque publico scandalo commissis & cum salutari pœnitentia pro prima vice dimissis ad normam textus & statutorum esse quidem tradendas igni post semestre & notam eorum retinendam summarie in folio ex parte non in libro ordinario perpetuo duraturam, sed dumtaxat usque dum triennium ad præscriptionem assignatam elabatur, & delinquens seu de delicto confessus legaliter & absolute præsumatur emendatus, atque inde omnino etiam summariam adnotationem fore delendam. Sed quid si post triennium qui confessus fuit crimen & cum pœnitentia salutari in foro fori absolutus in aliud ejusdem speciei relabatur de facto? Respondeo quod si hoc eveniret post longum tempus elapso jam triennio puta post decennium & ultra quantum ad delicta præfata videlicet absque publico scandalo commissa, puniendum quidem fore recidivum de novo crimine de quo suspicatur novam non adhibere confessionem voluntariam; sed in punitione non haberi respectum ad primum alias confessum crimen correctum & dimissum nec non secundum leges statutarias ipsumque jus commune totaliter præscriptum. Farinac. *qu.* 1. *n.* 25. De Bictis *qu.* 94. *n.* 2. *ad* 10. *& n.* 21. Si autem addatur quæsitum; an delinquens quantum ad hoc secundum crimen longo post tempore patratum posset adhuc uti beneficio legis, illud spontanee confitendo ad evitandam ordinariam pœnam? Probabilius putarem quod sic, eo quia primum jam longo tempore ante confessum legaliter de facto fuit aboletum præscriptum, ut diximus & è memoria hominum deletum. Attenta signanter doctrina superius allata Patris de Ameno de delict. & pœn. *tit.* 4. *n.* 56. Si loquamur vero de recidivo in idem crimen statim post triennium elapsum; tunc non est dubium, quod pœnam deberet reportare in statutis taxatam & minus misericordiæ mereretur quam ille alter, qui per annos proliziores in exemplari vita perseverasset; dum licet triennium intermedium ad præscriptionem legalem criminis confessi & correcti sufficeret. Nihilominus aliquem fumum gravioris demeriti confessio proxime secuta & salutaris pœnitentia adhibi-

ta

ta cum ipsiusmet protestatione de non reincidendo, non posset non superaddere; Ideoque contra eundem signanter videntur militare exclusio sive limitatio, quod non esset amplius locus alteri spontaneæ & præventivæ confessioni ad evitandam pœnam statutariam crimini replicato omnino debitam: juxta disposita in statutis generalibus Salmanticensibus *Cap.* 7. apud P. Gubernatis *tom.* 3. *fol.* 319. *col.* 2. & Reformat. Cap. item 7. *n.* 11. ibi lingua vernacula. *E questo vaglia per la prima volta*: Inde de recidivo eam concluderemus, quod semper reportaret majus dispendium criminosus, quam de primo; præsertim quatenus post tempus non ita prolixum sequeretur relapsus; his non obstantibus quoties Superior in misericordia abundans erga fratrem post triennium, quod sufficit ad præscriptionem legitimam in crimen ejusdem speciei absque scandalo relabentem, acceptaret ejus confessionem spontaneam perinde ac si primi criminis esset reus, non video quare pius ipse Superior esset arguendus & non commendandus potius attentis omnibus juribus præcipientibus charitatem, ubi fragilitas verius quam obstinatio in malo consideretur: concordantibus statutis Ordinis: atque textibus practicæ criminalis *tit. Delictorum discrimina.* ℣. *In levibus*, & tit. *Pœnarum genera.* ℣. *Et licet pœnas has in fin.* Nec non eodem P. de Ameno *tit.* 1. *qu.* 2. *n.* 46. *&* 47. *& qu.* 4. *per tot.* Quod si statuta limitent *pro prima vice* tantum confessioni spontaneæ & gratiosæ pœnitentiæ indulgendum: etiam vigore legis inspecto non possunt non interpretari quod *pro prima vice* tantum valeat indulgentia intra triennium non adhuc elapsum pro crimine primo præscribendo, ut jura juribus minime contradicant. Non omissa insuper doctrina; quod si delinquens per triennium subsequens exemplariter & morigerate vixerit, neque consuetudinarius si relabatur dici debeat, neque ad infamiam in eo probandam priora delicta adduci queant. Ex Claro *lib.* 5. §. *fin. qu.* 21. *in fin.* Mascard. *lib.* 2. *de probat. concl.* 704. *n.* 8. Farinac. *qu.* 20. *n.* 26. *&c.*

50 Reassumentes ultimo acta visitationis a quibus attenta doctrina Patris Ludovici de Ameno non nihil declinavimus; an possit videlicet ea servare ad usum proprium Prælatus post Visitationem ipsam expletam, non sit inane repetere licet adnotaverimus pluries; quod nempe dicta de Visitatoribus triennalibus, missis scilicet de triennio in triennium ad visitandas Provincias respective a P. Generali, aptari debent Visitatoribus item Ordinariis: veluti Ministris Provincialibus &c., ita ut possint eadem acta retinere quidem per totum proprii gubernii tempus, usque dum syndicatum subierint sub Visitatore immediate sequente, quo peracto tamen eo ipso omnia & quæcumque scripto exarata, depositiones signanter & denuntiationes a visitatis subscriptas comburere & delere prorsus teneantur; nec contra ipsosmet Ordinarios Provinciales videlicet &c. quidquam ad acta hujusmodi præcise spectans vel ab his pendens possit ultro deponi, aut in judicio amplius acceptari, Interea autem dum detinent nequaquam valeant eis uti, nisi secreto pro observantiæ incremento & abusuum ulteriori extirpatione vel ad propriam duntaxat seu Communitatis aut innocentis alterius necessariam defensam; sic exigente ratione fidelitatis circa ea, quæ apud seipsos confidenter fuere deposita juxta superius sæpe animadversa. Ex P. de Ameno signanter de delict. & pœn. *tit.* 5. §. 6. *n.* 12. *&* 13. & in pract. crim. tit. Testes *n.* 90. *&* 91.

CAPUT VII.

DE POTESTATE PRÆLATI REGULARIS EXTRA VISITATIONEM.

Quamcumque potestatem sive jurisdictionem Prælati respective possident extra actum visitandi, posse hanc ab ipsis exerceri juxta occurentes casus etiam in actu Visitationis, jam alibi fuit explicatum; cum hoc discrimine tamen, quod in Visitatione qua tali potestas ipsamet aliquibus ligatur circumstantiis & conditionibus, a quibus aliis temporibus & in cæteris actionibus extra consideratur immunis: prout etiam quatenus propria extenduntur auctoritate in casibus pluries occurrentibus, dum actu Visitant: ex. gr. Confessarios instituendo, benedicendo, dispensando, absolvendo, perspicuum est quod id peragant independenter a Visitatione, ratione dignitatis & officii: Cum distinctione proinde ad quamcumque confusionem evitandam in primo tomo processimus, cum ad Prælatos in specie descendebamus agentes prius de jurisdictione competente Prælatis in genere Ecclesiasticis non Regularibus signanter in actu Visitationis & functionibus ad eum præcise spectantibus, & de hinc de jurisdictione & potestate quacumque extra visitandi exercitium. Eamdem ergo prosequentes methodum quantum ad Prælatum specifice Regularem, postquam illum visitantem inspeximus & ea quæ proprii sunt juris ante actum visitandi in ipso visitationis exercitio & post eamdem peractam disponentem exequentem & ordinantem consideravimus; ad jurisdictionem item attendemus, quæ illi in propria respective dignitate competit, quaque intus & extra Claustra legitime valeat uti. Consequenter apponitur.

DUBITATIO XVII.

DE POTESTATE PRÆLATI REGULARIS DIRECTIVA.

Multiplex tribuitur Prælato Regulari a juribus & Doctoribus potestas; & cuicumque alteri præstare profecto videtur ex ipso nomine dominativo, quæ quidem quatenus supra sæculares se extenderet per mixtum imperium ac etiam merum; aut jurisdictionem quasi Episcopalem importaret magis & minus erga sæculares item, cujusmodi imperium & jurisdictionem Prælato Regulari quandoque attentis institutionibus & privilegiis non repugnare per dubitationes distinctas in primo tomo fuit compertum; tractatum hinc exigeret peculiarem etiam præcedenter ad potestates reliquas quantum ad sui excellentiam atque extensionem: ne tamen dissertationes de Dominativa in hac peculiari acceptione fuse actitatas *Cap. V. Dubit. XII.* tomi ejusdem primi ina-

niter

niter repetamus, Dominativam in ampliori sensu appellabimus hic prout in Prælato Regulari qua tali residens potestatem directivam, quatenus inter alia quæ pro bono regimine, observantiæ incremento & Religionis splendore principalius intra Claustra & aliquoties extra disponit & ordinat, ac etiam dominium respective importat & in præcipiendo auctoritatem. Quod sane dominium in dirigendo & in præcipiendo auctoritas respectu Religiosorum subditorum originem per Auctores communiter censetur ducere ab horummet obedientiæ voto: Nam hoc ipso, quod quis in Religione profiteatur transfert voluntatem suam ac dominium proprium in Prælatos Religionis, illisque cum abnegatione sui ipsius respective se subditum reddit ex D. Thom. quodlib. 10. art. 10. ad 3. Antequam ergo super potestatem coercitivam quæ directivæ famulatur & de absolutiva vel dispensativa, quatenus directivam eamdem comitatur aut consequitur, & de quibusdam aliis ad propositum instituatur per distributas dubitationes proprias sermo. De directiva ipsa distinctas agemus Sectiones. Et quia hæc eadem directivum dominium ut dixmus de se importat; dirigendo siquidem Regularis Prælatus simul & præcipit vel saltem præcipere & jubere valet pro mensura competentis sibi facultatis, hinc præcedenter ad reliquas proponitur dessertatio sive.

SECTIO PRIMA.

De Potestate directiva Prælati Regularis quantum ad imponenda præcepta.

SUMMARIUM.

1 *Præmittitur quomodo Prælatis Regularibus proportionaliter erga sibi subditos competat potestas, quam habent Episcopi super proprium Gregem. Idque de Prælatis etiam localibus sustinetur.*

2 *Explicatur potestas Superiorum Regularium respective imponendi præcepta propriis subditis.*

3 *Expenditur signanter præceptum eundi ad Missiones.*

4 *Valet Prælatus Regularis præcipere subditis mutationem familiæ sive Conventus & hi tenentur obedire. Et quamvis prudentia suadeatur Superioribus: obedientia in subditis probatur necessaria.*

5 *Superiores majores an possint præcipere subalternis; ne causas cognoscant & illas ad se avocent?*

6 *Superiores locales an possint cognoscere causas Religiosorum propriæ familiæ.*

1 Notitia hic primum præbetur in genere, quod Prælatus Regularis erga sibi subditos Religiosos potestatem possideat proportionaliter qualem præseferunt Episcopi super proprium gregem, ideoque sustinetur Prælatus idem jurisdictione quasi Episcopali respective pollere; respectu enim subditorum exemptorum loco Episcopi non potest non dici succedere, ut notant DD. Ad textum *in Cap. Abbates de privileg. in 6.* ubi Gloss. *& in Clement. 1. de reb. Eccles. non alienand. ℣. Proprius* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. Cap. 2. & 13.* & cum aliis Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 2. tom. item 5.* in Mari Magno Carmelit. *n. 479.* Ant. a Spir. Sancto in Direct. Regul. *tr. 2. disp. 1. sect. 1. n. 2.* Et ne bis de nomine sit controversia, eo quia ex Doctoribus plerique tribuant Generalibus auctoritatem & jurisdictionem veluti Patriarchalem, Provincialibus Archiepiscopalem & Prioribus aliisque Superioribus localibus in Capite veluti Episcopalem: Apud Ant. a Spir. Sancto loc. cit. addimus hoc verificari extensive quatenus ad totum Ordinem in pluribus Provinciis extenditur jurisdictio Generalis, ad Provinciam ad modum Archiepiscopi ea Provincialis, sicuti ad

ti ad familiam Conventus reſtringitur illa Superioris veri Localis; cæterum proprie in omnibus locis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem reſpective erga proprios ſubditos magis & minus reſidere: ex Suarez Lezana ubi ſupra: Anacleto Reinffeſtuel *tit. de hæret.* §. 9. *n.* 417. *&c.* Et quamvis de Superioribus Localibus videantur id negare Doctores aliqui videlicet P. Ludovicus de Ameno, qui alicubi ſed caſualiter aſſimilat eos Archidiaconis pract. crim. *pag.* 313. *n.* 162. nec non citatus Reinffeſtuel qui appellat eos pariter veluti Parochos *tit. &* §. *eod. n.* 418. Nihilominus ſtandum eſſe communiori opinioni quod nimirum juriſdictionem quaſi Epiſcopalem poſſideant locales etiam Superiores proportionaliter, niſi abſolutam ut Generales & Provinciales, ſaltem ſecundum quid, ſuadet ratio eo quia in aliquibus juriſdictionem erga ſibi ſubditos & poteſtatem Archidiaconi & Diaconi ſine dubio excedunt, tum præcipiendo tum abſolvendo diſpenſando & benedicendo ad inſtar Epiſcoporum erga concreditum gregem, hinc connumerantur inter Prælatos. Portell. dub. Regul. Verbo Abbas per tot. *V. Guardianus n.* 1. *&* 2. *& V. Prælatus item n.* 1. Paſſerin. *de elect Can. Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 14. Lezana loc. cit. ſignanter *tom.* 5. ubi refert perſpicuam Bullam Eugenii IV. & late Ant. a Spir. S. *tract.* 4. *diſp.* 1. *num.* 201. 1. *ſeq. & diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 26. *&* 27. Necnon ex propoſito ipſe Pater de Ameno pract. crim. *tit.* 1. §. 2. *n.* 14. *ſeq. & qu.* 5. *n.* 64. At omne litigium dirimit D. Pius V. in Conſtitut. quæ incipit *Romanus Pontifex* data ſub die 21. *Julii* 1551. *& eſt* 132. in ordine. Ubi etiam PRIORI CONVENTUALI, & Superioribus Prælatis Ordinis Prædicatorum expreſſe concedit Sanctus Pontifex, *ut omnino poſſint in Fratres & Monialet dicti Ordinis ſibi ſubditos quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſibi ſubditos tum quoad abſolvendi, & diſpenſandi* QUAM ALIAS QUASCUMQUE FACULTATES &c. Unde non eſt dubium hanc eamdem juriſdictionem ad inſtar ſcilicet Epiſcoporum erga ſibi ſubditos competere Superioribus localibus ſive Conventualibus aliorum Ordinum, qui cum dicto Prædicatorum in privilegiis communicant apud Paſſerinum. *Cap. alleg.* 26. *qu.* 41. *n.* 16. *&c.* Quæ ſane Bulla in decurſu Capitis hujus ſeptimi quoad omnes poteſtates ſingillatim examinandas Prælatis Regularibus reſpective competentes, non ſecus ac Epiſcopis proportionaliter, non una vice citabitur. Pro nunc advertendum quatenus a poteſtate præcipiendi incipiamus quod hæc validior quam in Epi ſcopis in Prælatis Regularibus reſideat; poſſunt enim hiſtrictius obligare ſeu adigere ſubditos ad parendum præceptis latis ob votum ab eis emiſſum obedientiæ, prout infra explicabimus, quæ obligatio ſubditos erga Epiſcopum non obſtringit ut eſt evidens. Non autem placet ſententia Patris Didaci de Aragonia in Dilucidat. *tract.* 2. *Cap.* 1. *n.* 5. Quod Poteſtas hujuſmodi Prælatorum Regularium ſit etiam de jure divino. Non video namque quomodo poſſit concordare aſſerto per ſe poſterius prolato, quod Poteſtas hujuſmodi immediata communicetur Prælatis a Capitulo generali & mediate a Papa *Cap.* 2. *n.* 3. abſque eo quod poſſit replicari, quod verificetur utrumque, videlicet de jure humano quidem ſed etiam de jure divino illam poſſideant: nam unum deſtruit aliud; de jure ſcilicet divino aliquid habetur & poſſidetur quando immediate a Deo procedit & traditur, quod ſi immediate communicetur ab hominibus quicunque ſint jus divinum non habet locum in caſu aut eum humano confunditur contra prima principia, ex Doctore Angelico 2. 2. *qu.* 108. *art.* 1. *&* 2. Gonzalez in proœmio juris Canonici *n.* 27. *&* 28. Fagnano. *Cap. cum eſſet n.* 119. *de teſtam.*

a Poteſt itaque Prælatus Regularis ſecundum ſuam directivam poteſtatem ordinare & præcipere ſubditis omnia quæ conducunt ad obſervantiam Regulæ & Conſtitutionum reſpective, Generalis ſcilicet in tota Religione & per totum orbem ubicumque Religio viget vel Religioſi ſubditi ſub prorio regimine degunt, ſicut idem aſſeritur de Superioribus, qui determinatas regunt familias in Regionibus proprio aſſignatis gubernio, & de Provincialibus reſpectu Religioſorum exiſtentium in quolibet Provinciæ propriæ Conventu, necnon de locali quolibet Superiore cujuſpiam determinatæ familiæ domus vel loci abſolutum regimen per ſe ibi proportionaliter gerente. Tenentur inde ſubditi cuilibet ex recenſitis Prælatis reſpective parere, quamvis præcepta forent in materia indifferenti propter votum, ut mox notavimus ſolemniter emiſſum obedientiæ. Quod ſi in aliquibus Congregationibus votum hujuſmodi ſolemniter non emittatur, attamen vel Superior quomodocumque appellatur non poterit in caſu rationem rigoroſæ præſeferre Regularis Prælati, aut quamdiu ſubditi ſub eius directione commorentur & vivant obligationem ſaltem implicitam parendi in iis ſignanter

quo-

quorum inobservantia scandalum gigneret, non contrahere nequirent, quamvis in præsenti de Prælato vere Regulari Ordinum eorum scilicet in quibus votum obedientiæ viget proprius institutus sit sermo. Nec super doctrina data emergit ulla difficultas si loquamur in genere, de præceptis deinde sive ordinationibus peculiaribus infra differturi. De Potestate autem directiva quantum ad hujusmodi præcipiendi rationem respectu Ordinis universaliter condendi leges videlicet aut statuta obligantia necnon omnes & singulos in Religione tota seu in familiis respective concreditis, an & quomodo insit Superioribus relatis, vel pro tempore tantum proprii gubernii vel in perpetuum vel donec saltem explicite aut implicite abrogentur: sufficienter actum est in dubitatione præcedente XVI. *sect. II. n.* 33. *& seq.* Circa qualitatem deinde præceptorum, quatenus hæc essent importabilia, sive impossibilia aut contraria conscientiæ & professioni subditorum: indubitatum est nullatenus obligare secundum D.D. Obedientia siquidem est tantum circa honesta rationabilia & licita D. Th. quodlib. 10. *art.* 10. *&* 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. Less. *lib.* 2. *de Iust. Cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 76. Sanchez *lib. 6. in decal. Cap.* 2. *n.* 15. Sicut etiam breviter insinuavimus non semel dubit. d. 16. sect. pariter 1. Quamvis esto apparerent gravia & difficilis executionis, ad observantiam tamen eorum teneri interim subditos repetendum est cum Vasquez 1. 2. *disp.* 154. *Cap.* 4. Less. *lib.* 2. *de Just. Cap.* 41. *dubit.* 9. *n.* 77. Angles *in flor.* 2. *part. qu.* 1. *de vot. art.* 2. Cum facultate semper pro parte subditorum gravatorum vel gravatos se reputantium, habendi recursum & interponendi gradatim appellationes ad superiores unum post alium intra Religionem & etiam ultimo ad Sanctam Sedem eo pacto, quo satis prolixe discussum fuit in dubitatione pariter 16. *sect.* 1. *n.* 9. *ad* 13. & pro Religione Minorum Fratrum *n.* 25. & deinceps.

2 Descendimus hinc ad aliqua præcepta specialia ut innotescat distinctius; an revera possint ea imponere subditis Regulares Prælati. Primum est præceptum Missionum; utrum videlicet possit imponi subditis a Superioribus Ordinum Regularium, ita quod vigore ipsius teneantur illi pergere ad partes Infidelium & hæreticorum inter quos periculum imminet prædicantibus seu catholicam fidem excolentibus subeundi Martirium & mortem in tormentis perferendæ. Hoc autem dubium constat posse de Superioribus agitari tantum generalibus ad quos privative spectat literas obedientiales pro Missionibus explendis Religiosis quos idoneos noverint per Provincias dispersis amandare: supponitur insuper Sedis Apostolicæ placitum vel privilegium placitum quidem, quod per Sacram Congregationem de Fide propaganda ad hunc effectum Missionariis examinatis & probatis tribui solet: privilegium autem quod aliquarum Religionum Superioribus utique generalibus a Summo Pontifice invenitur concessum deputandi & eligendi Operarios Evangelicos ad Missiones & determinatas regiones, signanter Præposito Generali Societatis. His prænotatis respondetur; non posse per Superiores respective Generales precipi subditis quos idoneos licet noverint, ut ad partes infidelium se conferant pro excolendis ibi Missionibus Sacris cum mortis periculo & imminentis martirii probabili certitudine, nisi Religiosi iidem de Missionibus adeundis ad Superioris mandatum votum emiserint, ut de Religiosis Societatis est manifestum & de familia Italica suæ Religionis, scilicet Carmelitarum Excalceatorum affirmat Antonius a Spiritu Sancto in Director. Regular. tract. 4. disp. 1. sect. 4. n. 71. Quibus possunt addi Religionis quoque Minoriticæ professores, utpote idem votum saltem implicite emittentes; cum ex vi præcepti expressi Reg. in Cap. 10. teneantur obedire propriis Prælatis non solum in iis quæ sunt uniformia Votis emissis videlicet ibi: *In omnibus quæ promiserunt Domino observare* sed cum copulativa *& non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ.* Cumque ad Missiones pergere non sit contrarium animæ neque regulæ, patet quomodo parere teneantur Superiori respective mandanti, ut ad partes Infidelium ad effectum fidem dilatandi & conservandi iter arripiant. Et quamvis P. Sanctorus hujusmodi obligationem limitet quantum ad Missiones inter infideles quidem exercitas, sed absque periculo saltem proximo vitæ, ut est Missio signanter Terræ Sanctæ quo Fratres destinantur potius ad replendos Conventus Custodiæ illius quam ad Religionis Catholicæ dilatationem supra *Const. Cap.* 12. *stat.* 2. nihilominus adstrictos fore ad obedientiam Fratres ipsos Minores, quoties absolute a Superiore generali ad Missiones quascumque etiam cum periculo martyrii subeundi veluti idonei cogniti pergere præciperentur ex relato implicito voto & capite expresso Regulæ, recte videtur deducere inter alios P. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 4. *n.* 13. attenta item

item doctrina Patris Lessii *de Just. lib.* 2. *Cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 77. Cœterum quantum ad Fratres Minores sapientioribus relinquendo judicium de Regularibus generaliter, si loquamur, omnes & singulos nequaquam teneri ad obediendum Prælatis id præcipientibus; eo quia Regulæ professæ præscriptum excederet; tenet cum aliis Bassæus. V. *Prælatus n.* 13. & 14. cui adhæret Anton. a Spiritu Sancto, post Lezanam pariter quantum ad Regulares in genere *d. Cap.* 4. *n.* 13. & P. Portella in Dub. Regular. V. *Obedientia n.* 4. signanter pronuntiat quod in Hispania non possint Prælati cogere subditos ut vadant ad Indos causa conversionis illorum, nisi id speciali voto in professione promittant; est enim res difficillima & non cadens sub obligatione citatque Sotum *de teg. secr. membr.* 3. *qu.* 2. *concl.* 1. Rodericum *tom.* 1. *qu.* 19. *art.* 7. Unum addit Antonius a Spiritu Sancto. Quod si Superiores ad quos spectat Generales præcipue ad Missiones deputent indoctos & non idoneos in excommunicationem incidant reservatam in extravaganti *Ad nostram*: ita eadem *sect.* 4. *n.* 74. Sanctorus autem de Superioribus agens Minoritici Ordinis quoties hi ad Missiones quascumque mittant indisciplinatos ob pericula quibus obsidentur cum independenti libertate vivendi; ipsosmet mittentes gravi peccato obnoxios merito concludit *dict. cap.* 12. *stat.* 2.

4 Secundum præceptum potest imponi a Superiore respective subditis propriis quantum ad mutationem familiæ sive Conventus. De quo absolute resolvendum est valere, nec non subditos teneri ad obediendum ratione emissi Voti. Navarr. *comment.* 4. *de Regular. n.* 22. & *lib.* 1. *cons. conf.* 9. *n.* 11. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 91. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disput.* 2. *sect.* 3. *n.* 41. Hoc tamen limitant Doctores aliqui, quod nempe mutationem hujusmodi non possit Superiores ordinare sive Generales de una præsertim ad aliam Provinciam sive Provinciales intra Provinciam de una ad aliam domum, absque motivo vero & reali; cum aliter id contingeret contra charitatem & bonum regimen Religionis. Lezana eod. n. 91. Anton. a Spir. Sancto ibid. n. 42. Præsertim si ex tali remotione periclitaretur fama Religiosi amoti, illammet improbant ut alibi tactum est *dubit.* 16. *praeced. sect.* 1. *n.* 23. *§. un.* Rodriguez *tom.* 2. *qu. Regul. qu.* 5. *art.* 2. Peyrin. in formul. *lit. M. Cap.* 8. *n.* 3. & *alii*. Sic proinde prudentia & aliis remediis juxta opportunitatem deberet uti Prælatus, quamvis motivum amotionis de facto urgeret, uti dubit. 15. Sect. III. n. 53. per §§. plures fuit animadversum satis. Verumtamen in omnibus istis casibus; quamvis via recurrendi aperiretur subdito quatenus se gravatum conclamaret: Navarro *lib.* 2. *consil. de appellat. conf.* 5. *n.* 6. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 23. *art.* 3. ab obediendo idem nequaquam quiret interim resilire, esto a Generali transferretur de propria in Provinciam valde remotam, attenta potestate ipsiusmet Generalis super omnes sibi subjectos & omnia Religionis loca. Lezana cum cœteris eod. n. 91. Licet insuper locus ad quem vel a Generali vel a Provinciali Religiosus transmutaretur foret aeris perniciosi & insalubris collum flectere præcepto non nequiret attenta necessitate conservandi Religionis loca, quam vel allegaret Superior & urgente obedientiæ voto ex parte subjecti patientis: Lezana *to.* 1. *Cap.* 4. *n.* 16. post Peyrin. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 11. *§. Un.* ℣. *Dico secundo*. Qui ultimus excipit casum in quo Superior mandans procederet ex odio & mala voluntate, ideoque tunc gravatus subditus cum vitæ periculo, animum malignantis noscens, nequaquam teneretur collum oneroso nimis jugo subiicere. Nihilominus censerem ego malignitatem in casu fore difficillimæ probationis; propterea patere quidem viam recurrendi subdito afflicto, sed ab obligatione obediendi non posse absolvi; quod si propter intemperiem aeris in permutata domo ægrotaret & ultro periret martyr occumberet pro obedientia & vitam eternam obedientibus promissam consequeretur absque dubio, omnibus plaudentibus & concordantibus Doctoribus, præcipue Minoribus urgeret in casu doctrina, cum de ipsis exprimatur in eorum Regula; *quod nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem*. Cap. 6. juxta alibi repetita.

§. Un. Verum specialis difficultas emergeret forsan pro Religiosis iis qui determinatæ domus sive peculiaris Conventus possident filiationes, ibique actualiter minora officia gererent, ex. gr. Procuratoris Sacristæ, Cantoris &c. At responderetur quod Superior mutationes jubens in casu transferendo subditos de Conventu & Familia in qua degunt ad Conventum alium cujus filii non sunt & officiis actualiter exercitis eos privans, peccaret quidem si id perageret absque gravi causa *ut in dubit.* 15. & 16. *praecedentibus loc. cit.* fuit conclusum utpote damnū notabile inferens Religiosis, quorum non tyramnus sed Pater est habendus; nihilominus teneri subditos

ditos ad obedieudum, est iocootroversum: nec non præceptum Superioris respectivi esse observandum interim fere omnes affirmant; eo quia præcipue si is provocatus a recurrentibus motiva remotionis & translationis fortasse assignaret ut dubit. cit. 16. præcedenti sect. 1. fuit visum, cum in simili recursu de gravamine pro parte remotorum & privatorum contra proprium Provincialem apud Sacram Congregationem Episcoporum hæc post exaroinatam causam rescripsit. *Gesta per Provincialem sustineri* sub die 28. Septembris 1700. Apud Ursayam tom. V. part. 1. disp. 10. in fin. Idem quod dicimus de Superioribus Generali & Provinciali concludendum venit cœteris paribus de Priore Guardiano & alio quocumque Prælato locali; quod valeat nimirum præcipere subditis ea quæ Regulam non excedunt respective, transferre de una ad aliam cellam amovere ab officiis manualibus; juxta facultates a statotis sibi datas & coosuetudinem, quod si ageret imprudenter & sine justa causa, pejus ex mala voluntate in re gravi, peccaret & ipse mortaliter contra leges naturalem & Divinam, nec non obvio recursui se exponerent subditorum ad Superiores altioris ordinis contra gravamina, & interim Religiosi ipsi subditi præstare tenerentur obedientiam ex alibi ostensis; ad evitandum signanter scandalum: Navarr. in Summ. *Cap.* 23. Vasquez 1. 2. *disp.* 174. *Cap. ult.* Lezana eod. *Cap.* 18. *n.* 91. Raggius *dubit.* 169. *n.* 4. *seq.* Pater Didacus ab Aragonia extendit auctoritatem Superioris Geoeralis signanter ad commotandos Guardianos & Provinciales ipsos de ona Provoicia ad aliam ex juxta causa, eo quia id nonnumquam expediat & nullibi inveniatur prohibitum. Sic in Dilucidatio. Tract. 2. Cap. 2. n. 7. Verum quoad Guardianos quoties id adimpleatur tempore debito aut servatis alias servandis præcipoe quoad electionem canonicam reqoisitis non dissentirem; cum alias Guardianos per se solum eligere de uno ad alium Conventum transmutare nequeat Geocralis ipse repugnantibus juribus & statutis per Sedem Apostolicam confirmatis. Provinciales item seclusis Religionibus illis in quibus institotio eorum a voloatate omoimoda Geocralis dependet ut in Societate Jesu, extra dubium vergit quod canonice eligantur & mioime de una Provincia ad aliam transferri queaot per Generalem ipsum; idque leges & statuta Religionom specie prohibeant & consuetudo militet in contrarium quæ facit legem; sed in Ordine Minorum negaretur primum suppositio; in casu scilicet quod Generalis valeat ex se Provinciales iustituere & destinare, cum spectet id ad vocales legitime eligentes; & deinde urget explicata lex quod oequeant ex aliena desumi Provincia, sed professi sint in Provincia quam debent regere vel per decemoium ante incorporati, aliter electio nulla sit. Stat. Gen. de anno 1639. tit. de Mio. Provinc. & Stat. Generale Reformat. Cap. 8. n. 31. Unde super hoc non posse dispensari Patrem Generalem apud Minoritas deducit P. Sanctorus Coostit. *Cap.* 12. *statut.* 12. *sub qu.* 4. ℣. *Decimo.*

5 Potest proponi tertio; an valeat præcipere Superior respective major alteri cuique subalterno, ne cognoscat caosam non adhuc ioceptam contra proprium subditum, aut ne jam ceptam continuet eam ad se avocaodo? Et respondetur regulariter posse; ratio est, quia Superior Generalis supereminet Provincialibus & localibos, sicut omnes locales Superior Provincialis in auctoritate excedit: immo hæc sunt correlativa, quod sicut Provincialis in sibi commissa Provincia potest quicquid Generalis in Religione tota; nec non Prælatus localis io sua familia proportionaliter potest quidquid unus ex primis in Religione & alter in Provincia, ita & Superior Geoeralis in omnibus Provinciis potest quicquid Provincialis & Provinciales in omnibus sibi subjectis domibus quicquid potest localis. Cum hac differentia, quod gradus in eo qui est altioris ordinis consideratur ut excellentior respicieos sub se non tantum subditos Superioris subalterni, sed tamquam subditum sibi Superiorem ipsum. Patet proinde quomodo valeat Geoeralis omnibus aliis, & Provincialibus & Localibus mandare, quod causam aliquam non incipiant aut non continuent in casu, quo & quia ipsemet unus aut alter respective eamdem causam cognoscere aut judicare velit. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 2. *n.* 22. Pasqualig. *decis.* 7. *n.* 3. Peyrin. de Prælat. *qu.* 3. *Cap.* 1. §. 3. *n.* 116. Bord. *tom.* 2. *resol.* 67. *n.* 16. Attamen assertum hoc debet accipi *regulariter* juxta cooditiooem adiectam; attenta nempe in abstracto facultate excellentiori & majori, quæ Superioribus altioris Ordinis oon potest non competere & obligatione obedieodi, quam Superiores subalterni secum ferunt; tamquam subditi & ipsi. Lezaoa *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 47. Com alioquin ad normam præmissorum io dub. XV. sect. 6. a n. 89. conditiones desi-

desiderentur ad hoc ut hujusmodi praeceptum sit saltem licitum in concreto; debet videlicet uniformiter ad ibi dicta imponi ex justo motivo: irrationabile enim foret spoliare Superiorem subalternum potestate sibi a jure tradita absque causa: Pasqualig. *decis.* 62. *num.* 1. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 887. *n.* 40. Quamvis minime placeat sententia Antonii a Sp. S. Quod in casu sive assumpta causa avocationis per Superiorem Generalem vel Provincialem absque rationabili motivo non solum illicita foret, sed absolute nulla, utpote contra justitiam; sic *tract.* 4. *disp.* 1. *sect.* 5. *n.* 146. & 147. & *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 101. & 102. Ex quo opporteret deducere quod Superior subalternus nequaquam teneretur obedire. Et quot confusiones & difficilia in Religionibus hoc admisso! Peccaret itaque contra justitiam Superior altioris Ordinis in casu propria auctoritate absolute jure communi sibi tradita utens impediendo irrationabiliter subalterno cognitionem causae, sed quantum ad modum non quoad substantiam, dummodo causam ipsam juste judicaret; substantialiter namque Praelatus Superior inter Regulares majorem possidet & potentiorem auctoritatem comparative, etiam ad illam quam habeat Metropolitanus supra suffraganeos, secundum quam valet restringere & quoad aliqua impedire jurisdictionem in actu secundo sui inferioris: licet sine ratione impediens, modo reprehensibili id ageret & injuriose contra Praelatum sic subalternum se gereret. Suarez ubi supra *n. d.* 22. & 23. Lezana cit. *Cap.* 18. *n.* 87. Caeterum praeter injuriam subalterno illatam in casu nullitas actorum nec per rationem nec per jus commune probatur. Hinc altera conditio principalior supponitur in casu; quod nimirum facultas Praelato Superiori per jus commune tradita, per leges jura municipalia, aut statuta Religionis non restringatur; veluti si expresse ordinaretur in iis quod nequeat idem impedire exercitium auctoritatis in subalternis vel praeveniendo causas vel ad se avocando inceptas, saltem quoad primam instantiam eo modo quo ordinat Concilium Tridentinum quoad Judices Ecclesiasticos non Regulares; in celebri Capit. *Causae omnes*, vel absolute, itaut nequeat Praelatus Superior ullatenus hoc peragere vel cum limitatione, ut si statuta praeciperent non posse Generalem aut respective Superiorem Provincialem id praestare, nisi una cum assistentibus aut Consultoribus, de eorum consilio saltem aut etiam de consensu. In qua suppositione non est dubium debere servari leges & statuta; & aliter praeceptum sive operi demandatum non tantum illicitum sed fore certo nullum; praecipue in casu nullitatis explicite vel implicite statutis appositae Lezana cit. *n.* 87. Ant. a Spir. San. *disp.* 1. *sect.* 5. *n.* 144. Caeteris concordantibus. Quantum autem ad hunc articulum nil reperitur in Religione Minorum Regularis & Strictioris Observantiae provisum, unde resolvendum est sicut de caeteris; & quamvis P. de Ameno universaliter doceat debere quascumque causas cognosci apud Superiores immediatos proprios in prima instantia: *tit.* 1. *pract. qu.* 5. *n.* 71. & *seq.* & propterea videatur inferre non posse Superiores majores illas praevenire, aut jam ceptas ad se avocare, quae in prima instantia ad forum subalterni spectant; tamen quoad Superiores Generales nequit hoc sustinere, com praemiserit ibi *num.* 67. inesse eis potestatem eximendi subditum totaliter ab obedientia Provincialis & Guardiani, in quo casu est evidens quod nec in prima instantia Provincialis & Localis valerent agere in sic exemptum, propterea omnis causa apud Generalis judicium esset introducenda; sed neque Pater Sanctorus, qui ab eodem laudato de Ameno pro se citatur *n.* ibi 73. ipse favet. Aperte namque tenet, non valere quidem Ministrum generalem signanter inquisitiones inceptas vel incipiendas a P. Provinciali ejusque auctoritatem Impedire, verum quando nulla intervenit causa, at concurrente justa causa oppositum concludit, ut patet ipsum legenti. *Cap.* 29. *de pen. qu.* 3. ℣. *Dico primo & seq.* Porro nos diximus alibi plura sic impedibiliter competere Superiori Provinciali in executione sui officii, & plura Superiori locali itidem, quoad gubernium signanter oeconomicum privative *dubit. cit.* XV. *sect. VI.* respectu Visitatoris ipsius Apostolici in primo tomo *dub.* 6. *n.* 24. Sed impraesentiarum est sermo dumtaxat de potestate residente in Superioribus majoribus praecipiendi subalternis, ne cognoscant causas in prima instantia horum immediato judicio subjectas.

6 Supponit pariter assertum in genere posse Superiores locales causas cognoscere, ad hoc ut eas Generalis, vel Provincialis praevenire valeat, vel localium judicium ipsas ad se avocando impedire, utpote hujusmodi potestas per ius commune pro certo in genere eis tribuatur proportionaliter, & nos aliquatenus signavimus in *tom.* 1. *dub.* 3. *proœm. n.* 14. & 15. At sup.

suppositio eademmet in pluribus Religionibus minime regit municipalibus statutis aut legibus obstantibus, ut refert quantum ad suam Ant. a Sp. Sancto *tr. 4. disp. 2. sect. 4. n.* 101. Et etiam de Religione Minorum nos idem adnotavimus alias præsertim in dubit. citata 3. præmiali, ubi quod nequeant Locales inquisitiones scripto exarare, per consequens juridice nec causas cognoscere, attamen quia in Religionibus omnibus & singulis in quibus regulariter vivitur cum tribus emissis votis, aliqua possunt agere Superiores locales super quæ cadit appellatio sive recursus *ex dubit. XVI. præcedente sect.* 1. de iis in specie obvenit dubium licet extrajudicialiter contingant hujusmodi actiones an possint præveniri & impediri per Superiores Prælatos? Et respondetur, quod sic, justo interveniente motivo propter rationes allatas, non impedito in reliquis regimine œconomico Superioris ipsiusmet localis. Nec reticendum specialem rationem utendi hujusmodi facultatibus seu hujusmodi præcepta interponendi militare in favorem Superiorum Generalium respective ad Provinciales, utpote illi præstantiori polleant dignitate & jurisdictione potentiori extensive non tantum, videlicet quoad omnes subditos in Provinciis cunctis, sed etiam quodammodo intensive ita quod plura exequi valeant in quibus potestas Provincialium deficit, quod etiam quoad potestates cœteras, coercitivam, dispensativam replicabitur successive. Unde illud axioma, quod possit Provincialis in sua Provincia quicquid in tota Religione Generalis nequaquam constat currere pedibus æqualibus sed debere intelligi in casibus non controversis, videlicet quoad permissa a communi jure vel municipalibus legibus. Non potest siquidem Provincialis etiam consideratis facultatibus in quocumque genere super statutis Ordinis dispensare, non pœnas in iis taxatas dimittere nec se solo judicare & sententiare, quæ tamen potest ut in plurimum saltem quoad aliqua si non in omnibus universaliter in toto Ordine Generalis, signanter in nostra Minoritica Religione. Unde etsi verum esset in casu, quod valeret Generalis subditum a totali obedientia Superiorum subalternorum eximere, quod ego non adeo faciliter concederem nisi esset illius servitio specialiter addictus; non per hoc posset argui idem de Patre Provinciali ex vi allati principii seu axiomatis, ut erudite probat laudatus P. de Ameno *d. tit. 1. pract. qu. 5. n. 65. & seq.* Ubi etiam *Tom. 2.* opportunum repetit quantum ad Provincialem signanter non posse hunc gubernium Superioris localis perturbare se ingerendo de facto in iis quæ quotidiano usu ad ipsummet localem pertinent, veluti corrigere subditos in capitulo culparum, extra peculiarem causam sive occasionem retinere domi Religiosum quem Superior localis ad negotia peragenda Conventus exdestinaret, vel e Conventu emittere quem localis necessarium duceret sibi nitus inservire: hierarchicus namque ordo in his prorsus perverteretur, & diffidia cum extinctione pacis scandalo subditorum emergerent perniciosissima. Hoc autem limitat sapiens Auctor ad non posse licite, quamvis valide concedat ea omnia peractum Provincialem in faciem Superioris localis, ita quod tenerentur subditi Provinciali jubenti parere & non Locali ibi *n.* 70. *&c.* Addamus & nos, quod si P. Provincialis quoad hæc sepius è terminis egrederetur licitis, ad delatum recursum Superioris localis teneretur Generalis continere primum intra limites ordinarii gubernii & in perturbando contumacem pœnis cohibere.

SECTIO II.

De Potestate directiva Prælati Regularis quoad electiones.

SUMMARIUM.

7 *Prælati Regularis respective munus est præmittere literas Encyclicas ad vocales omnes quibus de jure, ut ad Capitulum sive Congregationem pro electionibus se conferunt. Et præcipere Missam de Spiritu Sancto pro die electionis.*

8 *Tenetur Prælatus Regularis in encyclicis convocatoriis regulariter indicere Conventum sive locum in quo debeant electiones peragi, qui locus debet esse tutus pro Vocalibus omnibus & explicatur quoad alias conditiones.*

9 *Debet item Prælatus cui de jure &c. in edicto convocatorio præscribere tempus pro electionibus, idest quo anno mense & die sint perficienda. Ubi de tempore vacantiæ in electionibus extra Claustra & pro Regularibus intra. Et alia scitu necessaria.*

10 *An tempus vacantiæ usque ad diem electionis a jure communi præfixum possit variari per Præsidem convocantem. Et quid si dies electionis assignetur & vacantia præscribatur per statuta §. 1. & 2.*

11 *Prælati qui electionibus præsident quamvis hortari teneantur ad promovēdos digniores &c. non possunt tamen coarctationes subjectorum instituere.* Dd 12 *Re-*

12 *Refertur sententia Lezanae circa coarctationes in casu, & vera sententia Passerini cujus tamen placitum reprobatur in parte §. 1., nec non. opinio Lezanae rejicitur §. II.*

13 *Praeses ante electiones impartitur absolutionem electoribus, quae asseritur valere tantum pro electionibus ipsis rite persolvendis.*

14 *Respondetur objectis sive rationibus contendentium quod absolutio in casu non sit ad reincidentiam. Potestas autem Superiorum in eadem impertienda restringitur per statuta.*

15 *Neque habet effectum absolutio praefata quoties crimina quibus censurae adnectuntur sint deducta ad forum contentiosum, vel poenae eis debitae publice sint inflictae aut declaratae & recolligitur hujus articuli resolutio; ubi vindicatur a sententia contraria Pater Rodriguez.*

16 *Apud Fratres Minores Praelatus figuranter Generalis regulatur circa electiones juxta praefata de Superioribus aliorum Ordinum inspectis tamen municipalibus legibus. Et primum auctoritas describitur Ministri Generalis quoad Capitulum citandum locum ac diem praescribendum.*

17 *Tempus quo debet Minister Generalis mittere citatorias pro electione successoris, statuitur ante terminationem sexennii, & explicatur textus Regulae.*

18 *Tempus praefatum neque distrahi potest neque protrahi nisi Apostolica accedente auctoritate. Et quid in casibus extraordinariis mortis renuntiationis & promotionis ad Praelaturas saeculares.*

19 *Si occurrat vacantia Commissarii generalis alterutrius Familiae vel ordinaria post triennium vel extraordinaria propter mortem renuntiationem aut promotionem ad Praelaturas &c. quis debeat ordinare electiones ut Praeses & quomodo?*

20 *De electionibus caeterorum Officialium in Capitulis generalibus remissive quoad vacantiam Ministrorum Provincialium & Diffinitorum dicendum regulariter occurrere de triennio in triennium; quamvis possit protrahi duratio ex causa.*

21 *Onus Ministri Provincialis petendi Visitatorem. Potestas hujusmet directiva in suo adimplendo munere & Ministri ipsius Provincialis quoad alias electiones. Ubi de vacantia per mortem aut renuntiationem ejusdem Provincialis.*

22 *Potestas directiva Ministri vel Superioris praecipue Generalis circa plura; non extenditur tamen ad coarctationes quae in Religione Minorum specialiter inhibentur; similiter quicquid possit laedere ac diminuere libertatem in eligendo. Et explicantur duo statuta.*

23 *Non potest Generalis in Religione nostra delegare ad libitum Commissarium peculiarem ad hoc ut Congregationibus intermediis Provinciarum respective praesideat: cum additis conditionibus. Caetera remissive.*

7 DE electionibus praesertim Canonicis inter Regulares erit dissertatio loco magis proprio inferius; nempe Cap. VIII. Dub. XXII. Sect. I. ibi quaecumque pertinent ad substantiam & etiam principaliores solemnitates earum examinabuntur. Hic autem differemus de facultatibus tantummodo sive muneribus Praelati respective Regularis cui incumbit electiones easdem dirigere, eisque jure secundum ordinariam sui potestatem vel quatenus Delegatus praesidere. Et quidem electiones canonicae vel fiunt pro totius Religionis gubernio, vel pro illa Religionis portione quae distinctas complectatur Natione sub uno generali Superiore convenientes, & tunc in Capitulo sive Congregatione respective generali perficiuntur; ad quem effectum generale Capitulum vel Congregationem ipsam generalem convocari opportunum est & necesse ut Vocales inibi seu ii ad quos de jure spectat ad electiones respectivas rite procedant. Hanc autem convocationem per litteras encyclicas publicare & intimare non est dubium quod Praelati Generalis vel ejus qui personam dicti Praelati sustineat sit proprium munus & onus. *Cap. Cum olim* & ibi Gloss. ℣. *Hibernia de dol. & contum. & Cap. Venerabilem eod. tit.* Barbos. *lib. 1. de jur. Ecclesiast. Cap.* 19. *n.* 90. Sigism. de Bon. *dub.* 8. *n.* 3. Cucch. instit. major. *lib.* 4. *tit. de elect. n.* 60. *&* 61. Samuel *tr.* 1. *disp.* 2. *contr.* 3. *n.* 8. Laver. *tit.* 4. *Cap.* 17. *n.* 27. *&* 28. Eamque fore de substantia electionum, cum alioquin unio Vocalium esset impossibilis; probant. Ex Cap. *Cum in Gen.* & Cap. *Quia propter de elect.* Ubi Gloss. Panorm. Imola, Butrius cum Hostieo.in Sum. *tit. de elect. §. Qualiter n.* 11. Sylvester V. *Electio n.*6. Tabien. *n.* 9. *Rot. decis.* 283. *coram Mantica* Passerin. *de Can. elect. Cap.* 11. *n.* 11. Ulterius ad intimatum Capitulum sive Congregationem indictam debere necessario vocari omnes & singulos qui vocandi sunt de jure, & qui possunt & volunt aut tenentur interesse electioni; habetur ex *Cap.* coram & *Quia propter de elect.* & mox citatis Doctoribus; cum alias non vocati valerent tamquam spreti reclamare, & hinc de omnium Capitulariter gestorum nullitate protestari, atque irritatione simul instare, ut alibi fusius. Passerin. cit.

Cap.

Cap. XI. n. 118. *ſeq.* atque hujuſmodi defectus ad Prælati ſive Præſidis culpabilem negligentiam nequirent non referri. Similiter in convocatoria encyclica munus eſt Generalis Prælati apponere præceptum de præmittendis precibus per congruum ſpatium ante celebrationem Capituli vel Congregationis pro felici ſucceſſu electionum, tum omnium aliarum peragendarum functionum uniformiter ad ſtatutarias leges, quæ pro omnibus Ordinibus Regularibus in quibus hujuſmodi adimplentur convocationes magis & minus militant in ſubſtantia, variatæ dumtaxat per accidens in modo. Sed ſignanter pro die deputato ad electiones tenetur animadvertere & præcipere Præſes ut Miſſa ſolemnis de Spiritu Sancto canatur aut in Choro publice perlegatur ut univerſaliter ordinat Concilium Baſilienſe *Seſſ.* 12. & 38. de cujus validitate quidquid opinentur varii; poſt translationem peractam ab Eugenio IV.; generaliter tamen & ſi Miſſa hujuſmodi de ſubſtantia negaretur, admittitur ſaltem tamquam ad electiones maximi ponderis & conſequentiæ neceſſariam ſolemnitatem attenta ulterius conſuetudine: ex conglomeratis apud Peyrinum de ſubd. *qu.* 1. *Cap.* 31. *not.* 4. & Paſſerin. *Cap.* 15. *n.* 3. Quod ſi in aliquibus Religionibus ſive Congregationibus Miſſa eadem præciperetur per Conſtitutiones proprias ſub forma irritante, prævalere tunc municipale ſtatutum docent Panormit. in *Cap. Cum Eccleſia* 1. *notab. de cauſ. poſſeſſ.* Caſtellin. *de elect. Cap.* 3. *n.* 2. *fin.* Barboſſ. *lib.* 1. *de jur. Eccleſ. Cap.* 19 *n.* 181. Donat. *part.* 3 *tr.* 1. *qu.* 18. *n.* 9. Lezana *tom.* 3. ℣. *Electio n.* 11. Unde in hac parte graviter peccaturum Prælatum id non intimantem in convocatorio edicto, negari non poteſt.

8 Ad Prælatum item ſive Superiorem primum & ſupremum ſpectat regulariter deputare Conventum Capituli celebrandi vel per ſe ſolum, vel cum aliorum Diſcretorum conſilio, niſi tamen in Capitulo generali prævio pro immediate ſubſequente determinatus jam foret locus ſi de generalibus electionibus & Comitiis præcipue loquamur ſecundum propria cujuſvis Religionis ſtatuta; eumdemque Conventum in qua Regione Civitate aut in qua Terra per literas ipſas encyclicas ſpecificare. *Cap. Cum olim & ibi Gloſſ.* ℣. *Hiberniæ de dol. & contum. & Cap. Venerabilem eod. tit.* Barboſ. *lib.* 1. *de jur. Eccleſ. Cap.* 19. *n.* 90. Sigiſm. *dub.* 8. *n.* 3. Cucch. *Inſtit. lib.* 4. *tit. de elect. n.* 60. & 61. Samuel *tr.* 1. *diſp.* 2. *contr.* 5. *n.* 8. Laver. *tit.* 4. *Cap.* 17. *n.* 27. & 28. ad illum etenim pertinet ſignificare & decernere locum Congregationis eique incumbit Vocales congregare & citare. Porro variare & ipſum poteſt ſecundum opportunitates, immo debet aliquando, prout temporum ipſa varietas exigat, qui locus Capituli ſive Congregationis generalis celebrationi ſit aptus & commodus, ſed præcipue tutus; cum aliter Vocales illi qui de ſecuritate loci præfixi cum fundamento timerent, poſſent ſine dubio etiam in minori parte & unius tantummodo Nationis appellare & contra electiones proteſtari: uti ſupra in aliis caſibus: *Gloſſ. V. Secure*, & Panormit. in *Cap. Bonæ* 23. *n.* 1. & 2. *de elect.* Atque hujuſmodi appellandi facultatem etiam ad unicum ſpretum Vocalem extendit Paſſerin. de elect. *Cap.* 12. *n.* 6. *ſubdens n.* 9. Quod cauſa appellandi a præfixione loci non tuti non eſt ſolum præjudicium paſſum de facto, ſed ſufficit quod ſuperemineat probabiliter immediatum cum ſimus præſertim in extrajudicialibus: ex Panormit. *in d. Cap. Bonæ* & Biax *part.* 3. *Cap.* 12. *n.* 4. At locus de quo nunc agimus non intelligitur ille peculiaris ſitus ſeu officina illa ubi Congregatio Vocalium ſolet & debet in unum convenire ad electiones aliaſque functiones perficiendas: puta vel Eccleſia vel alius ubi menſa paratur communis vel Bibliotheca quatenus ſit capax. &c. de hujuſmodi namque loco loci & determinata Conventus parte erit alias aliqualis ſermo; ſed jam præmiſimus hic accipi locum pro Conventu ſive domo ubi congregantur & quo debeant progredi Vocales cujuſcumque Nationis in edicto generaliter convocati & citati; proinde in eodem edicto notitiam ſpecificam & individuam ipſius inſeri neceſſe ſit & non niſi per Præſidem ipſum encyclicas amandantem. Verum quia additum eſt poſſe attento novo motivo locum eumdem ſive Conventum aut domum variari & ſic Congregationem Vocalium citatorum alio transferri, difficultas emergit: an validitas electionum & actorum ſubſiſteret quoties congregatio dicta Vocalium ordinaretur in loco non honeſto & ulterius in loco interdicto?

§. I. Pro loco autem non honeſto venit intelligendus hic locus non ſacer ſive domus aliqua ſæcularis, aut Palatium, & atrium Principis ſive etiam Epiſcopum extra Conventus ambitum, & reſponderetur quod locus hujuſmodi non honeſtus; maxime ſi interveniret ſcandalum populi, induceret reatum peccati gravis in voluntarie illo convenientibus, & gravioris in

 Dd 2 Præ-

Prælato sive Præside locum ipsummet seligentis & deputantis: Gloss. in Cap. *Quo fronte 25. de appellat.* Et licet electio si quæ in hujusmodi loco contingeret non foret nulla ipso jure, quia locus hic aut ille non sit de ejus substantia secundum DD. esse tamen ipsammet cassandam, quoties contra ipsam instantia insorgeret. tenet Panormit. *in Cap. Quod sicut de elect.* quia factum contra legem non debet habere firmitatem ex *Reg. jur. in 6. Quod contrariis &c. & l. non dubium C. de leg. & Cap. 2. de test.* licet super hunc articulum foret prolixius differendum. Quod si ratione loci ipsius adderetur abusus sæcularis potestatis utpote locum deputatum in domo Principis, vel Potentis sive sæcularis sive Ecclesiastici; tunc esse absolute irritandam electionem cum omnibus cœteris actis concordant Doctores *ex Cap. Quisquis 43 de elect. &c.* Hoc tamen abusu non subsistente quotiescunque revera motivum urgeret celebrandi Capitulum etiam generale atque electiones perficiendi in domo Principis, nempe ad effugendas violentias, signanter in Regione suspecta, nulli fore obnoxios peccato tum convenientes, tum Prælatum sive Præsidem ordinantem, communiter DD. afferunt, eo quia in casu potius adjovaretur canonica libertas quam suffocaretur. Insuper quoties in gratiam alicujus Principis sæcularis præcipue Ecclesiastici pararetur Capitulum in ejus Palatio absque periculo abusus &c. sed tantum ad ejus benevolentiam Religioni commendandam magis obstringendam, censerem tunc Præsidem & reliquos non bene se gerere, sed nequaquam grave commissuros peccatum & nullatenus ex hoc motivo posse validitatem impugnari, quia notabilis legum non fe. quæretur transgressio, nec Ecclesiæ aut ulli alteri gravis irrogaretur injuria; liceet defectus aliquis honestatis appareret sed remotus cum Passerino *Cap. 12. qu. 3. n. 3.*

§. II. Quoad aliam partem quæsiti de loco interdicto respondent fere unanimiter Auctores electionem ibi respective peractam fore validam, quia se haberet per modum contractus & obligationis, cujus effectus per locum interdictum non invalidatur, utpote interdictum ipsum non suspendat sive prohibeat nisi Divina & Ecclesiastica Sacramenta ministranda Jo. Andreas Panormit. Baldus Sylvester, & alii citati per Sigismundum *dub. 15.* Barbos. ubi supra *n. 177.* Donat. *d. tr. 2. qu. 2. n. 1.* Raggium. *dub. 190. n. 1.*

Sed nec peccare graviter Præsidem convocantem aut Electores voluntarie convenientes in d. loco interdicto: (excepta electione Papæ de qua urget prohibitio specialis Cap. *Ubi periculum de elect. in 6.* quamvis esset valida per Gloss. Jo. Andr. & Panorm.) tenet Donatus cum Doctoribus mox citatis. Eo fortius si locus esset consuetus & commodior; ubi etiam posse fieri invocationem Sancti Spiritus submissa voce habetur *in Cap. Alma mater de sent. excomm. 6.* Attamen in loco interdicto celebrare Capitulum generale præsertim & electiones functionesque peragere, nisi adsit præcisa necessitas, judicarem semper contra honestatem & equitatem, necnon a quacumque apparentia eximi scandalosa: hinc deputationem hujusmodi semper ex parte Prælati dirigentis fore magis vel minus peccaminosam: sicuti si non excludantur & eiiciantur nominatim & publice interdicti, vel qui ejusdem censuræ infligendæ dederunt causam, electiones cum omnibus actis contrahere invaliditatem, colligitur ex d. *Cap. Alma Mater.* Reinffestuel de sent. excom. *n. 210.* & ex iis quæ tradidimus in *p. tom. dubit. 10. sect. 4. n. 58. & 59.*

9 In eodem edicto convocatorio tenetur item Prælatus, sive Præsidens convocans præscribere tempus, nempe annum mensem mensis diem, & quatenus sit possibile diei horam quando electiones formiter peragi debeant in Capitulo sive generali Congregatione, cum alioquin Vocales sive Capitulares obligarentur ferri in incognitum aut operari cæco modo. Abb. ant. *in Cap. cum inter universas n. 1. de elect. Hostien. n. 12.* Ant. Andr. *n. 15.* ibi Biax *part. 3. Cap. 10. n. 2. seq.* Barbos. *ad idem Cap. n. 8.* Peyr. *tom. 3. privil. Cap. 13. n. 16.* & formul. *lit. E Cap. 22. & 25.* Ultraquamquod est necessarium etiam notitiam præmittere assignati temporis pro electione perficienda, ut Vocales possint legitime dici constituti in mora *Cap. Qui diversitatem de Concess. præbend.* Bald. *in Cap. 1. de elect. n. 4.* Garz. *lib. 10. Cap. 2. n. 15.* Rot. cor. Seraph. *dec. 172. & 389.* Castelion. *Cap. 6. de elect. n. 2.* Proinde nisi accurrant seu advenire non satagant pro die præscripto culpabili eorum negligentiæ adscribatur *Cap. licet 3.* de suppleod. neglig. Prælat. *Cap. Dilect. eod. tit.* Innocent. Passerin. *& alii super cit. Cap. licent.* Nam aliter si rationabiliter possent conqueri Vocales vel de notitia sibi malitiose retardata, vel de citatione ad Capitulum infra brevius tempus quam leges præscribant,

bant, ne valerent ad locum nimis distantem accedere, perinde considerarentur spreti ex *Cap.* Indultum *de leg. jur. in 6.* cum concord. Tempus vero quale, quantum, & quomodo sit assignandum pendet generaliter à vacatione Officii, quod debeat per electionem noviter conferri. Vacat quippe Officium vel per mortem Prælati, vel per absolutionem hujus a Prælatura, quæ etiam triplici ex causa contingere potest; nempe per translationem de una Prælatura ad aliam, per cessionem Prælaturæ ipsiusmet & Dignitatis, sive per depositionem, ut expresse *in Cap. Inter Corporalia 2. de translat. Episc.* Et sic quocumque ex capite Vacantia habeatur tempus usque ad electionem novam secundum jus commune videtur per tres menses protrahi posse; ita ut ultimo trium mensium die saltem electio sit perficienda; alias ad Superiorem devolvatur. *Cap. ne pro defectu 41. de elect. & pot.*; Si sermo sit de tempore præfixo ad eligendum Prælatum in Cathedralibus vel Regularibus Ecclesiis, tum de aliis beneficiis vacantibus providere teneantur, sive per electionem illi ad quos spectat intra menses sex *Cap. in Ecclesia* cum Gloss. *de justit. Cap. nulla 2. de concess. preb.* alias ad Superiorem proximum fiat devolutio: ibidem. Porro nos hic agimus de electione & promotione ad Regularium gubernia & Prælaturas claustrales, sive officia in Religionibus generalia præsertim, quæ ut in plurimum præscindendo ab aliquibus nequaquam perpetua sunt, propterea vacant fere ex unico titulo quando tempus durationis eorum terminat magis & minus juxta statuta & constitutiones Ordinis cuiuscumque quibus inhærendum est, utpote auctoritate Apostolica plerumque fultis juxta praxim cum generi per speciem derogetur ex Clementina *Exivi de Verb. signif.* & Clement. 8. *de reform. Regul.* §. 36. aliisque observandis privilegiis & Reg. jur. in *6. Cap. Generi* Rodriguez *tom. 2. qu. 57. art. 13.* Miraud. *tom. 2. qu. 23; art. 10.* Sigism. *dub. 16. n. 2.* Passerin. *Cap. 13. qu. 4. n. 20.* Nisi etiam hic titulus terminationis gubernii cum illo mortis confundatur, potest namque terminatio gubernii apte nuncupari mors civilis sive moralis, ut in similibus firmat Rota: teste Passerino *mox cit. Cap. 13. qu. 1. n. 7.* & Peyrin. in formul. *lit. E Cap. 22. n. 1. &c.*

§. I. Titulus autem hujusmodi terminationis gubernii per successionem licet inducat vacantiam, vacantiæ tamen nullum spatium intercedit inter gubernium vetus & novum, cum secundum leges Religionum statim ac terminaverit Prælatus antecedens incipiat subsequens in gubernando. Propterea in omnibus fere Religionibus, in quibus temporaneæ vigent dignitates ac Prælaturæ, numquam terminat una quin incipiat altera, & indicitur de more dies electionis illemet, in quo attentis legibus prævius Superior officium terminat; si loquamur de Generalibus de sexennio in sexennium de triennio in triennium vel ad longius tempus juxta municipales ipsas leges assignatum. Ideoque munus & onus sit inter alia præcipuum Superioris Prælati, qui regulariter est ille qui Religioni supremus præest epistolas convocatorias tempore antea congruo præmittere, quod plerumque per statuta assignatur trium vel sex mensium & prolixius adhuc juxta Religionis amplitudinem; adeo ut notitia Capituli celebrandi generalis præsertim ad omnes, & singulos Vocales atque jus eligendi possidentes valeat commode pervenire, ipsique inde omnes & singuli queant iter arripere ad Capituli locum, & eo die ingredi qui vel præfignatur a Constitutionibus ad electiones, vel in Epistola encyclica utcumque per Superiorem convocantem sit præscribendus Panormit. *in Cap. Consuluit n. 5. de Offic. Deleg.* Felin. ib. *n. 5.* Passerin. cit. *a n. 21.* Peyrin. quoque in formul. *lit. E. cit. Cap. 22. n. 1.* Cum alias si malitiose ut dixi notitia danda differretur, ita quod minime pervenire quiret ad vocalem ullum, cui spatium dierum necessariorum ad conficiendum iter deficeret; ille procul dubio appellare posset tamquam spretus, & pro irritanda electione ad normam legum instare; attenta fraude quæ nimirum, juxta pluries repetita debet patrocinari; secus si citatio per exortum impedimentum vel belli vel pestis absque culpa convocantis retardaretur; cessaret namque in eo præsumptio doli Panorm. *in Cap. coram dilecto n. 3. de elect. Arg. Cap. de Causis de Offic. Deleg.* Hostien. in Sum. *tit. de elect. §. Qualiter faciendo n. 11.* Passerin. *Cap. xi. n. 129.*

§. 2. Non desunt nihilominus apud Regulares ipsos tituli alii superius item recensiti, ad inducendam vacantiam præter cessationem seu terminationem gubernii, videlicet mortis vere naturalis translationis, cessionis, aut depositionis, ut consideranti est manifestum. Et sic intrat dubium pro ipsis etiam; quanto tempore vacantia Prælaturæ durare possit adeout teneatur

tur Præses sive ille cui incumbit secundum leges determinatum assignare diem, in quo debeat electio novi Superioris perfici, & omnes & singuli habentes jus ad ipsam pro eodem tempore statuto & die citati nequeant non convenire? Et dicitur quod hisce occurrentibus casibus, tempus congruum juxta jus commune foret quidem trium mensium incipiendorum a die notitiæ de vacantia legaliter habitæ; vel secundum regulas æquitatis possibilis haberi *ex Cap. jam cit. Ne pro defectu* 41. *de elect.* Tamen quia Regulares solemnitatibus juris, immo ipsi communi juri decernenti plerumque pro electionibus extra, minime alligentur intra Claustra Lezana *tom.* 5. ad Mare Magnum Prædicatorum §. 7. *n.* 17. Minorum §. 2. & respective aliorum; ideo à Statutis, & Constitutionibus æquis cujuslibet Ordinis pendere fatendum est tempus hujusmodi, vel a Superioris cui tamquam Prælato saltem ficto in casu congregare Vocales ad hunc effectum incumbit prudenti atque experimentali arbitrio, & æquitate; ut accurate Passerin. *de elect. Can. Cap. xi. qu.* 5. *n.* 34. Itaut queant commode Electores; uti supra vocandi in assignato spatio temporis interjecti ad electionem explendam in loco seu deputato Conventu Capituli pro determinata die se conferre. *Ex Cap. Quod sicuti* 24. *de elect.* Donat. *part.* 3. *tr.* 4. *qu.* 15. *a. n.* 3. Lezana *lib.* 4. *tr.* 2. *Cap.* 12. *n.* 4. Tambur. de jur. Abbat. *disp.* 5. *qu.* 3. *n.* 3.

10 His positis habet locum principale quæsitum, an valeat Præses vel in casu Superior tempus electionibus Capitularibus præfixum variare? Et respondetur prius generaliter, quod tempus assignatum per jus commune a die inceptæ vacantiæ usque ad novam electionem non potest per quemquam quovis modo præsideat vel per se vel simul cum aliis collegis variari, ita quod longius protrahatur. Ad clarum textum *in Cap. ne pro defectu* 41. *de elect.* cum communi. Additur hic autem clausula ita quod longius protrahatur, nam prohibitio in dicto Capite sic sonat, nec de breviori spatio, videlicet, quod nequeat infra tres menses restringi, non facit verbum, ut ibi *Statuimus, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis, Prælato non vacet.* Doctoribus concordantibus: ubi item advertendum quod minime intelligenda sit integra Religio sub uno Capite per orbem extensa, vel per Regiones & Provincias distributa magis & minus, sed Ecclesia peculiaris Colligiata, ad summum Abbatialis, in qua Canonici, sive quomodocumque inhabitantes sub aliquo Prælato, Abbate, Præposito, quovis nuncupetur vocabulo regulariter moram trahant ex relatis per Thomassinum *tom.* 1. *lib.* 3. *Cap.* 9. *n.* 1. *& seq. & tom.* 3. *lib.* 2. Attamen absque eo quod de acceptione Ecclesiæ Regularis in adducto textu disputemus, certum est posse variari tempus vacantiæ, & dies electionis ultra tres menses a jure taxatos protrahi a Superiore, respective de consilio saltem Capituli, quoties necessitas urgeat ex eodem textu sive Cap. 41. de elect. ut notat Peyr. de subd. *qu.* 1. *Cap.* 31. ℣. *Noto. nono.* Et causa urgens apud Regulares dictum tempus a jure assignandum variandi, tum per breviu restrictum, tum per longius dilatum, occurrit naturaliter vel ob extensionem familiæ & distantiam locorum vel eorumdem proximitatem in quibus vocales necessario vocandi demorantur. Hinc tempus vacantiæ in extraordinariis præcipue casibus, usque ad diem in quo perficiendæ sint electiones hujusmodi, vel relinquitur arbitrio prudentis Superioris interim provisi, vel congruum assignatur in Constitutionibus & Statutis Religionum respective, ita ut commode & attenta necessitate & utilitate communi electores ad certum locum valeant convenire, licet tempus trium mensium in jure communi taxatum attentis circumstantiis varietur, ad quem effectum prodierunt item specifica privilegia, uti apud Passerin cum aliis *Cap.* 13. *qu.* 5. *n.* 37.

§. I. Verum, tempus ipsum vacationis in occurrentibus casibus, per statuta præ scriptum non attento communi jure & præfixus legitime electionis dies, potestne per Præsidem aut Superiorum in casu variari? Respondetur, in casibus extraordinariis novi eligendi Superioris, ob decessum, renunciationem, depositionem veteris, & quoad Religiones signanter, in quibus Generales perpetuo potiuntur gubernio ita quod electores nisi post mortem eorumdem nequeant ad Congregationem avocari; si spatium vacationis sit per statuta determinatum, & dies ex ipsis præfigatur pro novi Superioris electione, ut pro Ordine Prædicatorum statui fatetur post annum a decessu Magistri Generalis regulariter Passerinus *Cap. cit.* 13. *qu.* 4. *n.* 21. *seq. & qu.* 5. *n.* 36. Nec non ad quinque menses in Ordine Minimorum Peyrinus in formulis *ex Cap.* 22. *n.* 1. & sic de cœteris, quod nequaquam quiret Præses, vel Superior cui de jure variare dictum tempus & diem aut assignare in Ency-

Encyclicis Convocatoriis diversum a præscripto per Constitutiones & statuta, ne contemnantur leges pro omnibus latæ *in Cap. Quia præter de elect.* & ne detur locus malitiæ extendendi & limitandi tempus ad beneplacitum ob indirectum finem dirigendi electiones secundum prævalentem justitiæ passionem, Passerin. *n. cit.* 37. *in fin.* Posse nihilominus hunc eumdem terminum differri aut abbreviari attenta præcisa necessitate & urgente gravissima causa: Ex. gr. Si bellum immineret vel peste grassante periculum claudendi aditus ad confinia, ita quod nequiret quis ingredi ad Capitularem locum, ni citius expleretur electio, seu è contra, quoties ex dilatione non incongrua, spes insurgeret secuturæ pacis vel custodiæ ad confinia dissolvendæ forent, sustinent Castellin. de elect. *Cap. 6. n.* 4. *&* 5. Passerin. loc. cit. & alii, dummodo tamen non esset ita præcepta dies electionis per Regulam vel Constitututiones Apostolicas, ut Religio nec Præses posset ex se tempus præscriptum alterare Sancta inconsulta Sede, juxta notissimum *Caput Inferior data* 71. *cum concordantiis*. Et hoc resolvitur in suppositione quod encyclicum edictum non adhuc sit expeditum; inquirendo nempe an tempus taxatum a statutis in casu pro duratione vacantiæ, & dies electionis qui foret ultimus vacantiæ præscriptæ possit variari & alterari a Præside, & sic alteratum in edictis emittendis inseri, & intimari.

§. II. Si vero amplietur quæsitum ad causas, quæ possent insurgere post amandatas convocatorias literas, & intimationem diei ad electiones destinati, an videlicet valeat Præses sive Superior in casu Prælatus alium assignare diem & spatium in electionibus seu datis literis præscriptum restringere vel extendere? Responderetur regulariter a Præside non posse spatium, & diem pro electionibus jam destinatum in encyclicis variari, quia confunderentur omnia quantum ad anticipandas determinato tempore preces, & canendam ipso præscripto die Missam de Spiritu Sancto, & quantum ad tractatus consultivos per dies aliquot ante necessario præmittendos, & ulterius pluribus daretur ansa collusionibus, ut excogitanti erit manifestum; ultraquamquod novus ad electiones præfixus dies cum abbreviatione, vel prorogatione vacantiæ deberet absque dubio iterum patefieri electoribus, ne functiones in re tam gravi soperentur cæco modo: *ut ex Cap. III. de supplem. Regul. Prælat.* tradunt D. D. apud Peyrin. *tom.* 1. *procul. Cap.* 9. *n.* 15. Huc non obstante adhuc post emissas encyclicas literas circa temporis & præscriptionem diei ad electiones, esse possibilem urgentissimam causam, ob quam prorogatio vel acceleratio celebrationis Capituli sive Congregationis Generalis foret necessaria, adeoque resolvi queret, non desunt sustinere nonnulli post Innocentium *in Cap. Cum nolet de elect. n.* 5. Veluti periculum imminens violentiæ vel obsidionis, vel declinandas Terremotus obstrepentis ruinas, ut consentit Passerinus quantum ad electionem Magistri generalis sui Ordinis, licet citatam jam pro Vigilia Pentecostes secundum statuta. *Cap. cit.* 13. *de elect. Can. quæst.* 5. *num.* 37.

§. III. At quia hæc urgentior causa variationis in casu rarissime, & nonnisi post ingressum præstantiorum saltem Capitularium ad locum pro Electionibus statutum utcumque contingere posset; Quando Prælatus Regularis adhuc perdurans ante successoris electionem nondum terminato gubernio loquendo de ordinariis successionibus & electionibus secundum Religionum respectivas leges, nil ex se solo determinare valeret, nisi de consilio & consensu discretorum saltem; idque similiter caderet asserendum de quocumque alio Prælato sito pro illo tunc Capitularibus actis præstituto & in, omnibus aliis occurrentibus casibus mortis aut depositionis &c. quod videlicet post Vocalium ingressum jam ceptum non habere ex se super mutatione in re gravissima potestatem, secundum Innocentium *in Cap. Ec lesiæ* 57. *de elect.* Panormit. *in Cap. Inter* 18. *& Cap. Cum nobis eod. tit. ibiq.* Butr. *de elect. n.* 7. Biax. *part.* 3. *Cap.* 4. *n.* 4. Sylvester *V. Electio* 1. *qu.* 7. *n.* 8. Donat. *p.* 3. *tr.* 3. *qu.* 6. Castellin. *de elect. Cap. 6. n.* 5. Peyrin. *tom.* 3. *privil. Cap.* 9. *n.* 16. Ideo ad opportuniorem tractatum, ubi non de solius agetur facultate Prælati, sed de emergentibus difficultatibus quantum ad omnes Electores simul, & electiones in se ipsis; in reliquis differere reservamus. Hic advertentes dumtaxat, quod ea quæ circa locum & tempus præsertim dicta sunt & resoluta de Præside sive Prælato Regulari in Capitulis & Congregationibus generalibus electionibusque generalium præsertim Superiorum, applicari queunt proportionaliter & respective Præsidi sive Prælato cuicumque dirigenti electiones in Capitulis & Congregationibus Provincialibus & quandoque etiam in Conventualibus juxta morem & Constitutiones distinctas Religionum; cum hoc discrimine quod

si

ſi adſiſtat hujuſmodi electionibus ſive Provincialibus ſive Conventualibus Superior Generalis reſpectivus totius Ordinis, in aliquibus poteſt arbitrari circa tempus & locum, immo abſolute diſpenſare ſuper municipalia & particularia ſtatuta; ni hæc ipſa auctoritate Apoſtolica fulciantur vel attentis aliis circumſtantiis conſuetudine immemorabili præſertim nequeant immutari & alterari ut differendo de poteſtate diſpenſativa Regularis Prælati ſub proprio titulo diſtinctus oſtendemus. De Delegatis debinc ab ipſomet Superiore Generali ad hoc ut electionibus hiſce præſideant eaſque ad normam Canonum & ſtatutorum dirigant quantum ad locum ſignanter & tempus, tenentur non præterire ſtatuta ipſa & occurrentibus caſibus in actu ſibi delegatæ Poteſtatis mandatis & inſtructionibus attendere ipſiuſmet Superioris Generalis delegantis. Videndus Anacletus Reiffenſtuel de poteſt. Jud. Delegati per plures §§. *in* §. 1. *n.* 13. *ſeq.*

11 Redeundo nunc ad Prælatum Comitiis ſive electionibus generalibus præſertim adſiſtentem & præſidentem; non eſt dubium quod pertineat ad eumdem inſiſtere pro electione Digniorum, dirigere agenda quæcumque & eligentium vota ad bonum commune Religionis & ad obſervantiam tum juris communis tum Apoſtolicarum Sanctionum tum legum & ſtatutorum Religionis omnia per ſe ordinare. Caſtellin. de elect. *Cap.* 3. *n.* 6. Sigiſmundo *dub.* 95. *n.* 8. *ſequ.* Ragg. *dub.* 107. *n.* 1. 3. *ſequ.* Ita quod quoties contra directiones præſtitas in ſubſtantialibus & a jure ſtatutiſque præſcripta contingat inobſervantia valeat electionibus confirmationem inde negare. Ex *Cap. Inter electos de fid. inſtrum.* §. *Cum ergo*. Caſtell. ubi ſupra *Cap.* 14. *n.* 5. & 6. Peyr. *tom.* 1. *de ſubd. qu.* 1. *cap.* 21. §. *II. concl* 8. Paſſerin. *cap.* 33. *qu.* 13. *per tot.* Idemque repetitur de Superioribus Provincialibus in ordine ad electiones Superiorum localium quatenus hæc a Religioſis in Conventu de familia reſpective degentibus perfici ſoleant, quod illa nempe valeant Vocales ad ſervanda jura derogare atque hortari & ſuper eligendis dignioribus præmere, hinc juxta ſtatutorum diſpoſitionem atque auditos recurſus confirmationem præbere vel denegare; ut ſervari in ſua Prædicatorum Religione aſſerit Paſſerin. cit. de elect. *Can.* 34. *n.* 75. & *Cap.* 38. *n.* 16. De quo tamen proprio loco fuſius verum exceptis Religionibus iis in quibus Prælati ſive Superiores ſubalterni quicumque Provinciales & locales inſtituuntur a Generali unico, ut planum eſt in Societate contingere juxta diſpoſita in ejus Conſtitut. *part.* 9. *Cap.* 3. §. 14. & *Cap.* 5. §. 1. vel per nominationem ſimplicem inter Conſultores ſive Adſiſtentes ipſo Superiore generali præſidente; ut in nonnullis Congregationibus pariter aliis fieri conſuevit; non loquendo inquam de Prælaturis his, quæ manuales potius quam electivæ vocantur, utpote a libito & nutu inſtituentis & nominantium pendeant magis quam a vera Canonica electione ut notant inter alios Lezana *tom.* 2. *Cap.* 13. *n.* 56. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *diſp.* 1. *ſect.* 4. De Prælaturis vere & proprie electivis ſi ſermo habeatur quæ ſcilicet per ſcrutinium & ſecreta ſuffragia peraguntur ad normam *Cap. Quia propter de elect.* & Trident. Conc. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 6. Nequeunt profecto Prælati Regulares quicumque in eas taliter influere, ut libertatem in eligentibus adimant aut diminuant; propterea præter directionem hortatoriam de magis dignis promovendis de juſtitia diſtributiva ſervanda de extinguendis factionibus, ad coarctationes nequaquam procedere queant; taliter ut numerum trium vel quatuor ſubjectorum electiones reſtringant; cum non tantum præjudicium notabile inferretur juri paſſivo eligendorum habilium, ſed principalius juri activo Vocalium ſive eligentium qui non eſſent amplius plene Domini ſuorum actuum per coarctationes in caſu coacti. Ita D.D. cum D. Th. *part.* 2. *qu.* 13. *Cap. Cum dilectus* & *Cap. cum conſuetudinis de conſuet.* eum gloſſ. & *cap. cum ferre de elect.* ubi Abb.. Et inter cœteras ſolide probant Rodriguez legendus *tom.* 2. *qu.* 51. *art.* 11. nec non Mirand. *tom.* 2. *man. qu.* 23. *art.* 22. Niſi ſuper hoc ab Apoſtolica Sede neceſſarium expediatur indultum ſive ſpeciale mandatum, attenta quoque doctrina Paſſerin. *Cap.* 2. *n.* 60. poſt Patrem Rodriguez loc. ſupra cit.

12 Diligentiſſimus autem Pater Lezana poſſe coarctari inſinuat ad Nationes & qualitates Perſonarum v. g. Magiſtros in Theologia Lectores Emeritos vel in officiis minoribus jam expertos *tom.* 1. *Cap.* 15. *n.* 21. citatq. pro ſe Navarr. *lib.* 1. *conſil. tit. de Conſtit. conſ.* 7. Cui videtur concordare Paſſerin. de elect. Can. *Cap.* 2. *qu.* 3. congerens ibi in principio Doctores fere innumeros ſuſtinentes, poſſe de facto coarctari electiones vel lege vel conſuetudine ad certum genus perſonarum. Veruntamen ſatis aperte limitat deinde, hujuſmodi legem & conſuetudinem inter diverſas Nationes vigere poſſe & introduci tantummodo de conſenſu omnium intereſſe

teresse habentium in eligibilitate & electione alias coarctationem inde resultantem fore injustam, nec posse ad illam firmandam & convalidandam extendere auctoritatem propriam ullum inferiorem Papa: ipsasque alternativas, quæ sunt perfectiones supplentes imperfectionem, concordatæ videlicet pro evitandis gravioribus scandalis vel oppressionibus optime deducit, nullatenus habere vim, nisi hanc accipiant ab auctoritate Apostolica confirmante, vel saltem de pleno subditorum consensu introducantur: *sic ille a n. 56. ad 62.* Nec spernendum duco quod ibi n. ultimo 64. addit: hujusmodi Alternativas inter Religiosos diversarum Nationum a principio juvare in apparentia, veluti pacem conciliantes in Religionibus & Provinciis. *Sed secum ferre perniciem irreparabilem, & perpetuam ut sæpissime minus idonei cum indicibili damno Religionum præsint; ideoque omnes alternativas tollere opinionem fore concludit.*

§. I. Verum enim vero approbare nequaquam possum id, quod non satis concors dictis a se antea subdit absolute asserens ibi n.63. quod nimirum Superiores Prælati (ad rem nostram) coarctare queant & quidem per se ipsos electiones & electores ad certum genus personarum ex parte materiæ, etiam invitis subditis, videlicet ad habentes determinatas qualitates ex.gr. determinatam ætatem scientiam, aut quod eligendus sit Magister, Doctor, licentiatus &c. arbitratur enim non intrare præjudicium eligentium vel eligibilium, quia agitur de utilitate electionum; videlicet de qualitatibus excellentioribus ipsarum electionum, quarum utilitas perpetua est. Assertum hoc Doctoris alias celebris pro certo non approbo; invitis namque suppositis subditis, non video quare iidem privari possint proprio jure tum passivo tum activo extendendi electiones ad quoscumque idoneos & a lege admissos; licet præfatis qualitatibus non pollentes ut probat. Jacobat. de Concil. *lib. 4. art. 4. §. secunda conclusio*, & Rot. decis. *65. n. 4.* Unde quoad hanc partem sentio, neutiquam posse Prælatos Regulares quicumque sint per se ipsos electiones canonicas coarctare ad dictum determinatum genus personarum etiam ex parte materiæ, videlicet ad habentes tales qualitates &c. nisi aliunde per leges statuta sive Pontificia decreta sibi hujusmodi facultas clare concedatur, vel qualitates ipsæ in legibus præscribantur, aut iidem met subditi, tum electores, tum eligendi in hujusmodi coarctatione actu concordent, ne alioquin tollatur vel diminuatur in electionibus Canonicis omnino & plene requisita libertas ex famoso *Cap. Cum Terra de elect.* DD. concordantibus.

§. II. Hinc apparet reiiciendum pariter placitum Patris Lezanæ *Cap. 15. n. 21.* paulo ante relatum; nisi laudatus Auctor supponat facultatem Prælatorum in casu fulciri assistentia legum municipalium aut Apostolico privilegio. Id tamen quod subdit eodem Capite & numero, se non audere reprobare coarctationem factam a Superioribus sive Regularibus Prælatis ad tres vel quatuor personas præcipue si ab iisdem nominentur digniores, nullatenus potest admitti, cum & electionibus libertatem adimat, juri eligendorum dummodo alias digni sint præjudicet, & Superiorum potestatem nimium augeat quoad hoc Pontificiæ æquiparans: unde judicio ejusdem sapientis Patris remitterem, quod ipse ibidem remittit alieno. Praxis vero suæ Religionis, quod Provinciales non eligantur, nisi ex propositis a Generali nec Priores locales, nisi ex propositis a Provinciali, fortasse non solum in statutis pluribus, quæ ibi adducit fundatur sed etiam in aliquo Apostolico decreto confirmante: vel cum sint edita statuta in Capitulis generalibus, necnon stet consuetudo contra quam reclamet nullus; adderem præsupponi ad hoc consensum omnium subditorum, tum eligentium tum eligendorum, quo accedente tenet item doctrina Passerin. *Cap. cit. 2.* de elect. Canon. *n. 61* & seq. Cæterum quod absolute Passerinus alibi quoque asserit posse esse aliquoties de substantia electionis præceptum Superioris de aliqua re peragenda sive adimplenda ante electiones ipsas sub pœna nullitatis, esto quoad hoc legeretur sola Superioris Epistola præcipientis. *Cap. 15. n. 8.* nequaquam approbamus, nisi præceptum Superioris in casu muniatur auctoritate Apostolica revera irritante acta aut agenda contra præceptum, vel statutis Religionis item sub clausula irritante idem mandantibus sive inhibentibus aut tribuentibus alias Superioribus respective hujusmodi facultatem; cum alioquin adminiculis hujusmodi non coadjuvantibus minime posse irritare electiones præceptum a solo Superiore per se latum, utpote nil valeat is superaddere juribus expressis sub pœna nullitatis & invaliditatis: tradant item Rodriguez *tom. 1. qu. 51. art. 11.* Mirand. in man. *tom. 2. qu. 23. art. 22.* Lezan. *tom. 1. Cap. 15. num. 34. & tom. 4. V. Præses Cap. 1. num. 5.*

13 Nihil deinde Præsidi agendum remanet antequam ad eligendi actum deveniant Vocales, nisi absolvere ipsos secundum communem praxim & formulam traditam a Peyrino in formulario *lit. A.* Cap. 7. & a P. Lantusca in Theatro Regularium V. *Electio sub n.* 10. Quam quidem absolutionem esse de solemnitate & consuetudine perhibent Payrin. loc. cit. & de *Prælat. qu.* 2. *Cap.* 5. *n.* 9. necnon Passerinus ubi supra n. item 9. post Sigismundum *de elect. Canon. dub.* 18. *n.* 7. Sed posse evadere de substantia in casu quo eadem non præmissa quispiam ex Vocalibus deprehenderetur postea concurrisse ad suffragandum cum excommunicationis alteriusve censuræ ligamine sive alia præpeditus inhabilitate; addunt cæteri cum Peyrin. loco mox cit. Si quæratur eademmet de facto præmissa absolutio quid operetur? Non desunt qui respondeant ipsam sortiri plenum & perpetuum effectum, itaut censuræ aliæque pœnæ post electionem peractam nequaquam reviviscant. Ita Sanctorus *Cap.* 8. *stat.* 26. ℣. *Tertius effectus*, citans Rodericum *tom.* 1. *qu.* 20. *art.* 26. necnon Peyrinum in formular. ubi supra *lit. A. Cap.* 7. *n.* 3. & *de Prælat. qu.* 2. *Cap.* 5. §. 3. *n.* 46. quamvis hi ambo minime id opinentur in citatis locis. Dicendum itaque pro veritate absolutionem in casu prout verba sonant, & eo pacto quo ante electionem a Præside Capitularibus seu Vocalibus impertitur, valere tantum ad effectum, ut electiones ipsæ canonice & legitime fiant; videlicet, ne infirmentur & inficiantur ex eo quod eligentium aliquis vel ipsemet electus in illo actu censuris vel irregularitate reperiretur irretitus. Sic Passerinus signanter *de elect. Cap.* 26. *qu.* 11. *n.* 117. qui ait hujusmodi absolutionem esse ejusdem generis cum illa quæ datur a Papa in literis beneficialibus ad effectum dumtaxat tollendi impedimentum pro illa vice, & ut gratia sive beneficium valide obtineretur, adducens pro se Felinum Barbosam aliosque ibi. Et revera verba in ipsa absolutione ita sonant apud Peyrinum in dicto formulario *Cap. vii.* ibi. *Ad effectum electionis faciendæ; seu electionum faciendarum absolvo &c.* Idem habetur in statutis generalibus Minorum, inter quos & alios Regulares quantum ad hoc non est diversitas apud Sanctorum de Constit. *Cap.* 8. *stat.* 26. Immo in formula absolvendi per statut. Sambucana *Cap. eodem viii.* §. 9. *n.* 15. ibi = *Ad effectum electionis canonice & rite nunc per vos celebrandæ*. Quod etiam innuit esse in praxi in sua Religione P. Lezana *tom.* 2. *Cap.* 12. *n.* 55. ℣. *Deinde*.

§. I. Passerinus *Cap. eodem* 26. *n.* 118. vult, quod eadem absolutio non dispenset in irregularitate, & pro se assert Peyrinum *tom.* 2. *de Prælat. qu.* 2. *Cap.* 5. *n.* 9. qui tamen videtur se retractare in eodem *Cap.* §. 3. *n.* 46. ubi sustinet remanere quem dispensatum in irregularitatibus si in absolutione exprimatur saltem *ab omnibus censuris & pœnis* ad hoc, ut ly *& pœnis* aliquid operetur; nomine quippe pœnæ veniret irregularitas præcipue ex delicto oriens, quod firmius probat idem Auctor in formul. *Cap.* 7. ubi supra *n.* 3. contra Alphonsum de Leone. Verum difficultatem tollit dispensatio clare appostita in ipsamet formula *Cap.* 7. ibi = *Item dispenso vobiscum super omni irregularitate &c.* Quæ verba etiam clare exprimuntur in absolutione præmissa in Capitulis Minoritarum apud Sanctorum *d. Cap.* 8. *stat.* 26. *in textu*. Et in Sambucan. §. 9. *cit.* Limitatur nihilominus effectus absolutionis ejusdem & dispensationis necnon rehabilitationis ad censuras irregularitates &c., ad quas tollendas vigeat revera absolventis & dispensantis facultas, & non ultra; adeo ut debeant considerari privilegia Superioribus respective impertita quid sonent & ad quæ se extendant, sicuti pronuntiatur de facto ipsamet absolutio a Præside sive Superiore in casu; ibi: *In quantum se extendunt gratiæ, & privilegia Ordini nostro concessa & mihi commissa*, & ut mature advertunt Peyrin. de Præl. *Cap.* 5. *n.* 9. & 46. & Lezana *n.* 52. Insuper quod nec valeat effectum sortiri supposita facultas pro absentibus; adeo ut si eligeretur quis excommunicatus absens aut absens irregularis licet occultus; & impedimentum innotesceret deinde, ex hoc capite electio ejus impugnari & infirmari posset; utpote super solos præsentes cadat absolutio & dispensatio per verba *Absolvo vos, Dispenso vobiscum* addunt præfati DD. cum Passerino *d. n.* 118.

§. II. Reviviscunt ergo præfatæ pœnæ electione peracta taliter, ut tum eligens tum electus quatenus foret iis antea irretitus in foro conscientiæ debeat postea tamquam censuratum se gerere aut irregularem; nisi aliunde absolutionem & dispensationem obtineat absque ulla clausula in eodemmet foro. Atque in foro fori nil impediat quin de criminibus quibus appositæ erant pœnæ, aut de ipsamet incursa excommunicatione, aut alia censura irregularitate inhabilitate pos-

fet denunciari accusari conveniri puniri, perinde ac si absolutionem aut dispensationem sortitus non fuerit, quæ omnia consequenter absque dubio arguunt reincidentiam. Neque super hoc disputat Peyrinus quantumvis intendat remanere quempiam dispensatum ab irregularitate per verbum additum: *a pœnis* paulo inferius examinandis, nequaquam reincidentiam impugnans loco per Sanctorum citato. Sed nec Rodericus *tom. 1. qu. 2. art. 16.* de absolutione tractans mentionem facit de absolutione quæ datur ad effectum electionis faciendæ, aut quæ sit, an sit vel non ad reincidentiam vel perpetua; ut certiorem quis se reddere valet adducit ibi dumtaxat privilegium impertitum per Julium II. Magistro generali militiæ de Avis Cistercienfis Ordinis absolvendi suos in quolibet Capitulo generali vel tempore Capituli generalis si non celebretur, in aliquo die majoris hebdomodæ ab omnibus censuris & pœnis: Quæ quidem facultas est illa eadem, qua utuntur Superiores Ordinarii & Delegati in visitationis termino, vel in determinatis solemnitatibus infra annum absque limitatione functionis, & reincidentia absolute, & de qua satis uos egimus in hoc ipso *tom. v. dubit. xv. sect. v.* At est sermo limitatus impræsentiarum de absolutione, quæ datur Electoribus sive Vocalibus a Præside Capituli antequam ad Capitulares electiones deveniant, ad effectum præcise perficiendi electiones ipsas absque Canonico impedimento secundum formulas paulo ante relatas & ut mox evidentius patebit.

14 Verum contra expositam doctrinam non desunt objicienda. Primum, quomodo revivescere queant præfatæ pœnæ in foro conscientiæ, itaut tum Electores tum electi tanquam illis irretitos se debeant gerere post electiones; necnon in foro fori potissimum subjaceant postmodum denuntiationibus accusationibus sententiis quantum ad easdem, cum a nobis ipsis sustineatur, quod electus & electio ratione eorumdem impedimentorum de quibus absolutio præcessit nequeat impugnari, ut item cum aliis Peyrin. præcipue in formular. cit. *n. 2.* Objectum aliud fundatur pariter super privilegiis in ampla forma concessis absolvendi & dispensandi absque ulla clausula restrictiva reincidentiæ &c. quibus utuntur de facto Superiores Regulares in impertienda dicta absolutione ante electiones: unde igitur desumatur limitatio hujusmodi, quantum ad reincidentiam? Ad primum itaque re-

Tom. 2.

spondeo; aliud esse quod electi seu electores possint accusari conveniri sententiari de criminibus & pœnis &c. post electionem ad forum deductis; & aliud, quod valeat impugnari electio secuta titulo censurarum & pœnarum de quibus absolutio præcessit, quod secundum falsum omnino est, ut omnes Doctores consentiunt, in suppositione quod ad dispensationem & absolutionem datas facultas absolventis & dispensantis se extendat; Sed quatenus incursæ pœnæ, & crimina quibus adnectuntur innotescant deinde, & ad forum deducantur; haud est dubium posse conveniri reos judicari & sententiari, cum alias delicta etiam gravissima possent remanere prorsus impunita; sicut & in foro conscientiæ non est novum quod reviviscant censuræ &c. de quibus absolutio præmittitur in ordine ad aliquam peculiarem actionem & functionem, ut pro consequendis gratiis in Pontificiis Brevibus, aut legitimando examine publice excommunicati, & similibus: cœterum hæc eadem objectio si vim præseferret posset adduci in casu quo absolutio caderet super censuras & pœnas omnino remissas, & non amplius reviviscentes deinde in foro conscientiæ qualem diximus esse illam, quam pronuntiant Visitatores in Visitationis termino *dubit. ut supra 15. sect. 5.* & tamen non eximi per ipsam Reum quin possit in foro contentioso conveniri & puniri, probatum est ibidem *n. 83. §. 1.* cum Passerino *Cap. 26. qu. 11. n. 119.* & Lantusca ubi supra. Ad aliud pariter dicitur quod privilegia equidem in ampla forma & absque limitatione reincidentiæ habentur Prælatis Regularibus concessa absolvendi & dispensandi, sed in casu Electionum canonice explendarum a Religionibus restringi, ut restringi posse privilegiorum usum in casibus nonnullis per statuta, & consuetudines speciales Religionum respective nemo dubitat: ex alibi adductis, & per Lezanam *tom. 1. Cap. 18. n. 16. tom. 3. V. Privilegia n. 13.* Reinffestuel. *de privil. n. 199. & 200.* Ad propositum autem restrictionem hujusmodi patenter relevare in formula absolvendi qua utuntur Præsidentes: ibi: *Ad effectum electionis rite & canonice nunc per nos celebrandæ, quatenus opus sit & indigetis* ut literaliter apud omnes Peyrinum Lezanam, præcipue Lantuscam. V. *Electio* in fine. Et fortasse non sine rationabilissima cautela ordinatur in Religionibus hujusmodi restrictionis praxis. Ne videlicet excommunicationes irregularitates aliæque pœ-

Ee 2 næ,

næ, quæ tempore Capitularium electionum præcipue per subornationes tractatus simoniacos favores adhibitos sæcularium incurri possent, impune & in perpetuum remittantur; itaut sine metu & in confidentia absolutionis & dispensationis habendæ ante electiones ipsas prædictæ execrabiles actiones committantur.

15 Addendum tamen; neque absolutionem & dispensationem in casu pro electione dumtaxat rite & canonice celebranda suum aut alium sortiri effectum in suppositione, quod causa censurarum & pœnarum seu criminum ad quæ consequuntur sit ad forum contentiosum actu deducta, vel quod censuræ sint latæ ab homine aut secundum jura publice declaratæ juxta recensita *in dub. jam cit.* 15. *sect. v. n.* 83. secundum Passerin. item cit. *num.* 118. Et quamvis perspicax hic Auctor opinetur ultro quempiam censuris & aliis pœnis obnoxium licet publice talem, posse a Præside admitti & gaudere absolutione & dispensatione in casu, quo nullus ei opponat; tutius tamen fore censeo Vocalem hunc ab electionibus arcere, nec exponi debere electionem periculo nullitatis ratione censurarum in se publicarum; tanto magis si probabiliter in ipsum posset cadere inclusiva, eo quia per commune Doctorum absolutio in casu ad tollenda tantum impedimenta occulta ordinatur; quinimmo & de ipsis occultis trepidant aliqui, quatenus de iis pro certo Vocales sint sibimet conscii; cum namque hujusmodi absolutio non sit maioris efficaciæ ac illa quæ datur in fine Visitationum a Prælato sive Ordinario sive Delegato aut in festis solemnioribus anni; quoties sustinent hanc ultimam effectum sortiri pro censuris aliisque pœnis oblitis ignoratis ad summum dubiis, non autem certo notis; idem non affirmare non possunt de absolutione pariter ante electiones per Presidem aut Superiorem impertita, quod videlicet impedimenta certa licet adhuc occulta non tollat: Bellosius V. *Absolutio* n. 2. relatus a Lantusca in Theatr. Regularium sub eodem titulo n. 14. quem sequitur item Matteucci Offic Cur. *Cap.* 38. *n.* 30. Quamvis tenendum proculdubio ego censeam unam & aliam absolutionem tum occasione Visitationis terminatæ tum electionis ineundæ censuras cæterasve pœnas juxta facultatem absolventis & dispensantis Prælati tollere non ignoratas oblitas & dubias dumtaxat, sed & etiam certas & ipsis irretitis notas, dummodo sint occultæ, secus si publicæ aut ad forum contentiosum ut mox præmisimus sint deductæ ad tradita item per Passer. *n.* 117. 118. *seq.* necnon Lezanam *Cap.* 18. *n.* 93. Quia vero in favorem alterius extremæ sententiæ sustinentis tolli censuras & dispensari in irregularitatibus alii sque pœnis absque reiincidentia, ac etiam in foro fori, citatur ut paulo ante adnotavimus P. Emmanuel Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 20. *art.* 26. Replicamus quod laudatus Auctor non agit ibi in casu nostro absolutionis impertiendæ ante electiones Capitulares a Præside, sed ostēdit indeffinite & indeterminate privilegium in genere competens & collatum Prælatis Religionum respective aut directe aut per communicationem, absolvendi proprios subditos a quibusvis censuris & dispensandi cum ipsis super irregularitatibus inhabilitationibus &c., & exemplariter adducit Breve expeditum pro Magistro militię de Avis in quo alii Prælati Religiosorum respective communicant; quod utique non negamos, & fortasse eodem privilegio possunt uti Superiores in Capitulo erga congregatos subditos vocales, sicuti adhibent illud in termino Visitationis, juxta normam Dub. XV. traditam; verumtamen absolutionem de qua loquimur in ordine ad rite persolvendas electiones, constat limitari pro illo actu ex praxi universali in similibus & ex ipsamet addicta formula. Quod deinde doctrina Roderici absolutionem hanc limitatam ad electiones non tangat, constat evidenter ex verbis subsequentibus ipsiusmet in eodem articulo 26. addit ibi namque privilegium sive facultatem hujusmodi concessam Magistro generali Militiæ de Avis fuisse confirmatam pro Ordine B. M. de Mercede per Clementem VIII. in cujus diplomate per extensum apud Auctorem ipsum relato nullum legitur verbum de absolutione ante Capitulares electiones, sed de facultate impertita Superioribus respective absolvendi subditos in Festo S. Catharinæ Virginis & Martyris, in die Cinerum, & Feria V. in Cœna Domini. Ex quibus omnibus colligitur facultatem inesse quidem Prælatis Regularibus absolvendi suos subditos a censuris esto reservatis eo modo, quo fusius explicabitur inferius, & dispensandi cum eis in irregularitatibus &c. & sicuti ea utuntur in fine Visitationum, ita & eam adhibere occasione Capitulorum & Congregationum respective generalium aut provincialium pro rite & absque impedimento canonico ut explicavimus explendis electionibus; verum in hac ultima Capitulari functione sistere nec ultro transire absolutionis effectum etiam pro foro conscientiæ, in alus

vero

vero occaſionibus effectum poſſe quidem ſuſtineri perpetuum quoad cenſuras & irregularitates, licet certas & delinquentibus notas ſemper, tamen occultas in conſcientiæ dicto foro; ſed pro foro fori itaut ſi ad ipſum Cauſæ fuerint jam deductæ vel poſtea deducantur nullatenus abſolutiones & diſpenſationes & in nullo caſu valere.

ADDENDA PRO FRATRIBUS MINORIBUS.

16 Apud Fratres Minores Regularis & Strictioris Obſervantiæ quæ dicta ſunt de Regularibus cœteris quoad electiones atque auctoritatem Superioris ſive Prælati eas dirigentis ſunt proculdubio ſervanda, niſi in quantum municipales leges & ſpecialia ſtatuta illam declarent reſtringant aut augeant. In primis convocare omnes vocales ſive illos quibus de jure vel conſuetudine competat Capitulo generali, ſi de hoc principalius loquamur intereſſe, mediis literis citatoriis Miniſter Generalis jubetur per Statuta in Compil. Sambuc. *Cap VIII.* §. *6. n.* 1. in quibus quidem literis locus & tempus celebrationis ſignificetur & indicetur. Locus autem ad quem invitandi & cum præcepto adigendi ſunt ut conveniant pro dicta celebratione Capituli videtur debere prius conſtitui ab ipſo Miniſtro generali de Diſcretorum Ordinis conſilio in eodem Cap. VIII. §. 5. n. 1. nec ſpecificatur ibi quomodo conſilium diſcretorum debeat exquiri, & illud ſequi neceſſe ſit Generali Miniſtro: unde huius arbitrio favendum eſſe dictat jus DD. concordantibus in caſu diſcrepantiæ, & relegenda ſunt ſimul quæ præmiſimus *n.* 8. de loco tuto &c. Addit tamen ſtatutum ibidem §. V. *n.* 2. quod urgentibus de cauſis licitum erit Miniſtro eidem generali de conſilio aliquorum Patrum Ordinis locum mutare, qui Patres Ordinis quatenus ſint abſentes nulla lex obſtat quin valeant conſilium per Epiſtolas in caſu præbere. Tempus deinde quo celebrari oporteat Capitulum ſi accipiatur pro die in qua præſcribuntur ſecuturæ electiones, ſignanter ea Superioris ſive Miniſtri Generalis in gubernio ſuccedentis determinatur ad Vigiliam Pentecoſtes per regulam ipſammet, in qua ordinatur expreſſe; quod Miniſtro generali *decedente electio ſucceſſoris fiat a Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes*. Reg. *Cap. VIII.* juncta Clement. *Exivi de Parad.* de Verb. ſignif. & Bulla Leonis X. *Ite & vos* Cord. *n.* 1. *p.* *init.* 3. *ad cap. viii.* ubi intelligendam eſſe Pentecoſtes Vigiliam declaravit perpetua Religionis conſuetudo; ita & taliter ut ad aliam diem regulariter nequeat transferri ſive poſt ſive antecedenter ad dictam Vigiliam eadem electio ex Sanctoro ſuper Conſtit. *Cap.* 8. *ſtat.* 9. & Compilat. Sambuc. §. *relato* 5. *n.* 2. ibi. *Tempus vero Capituli generalis ita arctatum eſt ad Vigiliam Pentecoſtes ut nullo prætextu illud produci aut contrahi poſſit*. Et de facto experientia nos docet, quod ſi cauſæ adſint differendi Capitulum & electiones eaſdem, non niſi ad annum integrum vel annos ſubſequentes pro Vigilia indiſpenſabili Pentecoſtes protrahantur. Pro tali proinde die ſive Vigilia non eſt dubium teneri Generalem Miniſtrum in datis encyclicis individuare & determinare electionem Succeſſoris ex jam cit. ſtat. §. *6. n.* 1. Peragenda quoque in ipſo Capitulari conventu diebus proxime præcedentibus ad electiones quantum ad Miſſam pro gratiarum actione ſeu fœlici acceſſu Vocalium ad locum indictum, quantum ad Syndicatum Miniſtri Generalis gubernium terminantis, cauſas proponendas occurrentium controverſiarum & de plano dirimendas, tractatus conſultivos, ſermonem præmittendum pro digniorum promotione, abſolutione præmittenda Vocalium, invocatione Sancti Spiritus, recenſentur diſtincte in dicto *cap. viii.* §. 9. Sed ſignanter quoad celebrationē Miſſæ ſolemnis de Spiritu Sancto in omnibus & ſingulis Conventibus ſeu Eccleſiis Religionis univerſæ in Eccleſia principaliter Conventus ubi Comitia celebrari contingunt & electio perficitur; de qua canenda & de precibus præcedenter ad electionem pro ſtatutis diebus Deo porrigendis per invocationes & proceſſiones publicas, tenetur item inſerere præceptum in citatoriis encyclicis Generalis Miniſter, ut aperte præcipiunt ordinationes ſtatutariæ *d. Cap. VIII.* §. *6.* per tot. Sicuti pariter omnes alias functiones præfatas ſpectat ad ipſum auctoritative dirigere, utpote Religionis caput uſque dum gubernium dimiſerit §. 9. n. 7. præterquam in ſubeundo ſyndicatu in qua actione præſidere ſtatuitur *qui Ordinis diſcretus aut perpetuus, aut pro tempore fuerit antiquior*, ibi §. 9. n. 5. Omnia vero præfata, ne repetitio ſuperflua fiat, de directione Prælati reſpective præſidentis & gubernium exercentis in actuali regimine, ſignanter quoad preces præmittendas atque Deo porrigendas pro meliorum electione in Prælatis reſpective obſervanda præcipiuntur in

Con-

Congregationibus generalibus & Capitulis respective Provincialibus per ipsummet statutum in *Cap. d. VIII.* §. 6. *n.* 4. Prout etiam quoad convocationem Vocalium, locum praefigendum, causarum cognitionem, syndicatum &c. proportionaliter in electionibus generalibus intermediis, quoties occurrent sive Vicarii generalis pro toto Ordine sive Commissarii generalis in alterutra Familia, aut Vice.Commissarii generalis in quocumque casu cessionis, vel decessus, ordinantur pariter exequenda in §§. subsequentibus ejusdem *Cap. VIII.* Videlicet §. 15. *n.* 1. §. 16. *n.* 4. *ad* 7. §. 17. *n.* 4. §§. 18. *&* 19. §. 21. *n.* 5. §§. 23. 24. *&* 25. Et possunt perlegi absque eo quod inutiliter hic transcribantur. Omniaque & singula pariter iterato praescribuntur cum proportione pro Capitulis & Congregationibus Provincialibus *in* §§. 36. 46. *&* 50. Necnon in statutis Reformatorum *Cap. eod. VIII. a n.* 13. *seq.* Quamvis de pluribus inter has, functionibus apud Religiones reliquas, pro quibus non militant nostra statuta, latius tractabimus Deo favente in distincta dissertatione de electionibus, ubi non de sola potestate directiva Praelati praecise agetur.

17 Si autem pro tempore celebrationis Capituli non accipiatur praecisa dies in qua devenienddum sit ad electiones, ita quod neque ultra neque citra illam contrahi aut protrahi debeat novi Superioris, signanter Generalis provisio & successio; sed tempus in quo necessitas occurrat citandi Vocales ad nova Comitia pro Superioris inprimis Generalis aut aliorum respective Praelatorum electione, respondetur; quod pro eligendo novo Ministro generali tempus proprium occurrat antiquitus post mortem sive obitum Ministri generalis immediate praecedentis. Gubernium quippe dicti Ministri in Religione Supremi Principis habetur ab initio fuisse perpetuum non absolvendum nisi per mortem sive decessum: ex statutis vetustioribus Alexandrinis *Cap.* 8. *tit. de celebr. Cap. generalis*, quae videntur uniformari ipsimet supraeitatae Regulae quod nempe non nisi *decedente Ministro generali* fiat electio Successoris. Quamvis item ex vi Regulae Capituli generalis convocatio sit in arbitrio Ministri generalis ipsiusmet potentis illam indicere de triennio in triennium, aut ad alium terminum majorem vel minorem: nihilominus hujusmodi facultativa & arbitraria convocatio hisce temporibus non est unde dignoscatur secutura pro electionibus aut aliis negotiis peragendis. Prout etiam quantum ad perpetuitatem Ministri generalis, juxta varietates & necessitates temporum compertum est magis conferre paci & concordiae Religionis universae ipsam reducere ad durationem sexennalem illiusmet alternatim desumpti ex familia mox Cismontana & Ultramontana deinde ad normam famosae Bullae Leonis X. *Ita & vos*, & doctrinae P. Rodriguez *tom.* 2. *tit.* 52. *art.* 2. Ideoque apte interpretatur Regulae textus pro Generali *decedente*, idest quocumque modo cessante desit gubernium, licet mors quoad Generalatum sit tantum civilis sive moralis: ex Bulla Sixti V. & ante eum Leonis X. apud Rodriguez mox allegatum. Appropinquante igitur sexennii termino onus itidem erit pro certo Ministri generalis vel ejus gerentis actu vices literas convocatorias uti supra per Provincias amandare universas, praecipiendo ut omnes & singuli Vocales & ii quibus de jure ad locum designatum pro celebrando Generali Capitulo, atque eligendo successore in Pentecostes indicta Vigilia incunctanter se conferant. Quam sane expeditionem explere debet Generalis ipse tempore opportuno & congruo ex *stat. Cap. viii.* §. 6. *n.* 7. Videlicet; prae latitudine Religionis admi. nus per annum ante ut uriget de facto consuetudo, ad hoc ut omnes & quoscumque possit praevinere notitia nec ulli commodum desinere possit perficiendi prolixum iter, uniformiter ad ius commune *Cap. singuli* de stat. Monach. Cum alias Vocales longius absentes possent conqueri immo agere de contemptu, ut dictum est de caeteris &c. Citatio quippe impossibilis exqui haberetur pro non citatione *Cap. coram dilecto de elect. ubi*. Imola apud Sanctorum *Cap. viii. const. stat.* 21.

18 Si quaeratur inde, an tempus hujusmodi taxati sexennii possit quandoque variari, itaut per Ministrum ipsum generalem actu gubernantem etiam de consilio Discretorum Ordinis possit diminui, aut longius protrahi? Respondetur cum absoluta negativa; assignatio siquidem & praefati spatii praescriptio legitima Apostolicam Sanctionem appellat Leonis praecipue X. *Ite & vos* paulo ante citatam, super quam nullatenus potestatem habet aut Generalis Minister aut Discretorium aut integrum Capitulum Generale, & hoc intelligitur regulariter, nisi occurrerent quoad anticipationem casus extraordinarii mortis, cessionis, assumptionis ad dignitates extra, de quibus mox infra, & quoad protractionem sexennalis spatii urgerent simi-

similiter graves caussæ, quatenus tamen accedat semper Summi Pontificis nova provisio, qui solus valet Prædecessorum Constitutiones alterare & immutare. Propterea ex causa bellorum præsertim ferventium inter Christianos Principes non semel in præsenti calamitoso XVIII. Sæculo protractionem, ac extensionem gubernii, modo ex parte Generalis Ministri, & aliorum Officialium ultra, modo eorumdem per prolixius spatium perdurantium citra montes, per specialia Summorum Pontificum diplomata conspeximus contigisse. Verumtamen quia extraordinarius casus vacantiæ tetigimus, quod possint occurrere ante terminatum sexennium propter Ministri Generalis signanter intermediam mortem, tunc providet generale Statutum, quod nimirum primus Discretus totius Ordinis si adesset in illa familia, de qua assumptus fuerat Generalis Defunctus, aliter primus Discretus ejusdemmet Familiæ, sive ultra sive citra Montes, in qua idem decesserit reciperet sigilla Religionis & gubernium. Hinc teneretur iste indicere Congregationem Generalem præfatæ Familiæ, sive convocare ad Vicarium Generalem eligendum Vocales, quibus de jure, in quos compromissum invenitur legitime factum per alios quoscumque totius Ordinis Vocales & Electores ad hoc, ut vocati convenirent, & in loco congruo electionem indictam peragerent; tempus vero non præscribitur in casu determinatum & certum arbitrio gravi Discreti a jure succedentis relictum; is tamen citius quam posset congregare Vocales ad dictum finem teneretur. Ex Statutis generalibus *cap. viii.* §. 16. signanter *n.* 3. & 6. & in casu quo moreretur Generalis Minister in altera Familia ut aliquando evenit de facto, habetur provisio ibidem §. 17. *per tot.* Similiter quoties per renuntiationem obveniret Generalatus vacantia, quæ quidem renuntiatio per ipsummet Ministrum Generalem exposita deberet acceptari prius vel a Summo Pontifice vel ab habentibus jus eligendi ad hoc congregatis, teneretur postmodum idem renuntians quatenus renuntiatio acceptetur, asistere novæ electioni ut Præses & pro die certo ad hunc effectum electores convocare, vel certum diem ipsis tunc actu ibi congregatis intimare, nisi omnibus his actionibus etiam renuntiaverit, in quo casu primus Discretus intraret a jure in accipiendis Sigillis & regulanda secutura electione qua Præses. Si vero renuntiatio in manibus Summi Pontificis facta & ab eo acceptata contingeret, deberet abrenuntians non ultro pergens convocare Electores ad successoris provisionem tempus congruum & diem certum assignando tamquam primus Discretus ex eodem Cap. VIII. §. 18. *n.* 2. *ad* 6. Sanctor. *Cap. d.* 8. Quod si renuntians idemmet nequaquam etiam remaneret a jure primus Discretus, post dictam renuntiationem vel a Papa vel a Vocalibus acceptatā; ob resistentiā antiquioris Patris Ordinis, nihilominus spectaret ad ipsum renuntiantem convocare Vocales electioni præsidere non veluti Ordinarium, sed provisum pro interim a lege ex eodem §. 18. *n.* 5. Nisi Pontifex ipse successorem substitueret per Breve, quoties præsertim in manu ejus depositaretur Superioratus in casu, cum advertentia addita quod si vacantia immineret Superioratus propter assumptionem Superioris ipsius Generalis ad Episcopatum sive aliam Ecclesiasticam Prælaturam, esset necessaria quidem dispensatio voti emissi ab initio de non acceptanda dignitate extra Ordinem durante tempore gubernii ut distincte habetur in Statutis editis de anno 1676. in forma specifica confirmatis per S. M. Innocentium XI. in sua Constitutione *Militantis Ecclesiæ*. ℣. *Ut maxima incommoda*, & explicatur item cum ampliatione præcepti in Statutis Romanis pariter *de anno* 1700. *n.* 6. 7. & 8. ita & taliter quod dispensationem ipse in casu non posset petere, aut supplicare ut sibi aperiretur os ad petendum eandem unacum nominatione sive præsentatione ad Prælaturam, manifestare tenentur sub pœna privationis per tres menses ante suam promotionem, atque quatenus dispensatio emissi voti sponte & motu proprio a Summo Pontifice acceptante sibi daretur, segregatus extemplo remaneret a corpore Religionis, nec præsidere quiret electioni Seccessoris non solum, sed nec convocare Congregationem ad hunc effectum, votum aut ullam actionem exercere in illamet, remanente gubernio interim apud Patrem digniorem perinde ac si mors Ministri Generalis contigisset ut in citatis Statutis apud Julium de Venetiis in sua Chronologia *pag.* 142. & *pag.* 193. circa tamen Romanam de anno 1740. aliquid remanet advertendum ut alibi dicemus.

19 Jam præmisimus *n.* 17. eadem quæ circa vacationem Ministri Generalis totius Ordinis quomodocumque sequatur, præscribuntur servari debere in vacatione aliorum Superiorum respective quoad directio-

ctionem signanter Praesidis potestatem itaut ad congruum locum debeant citari Vocales & congruo tempore antea prout in Statutis ibidem allegatis. Et circa electionem Commissarii Generalis alterutrius Familiae de triennio in triennium, praesertim in Familia nostra Cismontana praemittere citatorias ad Vocales in statutis recensitas, onus erit pariter Ministri sive Superioris Generalis totius Ordinis gubernium eo tunc exercentis, ita quod ad electionem conveniant pro statuta die, quae etiam, quatenus regulariter vacatio de triennio in triennium succedat, est indeclinabilis in Vigilia Pentecostes; ita ut non possit variari absque beneplacito Apostolico dispensante propter statuta generalia absolute praecipientia, & consuetudinem immemorabilem declarantem & confirmantem, ut ex serie Congregationum generalium quolibet triennio celebratarum manifeste constat. Et profecto specialissimus evenit casus in electione Reverendissimi Patris Josephi ab Evora in Commissarium Generalem Ordinis pro Familia Cisinontana, quando praeventive ad Vigiliam Pentecostes deputata fuit sexta feria, eo quia Summus tunc Pontifex Clemens XII. actualis Franciscanae Religionis Protector, volens pro sua erga Ordinem, & subjectum benevolentia electioni interesse & praesidere, ad hunc effectum feriam praecedentem sextam praefixit, cum pro Sabbato Vigiliae Pentecostes ad alias functiones publicas Ecclesiasticas animum applicaret. Si autem ejusdem Commissariis generalis contingeret mors antequam triennium legitimum compleret, in familia de qua fuerit assumptus primus item discretus uti supra sigilla accipiens teneretur Congregationem convocare pro electione Successoris explenda ad normam legum tempore & termino assignato congruo & diem indicendo certum ex eod. *Cap. VIII.* in Sambuc. §. 24. Similiter si vacantia Commissariatus generalis occurreret per renuntiationem, servanda sunt quae numero praecedente diximus quoad renunciationem Ministri Generalis aut voluntariam, aut propter assumptionem ad Praelaturas extra Ordinem, ut etiam ibi tactum est & signanter de Vice Commissariis generalibus eligendis, in his casibus sub cujus praesidentia, & directione apud Statuta generalia Romana de anno 1651. *Cap. III.* §. 6. apud Julium de Venetiis *pag.* 69.

20 Aliqua etiam de Capitulis Provincialibus potius tangemus quam differemus, reservando ad uberiorem tractatum reliqua quantum ad electiones caeterorum Officialium in Capitulis generalibus durationem item & vacantiam officiorum, sicut & in ipsis Capitulis Provincialibus & Congregationibus Provinciarum intermediis quae possint contingere circa electionem Guardianorum, Lectorum, aliorumque & eorum determinatim a lege vacationem post praescriptum regimen sive exercitii tēpus in officio. Sufficiat pro nunc indicare, quod de triennio in triennium electiones Ministrorum & deffinitorum Provincialium pariter & Custodum renovantur in Provinciis, attentis Statutis generalibus Sambuc. *Cap. VIII.* §. 47. *n.* 1. & Reformat. *Cap. eod. n.* 1. itaut in termino dicti assignati triennii quicumque ex his a gubernio & officio regulariter absolvi censeatur vigore Bullae citatae Leonis X. *Ite & vos*. Nisi detur casus non raro eveniens necessitatis alias insuperabilis, ob quam Minister Provincialis protrahere debeat regimen ultra triennium ad alios sex menses; juxta Bullam Clementis VIII. citatam a Lantusca in Theatr. Regular. *V. Guardianus n.* 7. Quod si ultra sex menses extendatur gubernium post exactum triennium Superiore Generali annuente; tunc non amplius ut Minister sed veluti Commissarius Provincialis sibi diutius concreditam Provinciam reget, ex iisdem generalibus Statutis ubi supra, cum conditione itidem expressa, quod non habeat votum in Capitulo immediate sequenti, quoties scilicet ultra triennium & sex completos menses gubernium protrahere reperiatur, nisi sibi a Superiore generali respective de assensu Procuratoris generalis, & Deffinitorum Generalium, si praesentes fuerint, concedatur. Eodem *Cap. VIII.* §. 47. *n.* 1. Quamvis autem Capitulum in Provinciis ordinetur celebrandum tempore sive spatio currente inter Pascha, & Pentecostem *Cap.* 8. in Sambuc. §. 36. *n.* 1. tamen hoc statutum, vel antiquatum evasit, vel continuo in praxi dispensatur. Ex stat. ipsis §. 46. *n.* 1. & 2. De Deffinitoribus lex non adest peculiaris sed in prorogatione gubernii dicti Provincialis Ministri, absque dubio copulative eorum Officium censetur perdurare *ex cit.* §. 41. *n.* 1. Nec statuta Reformatorum circa Deffinitores in casu aliquod addunt.

21 Munus igitur erit Provincialis Praelati ad rem nostram, tempore congruo prope regularis, & ordinarii triennii finem, Superiorem Generalem admonere, ad hoc ut Commissarium Visitatorem ad Provinciam amandet, qui tribus saltem mensibus

sibus ante triennii terminum suum Visitandi officium incipere queat usquedum perficiat in ultimo media Capituli celebratione, *ut ex Cap. VIII.* in Sambuc. §. 36. & 47. *nec non* §. 56. *n.* 4. sed expressius in statutis Reformatorum *eodem Cap. VIII. n.* 1. Capitulum vero Provinciæ citabit & determinabit convocando Vocales pro certo die ipsemet Visitator tanquam Superioris generalis Delegatus; ad dictum Superiorem siquidem pertinet potestative dirigere ad normam statutorum electiones in casu, adeo ut *nullam Provinciale Capitulum maxime ubi novus Provincialis sit eligendus celebrari queat, nisi Generalis ipse aut Præses ab eo deputatus illi præsideat*, ita præcipiente statuto §. 47. *nu.* 13. De potestate deinde munere & oneribus ipsiusmet Visitatoris tamquam a Ministro Generali delegati & amandati, tum pro dirigendis actionibus Capitularibus omnibus, tum extra in peragranda Provincia audiendis Fratribus, & Regulari observantia conservanda & restauranda, satis distincte agitur in Compilat. Sambuc. *Cap. viii. §. signanter* 56. sicut & de Potestate & directione Ministris aut Superioribus respective Provincialibus circa electiones Guardianorum aliorumque Officialium in Congregationibus intermediis & casibus occurrentibus aliis, habetur sermo sufficiens ibidem per plures §§. præcipue 46. & 47. At quia vacatio Ministri Provincialis non raro item contingit ante præscriptum expleti triennii terminum addimus, quod si per mortem immaturam vacantia succedat, ad Provinciæ gubernium interim per statuta declaratur assumptus dignior illius Provinciæ Pater, qui teneretur Deffinitorium illosque, quibus de jure competit convocare ad hoc ut Vicarii Provincialis electionem perficerent pro die assignato congruo & certo, & quamcitius foret possibile sub pœna privationis per sexennium jurium Patris Provinciæ, & omnium prærogativarum adnexarum in suppositione quod ipsemet legitimus Præses electionem malitiose retardaret in *Cap. d. viii. Sambuc.* §. 50. *n.* 3. & 4. Ex stat. generali Romano *de anno* 1651. Ideoque provide subditur consulendum fore Superiorem generalem in casu quod hic per spatium trium dietarum sive triginta leucarum secundum stat. Sambuc. vel per iter trium tantum dierum juxta statuta Reformatorum distaret; alioquin eo inconsulto electionem per congregatos Patres & Deffinitores sine dilatione peragendam *d.* §. 50. *n.* 6. *ex Tom.* 2.

cit. Romano *de ann.* 1651. & pro Reformatis *Cap.* 8. *n.* 38. Quoties vero vacantia emergeret per renuntiationem: tunc abrenuntians Minister Electores quibus de novo providendo Vicario Provinciali jus incumberet congregare deberet, & quatenus renuntiationem approbarent relinquere eos in libertate eligendi Vicarium dignum, in qua electione ipse voluntarie renuntians votum haberet & præsideret. Quod si renuntiatio fieret in manibus Superioris generalis acceptantis, eo casu item ad voluntarie renuntiantem spectaret quoque de ordinario jure Electores pro congruo & certo die convocare, quamvis alter ab ipso reperiretur in Paternitate prior; nisi tamen renuntiatio contingeret & acceptaretur etiam quoad istasfunctiones, suffragium scilicet ferendi & præsidendi in electione successoris; tunc siquidem intelligeretur statim a Prælatura & omni exercitio ejusdem absolutus: relicta facultate digniori Patri electionis pro certa die citandæ eique præsidendi respective ad normam eorum quæ præmissa sunt de vacatione Ministri aut Commissarii generalis superius *n.* 18. & 19. *ex Cap. viii. Compil. Sambuc.* §. 18. & 24. Necnon statut. Reformat. *Cap.* 8. *n.* 17. Hæc quæ exarata hic perleguntur quantum ad potestatem directivam Præsidis in electionibus respective, prolixius exa. minabuntur inferius *dubit. xxi. xxii.* & *xxiii.* in quibus de electionibus absolute cum omnibus necessariis observationibus quoad electores, & eligendos, atque actus Capitulares integer instituitur tractatus.

22 Ultra etiam adnotata de Superioribus in genere quarumcumque Religionum, quod non valeant coarctationes adhibere in electionibus liberis & canonicis supra *n.* 11. & 12. quæ etiam Minoritas ligant, pro his insuper habetur in statutis; quod Prælati respective, Superiores Generales signanter vel per seipsos vel per Visitatores a se emissos præmant quidem super electionibus Digniorum, extirpationem procurent factionum & partium; quæ enormiter labefactant nisi extinguant in Provinciis charitatem, justitiam distributivam pro communi bono pacis præ oculis habeant: quæ omnia in statutis iisdem *Cap. viii.* §. 36. 37. 46. *necnon* §. 56. *tit. de Commiss. Visit.* Veruntamen nulli ipsorum vel Generali liceat coarctationibus quibusvis uti, quæ libertatem electionum perturbare, aut quoquo modo directe vel indirecte diminuere lædere aut impedire deprehendantur; nec possint ordinare restringendo irritando suspendendo, nisi quæ

per Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis ſunt permiſſa ibi §. 3. *n.* 9. Principaliter autem quoad Perſonam ipſiuſmet Generalis legitur in *d. Cap. vii.* §. 11. *n.* 12. ſtatutum expreſſum: ibi. *Non liceat Miniſtro generali; & multo minus inferioribus Prælatis qui electionibus præſident illas jam inchoatas ſuſpendere; vel eum illi quibus intereſſe ſpectat dictis Congregationibus fuerint congregati; eas impedire ne fiant.* Deinde aliud *n.* 13. ibidem. *Præterea eiſdem Prælatis generalibus interdicitur, ne functiones, quæ ad Congregationem legitime congregatam ſpectant, ſuſpendere aut impedire præſumant ſcientes totum hoc irritum eſſe, utpote violentum, & libertati electionis contrarium.* Quorum ſtatutorum in generali Capitulo Romano de anno 1639. editorum explicatio habetur pariter apud Patrem Sanctorum: nimirum quantum ad primum; quod liceat quidem Generalibus vel Præſidentibus ejus loco ſuſpendere electiones in Provinciis antequam inchoentur, ex. gr. quoties citetur Capitulum provinciale vel Congregatio pro tali die poſſit unum & aliam ſuſpendere Præſes & differre: itaut eodem die & præſcripto loco nequaquam celebretur: veruntamen ſi electiones actu ſint inchoatæ quoad unam ſaltem vel unius ſubjecti propoſitionem, minime queant ad præceptum Præſidis interminatæ relinqui. Immo quod neque poſſint electiones ipſaſmet impedire quominus perficiantur, quoties electores ſint in unum congregati, quod intelligitur non tantum, quando ſint in Capitulari loco ſive aula ſive alio apto pro electionibus peragendis eo tunc actu uniti; ſed quatenus ad eumdem effectum ſe congregandi & ad electiones deveniendi aliquem Conventem jam adierint omnes, & pro determinata die Præſes ediderit celebrationis decretum. Quoties itaque hoc explicato modo Electores convenerint ad eligendum, quod nullatenus poſſit Generalis tanto minus alter inferioris auctoritatis Præſes electiones impedire. Referam item explicationem ſecundi ſtatuti de non impediendis functionibus ſecundum eumdem Auctorem. Videlicet quod functiones in caſu ſint Miſſam de Spiritu Sancto canere Vocales ad ſonitum tintinnabuli in apto congregare & unire loco, Officiales diſponere ad Capitulum & ejus continuationem neceſſarios, & alia ejuſmodi; quæ non poſſint impediri a Generali Miniſtro vel quolibet alio Præſide; quatenus is impediendo functiones eaſdem electiones ipſas tentaret impedire aut retardare. Ita præallegatus Sanctorus Conſtit. *Cap.* 8. *ſtat.* 53. *qu.* 2. At ego brevibus concluderem verbis vetitum eſſe Prælatis Generalibus, magis per conſequens aliis, peragere in electionibus quicquid ſpeciem præfert violentiæ & eſt libertati contrarium; ut literaliter in ſtatuto eodem.

23 Pro complemento materiæ hujuſmodi de poteſtate Prælati Generalis ſignanter quoad electiones in Religione noſtra non omittendum; quod licet Generalis ipſe Superior valeat & teneatur de triennio in triennium deputare & mittere Commiſſarium, qui viſitata Provincia Capitularibus electionibus præſit, non tamen eumdem Commiſſarium vel quemcumque pro ſui arbitrio ſub nomine Præſidis aut Delegati deſtinare poteſt, qui Congregationibus intermediis vice ipſius Generalis aſſiſtat de facto & præſideat, ne turbetur libertas Deffinitorii Provinciæ, & impediantur Patres ſimul cum Provinciali Congregationi intervenientes plene uti jure proprio abſque alterius extranei intruſione: non obſtante quod præſidentia in caſu competeret de jure ipſi Generali, utpote poteſtatem in Ordine gerenti ſupremam ſi perſonaliter intereſſet. *Niſi tamen cauſa valde notoria, & urgens ſe obtulerit vel major pars Deffinitorii Provinciæ ita poſtulet*, ſcilicet quod Præſes ſive Commiſſarius ad præſidendum Congregationi intermediæ in caſu mittatur & amandetur *Cap. viii.* §. 11. *n.* 14. Quæ duo circumſtantiæ ſive conditiones disjunctive una vel altera requiſita in caſu ſolide exponuntur per Patrem Sanctorum cit. *in Cap. eodem viii. ſtatut.* 53. *qu.* 1. ℣. *Reſpondeo* 2. *uſque ad qu.* 2. & intrat hic doctrina allata *in tom.* 1. *dubit.* 4. *proæm. pag.* 32. præſertim pro Minoritis *n.* 15. *ſeq.* licet ibi militet contra replicata miſſionem Viſitatoris abſque cauſa. Quod ſi Superior Generalis in caſu noſtro peculiarem Præſidem vel Commiſſarium Delegatum ad præſidendum Congregationi intermediæ vellet ad arbitrium deſtinare non concurrente cauſa notoria & urgente, vel majori parte Deffinitorii Provinciæ eum non poſtulante uti ſupra, quid agendum? Providet ſtatutum quod deſumptum eſt ab editis in Capitulo generali Romano *de anno* 1639. *tit. de Miniſtro Generali* ℣. *Item probibetur* apud Jul. de Venet. pag. 7. ibi *alioquin Provinciales & alii ad quos ſpectat uti jure ſuo in hoc parte permittuntur* quod repetitur in Simbuc. *Cap. viii.* §. *cit.* 11. *n.* 14. Et apud Sanctorum *cit. ſtat.* 53. *qu.* 1. ℣. *Reſpondeo* 1. Conſiderentur tamen effata in dicto *tom.* 1. *dub. citat.* 4.

proæm.

*proœm. a n.*13. & deinceps. In reliquis de Potestate Superioris Generalis ad quæ possit se extendere quoad electiones præsertim deducitur ex *Cap. viii. Compil. Samboc.* §. 3. *n.* 9. §. 11. *a n.* 11. Videndus P. Lantusca in Theatr. Regul. V. *Generalis n.* 2. & V. *Minister Generalis n.* 1. Sed & P. Sanctorus super Constit. *Cap.* 1. *stat.* 4. §. 1. ex Roderico præcipue *tom.* 1. *qu.* 17. *art.* 1. 3. *&c.* Cœtera quæ spectant ad electiones Deo dante reassumemus & resolvemus distinctius in dissertatione speciali. Verum pleraque quæ diximus & dicentur respicere non substantiam sed ad solemnitatem juris in dictis electionibus peragendis aut confirmandis; quantum ad Minoritas absolute pronuntiandum est nullatenus obligare; hinc non posse agi contra eos de nullitate, etiam per oppositionem firmiter deinde institutam adhibitam vel adhibendam ex eodem *Cap. viii.* §. 3. *n.* 18. & apud Sanct. ibi *stat.* 13. Quamvis neque tenerent statuta quantum ad nullitatem electionum ob non servatas præcipue solemnitates juris, nisi Apostolicis Constitutionibus innirerentur: attentis privilegiis expressis in Bulla Clementis IV. apud Castellinum atque in Bulla Sixti IV. *Mare Magnum* nuncupata necnon in Bulla *Pastoralis* S. Pii V. *n.* 128. citata a P. Reinffestuel *tit. de elect.* & §. 3. *n.* 78. qui videndus cit. §. 54. *n.* 339.

SECTIO III.

De Potestate, quæ competit Prælatis Regularibus circa Confraternitates.

SUMMARIUM.

24 *Prælati Religionum signanter Generales habent facultatem erigendi Confraternitates proprio Ordini uniformes, quæ facultas est de se delegabilis. De Confraternitatibus signanter Montis Carmeli Sanctissimi Rosarii & Chordigerorum.*

26 *Conditiones assignatæ in Bulla Clementis VIII. pro erigendis novis Confraternitatibus an possint a Prælatis Regularium dispensari in casu; & prius de distantia unius Confraternitatis ab alia.*

26 *Qualis & quanta debeat esse hujusmodi distantia. De Patribus Observantibus quoad hoc etiam & Reformatis §. Un.*

27 *Examinatur alia conditio expressa in Bulla Clementis, quod nulla fiat erectio & institutio Confraternitatum neque confirmatio earum, nisi de consensu Ordinario- rum.*

28 *Circa alias conditiones expressas in Bulla Clementis; remissive & aliqua replicantur circa subjectionem jurisdictioni & Visitationi Episcoporum.*

29 *De Tertiariis viris ad diversas respective Religiones pertinentibus, & describuntur distincta eorum species.*

30 *Recensetur origo & institutio Patrum Tertii Ordinis Claustralium S. P. Francisci, qui professionem cum tribus votis solemnibus emittunt & eorum præsens gubernium.*

31 *Adducitur placitum P. Lezanæ circa Tertiarios in genere determinato Ordini non adscites. Examinatur Bulla Sancti Pii V. in qua Congregationes virorum indefinite abolentur, ubi Collegialiter vivunt absque emissione solemnium votorum.*

32 *Tertius Ordo degentium in propriis domibus, qui non est proprie Confraternitas, institutus fuit primum a Seraphico Patre & deinde in diversis effloruit item Religionibus, quarum Superiores hujusmodi Congregationes passim instituunt. Et signanter de Superioribus Ordinis Minorum.*

33 *PP. Capaccini possunt instituere passim in propriis Conventibus & Ecclesiis Tertiariorum Ordinem utriusque sexus, ipsumque dirigere esse in eodem loco inveniant institutum apud PP. Conventuales Observantes &c.*

34 *Possunt hi Tertiarii Officiales ex se ipsis eligere, sed semper sub assistentia Superioris Regularis vel alterius Religiosi deputati. Nequeunt tamen independenter functiones exercere nec ullatenus per se ipsos alios ad ordinem admittere.*

35 *Quibus privilegiis & exemptionibus Tertiarii hujusmodi gaudeant? De mulieribus remissive. De aliis cum distinctione.*

36 *Quibus item fruantur Indulgentiis in specie Tertiarii vitam privatam in propriis domibus ducentes?*

37 *Fratres Tertii Ordinis quibus & quomodo debeant reddere rationem bonorum, reddituum & administrationis eorum.*

38 *Confessarii hujusmodi Tertiariorum, a quibus deputari & approbari debeant? Replicatur objectum de Bulla S. Pii incipien.* Lubricum vitæ genus.

De privilegiis & plena subjectione Tertiariorum signanter Ordinis Minoritici, remissive. Et sic de aliis.

24 Confraternitates proprio Ordini uniformes possunt sine dubio instituere Prælati respective Regulares, servata tamen methodo præscripta per Clementem PP. VIII. in sua Constitutione *la* 115. Bullar. Cherub. *tom.* 3. cum iis, videlicet conditionibus quas innuimus *tom.* 1. *Dubit. viii. sect.*

sect. v. n. 35. quantum ad Confraternitates in genere instituendas; inter quas pro Regularibus connumeratur illa, quod ad erigendas ipsasmet etiam in propriis eorum Ecclesiis requiratur consensus Episcopi, ut pariter tactum fuit *dub. X. sect. V. n.* 71. Prout etiam supponitur, quod erectio hujusmodi Confraternitatum in Ecclesiis Regularium fit cum usu saccorum ex declaratione S. C. Episc. 6. *Decembris* 1616. relata per Gavantum in Manuali Episcoporum, *V. Confraternitas n.* 2. Dictum est autem posse Prælatos Religionum & quidem privative erigere Confraternitates proprio Ordini uniformes; nam de omnibus indistincte inclusa etiam Religione Minoritica est hic sermo. Videlicet Prælatos Religionis Carmelitarum Confraternitates S. Mariæ de Monte Carmelo, Dominicanos Sanctissimi Rosarii, Religionis Sancti Augustini Confraternitates Corrigiatorum sive Cincturatorum, necnon Ordinis Minorum Prælatos Confraternitates Chordigerorum; quas in quam Confraternitates a dictis respective Ordinibus & eorum Prælatis sive Superioribus constat consequenter quoad eorum institutionem pendere; ut erudite differit P. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 15. *per tot.* At quinam sint Prælati in Religionibus respective quibus dicta facultas competat, docet idem P. Lezana: incipiendo nimirum a Confraternitatibus B. M. Virginis de Monte Carmelo suæ Religionis, solum Generalem Ordinis Carmelitarum pro tempore & in ejus absentia Vicarium Generalem posse confraternitates sui habitus erigere ubique locorum extra Urbem; Vicarium autem Generalem Congregationis Mantuanæ limitari ad erigendum eas in Ecclesiis tantum propriæ Congregationis. Generales vero Discalceatorum tum Hispaniæ tum Italiæ posse erigere etiam ubique locorum. *Cap. cit.* 15. *n.* 47. opinaturque idem Auctor facultatem hujusmodi esse aliis per prædictos Generales Superiores delegabilem, juxta communiorem doctrinam de habentibus potestatem ordinariam, quia non adest prohibitio in contrarium attenta communicatione privilegii Impertiti a Paulo III. Generali Societatis; ut *omnes gratias concessiones & indulta sibi concessa a Sede Apostolica exercere possit per Vicarios aut personas ad id sibi bene visas*. Apud Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 21. *n.* 8. Quamvis in casu concludit laudatus ipse Lezana institutiones consultius peragendas esse a solis Generalibus respectivis, habita prius designatione locorum per Provinciales. Confraternitates deinde Sanctissimi Rosarii sancivit Sanctus Pius V. in sua Constit. sub die 18. Junii 1569. posse & debere erigi per solum Priorem Generalem Prædicatorum aut ab eo deputatos, idemque clarius confirmavit Sixtus V. in Bulla *Dum ineffabilia* la 21. tom. 2. Bullar. concedendo videlicet Fratribus dicti Ordinis Prædicatorum, per Magistrum & Vicarium Generales pro tempore deputandis facultatem instituendi prædictas Confraternitates Rosarii, eisque erectis omnes gratias & indulta elargiendi ex quo patet non esse dubium circa delegabilitatem in casu.

§. I. Confraternitates pariter Chordigerorum sive Chordæ S. P. N. Francisci aggregatas Archiconfraternitati hujusmodi institutæ a suo principio per Sixtum cl. mem. V. in Ecclesia S. Francisci Civitatis Assisii; ut in sua Bulla *Ex suprema* de anno 1585. 14. Cal. Decembris *la* 13. *tom.* 2. *Bullar.* planum est in dicta prima institutione erigendas fore per Generalem Minorum Conventualium in Ecclesiis tum ipsorum, tum Patrum de Observantia & Capuccinorum, sed deinde potestatem erigendi eas fuisse extensam ad P. Generalem Minorum de Observantia in Ecclesiis totius sui Ordinis, necnon ad Commissarium Generalem respective in Ecclesiis Familiæ vel Cismontanæ vel Ultramontanæ ejusdem Ordinis constat ex alia ejusdem Sixti posteriori Constitutione de anno 1587. die 19. Augusti incipien. *Divinæ charitatis altitudo* apud Rodriguez *tom.* 1. *qu. Regul. qu.* 58. *art.* 1. & in ejus Bullario per extensum pag. 495. Quæ sane Bulla non continet primam institutionem eiusdem Archiconfraternitatis, ut falso putant aliqui, sed institutionem alias peractam allegat cum omnibus privilegiis, & indulgentiis; ampliatque facultatem erigendi & aggregandi dictæ Archiconfraternitati Chordigerorum Confraternitates novas ad Patres de Observantia &c. in Conventibus tamen & locis, ubi Patres Conventuales non degunt, ut legere quis potest apud citatum P. Rodriguez. Ampliationem deinde & extensionem præfatam Sixti in terminis confirmat & renovat Paulus V. in sua Constitutione *Nuper sub die* 25. *Septembris* 1607. Qui proinde Paulus V. nequaquam concessit primis hanc facultatem erigendi &c. Ministro Generali Observantium; ut videtur supponere P. Matteucci in Offic. Cur. *cap.* 14. *n.* 8. Sed prius concessam atque extensam per Sixtum renovavit; prout præter confirmationem & innovationem

pari-

pariter nihil addidit Clemens X. in Constitut. *Dudum felicis* sub die 13. *Jul.* 1673. quam refert per integrum idem P. Matteucci n. 8.

§. II. Ex his ad propositum habemus potestatem erigendi præfatas Confraternitates Chordigerorum penes Superiores generales tum Conventualium, tum Minorum de Observantia, Vicarios, Commissariosque generales eorũ residere; propterea esse proculdubio delegabilem, juxta præmissa. Quamvis ostendat praxis a solis ipsismet Superioribus Generalibus fieri de facto institutiones quarum formulam describit P. Lantusca in Theatr. Regul. titulo Confraternitas *n.* 2. Concordantibus tamen omnibus quod Chorda quam tenentur accipere eaque se præcingi adscripti hujusmodi Societati debeat antecedenter benedici a Superioribus localibus Conventuum respectiveGuardianis videlicet vel Præsidentibus, ut expresse in præcitata Bulla Sixti V. *Divinæ Charitatis* & in alia Pauli V. *Nuper* Rodriguez *d. qu.* 58. Lantusca loc. cit. Matteucci *Cap.* 14. *num.* 8. ℣. *Ex quibus*. Qualiter vero distinguatur hæc sodalitas a Tertiariorum Ordine est evidens ex institutione ipsa jam præostensa; quippe cum Ordo Tertiariorum connumeratur inter alios tres a Seraphico nostro Patre institutos ut infra dicetur; Archiconfraternitas autem Chordigerorum suum initium a Syxto laudato Pontifice recognovit ultra Constitutiones hinc & inde disparatas: ut aliqualiter indigitat Pater Matteuccius cit. d. Cap. 14. n. 9. Nempe quod de cœteris asserendum quantum de Corrigiatis sive Cinturatis respectu Religionis Augustinianorum quod nempe Superioribus horum Generalibus concessa sit ab Eugenio IV. & ab aliis deinde confirmata facultas hujusmodi Confraternitates erigendi,& sic absque dubio delegabilis quamvis consulto a solis iisdem Superioribus patentales institutionum distribuentibus executioni demandetur. Quantum ad horum Archiconfraternitatem Corrigiatorum Sanctorum Augustini & Monicæ nuncupatam necnon auctoritate d. Eugenii IV. in Ecclesia Sancti Jacobi Bononiæ fundatam, & inde alteri Societati sub titulo Sanctæ Mariæ de Consolatione in eadem Ecclesia unitam: legendus P. Rodriguez Scriptor diligentissimus *tom.* 1. *qu.* 58. *art.* 2. quam transcripsit P. Lezana cit. *Cap. XV. n.* 65. *ad* 67.

15 Quia vero hæc eadem facultas concessa Regularibus Ordinibus eorumque Superioribus erigendi ac instituendi novas Confraternitates nec non sibi eas aggregandi, non potest ut dictum est initio præcedentis numeri ex relatis etiam alibi executioni mandari, nisi juxta præscripta in Constitutione famosa Clementis VIII. *Quæcumque sub die* 7. *Decembr.* 1604. la 115. *in Bullar. tom.* 3. confirmata & extensa quoque ad Capitulum Ecclesiæ Lateranen. de Urbe per Paulum V. *an.* 16.0. in Bulla *Quæ salubriter* 68. *tom. pariter* 3. Adeo ut quoties aliqua ex inibi adjectis conditionibus non observetur erectio institutio & aggregatio nulla foret. Propterea opportune hic examinandum cadit: an revera Bulla præfata Clementis quoad omnes & singulas conditiones in ipsa expressas in suo vigore persistat, ita ut nulla per aliquod privilegium in favorem Prælatorum Regularium erigentium censeri possit dispensata aut per ipsos Prælatos dispensari queat. Et quidem prima conditio assignata in Bulla Clementis est; quod unica dumtaxat Confraternitas ejusdem generis & instituti possit in Ecclesiis singulis Regularium & ejusdem loci institui & aggregari; ut notat inter alios P. Matteucci dicto *Cap.* 14. *sub n.* 7. Et super hunc affirmat P. Lezana posse defacto dispensare Regulares habentes respective facultatem Confraternitates instituendi, ita quod tum quoad antiquas confirmandas tum alias de novo erigendas non observetur præscripta distantia loci a loco, ob justam causam tamen ab Ordinario loci approbandam in scriptis, & citat declarationem in proposito S. Cong. super Indulgentiis relatam per Lauretum de Frichis in Controvers. Episcopor. & Regul *fol.* 66. Addit ulterius aliam ab eadem Sacra Congregatione declarationem prodiisse; quod possint a Superioribus Regularium confirmari plures Confraternitates jampridem canonice institutas in Ecclesiis ipsorum Regularium, ubi collegialiter vivant duodecim Religiosi & in eodem loco, esto sint ejusdem nominis & instituti; juxta tamen formam in reliquis Constitutionis allegatæ Clementis: Ita laudatus Auctor *tom.* 2. *d. Cap. XV. n.* 8. Et adhuc clarius P. Lantusca in Theat. Regular. V. *Confraternitas n.* 10. ubi declarationem S. Cong. super Indulgentias mox citatam per integrum in lingua vernacula recenset. Attamen non video ego quomodo assertum privilegium dispensandi super distantia per relatam declarationem Regularibus possit substineri collatum aut subsistat, si Decretum novissimum S. M. Innocentii XI. super hac re consideretur. Cum etenim P. Generalis

Præ-

Prædicatorum supplicasset eidem S. Pontifici ut dignaretur plures sodalitates Sanctissimi Rosarii de quarum canonica institutione non constabat ubilibet confirmare & validare, Sanctitas sua benigne indulsit confirmando & validando ipsas & omnes & singulas: *servata tamen* cœteroquin Constitutionum & Decretorum Sanctissimæ Sedis *precipue circa distantiam locorum &c. forma & dispositione* ac insuper in erigendis de novo præfatis Confraternitatibus præcepit formam Clementis VIII. *servari adamussim* ut in suo Brevi *Exponi nobis die* 15. *Junii* 1679. apud eumdem Matteucci *d. Cap.* 14. *n.* 10. Ex quo patet privilegium prætensum dispensandi super distantiam inter se locorum & Ecclesiarum, scilicet soper circumstantiam in Bulla Clementis primo loco assignatam, fore contra ipsiusmet S. Pontificis Innocentii dispositionem expressam.

26 Qualis autem & quanta debeat esse in casu distantia? Non reperitur positivum decretum; sed attentis verbis Constitutionis Clementis sufficere tenendum est quod unus locus sit separatos ab alio & una Ecclesia ab alia sit distincta; observata etiam consuetudine magis & minus respective ad sodalitates. Etenim quantum ad Confraternitatem signanter Chordigerorum de qua adest specialis dispositio quod nequeat erigi a FF. Observantibus in loco ubi degunt PP. Conventuales necessario debet intercedere distantia talis, ut Conventus Observantium ex. gr. censeatur per communem opinionem non esse in loco eodem in quo situs est ille Conventualium; & sic quoties dua loca vere disjuncta essent vicina per unicum milliare & in uno Conventuales degerent in alio Observantes possent hi sine dubio fer. fer. præfatam sodalitatem in suo Conventu sive Ecclesia propria erigere; utpote clare verba verificarentur in Bullis expressa ibi; *In locis ubi non sunt Ecclesiæ vel Conventus Sancti Francisci Conventualium*; sicuti e contra; quoties Conventus PP. de Observantia distaret plusquam per unum milliare a loco ubi situs foret alter PP. Conventualium sed primus licet in aliquo recessu distans pertineret tamen ad illummet unicum locum tamquam eidem addictus, nequaquam censerem posse in Conventu PP. de Observantia sodalitatem distinctam erigi quæ necessario deberet componi ex incolis ipsius loci unius in quo degerent Conventuales; ideoque loci distinctio & separatio minime verificaretur juxta Regulas tritas de mente attendenda Legislatoris & de fraude cavenda in interpretatione legis. *Reg. Jur.* 86. *in* 6. *l. scire* 17. *ff. de leg.* Barbat. & Felin. *in Cap. causam quæ de rescript.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *n.* 56. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 1. *n.* 11. Barb. *axiom.* 130. *n.* 3. *&* 5.

§. Un. Quod si in aliquo loco demorarentur PP. de Observantia simul & Reformati, minime Conventuales apud quos ex duobus primis vigeret facultas instituendi sodalitatem præfatam Archiconfraternitati Assisiensi aggregatam? Respondetur casum fore rarissimum nam quatenus locus de quo agitur esset aliqua ampla Civitas ut in plurimum degerent in ea quoque PP. Conventuales; quoties vero locus existeret parvæ molis fere nullibi crederem cum Observantibus demorari Reformatos & hos possidere Conventum ab iis distinctum, nisi forte hospitium; nihilominus dato casu in suppositione quod in uno ex iis Conventibus instituta jam foret sodalitas ipsa Chordigerorum non posse iterum erigi in alio dictat evidens ratio; videlicet finis expressus Bullarum quod in uno loco sit una hujusmodi Confraternitas. Et sicuti nequeunt duo erigi in Ecclesia Conventualium una, altera in illa Observantium; ita neque possunt una in Ecclesia Patrum Observantium altera distincta in Ecclesia Reformatorum propter idem inconveniens secuturum & claram resistentiam legis, *l. non aliter ff. de legat.* 3. *l. nominis & rei §. Verbum ex legib. ff. de verb. signif.* Surd. *decis.* 35. *n.* 14. Genuens. *in prax. qu.* 144. *n.* 3. Barb. *loc. com. loc.* 101. *n.* 2. 3. *&* 4. Ex Conventibus deinde Observantium & Reformatorum in admisso casu concludendum venit illum retinere jus sodalitatis qui prior sit in possessione, habito scilicet respectu ad Conventus antiquitatem in quo antecedenter sodalitas ipsa præsupponatur fundata. Ad tradita communiter per DD. Surd. *consf.* 73. *n.* 7. Barb. *axiom.* 182. *per tot. &c.*

27 Similiter quia alia imponitur conditio in Constitutione Clementis VIII. Quod videlicet quæcumque institutio aut aggregatio respective sodalitatum fiat a Regularibus de consensu Ordinarii: immo quod neque jampridem erectæ possint ab ipsis confirmari sine consensu & attestatione Ordinarii commendantis earum pietatem & devota exercitia, adducitur opportune a Patre Lezana ubi supra n. 10. idem quod supra Decretum S. Cong. super Indulgentiis de ordine Summi Pontificis editum, relatum item literaliter a P. Lantusca loc. cit. in quo datur facultas Superioribus præfatis Regularibus jamdiu erectas

ctas canonice Confraternitates ante publicationem dictæ Bullæ Clementinæ confirmandi absque Ordinarii consensu, dummodo Conventus & Collegia in quibus erectæ & institutæ supponuntur duodecim Religiosos de familia contineant & alant. Hæc itaque exemptio sive gratia de qua authentice constat apud d. Doctorem videtur posse rationabiliter sustineri cum adversus illam non militet Breve Innocentianum in quo præcipitur servari *ad amussim Bullam Clementis, quoad erectiones imposterum*, & aggregationes secuturas. Ultraquamquod, si privilegium confirmandi absque consensu Ordinarii tangebat confraternitates erectas ante promulgationem Clementinæ, clarum est quod Superiores tunc temporis existentes videlicet post declarationem S. Congregationis de Indulgentiis quæ prodiit de anno 1607. ad Bullam Clementis jam datam de anno 1604. debuerint sine dubio uti sibi collata facultate confirmando sine mora Confraternitates jam dudum ante Clementinam institutas, per consequens quod eadem declaratio quoad hujusmodi circumstantiam hisce nostris temporibus non habeat amplius locum ut consideranti liquet. Cardinalis autem Petra *tom.* 5. *const.* 18. *Sixti IV. n.* 9. adducit Romanos Pontifices ceu S. Pium V. in Const. 86. nec non Sixtum V. Const. 21. qui concesserant Confraternitates Sanctissimi Rosarii & Capellas etiam in Ecclesiis Secularium posse erigi & fundari de licentia Ministri Generalis *tantum*, seu Vicarii Generalis ejusdem Ordinis Prædicatorum, per quam sane dictionem *tantum* videtur excludi licentia cujuscumque alterius. At perpendendum est, an dicta facultas per subsequentes Pontifices, Clementem VIII. & Innocentium XI. ubi supra fuerit abrogata: unde sine dubio praxis multum juvat, & consuetudo.

28 Aliæ supersunt conditiones breviter examinandæ in ipsa Clementis Bulla, quarum principalior vergit circa indulgentias & privilegia, quæ a Superioribus Regularibus instituentibus & aggregantibus possunt conferri Confraternitatibus hisce institutis & aggregatis; sed clara adest dispositio ipsiusmet Bullæ, quod illa privilegia illæque conferuntur indulgentiæ in casu, quæ Ordinibus respective aggregantibus competunt principaliter & directe, non autem quæ per communicationem & participationem. Unde superflua foret super hoc quæcumque dubitatio aut disputatio. Quia pariter alibi satis disseruimus super subjectione harummet Confraternitatum Visitationi & jurisdictioni Ordinarii, non obstante quod intra Claustra aut in Ecclesiis Regularium eorumdem sitæ sint, quæ circumstantia item in relata Bulla præsignatur, nil super eandem disputabimus impræsentiarum, repetentes brevissime dumtaxat; quod hujusmodi subjectio quoad Visitationem, & redditionem rationum administrationis signanter, supponit semper Altaria sive Oratoria Confraternitatum ab ipsismet Confratribus propriis expensis manuteneri & provideri, ut videre est in celebri Nucerina Paganorum S. C. C. apud Monacelli *part.* 1. *tit.* 5. *form.* 1. *n.* 8. & in alia declaratione S. C. Episc. seu Epistola directa Episcopo Garacen. *die* 14. *Novembris* 1698. quam in favorem Episcoporum affert P. Matteucci Offic. Cur. *Cap. cit.* 14. *n.* 6. Quoties ergo Capella, Oratorium, sive Altare sumptibus Religionis aut Conventus, in cujus Claustro vel Ecclesia reperitur absolute manuteneatur & provideatur, non remanet Episcopo sive Ordinario loci quid Visitandum aut inquirendum circa administrationem sumptuum & proventuum; cum in ipsisinet citatis & quibusve quæ alibi notavimus, Decretis, prohibeatur Episcopis visitare & jurisdictionem exercere super ea, quæ ad Religiosos pertinent in hujusmodi Capellis & Confraternitatibus manutenendis, idque expressius in declaratione alia S. C. Episc. 31. *Januar.* 1642. ubi sancitum fuit in terminis, non posse Ordinarium visitare Confraternitatem quamdam erectam in Ecclesia Patrum Dominicanorum, quoad omnes expensas subibant pro manutentione Altaris dictæ Confraternitatis nullos redditus penitus possidentis, ideoque totam facultatem visitandi d. Confraternitatem apud Superiorem Monasterii remanere. Lezana *tom.* 2. *d. Cap.* 15. *n.* 27. Cœtera de Confraternitatibus aggregatis vel aggregandis Ordinibus Regularium, aut erectis aut erigendis a Regularibus in eorum Ecclesiis, videantur apud laudatum Lezanam ibidem, ultra ea quæ diximus *in tom.* 1. *Cap. III. dub. IX. sect. II. n.* 21. *præsertim Cap. IV. dub.* 10. *sect. pariter* 11. *& n.* 21.

Notitia addita de Tertiariis.

29 DE Tertiariis hic occurrit aliqualis notitia addenda, qui licet non possint propriæ dici componere Confraternitates, ut distinctius infra patebit; tamen communi voce non deest vulgus saltem ap-

pel-

pellare eos sub nomine sodalitatis aut Societatis Tertiariorum; inquirendum itaque obvenit consecutive ad dicta, qualem super ipsos præseferant potestatem Superiores Regularium Generales signanter respective. Cum namque Religiones de facto in Ecclesia plures Tertiarios sic nuncupatos sibi adscriptos retineant, ut late ostendit P. Lezana *tom.* 2. *Cap.* 14. *n.* 8. *ad* 14. Religio nempe Dominicanorum Augustinensium Carmelitarum Minorum & Minimorum: non erit inopportunum examinare quomodo de facto & in quibus hi omnes propriis quarum habitum deferunt Religionibus esse subjecti dignoscantur. Tertiarii autem hujusmodi sub Regulis & habitibus sacris inspiciuntur communiter utriusque sexus: verum, quia de Tertiariis mulieribus fuit specialis sermo in *tom.* 1. *dub. XI. sect.* 6. *n.* 37. *&* 38. & redibit inferius cum agetur de potestate Superiorum Regularium super Moniales, in præsenti limitabimus tractatum signanter ad Viros. Tertiarii itaque Viri, quorum primæva institutio Sancto Patri Francisco tribuitur, & deinde in alias Religiones propagata dicitur ad instar, ut fatetur Lezana *d. Cap.* 14. *n.* 8. & probat luculenter Eminentissimus Petra *tom.* 3. *ad Constit.* 2. Nicolai IV. *n.* 1. *& seq.* in triplici possunt considerari differentia, secundum præsentem eorum statum in Ecclesia Dei. Quatenus scilicet primo vivant Collegialiter in Conventibus sub habitu Religioso & cum professione seu emissione substantialium trium votorum, vel 2. Quatenus Collegialiter quidem vivant, sed non emissis tribus solemnibus votis, licet libere aliquo simplici voto, castitatis signanter se obstringerent, neque sub habitu proprie Regulari, quamvis aliqualiter in forma & colore ab laicorum sæcularibus vestibus diverso, aliquam item sibi adaptatam Regulam, absque tamen obligatione peccati gravis profitentes; a ut tertio demum quatenus habitum aut saltem signum aliqualiter distinctum à Sæcularibus gerant, & alicui se subjiciant Regulæ seu modo speciali vivendi in observantia accuratiore Divinorum præceptorum, non tamen Collegialiter absque emissione ulla votorum. Et hi in duplici adhuc differentia vergunt, nimirum vel in propriis degentes domibus, quamvis uxorati, adscripti tamen tertio alicujus Religionis Ordini ejusque proportionatæ Regulæ; vel in Conventibus Religiosorum, servitio horum addicti sub proprio habitu respective, qui etiam nuncupantur Oblati. Prout possunt etiam addi eandem tenentes vivendi formam in Eremitoriis sub habitu pariter Religionis illius, cui vel cujus tertio pariter Ordini obtinent adscribi, sed de his judicandum perinde, ac si in propriis domibus vitam ducerent privatam.

30 Porro ii qui descripti sunt hic primo loco Tertiarii quidem vocantur seu melius Fratres Tertii Ordinis, sed sunt veri Regulares in Conventibus seu Monasteriis cum emissione trium solemnium votorum vitam ducentes sicut & cœteri subjacentque jurisdictioni Prælatorum Regularium cum exemptione ab illa Episcoporum. At hi militant unice sub Regula S. P. Francisci Tertii Ordinis nuncupata, quam sub certa vivendi forma intra Claustra cum solemni professione, ut dictum est, eisdem accommodavit Leo PP. X. de anno 1521. in Constit. incipien. *Inter cætera in* 42. Bull. *tom.* 5. Ipsosque S. Pius V. gubernio Fratrum Minorum de Observantia subdiderat in Bulla, quæ incipit *Ea est &c. in* 63. *tom.* 2. *Bull. Cher.* Sed advenieus Sixtus V. ab hujusmodi subjectione exemit concedens, immo præcipiens, ut Visitatorem Generalem de triennio in triennium eligerent, & ex proprio Ordine Superiores reliquos, cum dependentia tamen aliquali a Ministro Generali totius Ordinis scilicet Observantium &c. a quo Visitator Generalis deberet confirmationem petere, licet quatenus non obtineret, intelligeretur confirmatus ab Apostolica Sede, prout reservabatur quoque eidem Ministro Generali totius Ordinis jus visitandi per se ipsum certis temporibus hujusce Tertii Ordinis Conventus, in iisque demorantes Fratres, *ut in Constit.* 28. *d. Sixti incipien. Romanus Pontifex* confirmata & renovata de hinc per Clementem VIII. *in Constit.* 33. quæ incipit *Decet &c.* Verum æquidem est, quod jus Ministri Generalis Ordinis fere evanuit, propter dissuetudinem, ut notat P. Bordonus *resol.* 75. *Cap.* 12. Itaut, agitato postea dubio apud Congregationem specialiter deputatam: *utrum vigeret præfata dependentia a Ministro Generali, quoad Visitationem eidem reservatam?* Eadem Congregatio nil resolvit. ex traditis per Card. de Luca *disc.* 7. *de Regular. n.* 8. Atque inde Superior Generalis ejusdem Tertii Ordinis Regularis, non amplius Visitatoris, sed Generalis absoluto vocabulo communiter appellari consuevit. Quæ omnia fideliter, & diligenter recenset Card. Petra *tom.* 3. *ad Constit. XI.* Nicolai IV. *n.* 7. *&* 8. Advertit tamen consulto Emin. idem qua-

qualiter Bulla Sixti V. citati *Romanus Pontif.x edita de anno* 1586. exemit quidem hujuſmodi Fratres Tertii Ordinis Regularis a ſubjectione Patris Generalis de Obſervantia &c. ſed quoad Provincias tantum Italiæ & Siciliæ, quibus Clemens VIII. addidit Provinciam Dalmaticam, & Juſtinopolitanam, a proprio Superiore Generali regendas. Unde Provincias alias ſi quas habent diſtinctas remanere cum dependentia primæva a Miniſtro Generali prædicto totius Ordinis quantum ad Superiores ſubalternos concludendum eſt prout experientia evincit de Provinciis exiſtentibus ultra montes in Hiſpania & Provinciis item quatuor hujuſmet Tertii Ordinis Reformatis in Gallia, quarum Vocales ad Capitulum Generale Obſervantium & Reformatorum ſimul cum cœteris conveniunt: referente quoque Barboſa de Jur. Eccleſ. *lib.* 1. *Cap.* 41. *n.* 170. *&c.* Hæc in compendio & caſualiter quantum ad Fratres Tertii Ordinis Clauſtrales ſub vexillo S. P. Franciſci militantes.

31 Pater Lezana Tertiarios in genere videlicet ſpeciali Religioni nequaquam addictos pariter vult admittere, qui tribus eſſentialibus ſe obſtringant votis, ſed non ſub certa Regula per Sanctam Sedem approbata neque in Communitate ad inſtar aliorum Religioſorum viventes; in Eremitoriis autem vel aliis privatis locis a communi conſortio ſejuncti, qoos propterea addit non reputandos eſſe vere Religioſos, quamvis vota dicta eſſentialia tria in manibus Epiſcopi emitterent, cum ad profeſſionem veræ Religionis requiratur quod ſub Regula aliqua per Sanctam Sedem in ſpecie approbata ſub uno item capite perficiatur. Ita cum Navarro, Miranda, & Sanchez *tom.* 1. *cit. Cap.* 14. *n.* 6. Attamen vix crederem hujuſmodi Profeſſores in Eccleſia Dei hac tempeſtate reperiri; cum Tertiarii nomen præſeferentes quilibet ex ipſo vocabulo alicui Ordini Religioſo principali ſint adſcripti, & ex ipſis Eremitis nullus appareat qui habitum determinatæ & approbatæ Religionis in eo diſtincto Tertiarii ſtatu non geſtet; præſertim Franciſcanæ, quæ reſpectu hujuſmodi cujuslibet generis hominum variarum Regionum & linguarum poteſt merito appellari: *Arca Noe*. Redeundo igitur ad Tertii Ordinis aſſeclas ſub quovis habitu, qui nequaquam tria eſſentialia vota, ſed tantum aliquod ſimplex ad libitum emittant, debemus aſſerere quod prohibiti ſint collegialiter vivere abſque ſolemni profeſſione cum tribus conſuetis votis ſub aliqua Regula ex approbatis, ut clare habetur in Bulla S. Pii V. de anno 1568. incipiente *Lubricum vitæ genus la* 76. *tom.* 2. Bullar. quæ abſolute hujuſmodi Congregationes precise Virorum abolet & annullat ut oſtendit Portella dub. Regol. V. *Tertiarii* in Addit. *n.* 4. nec poteſt negari quod viros ſic congregatos aut congregandos nequaquam ſolemnia emittentes vota abſque exceptione ulla & diſtinctione præfata Bulla generaliter afficiat ex ſola textus lectura. Non relevat autem quod Leo Decimus in Conſtitutione *Dum intra* edita in Concilio Lateranenſi & adducta per P. Matteucci *Offic. Cur. Cap.* 52. *n.* 1. Viros Collegialiter viventes approbat illiſque privilegia Ordinis cui ſint aggregati communicat: Nam Bulla ſubſeqoens Piana *Lubricum vitæ genus* adjecit clare dictam clauſulam, quod Viri Collegialiter viventes debeant tria emittere vota ſolemnia, alioquin eorum Collegia Congregationes prorſus deſtruantur & aboleantur, jubetque nequaquam permitti in Eccleſia Dei. Quod ſi replices, Collegia quæ abolere intendit S. Pontifex in citata Bulla non eſſe Tertiariorum de quibus ſpecifica viget approbatio in Bulla memorata Leonis concedentis iiſdem diſtincta & determinata privilegia; immo iiſdem Tertiariis in Collegiis demorantibus abſque emiſſione votorum ſolemnium favere Decretum S. Congr. Concilii de anno 1608. & aliud S. C. Epiſcop. editum de an. 1616. apud Lezanam *tom.* 2. *C p.* 14. *n.* 28. *&* 29. & quorum ultimum S. Congr. Epiſc. ad verbum refertur per P. Matteucci *d. Cap.* 52. *ſub n.* 3. ubi Tertiarios viros quatenus collegialiter convivant mulieres autem, quæ in propria reſpective domo cum clauſulis appoſitis habitant privilegiis frui inibi declarat. Reſponderem gratis aſſeri, quod S. Pontifex Pius in ſua Conſtitutione *Lubricum vitæ genus* excludat ab inhibitione Tertiarios Collegialiter viventes abſque trium ſolemnium emiſſione votorum cum inibi indeffinite de omnibus hujuſmodi Collegiis ſic inſtitutis abſolutum ſermonem faciat ſine excluſione aut ulla diſtinctione, intrante proinde hic axiomate trito, quod ubi lex non *diſtinguit neque nos diſtinguere debemus* videatur P. Portella ſupra cit. *in dub. Regul.* V. *Tertiarii in addit. n.* 4. Ad decreta deinde Sacrarum Congregationum quod ipſa revera memorant Tertiarios viros collegialiter conviventes, ſed minime poſitive hujuſmodi approbant Collegia, nec derogant Bullæ Pianæ de novo & ſpeciali auctoritate Sanctiſſimi quoad hoc, ne quidem

Tom. 2. G g

dem dictae Bullae facta mentione ut peragi solet in similibus. Coeterum concluderem quod litem dirimit factum ipsum: nollibi namque vidisse meminerim Collegia erecta Virorum Tertiariorum communiter conviventiu sub certa Regula absque emissis votis, nisi sint forte receptacula senium impotentium aut adolescientum pauperum refugia, quos publica vel privata charitas alat & nutriat cum habitu distinctae peculiaris notae coloris incedentes vulgus Tertiarios appellat; sed nequaquam sint Collegia libera, in quibus Regulam Tertii Ordinis respective profitentes convivant ad normam reliquorum Claustralium: absque emissis tamen solemnibus votis. Utcumque tamen meliori judicio & legitimae praxi me submitto.

32 Remanent ergo Tertiarii in propriis Domibus privatim viventes, qui aliquibus vicibus ad peragenda devotionum Officia per proprias constitutiones sibi praescripta in Oratoriis sive Ecclesiis & locis piis congregantur in unum: ac isti ut bene advertit cum pluribus Lezana non possunt quidem Religiosi vocari nec religionem peculiarem constituere sunt censendi propter rationem n. praecedenti datam; apte tamen Ordinem distinctum respective componunt nempe tertium in ea Religione, in qua alii solemniter professi dicuntur Ordinem constituere primum: veluti sub tertii Ordinis nomine usualiter appellantur in pluribus Summorum Pontificum Bullis: juxta allegata per laudatum Patrem Lezanam *tom. d. 2. Cap.* 14. *n.* 7. Et hi sunt quos in sua Religione primo instituit Seraphicus Pater ab anno Christi 1221. & aetatis suae 39. elapsis post institutionem primi Ordinis annis 13. Ut accurate notat afferens auctoritatem D. Antonini, Emus Petra *tom.* 3. *loc. cit. n.* 1. quibusque authenticam tradidit Regulam seu certam vivendi formam Nicolaus PP. IV. in famosa constitutione *Supra Montem la* 2. per eumdem Cardinalem Petra in d. tom. 3. exposita, Proprios autem Tertiarios instituendi dehinc admittendi & congregandi habent jus sine dubio quicumque Praelati Regulares aliorum Ordinum respective ut probat eruditus item Lezana *Cap. cit.* 14. *a n.* 8. *& seq.* ubi quomodo propriam Regulam profiteri dicuntur sub quali habitu & quibus obligationibus & quomodo differant innuit hujusmodi Ordines a simplicibus Confraternitatibus, quod nos supra tetigimus de sodalitate Chordigerorum respectu Tertiariorum Ordinis Minorum. Verum quia specialis Dubitatio orta fuit circa Alumnos hujusmodi signanter Tertii Ordinis Sancti Francisci, de quibus una cum aliis promiscue hic differimus absque peculiari appendice, a quo nam Superiore deberent habitum recipere an videlicet a Praelato respective familiae Observantium, vel ab alio Tertii Ordinis Regularis supra memorati n. 30. Habetur pluries in sanctionibus Pontificiis resolutum, competere hanc potestatem excipiendi praedictos &c. Superioribus Minorum de Observantia, cumulative tamen quoad Patres in claustris viventes dicti Regularis tertii Ordinis & per Rotam *decis.* 618. *part.* 5. *tom.* 2. recent. legitur formiter declaratum ut abunde probat P. Bordon. *in resol. cit.* 75. *Cap.* 12. Et revera hisce temporibus ejusdem tertii Ordinis Franciscani Oratoria congregationesque tum virorum tum mulierum separatim institui comperimus per Regulares Sancti Francisci Conventuales de Observantia ac etiam Reformatorum passim in eorum Ecclesiis aut prope eas absque ulla privatione. Quod si Benedictus piae mem. XIII. in Constitut., quae incipit *Paterna* edita de anno 1725. quarto Idus Decembris praeceperit omnibus & quibuscumque gaudentibus facultate fundandi Tertium Ordinem, ne quocumque praetextu auderent uti hujusmodi privilegio ubicumque Tertium Ordinem repererint jam fundatum, eoque minus jam fundatas Tertii Ordinis Congregationes ad se recipere si a Conventu, apud quem & sub cujus directione & gubernio erectae prius inveniantur recedere voluerint. Attamen, quia haec Constitutio invenitur per aliam Clementis XII. incipien. *Romanus Pontifex* datam de anno 1732. abrogata, perinde ac si nullatenus emanasset: & ulterius nova Oratoria Poenitentum Tertii Ordinis Sancti Francisci a Religionibus Regulam ejusdem Sancti Patris profitentibus prope diem institui conspicimus & veteribus addi; ideo omnes & singulos in possessione dictae erectionis & fundationis remanere, Conventuales nempe de Observantia & Reformatos, necnon Tertii Ordinis Claustrales, concludere tenemur. Servata in reliquis forma per Summos Pontifices assignata, signanter *Nicolaum IV.* in Constit. *Supra Montem* & per *Decreta S. C. C. de anno* 1608. necnon *S. C. Episc. de an.* 1616. apod Lezanam *d. Cap.* 14, *n.* 28. *&* 29. & pluries apud Patrem Matteucci *Cap.* 52. *ubi supra n.* 2. *& seq.*

33 Laudatus ipse P. Matteucci eodem *Cap.* 52. *num.* 10. adducit Decreta S. C. Conc. & Epi-

& Episcop. necnon Constitutiones Alexandri PP. VII. Clementis X. per quæ prohibetur absolute Patribus Capuccinis hujusmodi Tertii Ordinis habitum Sæcularibus conferre; sed Constitutionem signanter ultimo citati Clementis PP. X. incipien. *Exponi nobis sub die* 10. *Octobris* 1672. per quam disponitur ibi. *Præfatis Fratribus Minoribus Capuccinis nuncupatis; ne imposterum in admittendis Mulieribus ad habitum Tertii Ordinis S. Francisci sive in ipsis dirigendis se ingerant auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, ac prædictis Fratribus Capuccinis perpetuum super præmissis silentium imponimus*. His tamen non obstantibus non destiterunt subsequenter PP. iidem Capuccini causam cum Patribus de Observantia noviter instituere coram S. C. Episc. quantum ad demorantes in Regno Sardiniæ. Videlicet. an liceat dd. PP. Capuccinis in dicto Regno dispensare & distribuere habitum seu Scapulare Tertii Ordinis Sæcularibus utriusque sexus eosque in spiritualibus dirigere, atque Rescriptum sive Decretum favorabile obtinuerunt sub die 16. Novembris 1703. quod replicatum deinde fuit duplici vice adversus iterato recurrentes PP. dictos Observantiæ una cum Reformatis ab eadem S. C. sub die 19. Februarii & die 6. Martii anni sequentis 1704. prout etiam tria hujusmodi decreta confirmata leguntur per cl. me. Clementem XI. in Brevi seu Constitut. incipient. *Emanarunt nuper* dat. die 29. Martii ejusdem anni 1704. Et Benedictus demum fel. rec. XIII. per specialem Constitutionem quæ concessit confirmavitq. Decreta prædicta, atque Clementis Breve complectens in ampla forma facultatem admittendi ad Tertiariorum habitum & Ordinem absolute convocandi & instruendi necnon dirigendi fideles utriusque sexus qui talem susceperint ab ipsismet PP. Capuccinis habitum in Congregatione distincta, esto Congregationes aliæ in eodem loco ipsius Tertii Ordinis jam institutæ fuerint ab Observantibus Patribus aut quibuscumque aliis. Ut per extensum hic apponitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

RAtio Apostolici muneris Nobis licet immeritis a Christo Domino injuncti, exigit, ut litigia, & discordias, quæ humani generis hoste zizania superseminante, Ordines Regulares, ad Cœlestium meditationem incumbentes, aliquando perturbant, omni cura evellere studeamus, ne Dei cultus in Sacris viris frigescat inque animis Sæcularium qui eos inter se dissidentes conspiciunt, scandala propterea exoriantur.

§. I. Nuper admodum in Tertiariis, *de Pænitentia* appellatis, sub regimine Fratrum Minorum B. Francisci, alias a Regulari Observantia nuncupatorum, viventibus, spirituale solatium, & pietatis fervorem augere studuimus Apostolicis literis nostris, quæ incipiunt: *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, Romæ vulgatis anno Domini 1725. iv. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo quibus literis immunitates, gratias, privilegia, & indulta ab antecessoribus Nostris Romanis Pontificibus eisdem Tertiariis concessa, renovavimus, & confirmavimus, ut alacrius, & Sanctius Deo famulari pergerent. Sed postea non sine admiratione, atque animi nostri molestia inde ortas altercationes audivimus, easdemque nostras literas, quæ unos Tertiarios, Fratribus Minoribus a regulari observantia nuncupatis, subjectos respiciunt, contra mentem nostram ad alios Tertiarios, sub Regula quidem Beati Francisci Deo famulantes, sed speciali nota dignos, inque iisdem literis nostris minime nominatos aut comprehensos perperam detortas fuisse intelleximus; qui sane Tertiarii Fratribus Minoribus a Regulari observantia nuncupatis nullo modo subsunt sed Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum B. Francisci qui Cappuccini appellantur a quo & ab eius secundariis Ministris rebus Spiritualibus directi omnino dependent atque habitum Religiosum accipiunt.

§. II. Propterea huic errori, & incommodo pro nostra auctoritate, & solicitudine prospicere cupientes, eorumdem Fratrum Minorum B. Francisci, qui Capuccini appellantur, jura & privilegia sæpe in Judiciis contradictoriis coram Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, consultationi de rebus Episcoporum, & Regularium præpositis plene discussa, Pontificioque oraculo, ac literis Apostolicis adferre: Clemente Papa XI. Antecessore Nostro confirmata, atque approbata, Nos præsentibus perpetuum robur imposterum habituris, post maturam deliberationem, motu proprio, & ex certa scientia, ad tollendas quascumque discordias, iterum munimus, & approbamus, confir-

mantes omnia jura immunitates, facultates, prærogativas, gratias, indulta, & privilegia Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum B. Francisci, qui Capuccini appellantur, competentia in conferendo eodem Scapulari, ac Cingulo Tertiariis sibi subjectis quæ omnia ei olim fuerunt adjudicata, ejusdemque Clementis Papæ XI. literis confirmata, quarum tenor est.

§. III. Clemens Papa XI. -- *Ad futuram rei memoriam*. Emanarunt nuper a Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, Capuccinorum nuncupatorum, Regni Sardiniæ tria Decreta, videlicet: In Causa vertente inter PP. Minores Capuccinos Regni Sardiniæ ex una, & PP. Minores de Observantia ejusdem Regni, seu &c. Partibus ex altera, de, & super infrascripto dubio, nempe an Patribus Capuccinis Regni Sardiniæ liceat dispensare, seu distribuere habitum, seu scapulare parvum cum Cingulo S. Francisci Sæcularibus utriusque sexus in propriis Domibus, & sub jurisdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, seu Tertii Ordinis, eosque dirigere in spiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Ecclesiis, in casu &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus ipsis auditis referente Eminentissimo Gabriellio censuit, ac declaravit, competere Patribus Capuccinis facultatem conferendi scapulare cum Cingulo S. Francisci. Romæ die 16. Novembris 1703. Et die 29. Februarii 1704. denuo auditis Religionibus Patrum Minorum de Observantia, & Patrum Minorum Capuccinorum S. Francisci, referente eodem Eminentissimo Gabriellio, Eminentissimi Patres censuerunt persistendum esse in *Decisis* sub prædicta die 16. Novembris 1703. Romæ &c. Die vero 4. Martii ejusdem anni 1704. Tertia vice proposita Causa per eumdem Eminentissimum Gabriellium ad preces Procuratoris Generalis Commissarii Curiæ Minorum de Observantia & Procuratoris Generalis strictioris Observantiæ S. Francisci, eadem Sacra Congregatio censuit, ac decrevit, extra dandum supradictum Decretum. Romæ &c. Cardinalis Carpineus -- Loco ✠ Sigilli.

§. IV. Cum autem, sicut pro parte dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis d. Ordinis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decreta hujusmodi, quo præmissa firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret: Nos ipsum modernum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper iu præmissis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium.

§. V. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinum hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Martii 1704. Pontificatus Nostri Anno IV.

§. VI. Itaque hasce literas Clementis PP. XI. auctoritate nostra iterum Nos confirmantes statuimus, & declaramus, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum B. Francisci, qui Capuccini appellantur, & secun-

secundariis Superioribus ab eodem Ministro Generali dependentibus, tanquam veris, & legitimis filiis B. Francisci convenire, & competere in quocumque loco, Civitate, Provincia, & Regno, etiam ubi alii Tertiarii ejusdem B. Francisci jam sunt erigere, instituere, & fundare Tertium Ordinem B. Francisci pro quibuscumque piis, & devotis personis Saecularibus utriusque sexus, atque hujusmodi Tertii Ordinis professoribus B. Francisci Scapulare, sive habitum cum Cingulo conferre, in rebus spiritualibus eos dirigere, in tertia Regula B. Francisci observanda privatim, & publice docere, & instruere, ut pietatis, & virtutum Deo gratos, & uberes fructus, benedicente Domino, emittant.

§. VIII. Ad haec volumus, & declaramus praedictos Tertiarios seu Tertii Ordinis B. Francisci professores sub Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ejusque secundariis Superioribus omnino gaudere, atque uti posse, & debere omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, & gratiis favoribus, & praerogativis per hanc Sanctam Sedem Apostolicam Ordini Tertiariorum a quocumque Ministro Generali dependentium sub suo Capite, qui unus est B. Franciscus, alias concessis, volentes propterea, ut vicissim quilibet Tertiarii ejusdem Ordinis Minorum B. Francisci praemissis gratiis gaudentes, ad eos transire licite, & valide possint quorum statum saluti animae suae aptiorem, & utiliorem in Domino, esse cognoverint. Praedicta vero universa ita, & non aliter judicari, & firma, atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus. Non obstantibus ordinationibus & Constitutionibus Apostolicis aliis contrariis quibuscumque; quibusquatenus opus sit, derogamus, eaque annullamus, proque annullatis, derogatis, & nullis hic in re haberi volumus: poenam excommunicationis ipso facto incurrendam, aliasque censuras pro nostro arbitrio iis interminantes, qui contraire, vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint, quae hac Nostra Apostolica Constitutione firmamus, atque decernimus; ob cujus plenam, perfectamque observantiam, auctoritate Nostra praecipimus Ven: Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorumdem Vicariis, & Ministris, ut pro harum executione tuenda, auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii Saecularis.

§. VIII. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius ex Secretariis Ministri, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis Fratrum Capoccinorum, sive Notarii publici subscriptis, & sigillo Officii ejusdem Ministri, vel Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, vel cujuscumque Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. IX. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, Decreti, voluntatis, praecepti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto, nono Kal. Julias Pontificatus Nostri Anno Tertio.

54 Possunt hi Tertiarii domus inhabitantes privatas in Congregationibus in quibus conveniunt in unum Officiales aliquos propriae Professioni aptatos eligere, sed semper sub assistentia Superioris vel alterius Religiosi ad regimen sodalitatis deputatum Portell. dub. Regul. *V. Tertiarii & in addit. n. 1. seq.* Lezana in dicto *Cap.* 14. *n.* 41. & 42. Non possunt tamen ullatenus ipsi Tertiarii vel alii quicumque extra Religionem a qua institutionem recognoscunt sibi arrogare admissionem ad habitum & professionem personarum alterutrius sexus; cum hoc sit munus proprium Superioris, seu Directoris qui vices Superioris ad hoc assignatus gerat; ut probant Portella cit. *V. Tertiarii in addit. n. 2. seq.* Lantusca in Theatr.Regul. *V. Confraternitas n. 7. seq.* & Matteucci ubi supra *n.* 12. Et constat ultro ex Decreto S. Congregationis Episcoporum sub die 18. Junii 1717. in causa Faventina Superioratus, in qua, cum Tertiarii Congregationis erectae in quadam Ecclesia S. Antonii de Padua ejusdem Civitatis Faventiae, dono jampridem data Patribus Strictioris Observantiae Sancti Francisci, praetenderent dictam Ecclesiam sibi appropriare, necnon ab obedientia se eximere eorumdem Fratrum, atque independenter exercere Functiones, propositis sequentibus dubiis.

I. *An donatio praefatae Ecclesiae facta Patribus Reformatis substineatur in casu?*

II. *An*

II. *An Tertiarii sint subjecti guberuio spirituali Patrum Reformatorum in casu?*

III. *An tertiarii possint alios admittere ad habitum eorumque professiones recipere? Et quatenus negative.*

IV. *An admissiones ad habitum & professiones haetenus sectæ in manibus Tertiariorum substineantur in casu.*

Præfata S. Congregatio referente Eminentissimo Corsini, postea Clemente cl. mem. XII. auditis partibus, & informationibus hinc, inde respondit.

Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative in concernentibus spiritualia in Ecclesia Sancti Antonii*. Ad III. *Negative*. Ad IV. *Censuit, admissiones, & Professiones esse sanandas, prout præsentis Decreti vigore sanat, atque revalidat.*

Et cum deinde ex parte Tertiariorum repropofita fuissent eadem dubia, præsertim pro declaratione primi -- *An donatio facta Patribus Reformatis Ecclesiæ Sancti Antonii una cum Sacristia, & domo, seu domibus dictæ Ecclesiæ contignis, & omnibus suis membris, adhærentiis, juribus, & pertinentiis substineatur in casu?* Allegando contra præfatos Patres eorum incapacitatem accipiendi bona stabilia; quamvis donatio Ecclesiæ contigisset ad effectum exercendi inibi functiones ad Tertium dictum Ordinem spectantes. Sacra eadem Congregatio ipsomet Cardinali Corsino Ponente iterum rescripsit, Ad primum. *In decisis quoad Ecclesiam: at quoad reliqua censuit recedendum*. Ad alia autem dubia fletit. *In decisis*, Ita *sub die* 31. *Martii* 1718. Sed resistentibus adhuc Tertiariis tradendi ad usum prædictum Patribus Reformatis una cum Ecclesia Sancti Antonii, eius Sacristiam. S. Congreg. proinde tertio supplicata pro declaratione. *An nomine Ecclesia comprehendatur etiam ejus Sacristia?* Referente Eminentissimo qui supra: censuit & declaravit: *enuntiatam donationem sustineri, etiam quoad Sacristiam. Romæ 3. Februarii* 1719.

T. D. Cardinalis Paraccianus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Arch. Damasc. Secr.

Prout in Decreto viso & apud me retento in Authent. forma ut in regestis ejusdem S. Congregationis Episc. sub præfatis diebus & annis 1717. 1718. & 1719. Quod additum est pro complemento, cum satis sit ad propositum ostendere, quomodo Functiones a Professoribus Tertii Ordinis seu hujusmodi Tertiariis *præcipue admissuros ad habitum &c.* non possint peragi nisi cum dependentia a Religiosis Institutoribus, & sub eorum respective directione in quacumque demum Ecclesia vel propria Regularium ipsorummet vel distincta, ad id tamen assignata sive in quocumque Oratorio exerceantur. Videndus D. Ursaya, qui in hac causa pro Patribus Reformatis scripsit *tom. viii. part. 1. discept. 1.*

35 Solet ulterius inquiri de Tertiariis in genere quibus privilegiis & exemptionibus gaudeant? Porro de fœminis jam dictum est *dub. xi. sect. 6. per tot.* & aliqua replicabuntur *dub. xx. sect. 111.* Videlicet quatenus collegialiter vivant in Conservatoriis privilegiis minime gaudere resistente Bulla S. Pii V. *Circa Pastoralis la* 8. Bullar. *tom. 2.* ubi hujusmodi Conservatoria Mulierum non emittentium vota solemnia & sine clausura videtur reprobare. Si vero in propriis domibus degant quas qualitates debeant præseferre ad hoc ut privilegiis propriis fruantur, etiam in locis citatis tangitur & distincte habetur apud Petram, & Matteucci in sepe allegato *Cap. 52. a n. 1.* per totum & per nos dicta dubit. xi. primi tom. sect. vi. Ad viros autem si applicemus sermonem indubitatum est primo gaudere omnibus exemptionibus & privilegiis primario Ordini Regulari cui adsciscuntur respective concessis Tertiarios eos sive Oblatos, qui sub habitu Religionis cui inserviunt in Conventibus Regularium eorumdem vitam ducunt, esto vota essentialia uracum ipsis non emittant: attamen tribus conditionibus per Concilium Tridentinum *sess. 24. Cap. xi. de reform.* ad exemptionem in casu requisitis publice & sine contradictione potiuntur, ut præterquam in Constitutionibus Summorum Pontificum pluribus, distincte exprimitur in Decreto S. C. Episc. 20. *Decembris* 1616. Apud P. Lantuscam in Theatr. Regul. V. *Tertiariæ* & P. Matteucci *d. Cap. 52 n. 2.* & de his qui familiares sæpius appellantur in sequenti sectione n. 39. Alii vero qui in propriis domibus privatim demorantur Tertio Ordini adscripti, & determinatis temporibus & vicibus in Ecclesia principali respective Religionis propriæ vel alio loco sive Oratorio a deputatis per Superiores primi Ordinis directo congregantur, quamvis antecedenter ad Bullam Leonis X. privilegia sibi large concessa in jure & per alios præcedentes Pontifices probarentur possidere, signanter competentia primo Ordini respective cui adnectuntur,

tur, ut videre est apud Lezanam *d. Cap.* 14. *n.* 26. *seq.* & Card. Petram *tom.* 4. *ad Constit.* 15. Martini V. *n.* 14. *& seq.* His nihilominus temporibus subiacere jurisdictioni Episcopi & juribus Parochialibus sicuti cœteros Laicos est concludendum; cum ex Leone X. in Bulla *Dum intra*, & Decretis jam citatis S. C. C. *de anno* 1608. necnon Congregationis Episc. *de anno* 1616. exemptiones & privilegiis primi Ordinis cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant minime gaudeant *nisi Collegialiter vivant*; ut perlegenti patet, nec frui privilegio fori nec exemptione a jurisdictione laicali neque a gabellis, constat ex Bulla & allegatis Decretis apud Lezanam *Cap.* 14. *n.* 27. & Matteucci *d. Cap.* 52. *n.* 7. juxta Decreta item S. C. Immunitatis in Tricaren. 7. *Decembris* 1638. *necnon S. C. C.* apud Fagn. *ad Cap. Nullus de for. competente n.* 71. Addita nova declaratione præfatæ Congregationis Immunitatis *sub die* 13. *Martii* 1727. apud Ursayam *tom.* 7. *part.* 1. *discept.* 3. qui ibi *n.* 21. affert doctrinam super hoc punctualem Ciarlini & de Graffis necnon Eugen. conf. 25. per tot. Pater Didacus ab Aragonia hujusmodi Tertiariis in propriis degentibus Domibus etiam utriusque sexus concedit privilegium eligendi sibi sepulturam *lib.* 7. *cap.* 5. *loc. cit. n.* 4. *&* 5. Sed quis status liberi compos quamvis non Tertiariis hujusmodi caret facultate? juxta Canones sacros 13. *qu.* 2. *C. ubicumque De sepult. Cap.* 1. *& in 6. cap. Cum quis §. Si quis de excess. Prælat. Cap. nimis supra Conc. Later.* 5. *sess.* 12. *Const. citata.*

36 Verum enim vero quantum ad præfata difficultas insurgit intricata non parum. Quænam indulgentiæ reperiantur revera concessæ Tertiariis proprias etiam incolentibus sive inhabitantibus domos? Respondent Doctores, Tertiarios hujusmodi nequaquam collegialiter viventes sed in propriis degentes privatim domibus, gaudere omnibus indulgentiis concessis Religiosis iis seu Religionibus quibus respective tamquam de Tertio Ordine sunt adjuncti. Ita per Caspednm ad V. *Tertiarii §. II.* cum notatione & verbis collectivis adductis item per Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 73. *art.* 2. Carill. *lib.* 1. *de Tertiariis Cap.* 12. Portella *dub. Regul. titul. Tertiarii n.* 3. Lezana *tom.* 2. *cap.* 14. *n.* 26. *& tom.* 4. *V. Tertiarii n.* 7. Lantusca *in Theatr. Regul. V. Indulgentia n.* 4. *& V. Tertiarii n.* 3. Ubi addit de Tertiariis Franciscanis signanter viventibus extra Communitatem in propriis domibus, quod gaudeant item indulgentiis concessis Cordigeris a Paulo V. Hoc autem afferunt præfati DD. sed per allata diplomata aut Decreta post Concilium Lateranens. sub Leone X. celebratum, minime probant; & revera post dictum Concilium invenire nequivi Bullam sive Constitutionem Pontificiam aut declarationem apertam Sacræ ullius Congregationis, quod Tertiarii respective cuipiam principali Religioni adsciti fruantur Indulgentiis Religioni ipsi seu Ordini primo & principali concessis, ad normam semper revocationis & moderationis in famosa Bulla Pauli V. *Romanus Pontifex* 23. Maii 1606. Hinc recurrere necesse est ad concessiones antiquiores scilicet prævias ad dictum Lateranense citatum Concilium & Bullam in eo Leonis X. *Dum intra*. Et sane non desunt antiquiores Bullæ pro Tertiariis Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Augustinensium, Jesuitarum, & Minimorũ, in quibus iis absolute absque limitatione scilicet & obligatione collegialiter vivendi, sed quomodocumque in propriis privatim domibus degentibus impertiuntur privilegia indulta gratiæ spirituales & *indulgentiæ* explicite & signanter primariis respective Ordinibus quibus aggregantur concessæ; ut apud dictum Lezanam præ cœteris cap. pluries allegato 14. *tom.* 2. *n.* 26. *& tom.* 3. *V. Indulgentia n.* 16. At contra hoc facit tum Bulla Leonis X. mox allata *Dum intra* tum duplex repetitum DecretumS.C.C. de anno 1608. & S.C. Episc. de anno 1616. in quibus aperte habetur quod nequaquam gaudeant privilegiis Ordinum quibus respective sunt aggregati Tertiarii, nisi collegialiter vivant, sicuti neque Tertiariæ quæ vitam virginalem cœlibem caste vidualem sub expresso voto non servant. Propterea Viros uxoratos & Fœminas matrimonio ligatas signanter excludi a privilegiis Ordinum quorum tertium habitum ducunt, sentit Lezana præfatus *cap.* 14. *n.* 32. Perconsequens neque indulgentiis quas venire sub nomen privilegiorum & gratiarum spiritualium est fere communis opinio, ex pluribus Capitibus juris tum Civilis tum Canonici & videtur concedere ipse Lezana n. 43. Nihilominus ad hoc ut Tertiarii hujusmodi in propriis domibus commorantes atque etiam uxorati non remaneant prorsus indulgentiis destituti; sustinendum quod revera ipsismet concessæ per Constitutiones Pontificias ante Lateranense Concilium, videlicet ex quæ per Sedem Apostolicam elargitæ primo Ordini sive Religioni cujus habitum induunt moderno tem-

tempore vigeant, eo modo quo vigent, in favorem eorumdem & usum adhuc perseverant: eo quia neque per Bullam *Dum intra* Leonis X. in dicto Lateranensi Concilio neque per ullam aliam Sanctionem Pontificom aut aliud quodpiam Apostolicum Decretum reperiuntur revocatae ut tangit P. Lezana saepe citatus; *tom. 4. V. Tertiarii num. 7.*

§. I. Quod si replices per Bullam immo Leonis *Dum intra*, & per duplex repetitum Decretum S. C. C. & Episc. gaudere privilegiis Tertiarios eos qui collegialiter vivunt (si & quatenus &c.) & Foeminas celibem aut vidualem vitam cum emisso castitatis voto simplici ducentes; per consequens alios in propriis demorantes domibus atque uxoratos, nec non mulieres matrimonio junctas aut dicto voto expertes privilegiis spoliari, quibus alias propter dependentiam a Religione cujus habitum gerunt aut cui sunt aggregatae proculdubio gauderent, inter quae privilegia relevat communicatio in indulgentiis. Responderem ultro quod etsi negari nequeat privilegium in latitudine sensus & in abstracto prout videlicet comprehendit quamcumque gratiam largitione & indultum quodlibet, comprehendere etiam indulgentias communicationem & usum ipsarum *l. fin. Cap. de fruct. & lit. expens. l. In princ. ff. de testam. mil.* Azor. *Instit. mor. lib. 5. Cap. 22. q. 1.* tamen in concreto & juxta methodum servari solitum in extensione privilegiorum, atque indulgentiae exigant peculiarem expressam mentionem; adeo ut etiam in favorabilibus sub nominibus communibus privilegiorum indultorum Spiritualium & gratiarum minime intelliguntur indulgentiae, juxta doctrinam Suarez *tom. de leg. lib. 8. Cap. 9. ad fin.* Et Summi Pontifices &c. In concessione aut confirmatione privilegiorum, si diploma ad indulgentias extendant id specificent ut mox premisi; Et notat Portella dub. Reg. tit. *Indulgentia ℣. Ego constanter*; tanto magis igitur in odiosis supposita concessione privilegiorum exemptionum & specifice *indulgentiarum*; quoties deinde per subsequentes Sanctiones a possessione privilegiorum & exemptionum quipiam excludantur, non per hoc Indulgentiis antea specificè concessis & in revocatione seu limitatione deinde non expressis argui deberet item spoliari; cum ex diversis nequaquam valeat illatio Cap. *Ad audientiam de dec.* Peregrinus *part. 1. compend. V. Visitationes* Peyrin. *tom 1. privil. ad Const. 14. Leon. X. n. 12.* Et lex poenalis & quaecumque odiosa in dubio stricte sit interpretanda nec regulariter extendatur ultra expressa; sicuti e contra leges favorabiles ampliori interpretatione sunt adjuvandae *ex L. 42. ff. de poen. & reg. jur. 15. in 6. juncta reg. 49 eod.* Videatur Reulenstuel *de Constitut. §. 17. per tot.* Cui quidem sententiae consonat doctrina Patris Theodor. a Spiritu Sancto inter discalceatos Carmelitas celebris in prima parte tractatus de Indulgentiis *Cap. XII. art. IV.* ubi egregie probat in revocatione privilegiorum indultorum &c. nequaquam comprehendi indulgentias revocatas, nisi exprimantur, sicut in concessione generali indultorum spiritualium atque privilegiorum Indulgentiae nequaquam veniunt, quatenus non fiat de iis specialis mentio.

§. II. Non potest tamen subsistere additum per Patrem Lantuscam ℣. *Tertiarii* n. 3. quod nimirum demorantes Tertiarii in domibus propriis aut conjugati fruantur indulgentiis iis quae distincte per Paulum V. Confraternitati Chordigerorum leguntur concessae; Ordo enim Tertiariorum eo tunc transiret in Confraternitatē sive sodalitatē ipsā Chordigerorū Archiconfraternitati Assisiensi aggregatam uti supra; tenerentur proinde servare conditiones easdem quibus coeterae hujusmodi pro indulgentiis consequendis adigerentur ad tenorem citatae Bullae Pauli V. apud Lantuscam ipsum V. *Confraternitas* & Sixti V. Institutionis in Bulla *Ex superna* superius citatis n. 24. §. I. Cum non possit quis gaudere beneficiis legis nisi legem observet *in l. non dubium Cap. de leg. & Reg. jur. in 6. n. 88.* Felin. & Barbat. *in Cap. causam quae de rescriptis*. Concedo equidem quod ipsimet Ordini Tertiariorum posset addi a Superiore competente institutio sodalitatis Chordigerorum; verum numquam liberum esset transgredi conditiones uti supra a lege praescriptas, veluti esset distinctio unius ab alia & invaliditas erectionis in loco ubi Conventuales degunt &c. pro consequendis gratiis & indulgentiis sodalitati dictae praecise concessis ut est evidens. Coeterum miror quod hujusmodi articulum de indulgentiis Tertiariorum alioquin diligens Matteucci omnino sub silentio praetereat.

37 Ad dubia reliqua quae possent proponi circa redditus emolumenta & administrationem eorum, quibus reddenda sit ratio nec non & Confessarii horum Tertiariorum a quibus sint deputandi? Respondetur; quoad temporalia bona & administrationem eorum nequaquam dependere ipsos a Directore sive Patre deputato nec ab

Oc-

Ordine cui ſunt reſpective adſcripti. Cum Prælatus Regularis ab eoque deputatus quilibet in ſpiritualibus ſignanter debeat præeſſe, & ideo poſſe per ipſoſmet ſodales qua vere Tertii Ordinis deputari Officiales unum vel plures qui prædictorum redditaum aliorumque bonorum curam gerant, quique adminiſtrationis eorum rationem reddere teneantur, non tamen Epiſcopo ſi ſint bona Tertii Ordinis ut talis cum hic non ſit Confraternitas ſed verus Ordo Religioni alicui reſpective principali unitus ab eoque dependens & directus, ut generaliter ad textum in *Cap. de ſtat. Minim. & Cap. Nimis de exceſſ. Prælat.* notat Lezana *in Sum. tract. 2. Cap. 3. n. 27. & tom. 3. V. Oblationes n. 4.* Pignatell. *conſult.* 39. *n.* 10. *tom.* 10. Rot. *dec.* 38. *n.* 4. coram Mantic. *& dec.* 232. *n.* 2. *&* 3. coram Merl. Et in terminis ex Conſtit. Alex. VII. incipient. *Exponi nobis* advertit Bordon. in Arch. Bullar. n. 22. Nec relevaret replica quod in caſu ſeu præſenti ſuppoſitione, dicti Tertiarii nulli prorſus redderent rationem bonorum adminiſtrationis eorum; utpote non Prælatis Ordinis principalis cui adnecterentur, nec Ordinariis locorũ. Reſpõderetur namque; ſe geſſuros Tertiarios in hac parte adinſtar aliorum Ordinum exemptorum, quod ſcilicet deputati ad curam Bonorum, & eorum adminiſtrationem, vel rationem reddant toti Congregationi ſive Communitati congregatæ, vel Superioribus Ordinis ejuſdem a Congregatione electis juxta Regulam, vel aliis ab eadem Congregatione aſſignatis judicibus & reviſoribus magis expertis & inter alios peritioribus ad normam decreti Clementis VIII. de reformat. Et hoc afferendum cadit in ſuppoſitione prolata, quod Tertius Ordo non veniat nomine Confraternitatum, ſuper quibus quoad recognitionem bonorum redditnum, & exigendam rationem adminiſtrationis datur Epiſcopis per Concil. & Decreta ſpecifica poteſtas: ex inconcuſſo principio, quod in odioſis non fiat extenſio ultra expreſſam & claram ſignificationem verborum. *Ex l. præcipimus C. de Appellat. &c.* Reiffenſtuel. *de Conſtit.* §. 17. *n.* 419. ſeq. Si autem inſurgat inſtantia; quod juxta præmiſſa Tertiarii hujuſmodi ſubdantur juriſdictioni Epiſcopi niſi Collegialiter vivant aut cum Clauſtralibus habitent ſicuti & mulieres niſi celibem aut caſtam vitam cum emiſſo voto ſimplici ducant. Adderemus aliud eſſe, quod viri ſingillatim ſcilicet ut populares perſonas, & mulieres in caſu non gauderent exemptione a juriſdictione Ordinarii ſed veluti ſæculares cœteri cenſerentur ſubditi Poteſtati Eccleſiaſticæ immo & ſæculari laicæ; uti ſupra innuimus ex Bulla Leonis X. Decretis, & DD. præcipue apud Lantuſcam V. *Tertiarii n.* 3. ſeq., aliud quod totus Ordo in communi ad normam aliarum Confraternitatum & juxta diſpoſitionem Clementis VIII. ſuperius adductam poſſet aſſeri viſitationi & juriſdictioni Ordinarii ſubjacere contra antiquiora privilegia & jura: primum affirmant Sanctio Leonis X. & ſubſequentia decreta non autem ſecundum: at in quibuſque reformationibus & poſterioribus legibus interpretationem debere ita procedere ne ſequentia corrigant præcedentia; ſi his expreſſe non contradicant ſuſtineo ex Gloſſ. *§. ſed hodie ℣. pro qualitate inſtitut. de ſatis dati. & alia* Gloſſ. *l. ſciendum ℣. non compelli* ultra Jaſonum ibi *n.* 4. *&* 5. & Bartolum *ff. Qui ſatis dare* Card. Tuſch. *lit.* l. *concl.* 330. *n.* 34. Barboſ. *Axiom.* 60. *n.* 2. *&c.* Videatur P. Reinffeſtuel *tit. de Conſtit. n.* 491. *& n.* 500. *ſeq.* Quam doctrinam fatendum eſt non valere pro Confraternitate Chordigerorum ut tali aliiſque ſimilibus, ex præmiſſis *n.* 24. §. 1. *&* 11. ad tradita item *tom.* 1. *dub.* 10. *ſect.* 2. *n.* 21.

38 Quantum deinde ad Confeſſarios; perſpicuum eſt non poſſe per Regulares Prælatos aſſignari Tertiariis quoſcumque approbatos a ſe tantummodo pro Religioſis ſubditis, ſed requiri inſuper approbationem Epiſcopi ſive Ordinarii reſpective ſicuti pro cœteris ſæcularibus, ut per Apoſtolicas Sanctiones invenitur deciſum & ordinatum apud Lezanam, & Matteucci loc. cit. Nihilominus addendum, quod licet liberi ſint ipſimet Tertiarii ſinguli quoad Confeſſionem faciendam cuicumque Sacerdoti aut Regulari aut Sæculari ad placitum eligendo, non per hoc valeat Epiſcopus illis in communi & pro excipiendis Confeſſionibus eorum in Oratoriis aſſignare & deputare pro ſui libito Sacerdotes etiam ſæculares, cum alioquin non forent Religioſis reſpective illius Ordinis cujus profitentur eſſe Tertiarii & habitum induere, plene ſubjecti in ſpiritualibus, ſervatis tamen ſervandis quoad jura Parochialia & receptionem Sanctiſſimæ Eucharistiæ in Paſchate: ex notatis per Gavantum in Man. Epiſc. V. *Regularium jura circa Tertiarios n.* 1. Lezanam in pluries cit. *Cap.* 14. *n.* 34. Stratium de Tertiariis *Cap.* 9. *per tot.* & Card. Petram *ad Conſtit.* 15. Martini V. *n.* 7. Unum repetam, qualiter exemptos eos a ju-

a jurisdictione Episcopi, & foro laicali necnon a gabellis volunt Constitutiones Pontificiae antiquiores, dum eosdem Tertiarios gaudere omnibus privilegiis competentibus primario Ordini cui adscribuntur concedant & sanciant; Constitutio tamen saepius repetita Leonis X. *Dum intra* privilegia & exemptiones limitat cum duobus item pluries signatis S. C. Decretis in suppositione tantum quod Viri collegialiter vivant, ut constat legenti; unde ex una parte quoties Collegia horummet Tertiariorum Tertium scilicet Ordinem alicujus Religionis respective absque tribus solemnibus votis profitentium & in Communitate seu in communi conviventium revera inveniantur, quod ex vi dictae Bullae *Dum intra* & praefatorum decretorum exemptionibus & privilegiis praetensis non possit negari ea saltem sine contraditione potiri; at ex alia parte urget Bulla Piana *Lubricum vitae genus* superius item allegata *n.* 31. in qua quaecumque Collegia Virorum in communi viventium ad modum Claustralium intra domum vel Conventum absque solemnium trium votorum emissione abrogantur prorsus extinguntur & abolentur, absque eo quod dictae Bullae in subsequentibus sanctionibus & decretis Apostolicis inveniatur derogatio aut eius fiat ulla mentio, sicuti & quod non intendat comprehendere Tertiarios in unum congregatos sine solemnibus votis gratis interpretatur. Quia tamen a Doctoribus classicis pro extinguendis Tertiariorum Collegiis absque tribus solemnibus votis in unum conviventium illam fuisse editam sustinet Portella cit. V. *Tertiarius in addit. n.* 4. Quid ergo sentiendum? Arbitrarer quod cum sit fere notorium hujusmodi Collegia Tertiariorum qua talium in unum congregatorum & conviventium fere nullibi reperiri, neque Superiores Ordinum respective pro ipsis extruendis patentales concedere sint soliti, sed nec Ordinarii locorum attenta Bulla allegata *Lubricum &c.* extruendi eademmet Collegia licentiam per Clementem VIII. & Innocentium X. requisitam de facili fore ut impertiantur; hinc Sacras Congregationes censerem dum conditionem apponunt quod pro privilegiis consequendis debeant viri collegialiter vivere, aliquid extra communem praxim & in suppositione difficultatis adhuc decidendae innuere velle tanquam necessarium, & propterea quod gaudeant revera exemptionibus & dictis privilegiis concludendum sit, qui in Conventibus Fratrum primi Ordinis inserviunt, & sub obedientia habitant, ut pro certo subdisiunctiva in ipsismet exprimitur decretis, ibi; *Si viri collegialiter vivant aut cum Claustralibus habitant apud citat.* Matteucci *Cap.* 52. §. 2. Reliqui vero collegialiter viventes quatenus darentur & permitterentur a Fratribus gauderent quidem; verum in suppositione quod de facto in propriis domibus degant uxorati vel non, ab exemptionibus & privilegiis juxta tenorem Bullae *Dum intra* & subsequentium decretorum, habentur exclusi. Caeterum de privilegiis concessis Tertio Ordini signanter Minorum, & de subjectione hujusmodi Tertiariorum Fratribus iisdem Minoribus sive Praelatis Ordinis Minoritici, extant sanctiones Summorum Pontificum etiam moderniorum utpote Urbani VIII. incipiens *Cum sicut* apud P. de Gubernatis in Orb. Seraph. *fol.* 917. *n.* 864. Innocentii X. incip. *Alias felicis rec.* apud eumdem fol. eod. necnon specialiter notanda Alexandri VII. *Exponi nobis fol. ibi* 807. declarans & mandans Tertiarios dictos per Universum Orbem dirigendos & corrigendos esse a Fratribus Minoribus istorumque jurisdictioni subjacere, sublatis de medio Constitutionibus aliis quatenus contrarium disponant, quam denique confirmavit V. S. Dei Innocentius XI. per Constitutionem incipien. *Ecclesiae Catholicae* relatam a P. Diez in suo directorio trium Ordinum *fol.* 151. *n.* 2. *& fol.* 167. Reliqua de Tertiis Ordinibus Religionum plurimi tractant PP. Theodorus Stratius & Bordonus loc. supra cit. Lezana *tom.* 2. *cit.* Cap. 14. *tom.* 4. V. *Tertiarii* necnon pluribus in locis *tom.* v. signanter ad *Mare Magnum* Servitarum *n.* 112. 144. & 145. plura item erudite affert Ursaya *tom. viii.* in d. Causa Faventina *part.* 1. *discept.* 5.

SECTIO QUARTA

De Potestate directiva Praelati Regularis in Ordine ad familiares quocumque nomine nuncupentur; Procuratores &c.

SUMMARIUM.

39 *Praelati Regulares habent potestatem eligendi familiares. Quinam sint Familiares hujusmodi privilegiis Regularium respective gaudentes? An possint confiteri non approbatis ab Ordinario?*

40 *Habent potestatem itidem Praelati dicti eligendi Procuratores respective, & horum munus & privilegia examinantur.*

41 *Fratres Minores Procuratoris vice utantur Syn-*

Syndico Apostolico, cujus excellentia munus & nominatio recensetur qui valet item seligere Substitutum.

42 *Indulgentiæ & gratiæ spirituales Syndicis Apostolicis elargitæ: necnon gratiæ aliæ temporales jure certæ sive controversæ examinantur.*

43 *Syndicus Apostolicus non potest recipere & exequi legata relicta Fratribus Minoribus absolute & in genere, quamvis nominetur a testatore tamquam principalis ipse Syndicus.*

44 *Adducuntur & Examinantur exceptiones prætensæ in aliquibus casibus per quas Fratres Minores medio saltem Syndico possint recipere legata.*

46 *Alia afferuntur decreta circa legata excepta, & quæ possint a Fratribus recipi, sed adduntur conditiones & circumstantiæ necessariæ.*

46 *Expenduntur item Decreta S. C. Fabricæ quibus defert S. C. C. circa legata & eleemosynas pro Missis celebrandis, ac etiam pro aliis piis executionibus aut gratiosa collatione.*

47 *Solvuntur apparentes contradictiones circa præfata & aliæ afferuntur notitiæ concernentes, & eorum capacitatem vel non respectu Fratrum Minoritarum.*

48 *Fratres Minores &c. nullatenus sunt capaces muneris distribuendi doces; Et quomodo possint recipere legata rerum in propria specie pro usu Ecclesiæ, Sacristiæ. Affertur doctrina laudati P. Matteucci.*

49 *Duo alia adnotantur circa Missas celebrandas in Ecclesiis Fratrum Minorum. Et potestatem Syndicorum alienandi res spectantes ad usum Fratrum.*

39 POssunt item Regulares Prælati eligere & declarare familiares qui una cum Religiosis vivant & cohabitent vel ipsis in aliquo officio inserviant variis appellati nominibus, de quibus quidem sufficienter diximus *tom. 1. dub. x. sect. v. n.* 69. Ubi præcipue quas conditiones debeant præseferre secundum Tridentinum ad hoc ut privilegiis Regularium gaudeant, quorum respective servitio vel societati adscribuntur. Distinctiùs tamen est hic addendum, quod ad numerum familiarium seu Conviventium & Religioni inservientium debeant adsciscì præcipue per Prælatos saltem locales in Religionibus, in quibus usus non vigeat quod per Provinciales ipsos admittantur. Ex quo si privilegio familiarium nequaquam frui posse qui servitio sit peculiaris alicujus Religiosi detentus; cum in casu non addictus esset servitio Communitatis sive Conventus, & per consequens neque Religionis ut præscribitur per conditiones in Concilio taxatas, nisi tamen a Prælato ipsomet ad tale servitium peculiare deputaretur vel Prælatus servitio sui ipsius illum advocaret; inserviret enim eo tunc Religioni principaliter & particulari Religioso per accidens ex obedientia: Rodriguez *tom. 2. qu. 67. cit.* postquem Lezana *tom. 2. Cap. 16. n. 32.* Servitium tamen sive ministerium nequaquam necessarium foret præstari a familiaribus intuitu mercedis, sed satis esset, quatenus voluntarie & per devotionem Religioni famularentur, & magis aut minus adsisterent juxta personales qualitates, ex Felin. *in Cap. in literis* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 9. Cap. 4. n. 14.* Porro conditionibus per Concilium *Cap. 11. sess. 24.* requisitis pollentes quæ sint repeto, nimirum quod actu Religioni inserviant, ac etiam intra Religiosorum septa & domus resideant subque eorum obedientia vivant, planum est Religionis cui respective sunt addicti privilegiis etiam gaudere, quia cum exempti juxta Concilium ibidem ab Ordinarii jurisdictione reputentur, propterea subjecti Prælatis Regularibus loco Ordinariorum succedentibus non possunt non absolute adjudicari per consequens in privilegiis & gratiis omnibus cum aliis subditis communione. Et isti sunt imprimis ii qui sub nomine procedenti Oblatorum seu Donatorum communiter in Religionibus ac cum Tertiariis confunduntur intra Claustra habitantibus, juxta adnotata *sect. & n.* immediate præcedente attentis Bulla Leonis & Apostolicis Decretis. Nihilominus adhuc de familiaribus hujusmodi conditiones præscriptas habentibus non desunt dubia circa plenam & omnimodam Prælato Regulari subjectionem. Et principaliter, suppositis iis quæ *dub. x. sect. v. n.* 69. tamquam communiter concessa retulimus, dubitatur an Confessarii eorum debeant esse ex approbatis ab Ordinariis locorum præterquam ab ipso vero Superiore Regulari? Et ut prolixitas evitetur respondeo, quod habentes tres relatas conditiones vere & realiter sine interveniente dolo, ita ut vere sint de familia Religiosorum induentes propterea aliquem respective distinctum habitum a sæcularibus quamvis nullam professi Regulam, possunt confiteri Religiosis a solo Prælato Regulari approbatis prout viget super hoc communis praxis: Rodriguez, Barbosa, Peyrinus, quos citat Lezana *tom. 2. Cap. 16. n. 16.* ubi etiam clarum refert S. Cong. decretum. sed hisce temporibus

legitur indubitanter decisum per celebrem Bullam Clementis *Superna* §. *ibi* 4.

5. Un. Ex quo profecto apparet sequi resolutio alterius dubii: videlicet. An praefati familiares commensales & in Conventibus degentes possint absolvi per dictos Confessarios a Praelato tantum Regulari approbatos a casibus quos Ordinarii locorum sibi reservant? Quoties namque quoad approbationem Confessariorum ab Ordinariis minime dependeant, neque dependere recte deducitur quoad reservationem casuum ex regula trita, quod *accessorium naturam sequi congruit principalis n.* 42. *in* 6. Card. Tusch. *lit. A. concl.* 76. *n.* 2. Barbos. & ab eo allegati *Ax.* 4. *n.* 9. Decreta autem in contrarium quae citantur a Lezana *tom.* 2. *d. Cap.* 16. *n.* 17. & distincte referuntur *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 15. *ad* 17. expresse adimunt facultatem Confessariis Regularibus absolvendi a casibus per Episcopos reservatis saecolares, qui Episcoporum jurisdictioni subjecti sint & praesumantur. At familiares praefati connumerantur inter Regulares utpote vere exempti per exceptionem firmatam in Tridentino; & signanter cum habitu a Saecularibus distincto censentur Religiosi saltem per fictionem juris quandiu in eodem statu perseverent: ex generaliter animadversis per Felin. *in Cap. Quando* §. *ult. de praesumpt.* Soccinum in l. *Cum aurei n.* 73. *ff. de cond. & demonst.* Menoch. *lib.* 1. *de praesumpt. qu.* 8. *n.* 11. Reinffestuel *tit. de constit.* §. *viii. n.* 188. Et de facto quantum ad Oblatos Donatos Tertiarios cum Claustralibus habitantes, talis est Religionibus communis praxis. Caeterum in familiaribus ejusmodi quoties & saecularis habitus, & aliqua relatio & dependentia ad saeculum deprehenderetur; veluti si cohabitantes in Monasterio cum habitu prorsus saeculari uxorem & filios extra claustrum alerent in propria domo, vel matrimonium palam tractarent & meditarentur, quomodo inter Religiosos commemorandi forent, & habendi tamquam a jurisdictione Ordinarii omnino etiam in foro poenitentiali exempti? Inter commensales autem Religiosorum, eos ex una parte qui habitum gestant Oblatorum, Donatorum, vel cum Claustralibus demorantium Tertiariorum, & eos ex altera parte servitio licet addictos Conventus cum tribus conditionibus latius interpretatis, sed non gestantes habitum distinctivum, aliquam constat vigere diversitatem; cum habitu siquidem saeculari incedentes privilegio canonis signanter minime fruuntur, primi autem sic, secundum Doctores, apud Fe lic. Potest. *n.* 745. *& n.* 3565. Posse pariter familiares & Commensales hujusmodi admitti ad celebrationem Divinorum Officiorum tempore interdicti innuimus *tom.* 1. *dub. x. sect. iv. n.* 58. De aliis privilegiis tum in vita tum in morte, ac indulgentiis quibus praefati familiares gaudent agunt Pater Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 67. per plures articulos Lezana *tom.* 2. *Cap.* 16. & alii &c.

40 Ultra Familiares & inservientes, qui cum Religiosis cohabitant considerandi adhuc veniunt Procuratores; ii scilicet, qui Religionis, Provinciae, aut Conventus cujuspiam negotia gerenda suscipiunt: ex P. Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 40. *art.* 1. Et hos eligendi potestas sine dubio Praelatis Regularibus inest respective; ita quod Superioribus generalibus Procuratores pro causis Religionis, ejusque negotiis, Advocatos, Consultores, declarare & literis patentibus deputare a jure competat & liceat, praecipue apud Romanam Curiam & ubicumque si velint; Provincialibus autem in tota Provincia, sicuti Superioribus localibus pro Conventibus respectivis, habito tamen Generalis, saltem Provincialis placito pro majori firmitate. Et quamvis generaliter loquendo pro Regularibus omnibus Procuratores aptius institui & eligi a Religiosis in Conventu degentibus de Familia nititur probare Rodericus *tom.* 3. *qu.* 38. *art.* 1. & 2. attamen hoc procedit principaliter, quando per deputatum legaliter Procuratorem debeat juridicus formari contractus: nec unquam actus peculiaris, qui in occurrentibus casibus posset aut adimpleri deberet velit tollere directivam potestatem legitimo Superiori. Procuratoribus autem privilegia pariter & gratias fuisse concessas constat per monumenta, quae affert ex Casarubbio, Sorbo & Portella P. Lezana *tom.* 2. *Cap.* 17. *per tot.* Verum quatenus privilegia hujusmodi ab Ordinariorum jurisdictione eos eximant fore sublata non potest negari per Tridentinum *sess.* 24. *Cap. XI. de reform.* quia ibi excipiuntur tantum veluti jurisdictioni Ordinarii minime subjecti ii, qui illas tres possident conditiones, de quibus n. praecedente &c. reliqui per consequens sub lege annullante exemptiones nequeunt non comprehendi. Alexand. *cons.* 107. *in cons. & lit. n.* 2. *lib.* 1. *& cons.* 7. *in consult. n.* 8. *V. Quarto probatur cum communi.* Propter quod patet, verti in oppositum rationem quae per laudatum

Le-

Lezanam adducitur *tom.* 2. *Cap.* 17. *n.* 5. pro dictis Procuratoribus; videlicet, quod non requirantur pro exemptione ipsorum tres illæ conditiones, quia revera non serviunt Regularibus: retorquetur etenim argumentum in casu, nimirum; quod excipiuntur per caput d. Tridentini tamquam non subjecti jurisdictioni Ordinarii, ii qui actu inserviunt Regularibus & sunt vere commensales sub eodem tecto & sub obedientia Superioris &c. Procuratores vero non inserviunt, neque sub eodem tecto vivunt, nec ut in plurimum sunt commensales & obedientiæ addicti, ideoque in exceptione Tridentini nequaquam comprehendi dignoscuntur. Quod deinde Procuratores, licet non exempti, possint admitti a Religiosis quorum negotia agunt ad Divina Officia tempore interdicti, jam resolutum fuit *tom.* 1. *dub. X. sect. IV. n.* 58. prout gaudere eosdem participatione omnium spiritualium bonorum, jejuniorum nempe, orationum, Sacrificiorum operumque aliorum piorum, quæ in Religionibus quibus sunt addicti fiunt, debemus addere: idemque de Medicis cæterisque Benefactoribus, Devotisque peculiaribus, veluti expresse continent patentales literæ, quæ Prælati ipsimet Religionum in signum grati animi iis dispensant: ex privilegio Julii II. in Bulla *Alias venerabilem* apud Peyrinum *tom.* 1. *privil.* inter Constitut. Jul. II. n. 4.

APPENDIX

De Sindicis Apostolicis Fratrum Minorum.

41 Fratres Minores Regularis & Strictioris Observantiæ, aut sub quocumque diverso nomine vagentur, puritatem Regulæ profitentes habent Sindicos Apostolicos, qui etiam munus Procuratoris agunt, ut cum P. Rodriguez & Casarubbio notat Lezana *d. Cap.* 18. *n.* 12. Verumtamen aliquid plus quam Procuratores aliarum Religionum præseferunt, adsistit etenim Fratribus, loco & vice ipsius Summi Pontificis & Apostolicæ Sedis, ad hoc ut nomini Pontificis aut Sedis præfatæ eleemosinas d. Fratribus elargitas recipiant & administrent juxta occurrentes necessitatum exigentias ad normam præcipue Constitutionis Pauli PP. IV. incipien. *Ex Clementi die* 1. *Julii an.* 1555. per integrum relatæ a laudato Roderico *tom.* 3. *qu.* 39. *art.* 4. Unde a Prelatis quidem Ordinis nominantur & eliguntur hujusmodi Sindici sed institutio eorum a voluntate & dispensatione Summi Pontificis pendet & derivat: ex animadversis per Doctorem eumdem *qu. cit.* 39. *art.* 7. Prælati vero quibus commissa est nominatio opportuna Syndici sunt proprie Generales, Provinciales & Custodes: pro quibus tamen intelliguntur Custodes ii, qui independenter gubernant tamquam Ministri: juxta monumenta allata per Rodericum eumdem *ar.* 1. quamvis non prohibeantur nominare illam etiam Guardiani, sed veluti delegati a Ministris & de horum placito, & Rodericus ibidem: necnon P. Matteucci qui nominationem Syndicorum extendit ad Procuratores generales, & Commissarios Curiæ sic dictos in Offic. Cur. *Cap.* 51. *sub num.* 1. post Sanctorum in Comment. statut. 38. *in fin.* Porro uniuscujusque hujusmodi Syndici facultates & munera docte simul & diligenter recenset citatus Rodriguez in *qu. cit.* 39. per quatuor articulos distributa: simul & Pater Sanctorus in Commentar. *Cap.* 4. *stat.* 4. necnon distincte explicat P. Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 17. *n.* 24. *& seq.* sed fusius in libro cui titulus *Schola paupertatis*, pluribus, & disparatis in locis ibi ut legere quis potest, inspecto prius indice Operis. *V. Syndicus.* Et licet super aliqua inibi exarata posset disputari; quia nihilominus in sententia saltem probabili semper sistit, relinquo veritatem perspicacius indagandam studiosis ac peritis in Regula simul & super expositionibus ejus per diversos Summos Pontifices editis, sensum puriorem apprehendere non ignorantibus. Non dubitatur autem posse Syndicos alterum dependentem, seu minus principalem qui vices eorum gerat circa receptionem eleemosinarum, & expensas minutas præsertim, pro ipsis fratribus, peragat, substituere, propterea substituti nomine nuncupatum, cum iisdem respective muneribus & facultatibus ex P. Matteucci in Schol. paupert. *tit.* 6. *conf.* 2. *n.* 6. 7. *&* 8. & ex communi praxi.

42 Quantum ad indulgentias, aliasque spirituales gratias quibus Syndici Fratrum Minorum perfruuntur, ultra illas, quæ conceduntur Procuratoribus Religionum in genere, leguntur plures in diplomatibus Summorum Pontificum, ipsismet distinctius impertitæ, ut tangit P. Lezana. *q.* 2. *d. Cap.* 17. *n.* 3. & clarius signat laudatus Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 40. *n.* 3. Ubi considerandá est indulgentia per Innocentium Papam VII. elargita Syndicis ipsis eorumque sobstitutis, quæ expresse magis habetur in Bulla Clementis item VII. *Dum desideramus* §. 1. *la* 19. *in Bullar. Cher. tom.* 1. cum participatione speciali omnium

omnium operum piorum, quæ in ſimplici Religione peraguntur; apud d. P. Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 51. *n.* 2. Aliæ deinde temporales gratiæ, quod nempe gaudeant privilegio fori, quod poſſint conveniri coram uno Conſervatore Judice privative, ſint exempti a repreſaliis, & immunes ab oneribus Communitatis recenſentur a P. Rodriguez d. *tom.* 3. *qu.* 40. *art. ſignanter* 4. & cum recentioribus Decretis per P. Matteucci dicto *Cap.* 51. *per tot.* Vnum tantummodo noto, attentis diplomatibus in caſu adductis, nequaquam regere doctrinam Patris Lezanæ, quod hujuſmodi Syndici potiantur privilegio fori & poſſint conveniri apud Conſervatores in cauſis præciſe ſpectantibus ad eorum officium, videlicet Procuratoris & Sindici, non vero in aliis tangentibus ipſos, quatenus tales perſonæ ſunt. d. *Cap.* 17. *n.* 13. Nam contra hoc facit aperta diſpoſitio ipſiuſmet Clementis VII. ibi. In quibusvis cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis, ac explicatio ſimul & confirmatio ejuſdem privilegii per Innocentium s. m. XI. in Brevi *Alias pro parte ubi §. VIII. affertur Decretum S. Cong.* per ipſum Breve Innocentii confirmatum: nimirum *Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci ex Bulla fel. rec. Clementis VII. gaudere privilegio fori tam in cauſis civilibus quam criminalibus & mixtis*, etiam motis ante eorum deputationem seu institutionem in officio syndicatus, cum reliquis apud eumdem Matteucc. *loc. cit. ſub n.* 3. Hoc tamen non obſtante, debet intelligi privilegium præcipue quod conveniantur coram Conſervatore Religionis, ſano modo, ita quod, a juriſdictione Epiſcopi proprii prorſus ipſimet Syndici nequaquam eximantur, ſed poſſint conveniri apud Conſervatores dictos in caſibus tantum a jure permiſſis, ut infra occurrente ſermone de Conſervatoribus ſatis perſpicue patebit, propter quod extat Decretum S. C. C. in Inſulana exemptionis 5. *Julii* 1710. Quod nempe Syndicus Apoſtolicus PP. Min. de Obſervantia nec in actuali Viſitatione, nec extra, a juriſdictione Epiſcopi ſit exemptus, & ideo executio facta contra ipſum a Curia Epiſcopali non invalidetur ob dictam aſſertam exemptionem Decr. lib. 60. Attendenda etiam venit, procul omni dubio, conſuetudo.

§. Un. Porro omitti nequit ad rem noſtram votum deciſivum, quod prodiit ultimo in cauſa Aſculana a Congregatione ſpecialiter deputata, & ab Auditore Sanctiſſimi Regnantis BENEDICTI XIV. Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Millo extenſum, necnon ab ipſomet Sanctiſſimo D. N. confirmatum, & tamquam deffinitiva ſententia approbatum ſubdie 16. Martii 1741. ſuper dubio: *An Syndici Patrum Minorum Obſervantium teneantur ad onera communitativa?* Renovata namque controverſia ſuper hoc jampridem inita *ab anno* 1732. Et acriter hinc & inde agitata inter Communitatem Terræ Anſidæ & alias Communitates totus ſtatus Eccleſiaſtici ex una parte: & N. N. Syndicum & omnes alios Syndicos Seraphicæ Religionis Sancti Franciſci ſtatus Eccleſiaſtici ex alia, tamdem dicto dubio a præfata Congregatione datum fuit reſponſum nemine diſcrepante: *Quoad præteritum Syndicos eſſe abſolvendos*, utpote fuerint in bona fide. *Quoad futurum vero teneri ad onera Communitativa. Et ad mentem*. Mens autem fuit, ut eadem deciſio approbaretur a Sanctiſſimo ſupplicatione ei porrecta, veloti de facto ut mox diximus approbata & confirmata fuit. Veruntamen pro oneribus communitativis accipiuntur impreſentiarum collectæ quæ exiguntur a Communitatibus, aliæque taxæ, & gabellæ, reliquis omnibus impoſitæ ut in dicto voto. Cœterum exemptio a foro laicali, necnon a ſubeondis perſonalibus publicis Officiis & muneribus Commonitatis in eodem deciſivo voto non controvertitur, immo ſupponitur Syndicis elargita, ab iiſque poſſeſſa, ut ibi §. *Mature vero*. Quamvis deinde limitatum ſit quoque dictum privilegium fori ad cauſas eas, quæ non vertant inter Syndicos & Cameram, ut in alio Decreto.

43 Hac pariter occaſione decidendum obvenit. An Syndici Apoſtolici poſſint recipere & exequi legata pia, quæ quomodocumque Fratribus Minoribus de Obſervantia, vel Capuccinis a piis Teſtatoribus relinquuntur? Pro cujus ſolutione quæſiti non poteſt non ſupponi tamquam indubitatum principium, Fratres Minores præfatos annuorum legatorum directe ipſis relictorum fore incapaces: juxta vulgatos textus; in *Cap. Exiit qui ſeminat de Verb. ſignific. in* 6. *Et in Clement. Exivi eod. tit.* Eſto legata ipſa ſive annui redditus per modum puræ eleemoſinæ ſolvi & adimpleri deberent: adiuncto etiam onere Miſſarum annuatim in eorum Eccleſiis celebrandarum. Fagnan. *in Cap. Nimis prava de exceſſ. Prælat.* & late Card. Petra *tom.* 2. *ad Conſt.* 5. Honorii III. *ſect. IV. per tot.* conſonat doctrina Matteucci

in

in Schol. paupert. *tit.* 1. *Conf.* 5. *& tit.* 3. *conf.* 3. Ratio unica est, quia repugnat statui paupertatis etiam in communi eorumdem Fratrum habere redditus certos annuatim sub quocumque titulo, prout ultra Decreta S. C. Reverendæ Fabricæ relata per Card. Petra loc. cit. n. 50. & 51. firmant Decreta alia S. C. C. in Brundusina adimplementi legati 5. & 26. *Augusti* 1719. *ad primum decr. lib.* 69. In Justinopolitana Missarum 19. *Novembris ejusdem anni*; ac in Neapolitana 19. *Septembris* 1722. *decr. lib.* 72. Ista itaque admissa suppositione limitabitur quæsitum præsens: an salvari possint dicta legata tamquam in subsidium Fratrum eroganda quoties Syndico ipsi directe relinquantur, vel persona Syndici in legatis instituendis interponatur & nominetur? At absolute loquendo non potest non tribui quæsito etiam sub tali limitatione responsio negativa; videlicet, nil juvare pro valore dictorum legatorum ac piarum voluntatum, quod instituantur hæredes, sive executores Apostolici Syndici; & ratio apparet etiam evidens, eo quia per hujusmodi coloratam tergiversationem aperiretur via Fratribus contra eorum professionem percipiendi fructus, & redditus certos. Bald. *in authent. Ingressi n.* 50. *C. de Sacros. Eccles.* & alii allegati a Fagn. *in Cap. Nimis prava de excess. ubi supra n.* 2. *& seq.* Matteucci in Schol. paupert. *tit.* 3. *conf.* 3. *per tot.* signanter *n.* 7. Hinc depositio & donatio facta a piis benefactoribus ad favorem PP. Reformatorum pro Missis ab iisdem celebrandis & lana emenda ad eorum habitus conficiendos, etiamsi directa fuerit Syndicis Apostolicis pro tempore, & redditus assignati tum pro Missis tum pro lana erogandi forent titulo eleemosinæ, fuit declarata nulla per Sacram Cong. Conc. in Marianen. piarum dispositionum 6. *Julii* 1719. *decr. lib.* 59. Sicut & in Pisaurien. hæreditatis *sub die* 25. *Januar.* 1727. cum vi dispositionis testamentariæ hæreditas quædam decaderet Syndico Apostolico Fratrum Prædicatorum, addita obbligatione eidem Syndico: ut impenderet hæreditatem in beneficium Ecclesiæ Fratrum omni meliori modo proposito dubio: *An hæreditas Luciæ Tosaniæ sit adjudicanda Syndico Apostolico Patrum Minorum Observantium Montis Barocci?* S. C. C. respondit *Negative*. In Thesaur. *resol. Urban. tom.* 4. *pag.* 12. Ex quo aperte dignoscitur; neque posse institui hæredem ipsum Syndicum, ad hoc ut hæreditate divendita pretium applicet Fabricæ Conventus sive Ecclesiæ, attenta quoque doctrina Bartol. *in l.* 1. *n.* 5. *C. de Conduct. & Procur. lib.* 11. Bald. *in prædict. Auct. n.* 55. *& Conf.* 416. *lib.* 4.

44 At possunt ne dari casus sive exceptiones in quibus Fratres ipsi Minores medio saltem eorum Syndico tamquam executore nomine alterius vel Sedis Apostolicæ piarum dispositionum donationum atque legatorum sint capaces? Respondeo ut prolixitatem evitemus breviter casus ipsos recensendo juxta approbationem Doctorum nec non Apostolicæ Sedis. Et primo posse Fratres in casu dubio donationes &c. recipere, si beneplacitum accedat Apostolicæ ipsius Sedis sancivit S. C. C. in una Bononien. *Legati* 6. *Julii* 1693. posse videlicet hæredem adimplere voluntatem Testatoris assignando annuatim titulo eleemosynæ dictis Fratribus fructus capitalis relicti ab eodem Testatore cum onere Missarum pro dictis Missis celebrandis *facto tamen verbo cum SSmo decr. lib.* 43. Item in Firmana legatorum 31. *Maii* 1721. censuit S. C. eadem posse Fratres prædictos retinere pretium terræ ex præviis legatis desumptum cum onere tamen celebrandi duas Missas singulis annis: *facto etiam verbo cum SSmo* Decr. lib. 71. pag. 159. Verum hic modus introducendi sensim legata annua consulunt paupertatis amatores quod debeat reiici, utpote dispensationem saltem implicitam & privilegium relaxativum videatur inducere, cui PP. Regularis Observantiæ ut in motu proprio Innocentii S. M. XI. Incipien. *Solicitudo* de anno 1679. & in Cap. 4. Compilat. Sambuc. §. 1. n. 2. nec non Reformati initio Statutorum Cap. 1. n. item 1. aperte abrenuntiarunt. Secundo posse recipere Fratres legata eroganda eismet titulo eleemosynæ pro una vice vel in propria specie; ex. gr. frumento oleo vino *per se ipsos* vel in pecunia, seu alicujus mobilis vel stabilis in pecuniam permutandi medio Apostolico Syndico; dummodo præstatio ob subveniendum in necessariis modo licito ab ipso hærede, nec legatum sit in magna quantitate absque fraudis nota contra mendicitatem professam: sustinent Roderic. *qu. regul. tom.* 2. *qu.* 127. *art.* 1. Cordub. super Regul. *cap.* 6. *qu.* 8. & alii apud Petram loc. cit. *sect.* 4. *n.* 33. ubi allegat resolutionem super hoc S. C. in respons. ad primum n. 34. Addens quod legata solvenda pro una vice possunt acceptari etiam in summa considerabili. Dummodo sint applicata alicui fabricæ necessariæ, veluti Sacristiæ de novo erigendæ aut Bibliothecæ cum Card. de Luc.

dec.

dec. 25. *n.* 8. *de Parech. & de Regular. disc.* 35. *n.* 15. *&* 16. nec non Fagnan. citante Decreta S. C. in Cap. d. *Nimis prava* n. 48. Nihilominus circa hoc considerandа etiam veniret paupertas quam præ cœteris Religionibus profitentur Minores ipsi Fratres Regularis nimirum & Strictioris Observantiæ; ne scilicet nimius sumptus insumeretur in fabrica excedente cautelam quam Sanctus Pater insinuat in suo Testamento; ubi *Caveant sibi Fratres ut Ecclesias & habitacula & omnia alia quæ pro ipsis construuntur penitus non recipiant; nisi essent secundum sanctam paupertatem quam in Regula promisimus &c.*

45 Legata vero annua constans resolutio & responsio communiter datur, non posse uti supra a Fratribus Minoribus acceptari neque medio Syndico; eo quia inducant certitudinem redditus quæ omnino repugnat eorum mendicitati vivendi de incertis eleemosynis & voto instituto soli Divinæ Providentiæ se remittendi Rot. decis. 1326. n. 9. coram Emerix Jun. Addend. ad Buratt. *dec.* 756. *n.* 15. *& seq.* Non desunt tamen responsiones peculiares assertam incapacitatem recipiendi Legata in quibusdam casibus & circumstantiis moderantes: etenim per Sacram Congregationem specialiter deputatam a fel. rec. Urbano PP. VIII. sub die 9. Septembris an. 1628. resolutum legitur; quod legata pia quoties annuatim sine aliquo onere Fratribus relinquantur possint in totum extingui & divendi ad effectum illorum proprietatem & pretium convertendi in usum fabricæ vel Sacristiæ. Ut ibi *ad primum*. Et id per Syndicum Apostolicum; ut in respons. ad secundum. Insuper quascumque prohibitiones de non acceptandis attenta incapacitate Legatis annuis, neutiquam afficere ipsosmet Fratres si Legata sint infra decennium, sed in his tantum quæ fiunt ad decem annos & ultra: ibi in respons. ad ult. apud Card. Petram *d. tom. 2. ad Const. 5. Honorii III. sect. IV. sub n.* 37. Item propositis aliis dubiis quantum ad fabricam & Sacristiam Ecclesiam &c. declaratum est iterum per eamdem peculiarem Congregationem a Sanctissimo deputatam: valere Legatum annui redditus factum Sacristiæ vel fabricæ Ecclesiæ vel Conventus Fratrum Minorum tam de familia quam Reformatorum *nisi adsit excessus in quantitate*: atque posse Syndicum Apostolicum hujusmodi Legata in judicio exigere, ut in responsione *ad* 1. *&* 2. Hujusmodi resolutiones apud Cardinalem Petram exaratas retuli: cœterum ipsasmet singillatim examinando ducerem primo extinctionem annuorum Legatorum totam simul nequaquam licere, quoties pretium non esset convertendum in fabricas necessarias & usus Sacristiæ, sed juxta paupertatem status; nec itidem posse acceptari indifferenter Legata annua si excederent necessitatem Fratrum in ordine ad quemlibet usum respective esto limitarentur infra decennium; cum alioquin vulneraretur Regula super quam non præsumitur Sancta Sedes in substantialibus dispensare. Arg. *Cap. Ecclesia vestra de elect. Cap. cum ad Monasterium de stat. Monach.* Cap. 1. *Licet Romanus de Constit. in* 6. Card. de Luc. de Emphyt. *disc.* 21. *n.* 6. juxta dictamen Rot. cor. Seraph. *dec.* 773. *n.* 17. *& decis.* 965. *n.* 15. Similiter annuos redditus pro Sacristia Ecclesia vel Bibliotheca etiamsi absit excessus in quantitate inducere magis vel minus proprietatem & certitudinem proventuum, non potest negari, nisi interveniret protestatio ex parte Fratrum se non acquirere actionem ullam, & ulterius libertas ex parte solventis: qua tamen adimpleta conditione etiam posse subsistere legata facta pro infirmariis, seu infirmis subveniendis adderem cum Card. de Luc. de Regul. *disc.* 35. *n.* 15. & Rot. *dec.* 16. *n.* 5. *part.* 2. *recent.* Piton. *tom.* 1. *post discept.* 2. uniformiter ad declarationes S. C. quas afferunt. Pater ipse Lantusca V. *Legatum* Nicol. in flosc. V. item *Legatum* Quod si Fratres quaorum ad infirmos pro solutione legati nequirent agere in judicio neque per se neque medio Syndico, posse tunc absque impulsu præfatorum Episcopum ex officio compellere hæredes ad solvendum, utpote in hoc casu & similibus executorem a jure; colligitur *ex Cap. nos quidem de testam. juxta textum in l. Hæreditas in fine ff. de petit. hæred.* Firmante Rot. in Turritana eleemosinarum, *& legat. decis.* 1326. *n.* 4. *& seq.* Quantum autem ad legata eadem facta uti supra fabricæ Ecclesiæ, Bibliothecæ, vel Sacristiæ, si teneretur quod Syndicus posset agere in judicio non nomine Fratrum, sed Sedis Apostolicæ dumtaxat ad normam item decreti Congregationis sub Urbano VIII. supra citato *Ad primam*; hoc sane deberet procedere secundum conditionem assignatam in responsione ad tertium quæsitum ibi. *Non licere annui redditus legata erogare in usus Fratrum, sed illa omnino converti debere in usus a Testatoribus præsumptos*, Apud Petram loc. cit. *sub n.* 37. Et adderetur debere id effici cum laudata semper protestatione

exce-

excepta ex D. Bonaventura per diligentissimum Cardinalem Petram ibidem *sub n.* 42. ℣. *Cum asseratis*; ut salvetur indeclinabilis paupertas & abdicatio pro parte Fratrum annui redditus certi pro eorum sustentatione. Perpendendus d. Cardinalis Petra loc. cit. *n.* 41.

46 Pro pleniori adhuc notitia in hac materia quoad legata sive relicta annua, vel sint cum onere Missarum celebrandarum aut alterius piæ executionis, vel gratis & quomodocumque elargita, advertendum necessario venit, qualiter Sacra Congregatio signanter Concilii in hujusmodi dubiis respondere sit solita serventur Decreta S. C. R. Fabricæ, præcipue de anno 1633. eidem Congregationi valde deferens in proposito teste cum aliis Card. laudato Petra loc. cit. *sect.* 4. *n.* 50. ubi decreta dantur per extensum. Decreta autem ipsamet S. d. Congregationis continent primo, quod legatorum annuorum cum onere Missarum celebrandarum sint revera incapaces Fratres Minores tum Regularis tum strictioris Observantiæ, tum Capuccinorum, ut *n.* 50. *cit. in respons.* ad primum verum *quod possint illa per modum eleemosinæ accipere a sponte offerentibus, celebrando Missas ad rationem rei acceptæ, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo prius protestentur, se illorum capaces non esse*, Quod si in pecunia consistant debeant recipi per solum Syndicum Apostolicum pro necessitatibus Fratrum eroganda ibi. in responsi. ad secundum & tertium. Et universaliter quoad legata hujusmodi vel cum onere Missarum aut alicujus alterius piæ executionis, ut mox dicebamus, vel gratis relicta aut quocumque modo in usum & beneficium Fratrum eroganda, citatum idem Decretum S. C. Fabricæ sub anno 1633. de expresso mandato Summi Pontificis Urbani PP. VIII. sancivit & addidit: posse quidem per Fratres vel eorum Syndicum recipi per modum eleemosinæ sponte oblatæ ab hæredibus, eademque legata non tradita ab hæredibus seu aliis debitoribus post lapsum duorum annorum a die institutionis seu obitus testatorum jus esse R. Fabricæ S. Petri sibi vendicare pro portione anteactis annis non adimpleta, & in reliquo conservari debere obnoxia dispositioni S. Apostolicæ Sedis: Insuper ad evitandas fraudes, nequaquam esse in potestate hæredum sive debitorum se componendi cum d. R. Fabrica pro diminutione solutionis, sed per integrum esse exigenda decrevit eadem S. C. R. Fabricæ *die* 15. *Decembris* 1645. apud laudatum Card. Petram *ibi sub n.* 53. In Lucana item legati pii prius exposita in fol. publico *die* 10. *Julii* 1728. & resoluta *die* 31. *ejusdem mensis & anni*. Ubi proponebatur dubium; *An stante dispositione Testatoris qui fuit hæredibus mandavit; ut unum ferculum singulis hebdomadibus præstarent Fratribus Capuccinis, dictum legatum substineatur in casu?* Ad normam prædictorum responsum fuit per S. C. C. *Serventur decreta R. Fabricæ de anno* 1633. ut in tom. 4. Thesaur. resol. pag. 206. quæ profecto responsio pluribus in dies recurrentibus casibus potest applicari.

47 Ad solvendam deinde contradictionem apparentem in data doctrina, propter præmissa *n.* 43. quod nequaquam sint capaces Fratres de quibus in casu annuorum legatorum vel pro Missis celebrandis, vel gratis pro determinata re; v.g. pro lana emenda, & etiam titulo meræ eleemosinæ præstandorum, adductis super hoc S. C. C. decisionibus. Et propter addita deinde *n.* 44. circa medium quod possint Fratres eadem legata recipere, vel per se ipsos in propria specie, vel per Syndicos si sint in pecunia sub puræ eleemosinæ titulo, explicatio occurrit facilis. Nempe titulum ipsum puræ eleemosinæ posse esse obligatorium aliquando respectu hæredum, & sub hoc titulo aperiri etiam viam Legatariis exigendi redditus tamquam sibi debitos, ut si testator relinqueret eleemosinam certam pauperibus distribuendam, aut alicui operi pio jure Conventui alicujus Religionis expensis erogandam, possent namque in casu ii pro quibus sublevandis sive juvandis instituta fuissent legata ea prætendere tamquam ab hæredibus de jure præstanda, quæ vero sane prætensio & actio Fratribus Minoribus per decreta allata & rationes prohibetur in casu. Vel titulum puræ eleemosinæ intelligi adnexum libertati conferentis, respectu saltem Fratrum Minorum in casu eam recipientium; ita quod rem sub titulo eleemosinæ puræ tamquam sponte oblatam accipiant, cum protestatione abdicationis cujuscumque proprietatis juris & actionis super illam: *nil petendo ab offerentibus quasi ex debito, sed more mendicorum*, ut ait D. Bonaventura in data formula protestationis apud Petram, *aut pro quotidiana eleemosina quamdiu hæredi placuerit, sed quando plus nollet abiremus vacui gratias agentes de dato & non murmurantes de negato*. Et ecce titulus seu modus, cujus in dictorum legatorum executione Fratres Minores, eleemosinarum collatarum per decreta sibillata *n.* 45. & præ-

praecedenti 46. sunt declarati capaces: prout confirmavit iterum S. C. C. in Firmana *die 2. Octobris anni* 1721. Videlicet; *dictos Fratres teneri dimittere censum vel dictum eorum Syndico cum onore erogandi fructus in celebrationem Missarum; sed posse recipere eosdem fructus ab haeredibus per modum eleemosinae lib. decret.* 71. *pag.* 453. Neque hic omittere est opportunum, nil juvare Fratres quod legata fiant Syndico considerato tamen, non ut tali, sed veluti tertiae personae cum obligatione solvendi ea Fratribus ipsis, ut notat pariter Pater Matteucci in Schol. paupert. *Consult.* 65. utpote haec formula non adimat de securitate redditunm, cujus omnino sunt incapaces Fratres in casu. Barbos. *in Clement. Exivi n.* 20. *&* *de jur. Ecclesiast. Cap.* 27. *n.* 77. Bene quidem, quoties legatum fieret Syndico ipsi tanquam Personae tertiae cum onere impendendi fructus in tot eleemosinas vel pro celebratione Missarum vel aliter & etiam gratis, Regularibus tamen quibusvis pro sui libito elargiendas atque inde vellet Syndicus veluti tertia persona Fratribus de Observantia vel Reformatis vel Capuccinis respective suae curae remissis praelationem dare: certum est quod apparenter nil contra legem, quia cum elargitio eleemosinae dependeret ab arbitrio alieno videretur excludi certitudo ipsius, propter quam infertur in Fratribus incapacitas legatorum in casu: juxta allegata &c. Hoc non obstante securitas etiam in hac suppositione non posset non relevare saltem moralis, periculum proinde collusionis in lege; eo vel magis quod si Syndicus pro tempore non praeferret Fratres sibi commendatos probabilitati se exponeret remotionis ut daret locum alteri erga Fratres benigniori.

48 Non erit abs re demum resolvere, licet casualiter dubia nonnulla, quae passim occurrunt in hac eadem materia. Primum: an Fratres praefati Regularis & Strictioris Observantiae necnon Capuccinorum sint capaces muneris distribuendi dotes, sive subsidia dotalia: attenta ultima voluntate Testatoris? Et opportet respondere. *Negative*, prout decisum invenitur per S. Cong. Episc. & Regul. die 28. Septembris 1696. necnon per S. C. C. *in una Nullius* seu *Montis Cassini* distributionis subsidiorum dotalium die 24. Septembris 1729. decr. lib. 79. Et in alia sub die 28. *Januarii* 1730. cum expressione ibi. *Ordinarius, seu ab eo deputatus assistat & omnia faciat loco P. Guardiani Capuccinorum*: dec. lib. 80. juxta relata item in fol. publ. alterius Papien. Subsidii dotalis die 18. Augusti 1731. tom. 5. thesaur. pag. 179. Secundum dubium: An Fratres hujusmodi sint capaces legatorum, quae fiant contribuendi eis res in propria specie pro usu Ecclesiae, Sacristiae &c. cui videtur danda quidem affirmativa; juxta resolutionem. S. ejusdem C. C. in Faventina Legatorum die 2. Martii 1697. lib. dec. 47. nimirum. *Capuccinos consequi posse legatum annuum centum librarum olei & 25. librarum cerae albae pro servitio Ecclesiae & haeredes teneri illas solvere*. Apud Card. Petra *loc. cit. n.* 41. Quinimmo inferius *d. sect.* 4. *concedit*, legata hujusmodi pro lampade Ecclesiae, hostiis vino Missis necessario & aliis ad cultum Divinum spectantibus posse ac debere exigi, utpote directa, non in Fratres sed in Ecclesias pro cultu Divino, nec praejudicialia mendicitati Fratrum quoad victum & alimoniam eorum, congeritque catervam Doctorum cum limitatione tamen opportuna; nempe: *quod possint peti ab ipso Syndico Apostolico*. Adde *Nomine Apostolicae ejusdem Sedis*. Ex Barbos. *in Clement. Exivi. n.* 29. Amostaz. de Caus. piis *lib.* 4. *Cap.* 3. *n.* 78. & Rot. *in dec. cit.* 1219. *n.* 3. coram Emerix Jun. Attenta quoque limitatione superius *n.* 44. *&* 45. in fine, nempe quod non sit excessus in quantitate nec ullatenus in alios usus convertantur legata praeter voluntatem Testatoris. De his & usque nunc memoratis legatis tractat distincte & doctrinaliter P. Matteucci in Offic. Curae Cap. 30. Nihilominus plura ibi concedit seu concessa ad praeces Fratrum a Sede Apostolica refert, quibus veluti puritati exactiori Regulae professae minus consentaneis abrenuntiant Minoriticae paupertatis professores arctiores, ut sunt inter alios Cultores Recessuum vulgo *Ritiri* tum apud Reformatos Sancti Bonaventurae in Urbe tum Regularis ipsius Observantiae Palumbariç scilicet Civitellae & alibi. Scrupulos attamen ingerere non intendo & quamvis abrenuntiantes liberiori explicationi perfectius agant, quoties declarationes & Decreta Apostolicae Sedis afferantur pro aliis, ipsis censuram innurere non est mei juris. Tertio potest dubitari an Fratres praefati valeant in Ecclesiis eorum retinere capsulas pro receptione eleemosynarum ob Missas celebrandas? Et negative respondetur juxta commune Doctorum placitum & S. C. Concilii declarationem apertam in una minorum Observantium capsularum 7. Julii 1708. decr. lib. 58. Insuper cum concessa fuisset Patribus Reformatis de novo Ecclesia magnae devotionis prius Saecularis

laris in qua repoſita erat capſula ejuſmodi eleemoſynarum recipiendarum pro Miſſis, ordinavit S. dicta C. capſulam eſſe amovendam etiam a veſtibulo ipſius Eccleſiæ & eleemoſynas deinceps recipiendas fore a Syndico Apoſtolico Religioſorum, qui teneretur reddere rationem Ordinario ſingulis quadrimeſtribus in Novarien. eleemoſynarum 27. *Junii* 1699. 20. *Martii* 1700. decr. lib. 50. Supeſeſſet dubium. An legata pia vel eleemoſynæ a Benefactoribus elargitæ ſaltem medio Apoſtolico Syndico poſſint applicari fabricis ſumptuoſis Conventoum vel Eccleſiarum ad ornatum ſive conſtructionem magnificam Cappellarum Altarium aut officinarum? At ſuper hoc quæſitum doctrinam hinc & inde afferre piget. Tantum moneri ſufficiet Sancti Patris mentem ſuperius in fine numeri 44. ad verbum relatam, nec non principium inconcuſſum, Religionem Minoriticam fundatam eſſe in paupertate & reformationes omnes ad paupertatem principaliter reſtaurandam exortas fuiſſe & intendiſſe.

49 Duo demum adnotantur pro inſtrutionum complemento in occurrentibus caſibus. Unum, quod licet Fratres Minores Sancti Franciſci ſint incapaces redditnum certorum annuorum pro Miſſis celebrandis, non poſſit tamen hæres transferre legatum celebrationis Miſſarum affixum Altari determinato in eorum Eccleſiis ad Eccleſiam aliam, ut in Brundeſina adimplementi legati S. C. C. reſpondit *ſub die* 26. *Auguſti* 1719. *decr. lib.* 69. Aliud quod in ſuppoſitione obligationis impoſitæ hæredibus a Teſtatore, ut Miſſam perpetuam celebrari faciant in Eccleſiis dictorum Fratrum abſque determinatione aut nominatione Capellani, attenta æquitate ſint præferendi cœteris Sacerdotibus exteris Fratres iidem, ut in Romana oneris Miſſarum 12. *Januarii* 1732. ad primum dubium in fol. publ. S. C. C. Theſaur. reſol. pag. 248. Et ut terminemus cum Syndicis dubietates caſualiter exortas de ipſis tractando, minime eſt reticendum qualiter habeant quamvis privilegium alienandi res ad uſum Fratrum ſpectantes, quatenus ſint ſuperfluæ, & alias donatas vel teſtamento relictas nomine Sedis Apoſtolicæ vendere juxta diſpoſitiones ejuſdem Sedis apud Matteucci in Schol. paupertatis *tit.* 1. *conſ.* 6. *a n.* 7. *& tit.* 4. *conſ.* 1. *a.* 7. *ſeq.* Verumtamen per declarationem recentiorem *die* 18. *Martii* 1719. hæc eadem facultas in eis limitatur: nimirum, quod quæcumque bona mobilia prætioſa Eccleſiis Fratrum incorporata nequaquam alienare queant abſque Apoſtolico beneplacito: quoad vero ad alias res omnes ſive donatas ſive teſtamento relictas nequeant devenire ad earum alienationem aut venditionem, niſi cum previa affixione edictorum, & attenta maiori oblatione: non obſtante privilegio cl. m. Pauli III. Ita decr. lib. 69. quod conſonat antiquiori decreto ejuſdem S. C. de mandato fel. rec. Urbani. VIII. edito die 7. Septembris 1624. referente Matteucci ubi ſupra tit. 4. Conſt n. 9.

SECTIO V.

De Poteſtate Prælatorum Regularium quoad inſtituendos Conſervatores.

SUMMARIUM.

50 *Conſervatores Regularium qui? & a quibus eligantur? in Religionibus reſpective.*
51 *Explicantur conditiones prærequiſitæ in ſubjectis eligendis in Conſervatores.*
52 *An poſſint eligi in Conſervatores Canonici Collegiatæ? Et an Regulares? §. un.*
53 *Deficientibus Judicibus Synodalibus, quomodo poſſit alter eligi? Et an eligi queat Cardinalis Epiſcopus, vel Vicarius Generalis?*
54 *Quanto tempore Conſervatores Regularium in officio perdurent? Examinatur Caput V. Concilii ſeſſ.* 14. *& Conſtitutio* Sanctiſſimus *Gregorii XV. Ubi de neceſſitate exhibendi literas electionis in Curia Epiſcopali §. Ua.*
55 *Expenduntur Conſervatoris munera, & primum quomodo procedere queat in cauſis Regularium, quando iſti ſunt, & habeantur ut Rei.*
56 *Conſervator tuetur item Regulares ſibi commiſſos a manifeſtis iniuriis, & violentiis, quæ explicantur. Et an in caſu quo Regulares forent Actores.*
57 Explicatur, *quomodo nequeat Conſervator ſe intromittere in cauſis, quæ exigunt judicialem indaginem, & an poſſit procedere unquam criminaliter.*
58 *An Conſervator, & quomodo poſſit erigere tribunal? Ubi de Notario proprio, & quod ſit vere Judex.*
59 *Contra Epiſcopum reſiſtentem, & contemnentem non admittitur poſſe deveniri ad cenſuras per Conſervatorem, bene tamen contra Vicarium generalem in caſu, & inferius n.* 63. *§.* 15.
60 *Jurisdictionem pariformiter ſervant Conſervatores circa Regularium familiares, &*

oblatos tribus pollentes conditionibus. Et quid de Syndicis Apostolicis Fratrum Minorum.

61 *An Conservatores possint exercere jurisdictionem extra Civitatem, & Diœcesim ubi situm est Monasterium sibi assignatum.*

62 *Agitur: an Conservator possit in officio subrogare & substituere, & resolvitur probabilius pro affirmativa cum additis cautelis.*

63 *De recusatione Conservatoris, & appellatione ab ejus judicio. De pœna ipsi debita si manifeste excederet in sui munere ibi §. 1. Quando non excedat tuendo Regulares adversus Curiam Episcopalem. §. 11.*

64 *Repetuntur, & distinctius explicantur duo munera, seu duo casus generici in quibus propriam adimpleant manus Conservatores, nec unus casus debet confundi cum altero. §. Un. & infra n. 66. § 1.*

65 Explicatur *iterum difficilis textus, quod nequeant se immiscere Conservatores in causis exigentibus judicialem indaginem. De quibus causis intelligatur, & quæ indago prohibeatur? Ubi de privilegiis assertis Religionum peculiarium quoad Conservatores §. 1. & si & quatenus sint communicabilia §. II.*

66 *Afferuntur casus expressi in quibus Conservatores nequeunt judicium exercere nempe in causis in quibus Ordinarii per Concilium specialiter delegantur super Regulares & super quibus partes consenserint coram præveniente ipso Ordinario. Et in causis mercedum & miserabilium personarum.*

67 *Privilegium Conservatoris quod hic habeat privativam etiam respectu Nuntii Apostolici &c. non amplius regit. Appellatio item ab ipso ad Apostolicam Sedem admittit Delegatum Apostolicum tamquam appellationis Judicem. Conservatores item ipsimet in causis propriis subsunt Ordinariis regulariter.*

68 *Concluditur ad quæ restringatur privilegium Conservatorum in judicando &c. Quod nequeat in iis a quocumque molestari etiam in ordine ad Commendatarios.*

69 *Conservatoria etiam expediuntur a Papa & Dataria pro aliis quam pro Regularibus de quibus specialiter hic agimus, & omnia consonant doctrinæ BENEDICTI Regnantis XIV.*

50 UT redeamus nunc ad Prælatos Regulares eorumque dominativam & directivam potestatem, sicuti eligere & assignare Procuratores, ita Conservatores deputare & juxta normam Sacrorum Canonum instituere etiam valent. Conservatores autem in præsenti relictis aliis antiquioribus deffinitionibus sunt illi, quibus incumbit jura privilegia & bona Regularium manutenere defendere & conservare, proptereaque dicebantur antiquiores Regulares iidem conservatorias possidere quas sibi non esse sublatas per Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de Reform.* habetur ex eodem Cap. in fin. & decisum infert a S. Cong. Ventrigl. *tom.* 1. *adnot.* 23. *n.* 15. & post ipsum Pater Matteuc. Offic. Cur. *Cap.* 15. *n.* 1. At remittendo Lectorem tractatibus quos de his instituunt Doctores varii, Rodericus signanter *tom.* 1. *qu. regul. qu.* 65. per articulos viginti Lezana *tom.* 2. *cap.* 10. *per tot.* P. Matteucci cit. Offic. Cur. *cap.* 15. & recentius prolixiusque præ cœteris P. Petrus Maria Forti Societatis Jesu in integro tomo Mutinæ edito de anno 1743. ad tria quæsita hic limitabo sermonem: eritque primum quæsitum resolvendum utique secundum jus novissimum quodque est in praxi, absque eo quod distinguamus cum erudito equidem ipso Patre Forti inter jura antiquum novum quæ non sint in usu & novissimum ipsum quod omnino debet attendi; a quibus deputentur & quinam deputari possint in Conservatores Regularium? Secundum quod sit revera eorum munus? Tertium; quænam eorum sint privilegia? Et respondetur breviter ad primum: deputationem sive electionem Conservatorum spectare radicitus & originaliter ad Papam a quo omnis & quæcumque derivat jurisdictio & potestas, quod tamquam notissimum probationi non subjacet. Confertur autem hujusmodi potestas a Superioribus illius Religionis cujus respective jura & privilegia defendere & conservare Conservator idem inde sic dictus profitetur, ut in Constitutionibus Summorum Pontificum Clementis VII. Gregorii XIII. sed in illa signanter famosa Gregorii XV. incipien. *Sanctissimus in Christo Pater la* 9. *Bullar. tom.* 3. Qui vero sint isti Superiores, an Generales & Provinciales tantum, vel etiam locales? Generaliter resolvi nequit, cum pendeat ex uniuscujusque Religionis statutis; putarem tamen quemlibet Superiorem etiam localem hac potiri facultate nisi speciali jure prohibeatur, quoties sub ejus gubernio deputatio Conservatoris adimplenda cadat. Quilibet namque talis est vere Prælatus habens jurisdictionem in omnibus quæ ad regimen proprii Monasterii spectare consueverunt, ex alibi pluries dictis & Doctoribus communiter apud Tamburi-

num *tom.* 2. *diſput.* 1. *quæſ.* 2. *n.* 2. *&c.* Nec inſtrumentum ſive conſenſus Capituli exigitur, ut dictat P. Forti *art.* 13. *n.* 2. *&* 4. quia id non habetur in Bulla Gregoriana quæ unice obſervari præcipitur quibuſcunque aliis conceſſionibus abrogatis ut in eadem Bulla §. 1. niſi tamen id præcipiant municipalia jura juxta communem ſententiam. In Religione autem Minorum de Obſervantia, & proinde Reformatorum electio & nominatio Conſervatorum committitur Provincialibus per ſtatutum generale *Cap.* 12. §. 21. ubi propria datur formula per extenſum prout aliam aſſignat Peyrinus in Formulario Prælatorum *lit. C. Cap.* 20. pro ſua Religione in qua oſtendit nominationem & electionem in ſua Religione pertinere ad Capitulum Provinciale; & per Superiorem Provincialem dumtaxat literas patentes expediri atque perſonæ electæ deputationem notificari. Qua ſane electione & nominatione quomodocumque peracta ſtatim Apoſtolica auctoritate confertur Conſervatoribus proprium munus exercendi facultas tamquam Papæ delegatis : ex allegata Conſtitut. *Sanctiſſimus* Gregor. XV. Rodriguez *qu. cit.* 65. *art.* 2. Peyr. *tom.* 2. primo ad Conſtitutionem dictam Gregorii XV. §. 1. *n.* 7.

51 Quinam pariter poſſint in Conſervatores eligi ſeu quænam in iis qualitates prærequirantur? Ut relictis ſanctionibus & juribus antiquioribus Conſtitutioni Clementis VIII. n. 3. editæ *de anno* 1592. ſed potiſſimum jam cit. Gregor. XV. *Sanctiſſimus de anno* 1621. inhæreamus dicendum venit: in Judices Conſervatores hujuſmodi ſive ſint principales ſive ſubrogati eligi nominari & deputari non poſſe, niſi eos qui qualitatibus polleant requiſitis & deſcriptis in Conſtitut. Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum Cap. XI. de reſcript. in* 6. ita ut; vel dignitate Eccleſiaſtica præditi vel Perſonatum obtinentes vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant: & ulterius niſi in Conciliis Provincialibus vel Diœceſanis *Judices Synodales* electi & deſignati ſint. Præterea præcipit ibi Pontifex Gregorius quod eligantur in Judices Synodales per conſequens poſſint deputari in Judices Conſervatores perſonæ alioquin aptæ ad id munus, nempe ſecundum ſcientiam ætatem & mores juxta *Cap. cum in cunctis de elect.* Peyrin. ubi ſupra *ad Conſtit. V.* Greg. XV. §. 2. *n.* 18. Et cum contingat ſæpe caſus, quod vel Synodus in longum nimis protrahatur, vel Judices Synodales electi deficiant ſive per obitum ſive per abſentiam temporis prolixi; providet Gregorius idem Pontifex ut eo tunc Ordinarius ſubſtituat alium in deficientis locum de conſilio Capituli, quod ſequi nequaquam tenetur Epiſcopus ipſe, ut alibi in ſimilibus dictum eſt cum Fagnan. *in Cap. olim* 11. *n.* 13. *de privileg.* uſque ad futuram Provincialem vel Diœceſanam Synodum in qua Judicibus Synodalibus de more electis cedit ſubſtituta cujuſvis ceſſans juriſdictio; ita & taliter, ut ex Synodalibus ipſis debeat Conſervator de novo eligi & Epiſcopali juxta inferius dicenda Curiæ notificari, & deciſum pluries per S. C. C. refert Monacellus *tom.* 4. *pag.* 21. *n.* 221. & ſignanter in una Patrum de Obſervantia die decima Martii 1681. *lib. decr.* 22. *pag.* 777. Hæc ad propoſitum ex Bullis præfatorum Pontificum ſignanter Gregorii incipien. *Sanctiſſimus* per Peyrinum inter alios diligenter adnotata *tom.* 2. *privileg. ubi ſupra* §. 4. *n.* 22. Et ut omnis confuſio præcludatur notandum pariter hic quod licet Gregorius XV. tres illas conditiones unam vel alteram diſjunctive aſſignet neceſſarias in Conſervatoribus, & inſuper quaſi diſtinctam aliam qualitatem quod ſint electi in Judices per Provincialem vel Diœceſanam Synodum: attamen ſatis fuiſſet aſſignare hanc ultimam. Cum in Judicibus ipſis Synodalibus tres illæmet conditiones diſjunctive prærequirantur; Bonifacius etenim VIII. *in Cap. cit. Statutum XI. de reſcriptis in* 6. has ipſas præcitatas conditiones in iis quibus debeant committi *cauſæ authoritate literarum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ejuſdem*; qui ſunt communiter Judices præfati Synodales, videlicet in Synodo vel Provinciali vel Diœceſana eligendi juxta diſpoſitionem Tridentini *ſeſſ.* 25. *Cap.* 10. *de reform.* & ex quibus per conſequens Conſervatores proprii a Regularibus debent aſſumi: Porro conditiones ſeu qualitates eædem quidem initio hujus numeri indicatæ & in Judicibus Synodalibus indifferenter atque Conſervatoribus diſjunctim requiſitæ, vel nullam vel brevem admodum explicationem patiuntur. Qui namque ſint Canonici Eccleſiæ Cathedralis patet ex terminis; quinam deinde dicantur poſſidere dignitatem aut perſonatum alias duas qualitates exponit gloſſ. *in Cap. conſuetudinem de conſuet. in* 6. Videlicet quod Dignitas importat adminiſtrationem & juriſdictionem, Perſonatus habet in Eccleſia præeminentiam non juriſdictionem, quæ ſane explicatio ſtricte ſumitur impræſentiarum quatenus una conditio revera diſtinguatur ab alia; nam *in Cap. Statutum* aſſignatur diſjunctive

ctive

ctive: cum alias Dignitas Perſonatus & Officium non una vice confundantur in jure, ut notat eadem gloſſ. *in Cap. d. Conſuetudinem* & habet Caput *eum acceſſiſſent* 8. *de Conſtitut.* Sic igitur acceptæ prout ſcilicet una diſtinguitur ab alia qualitates antedictæ ſolent probari in ſubjecto vel ratione inſtitutionis aut præcipuæ fundationis, ſive etiam conſuetudinis ex Rebuf. in prax. benefic. *tit. Seculare benefic. quotuplex n.* 7. Maſcard. de probat. *concluſ.* 515. *n.* 5. Unde non eſt dubium regulariter Præpoſituram Decanatum Archidiaconatum Archipresbyteratum eſſe dignitates cum præeminentiam & aliqualem reſpective juriſdictionem importent, attenta maxime inſtitutione eo modo quo diximus *tom.* 1. *dub. XIII. ſect. III. & IV.* Idemque aſſerendum venit de Abbate & Protonotario Apoſtolico, quod nimirum dignitatem præſeferant propter rationem eandem: Et quamvis appareat contrarium de Vicario generali ſi inſpiciatur Gloſſa in Cap. *Et ſi principalis Clement. de reſcriptis*. Verum; quia hiſce temporibus habetur de facto ut principalis Officialis Epiſcopi ſignanter citra Montes adhuc attenta litera Cap. ejuſd. cit. *Et ſi principalis*, non poteſt negari conſtitutus in dignitate: accedente maxime S. C. Decreto quod citabimus infra. Gradus item omnes ſive ſint beneficia ſive beneficium habeant adnexum, quibus præeminentia aliqua vel præcedentia abſque ulla juriſdictione competat in proceſſionibus & actionibus publicis, rite vocari Perſonatus denemus inferre; ita quod qui ipſiſmet gradibus cum præeminentia reſpective & præcedentia ſiot inſigniti, in Judices Synodales per conſequens in Conſervatores eligi queant. Maſſobr. de Synodo *Cap.* 1. *dub.* 1. 2. & 3. cui ſubſcribit Pignatell. allegans plures alios *ſect.* 4. *conſult.* 130.

52 His præmiſſis quantum ad reſolutionem propoſiti ſecundi quæſiti non levia inſurgunt dubia. Primo an poſſint eligi in Conſervatores Canonici Collegiatæ? Et ſane ſuppoſita certa doctrina quod ii poſſint in Conſervatores adſumi qui alioquin in Iudices Synodales eligi queunt, ex probatis numero antecedente 51. omnem litem dirimit declaratio S. C. C. in qua expoſito de facto hoc met dubio: *An poſſit eligi in Iudicem ſynodalem Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ qui ſit Doctor ſi non exiſtant in Cathedrali Doctores ſaltem ita idonei, reſponſum fuit. Canonicum Collegiatæ eligi non poſſe in Iudicem ſynodalem*. Hanc refert Maſſobrius de Synodo *Cap.* 4. *dub.* 10. *n.* 5. & 25. *in fin.* quem citat & ſequitur Gavantus in Manual. Epiſcop. V. *Iudex ſynodalis n.* 3. Et in prax. ſynod. *Cap.* 32. *adnot. ſub §.* 9. *n.* 2. Unde illatio eſt evidens quod Canonicus Collegiatæ neque poſſit aſſumi in Iudicem Conſervatorem. Sed nunquid in Conſervatorem poterit eligi poſſidens dignitatem quæ etiam in Collegiatis plurics erigitur, ut docet experientia & ſupponit Monacellus *tom.* 1. *tit.* 2. *form.* 4. *n.* 10. & *form.* 15. *n.* 2.? Reſponſio videtur danda affirmativa juxta decretum Bonifacii VIII. *Cap. hoc Conſtitutione* 15. *de Offic. Deleg. in* 6. ubi literaliter habetur, quod Conſervatores non poſſunt eſſe *niſi Epiſcopi & his Superiores. Item Abbates & habentes Dignitatem vel Perſonatum in Cathedrali vel Collegiata & ſic excluduntur alii etiam Canonici*. Nempe Collegiatæ & niſi dignitas ſit iiſdem adnexa. Pater Petrus Maria Forti e Societate Jeſu nomen dignitatis & per conſequens aptitudinem ad munus Conſervatoris ampliat ad quodcumque Officium quod poſſideatur in peculiaribus Eccleſiis licet juriſdictionem & adminiſtrationem non habeat, nec dignitatem revera importet ſed pro tali reputetur *Art.* 12. *n.* 15. Pater vero Didacus ab Aragonia in Dilucidatione *tract.* 1. *Cap.* 9. *n.* 7. excludit ab hujuſmodi aptitudine cum cœteris aliis Canonicos Collegiatæ abſolute abſque ulla diſtinctione. Cœterum nulla ſupra hoc poteſt cadere difficultas, quatenus dignitas Collegiatæ aut quolibet altero titulo decoratus in Iudicem ſynodalem aſſumatur ad normam Bullæ Gregorianæ *Sanctiſſimus* per quam proviſio Conſervatoris in caſu nnice non regulari nequit, quæque præcipue appellat decretum aliud Bonifacii ejuſdem VIII. ſupra citat. *in Cap. ſtatutum xi. de reſcriptis in* 6.

5. Un. Major tamen inſurgit diſcrepantia, ſi ultra quæratur, an poſſint in Conſervatores eligi Perſonæ Regulares? Non deſunt ſiquidem Auctores qui aſſerant Regulares omnes etiam Canonicos ſive Lateranenſes ſive alios, aut Monachos quoslibet eſto in Cathedrali aliaque Eccleſia exiſtentes fore incapaces delegationum Apoſtolicarum poſt Archidiac. Geminian. & Butr. ſuper *Cap. d. ſtatutum de reſcript.* proinde in Iudices ſynodales nequaquam eligi poſſe, conſequenter neque in Conſervatores. Verumtamen nequit vel probabiliter ſuſtineri hujuſmodi aſſertum defectu fundamenti cui innitatur: communis namque ſententia capacitatem delegationum Apoſtolicarum Regularibus minime denegat, quoties in reſcriptis & de-

delegationibus ipsis expresse nominentur post glossam supracitat. in Clement. *de Rescript. Cap. Et si principalis*: quinimmo in eadem Clementina invenio quidem exclusos Priores Claustrales non autem Priores Conventuales ibi: *Possunt committi Priori Conventuali* qui juxta citat. gloss. non solum dicitur ille qui promotus est per electionem sed etiam amovibilis ad voluntatem sui Abbatis. Igitur ad propositum resolutio occurrit aptior, ordinarie loquendo a munere Conservatoris excludi Regulares nequaquam ratione incapacitatis delegationum Apostolicarum perperam allegatæ, sed potius attenta æquitate, quod ad defendenda jura & privilegia Regularium non deputantur ex eadem massa, & quia insuper quæ est ratio principalis ut in plurimum Regulares ipsi, licet alioquin in dignitate constituti non eliguntur in Iudices synodales, desit proinde in ipsis hoc legale requisitum. Quod si Abbates vel alii dignitate præditi ex Regularibus in Iudices synodales præeligerentur, posse eosdem tunc utcumque eligi conservatores videtur concedi in supracit. ipsomet *Cap. Hac Constitutione* Bonifacii, & est constans sententia Doctorum quibus citatis subscribit Pignatellus *tom. 1. consult. 165. & tom. 10. consult. 96.* conceditque in terminis Monacellus parte prima in appendice ad Constitut. Gregorii XV. *Sanctissimus n. 17. pag. 306.* Nec obstat decretum Sac. Cong. Episc. 6. *Octobris* 1617. quod ex Fagnano refert Matteucci Offic. Cur. *Cap. xv. tit. Conservatores n. 5.*; Et aliud S. C. C. *sub die 9. Octobris* 1618. apud Nicolium clare insinuans Regulares esse non posse Conservatores, sed debere esse Clericos sæculares alias idoneos; hoc enim concedimus ordinarie loquendo attenta, uti supra æquitate, & propter rationem itidem assignatam opportune a Pignatello. Cum namque Regulares non uni domicilio sive Conventui sint affixi, in suppositione quod proprium non bene munus adimplerent mutare possent Conventum & hinc reddere præjudicium irreparabile. Sic ejus compilator Pascucci. V. *Conservatores tom. 1.* Ex quo deducit posse ut dictum est in Conservatores nominari Abbates, quia hi regulariter domicilium habent certum concordatque Gavantus asserens decretum S. C. C. posterius ad allata, nempe datum *die 2. Martii* 1619. quod Abbates Olivetani possint in Conservatores eligi; dummodo tamen sint *electi prius Judices synodales*: in Manuali Episc. *tit. Conservatores n. 35.* Idemque decretum, quod videlicet Abbates Regulares qui in Conciliis Provincialibus aut Diœcesanis Judices extiterint designati possint utique eligi in Regularium Conservatores, adducitur a Nicolio in lucubrat. *tom. 2. lib. 1. tit. 29. n. 11. in fin.* Quamvis itaque assumi passim Regulares dignitate pollentes in Conservatores nequaquam conveniat, ut concessimus, non sunt nihilominus ita rigorose excludendi ab hoc Officio, quia in aliquo casu eorum electio valida foret eo magis, quod non excluduntur per Bullam famosam Gregorii XV. ad terminos cujus reducuntur dubitationes omnes circa institutionem hujusmodi Conservatorum & Judicum, ut probat Pignatellus *tom. 4. consult. 162.* & declarat aperte ex uberius adducendis infra Congregatio peculiariter deputata ab Innocentio PP. X. in Angelopolitana literaliter relata per Monacellum *p. 1. in appendice pag. 304. n. 11.* Qui Author post Barbosam & Nicolium subscribit item sententiæ, quod Abbates Ordinum Regularium, quatenus in Synodo fuerint Iudices assignati, valeant sine dubio in Conservatores a Religionibus distinctis eligi ibidem *n. 17.* & miror sane quod adeo prolixam intexere non desint quæstionem Auctores alias eruditi de qualitatibus eligendorum in Conservatores, præcipue an hujus muneris sint capaces Regulares vel Prælati vel alii titulo sive præeminentiâ insigniti? Ut agit inter cœteros laudatus Forti *art. 12. n. 19.* cum ostendere sufficiat Regulares item sicut cœteros dignitatem & titulum possidentes posse eligi & assumi de facto in synodis ad munus Judicis synodalis, ad hoc ut legaliter constet posse inde munus item Conservatoris exercere, ut suadet Tamburinus *tom. 3. de jur. Abbat. quæst. 4. n. 9.* ad normam semper Bullæ Gregorii *Sanctissimus &c.* ad quam in omnibus fere controversiis circa hanc materiam necesse est ultimo descendere.

53 Verum in suppositione, quæ non est impossibilis, quod nulli dentur Judices in synodo Provinciali vel Diœcesana electi, nec loco ipsorum alii ab Ordinario de consensu Capitularium suffecti, ex quibus valerent Regulares proprium desumere Conservatorem; deberetne hoc privilegium inutile pro ipsis evadere? Providet in tali suppositione Apostolica Sedes, nimirum quod possit interim ab iis deputari & institui quis alter juxta formam Constitutionis ejusdem Gregorii XV. habens scilicet conditiones inibi præscriptas vel Canonicatum Cathedralis vel dignitatem vel

vel Personatum, duraturus tamen usque dum synodus celebraretur & synodales eligerentur Judices, & non ultra. Ita S. C. C. & confirmavit Clemens PP. X. prout distincte apud Matteucci in Offic. Cur. *Cap. cit. Conservatores n. x.* In quo sane temporis intervallo nulla apparet difficultas quin possent alii Abbates Regulares utpote requisita dignitate pollentes & capaces Officii Judicis synodalis, ut supponitur in supra relatis Decretis & per Monacellum *cit. pag.* 304. *n.* 17. Ulterius non est adeo limitata ad Judices synodales electio passiva in Conservatores Regularium, quin possint nominari alii ab ipsis, videlicet vel Cardinalis vel Episcopus vel Vicarius generalis. Probat de duobus primis Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 153. eo quia se habeant ut dignitates supereminentes & excedentes aliam cujusvis per synodum in Judicem deputabilis. Pascucci item *tom.* 1. *tit. de Conservatoribus* ubi citantur jura & Doctores *pag.* 206. Et legitur expresse *in Cap. Hac constitutione* jam cit. *de Offic. deleg. in* 6. De Vicario postmodum generali quamvis posset dubitari aliquando propter glossam insinuantem oppositum in Cap. *Et si principalis de rescript. in* 6. ut tangebatur superius *n.* 51. *circa fin.* tamen dubium omne tollit decisio S. C. C. *die* 23. *Octobris* 1623.: *posse nempe Episcopos eorumque Vicarios generales* eligi in Conservatores Regularium, referente Peyrino de privileg. ad Constit. *Greg. XV. Cap.* 11. *n.* 17. adhærente item Monacello eadem *pag.* 304. *n.* 17. ubi capacitatem hujusmodi passivæ electionis extendit ad Vicarios Capitulares sede vacante post Riccium *tom.* 2. *resol.* 349. *n.* 3. Nihilominus est hic cavere necesse, quod quando asseritur posse eligi in Conservatorem Episcopum vel Cardinalem, supponitur idem domicilium habere in loco ubi Regulares Conventum tenent, veluti si esset Episcopus titularis in ipsomet loco degens, vel Cardinalis electus in Conservatorem pro Conventibus existentibus in Urbe vel alibi in locis propriæ ejus residentiæ. Cum alioquin si a Diœcesi & loco Conventus abesset inutilis Conservator omnino foret. Hinc electio Conservatoris facta a Regularibus in persona Episcopi Diœcesis alienæ, nulla fuit declarata per S. C. C. in nullius Altamuræ Conservatoris, & exemptionis 3. *Aug.* 1715. *ad* 1. *lib. decr.* 65. & 8. *Februarii* 1716. *decret. lib.* 66. Eo quia Conservatorem ut dictum est debeant eligere Regulares in eodem loco ubi ipsi Conventum habent *ibi in respons. ad* 2. Quidquid afferant alii.

54 Potest etiam ad propositum quæri; quanto tempore institutio aut electio Conservatoris perduret? Cui quæsito adducunt passim Auctores responsionem Tridentini. *Cap. allegato* 5. *Sess.* 14. *de reform.* præscribentis ibi. *Nemo etiam similium literarum beneficio, ultra quinquennium gaudere possit*, allegantque fere communiter sepe citatam Bullam Gregorii *Sanctissimus* in qua jubet Pontifex, semel deputatos non posse *intra quinquennium* variari & amoveri, nisi ex caussa per Sedem Apostolicam aut ipsos Ordinarios approbanda. Apud Matteuccium *Cap. xv. n.* 9. & *n.* 23. Elapso autem quinquennio addunt Doctores iidem, ita expirare Conservatorum jurisdictionem, ut ultro nequidem negotia jam incepta perficere valeant; quia Concilium ab ipsis allatum absolute prohibet ultra quinquennium posse se extendere. Et licet Kokier de Conservat. *part.* 2. *qu.* 7. *n.* 7. Peyrin. formul. *Prælat. lit. C. Cap.* 20. *n.* 2. & *tom.* 3. *Privil. Cap.* 11. quibus adhæret Matteucci *cit. n.* 23. asserant fore in libertate eligentium in casu elapsi quinquennii Conservatoris jurisdictionem per novam deputationem prorogare; si attendantur nihilominus verba Concilii super quo volunt himet Auctores propriam fundare sententiam quoad reliqua, contrarium ibidem absolute præcipi negare nequibunt, videlicet quod nemo possit gaudere beneficio similium literarum, *ultra quinquennium*; ut patet ex mox exhibitis verbis, quæ cum sint absolute negativa nullum excipiunt casum: ex animadversis per Surdum *dec.* 243. *n.* 6. & 7. Barbos. axiom. 158. n. 3. Rationabilius ergo ad comperiendam veritatem insinuatur advertentia, quam adhibet item Cardinalis Petra *tom.* 4. *ad Constit.* 10. *Eugenii IV. n.* 10. Quod nempe Concilium in eodem Capite nequaquam Conservatores Regularium proprie percutiat, quos potius excipit ibi in fine, ut perpendēti patebit. Et cum revera in præsenti materia observari debeat prorsus Constitutio Gregorii *Sanctissimus* ut supra deductum est, hæc equidem prohibeat intra quinquennium posse Conservatores mutari, sed minime obsistat quin possint ultro prorogari & confirmari, præsertim in causis jam inchoatis; ideoque nil contra legem agatur, quoties confirmatio & prorogatio patentalium, licet pro quinquennio concessarum, contingat in casu addita vulgari regula quod omnis lex odiosa in dubio sit stricte interpretanda nec plus extendenda quam verba sonent. *L.* 4. *ff. de*

pan.

pæn. Cap. revocantes 22. diſtinct. Cap. Odia & Cap. in pœnis de regul. jur. in 6. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. §. 6. proem. n. 37. &c.* Ex quibus deducitur item opinionem antiquiorum, quod facultas Conſervatoris expiret qoandocumque morte concedentis; ſaltem quoad negotia non incepta non amplius habere locum, utpote vigeat obſervantia Gregorianæ Conſtitotionis abſolute jubentis intra quinquennium Conſervatorem mutari aot variari non poſſe; nec aliqnid ultra prohibeotis Lezana *tom. 2. Cap. 10. n. 20.*

§. Un. Generaliter quoque cavendum, quod autequam propriam juriſdictionem in aliquo exerceaot Conſervatores electi & præſignati, tenentur documentum electiouis in actis Curiæ Ordinarii exhibere & deponere ſub pœna alioquin nullitatis agendorum, & debeant inde Regolares in caſu contraventionis apud Ordinarium conveniri ex eadem Bulla Gregorii *Sanctiſſimus*, & declaratione S. Congregationis ab Innocentio PP. X. ſpecialiter deputatæ ad *dub. XIII.* in cauſa Angelopolitana Jeſuitarum, ab eodemque Pontifice confirmata per Conſtitutiouem *Cum ſicut, la 29. Bullar. tom. 4.* Cum adnotatione tamen; quod eſto attenta Bulla præfata Gregorii, documeota hujuſmodi electionem exhiberi ſtatim debuerint a publicatione ejuſdem Bullæ infra duos menſes intra Italiam & infra ſex extra ipſam ſub comminatis ibi pœnis; nihilominus emanavit deiode Sacræ Congregationis declaratio, quod quamvis Regulares poſt Conſtitutionem editam diutius electionem Conſervatorum protraxerint & neglexerint, poſſint & valeant quocumque tempore eoſdem de facto nominare. Apud Barboſam in Collectanea Bullar. *V. Regulares primo*, & Lezana cit. *Cap. n. 58.* dummodo indeclinabiliter ſecuta electio Curiæ Ordinarii notificetur. Cum alias ejuſdem Ordinarii juriſdictioni Regulares evaderent ſubjecti, ex allegata Angelopolitana in reſponſione ad dubium VI. & XIII. pro parte Epiſcopi, per extenſum apud Tondet. de præveut. *part. 3. Cap. 3.* & Matteucci in Offic. Cur. *Cap. 19. n. 40. & ſeq.* & adverten dum quoque, quod licet teneantur Conſervatores noviter electi aut prorogati deputativam habitam Epiſcopo notificare, non per hoc præſupponitur inſtrumentum editum de conſenſu eligentium & acceptantis, per Bullam Gregorii nequaquam requiſitum: ex dictis *n.* 50. ſed ſatis ſit patentaliom literarum copiam authenticam in Coria Epiſcopali præſentare, vel medio alio legitimo documento Epiſcopum ſive Ordinarium certiorare: juxta verba & ſenſum Bullæ. §. 7. & Doctores concordantes.

55 Ad ſecundum deinde principale quæſitum. Quodnam ſit revera Conſervatorum munus? Reſpondeo cum cœteris omnibus, incontroverſum officium fore, judicare in cauſis civilibus, in quibus Regulares reſpective ſuper quos literas conſervatorias obtineut poſſint eſſe rei; puta, ſi debitis gravati non ſolvant, ſi bonis alienis damnum intulerint, & ſimilibus. Ita poſt Conſtitutionem Gregorii id præſcribentis. Lezana *tom. 2.* ubi ſupra *Cap. 10. n. 60. & 64.* Anton. a Spir. S. de privileg. *tract. 2. diſp. 1. ſect. 3. n. 212.* adeo ot in hujuſmodi cauſis ab ipſo & coram ipſo Regulares in caſu qui rei exiſtant *debeant* trahi & conveniri ad textum Bullæ Gregorianæ §. 9. apud Monacellum *p. prima pag. 303.* ibi *coram ipſis Conſervatoribus Regulares & perſonæ ſupraſcriptæ conveniri & trahi debeant.* In cauſis vero criminalibus & mixtis, eſto Regulares rei non actores ſupponantur, quod relinquatur judicium Ordinariis prout de jure, ad normam Tridentini *d. Cap. V. ſ. ſſ. 14.* opinatur Gavantus in Man. Epiſc. *V. Conſervatores n. 2.* cum aliis ut infra *n. 57.* Verum Regularium loca eorumqoe perſonas minime comprehendi in eodem *Cap. 5. ſupra cit.* adnotavimus, ut legenti conſtare poteſt ibi in fine, ideoque ſtandum eſſe omnino diſpoſitioni ConſtitutionisGregorianæ ſecundum ſenſum Doctorum omnium & literam ipſius Bullæ declarationeſque additas Sacrarum Congregationum in Angelopolitana, ſignanter dubio quinto ibi pro parte Epiſcopi. Et cum eademmet Bulla inter cauſas civiles criminales & mixtas non diſtinguat nec ullatenus criminales & mixtas excludat, neque video quare nos inter ipſas diſtinguere debeamus & cognitionem Conſervatoris ad ſolas reſtringere civiles, atteota generali regula apud Barboſam congerentem innumeros axiomate 136. *n* 4. Quantom ergo ſe extendere poſſit ejus facultas in cauſis ſibi competentibus indeffinite pro nunc aſſignabimus cum datis limitationibos, juxta emanata Decreta. Et primo in civilibus ipſis quatenus officium ejus impediretur aut ſententia deſpiceretur, poſſe eundem oti cenſuris nil prohiberet: com fruſtra alioquin conferretur ſibi auctoritas quoties mediis privaretur ad illios executionem neceſſariis & opportunis. Lezana com aliis *Cap. cit. 10. n. 33.* oniformiter ad addenda numero ſubſeqoente. Iuvocare pariter au-

auxilium necessarium ab aliis tribunalibus, atque uti carceribus Episcopalibus seu aliorum respective Principum in iisdem urgentiis contemptus & spretus & tuendæ propriæ auctoritatis, quæ aliter frustranea atque inanis redderetur: sustinet post Cokier, & Peyrinum Matteuccius *Cap. XV. n. 16. ex Cap. I. quia quæsitum de offic. delegato & ibi* Gloss. & in terminis Gloss. *in Cap. 19. statuimus eod. tit. in 6. de quo clarius n. infra 57.*

56 Ulterius extenditur jus Conservatoris ad tuenda jura Regularium eorumque personas bona &c. quatenus iisdem inferretur manifesta violentia & injuria. Ita in declaratione S. C. Conc. ad calcem Bullæ Gregorianæ apud Monacell. *p. p. pag.* 303. Gavant. in man. Episc. *V. Conservatores n.* 13. Lezana *d. Cap.* 10. *n.* 62. 67. *&* 68. Anton. a Spir. S. ubi supra *sect. 3. n. 213. & seq.* Manifesta autem violentia, & injuria sumitur pro notoria & publica, quæ scilicet nota plerumque sit fere omnibus, nec ulla possit tergiversatione cœlari, vel quatenus sit necesse possit clare & certitudinaliter ita probari, ut negari nullatenus queat. Gloss. *in Cap. cit.* 1. *de Off. deleg. V. Conservatores in 6.* Peyrin. de privileg. *ad Const. V.* Greg. XV. *n.* 38. Et ad majorem claritatem, quot modis ut in plurimum possit inferri violentia atque injuria hic ex juribus & Doctoribus indigitabo; Violentia namque est offensa quæ cum vi & impetu fit proximo in persona aut rebus eius, assignaturque quinque contingere modis: primo cum per vim aliquid proximo aufertur; secundo cum per vim quis a possessione gradus vel conservati boni deturbatur; tertio quoties metus incutitur cogendo quempiam ad aliqnid agendum, quod alioquin nollet; Quarto cum possessor item rei sibi debitæ injuste agitatur & illata vi; Quinto si quis persecutionem patitur, nec finitur quiete & pace in proprio gradu frui, ad quem modum potest reduci vexatio quam Religio vel Monasterium vel Superior quis indebite sustinet in pacifice possessis privilegiis; Peyrin. ad Constit. 5. *Gregorii XV. n.* 37. Injuria item quæ magis late patet quam violentia comprehendit quippe quidquid peragitur contra jus, tribus hæc usualiter potest contingere modis & adversus alterum committi; Re, Verbis & Literis. Re, quando manus adhibetur, sive factum, verberando furando effringendo. Verbis, si convitio, detractione vel publica contumelia per obloquentes fama lædatur. Literis, quoties libellus famosus sive scriptura quæpiam vel commentum calamo exaretur cum infamia pariter inde emergente Religionis vel religiosæ personæ aut in similibus &c. Injurias autem & violentias quoad omnes fere possibiles casus recenset P. Forti in suo opere art. 13. n. 1. dicto secundo. Sed numquid in hujusmodi casibus, quando Regularibus infertur manifesta injuria & violentia, ipsimet possunt fieri actores & sic trahere ad tribunal Conservatoris injuriam & violentiam sibi inferentes? Affirmativam partem concedunt PP. Lezana *Cap. d.* 10. *num.* 47. 60. 61. *&* 62. necnon Matteuccius *d. Cap. xv. sub n.* 10. Ita ut Regulares per accusationes aut denuntiationes juridicas possent comparere coram Conservatore Judice contra inferentes sibi injuriam &c. adducere testes tempus & locum & nominare reum, & monere ipsummet Judicem ad juridice procedendum adversus accusatos aut denuntiatos, consentitque P. Didacus ab Aragonia in Dilucidat. *tr.* 1. *Cap.* 9. *n.* 16. Ad conciliandum nihilominus cum Bulla Gregorii decretum S. C. C. ibi adnexum dicerem salvo meliori judicio; quod Judex Conservator habita informatione sive notitia qualitercumque extrajudiciali de manifesta injuria & violentia illata Religiosis aut eorum bonis, possit immo debeat procedere ex officio quasi eorumdem oppressorum & injuriatorum tutor, sumendo motivum a notorietate injuriæ atque violentiæ non ex formali accusatione vel denuntiatione Regularium se actores efficientium. Et hoc consonat notabili Caroli Antonii de Luca doctrinæ, quod nempe se haberet in casibus Conservator ut Judex quidem, quia judicium de facto exerceret, sed etiam veluti pars & parti assistens atque auxiliator in defensam vim vi repellendo apud Ventrigliam *part. 1. adnot. 27. in Observat. n.* 3.

57 Quia pariter in decreto S. C. C. dante facultatem Conservatoribus tuendi sibi commissos Regulares a manifestis injuriis contra personas & eorum bona apponitur conditio ibidem, dummodo observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. *relatis in Cap. 1. & fin. de Offic. Deleg. in 6.* Hinc notandum, præscriptam formam a duobus allegatis Capitibus reduci in casu ad hoc, quod nequeant Conservatores procedere aut se intromittere in iis quæ judiciariam indaginem exigunt, nec ad illa propriam extendere potestatem; unde sternitur via ad controversiam, an Conservator in his omni-

omnibus in quibus praecise institutus est Judex possit procedere juris ordine servato? Cuius sane responsio sustinetur affirmativa quoad substantialia juris, licet sine strepitu; potest namque examinare testes ad probandam notorietatem, ut fundet super eam suam jurisdictionem potest & debet citare partem ad producenda sua jura, & tempus congruum ad eumdem effectum ipsimet assignare, & ultimo ipsa audita ferre sententiam tamquam Judex a Sede Apostolica in casu delegatus, quae omnia juridicum indeclinabilem ordinem important; & cum fine iis sibi competentem jurisdictionem exercere nequiret intelligitur consequenter concessa tamquam accessoria ad munus principaliter sibi collatum, prout clare ostendit gloss. *in Cap. 1. statuimus citatum per decretum S. C. ad calcem Bullae Gregorianae* & tradunt post Barbosam Monetam Tamburinum & alios Lezana *Cap. 10. n. 62.* Ant. a Spir. Sancto in direct. Regul. de privileg. *tr. 2. disp. 1. sect. 3. n. 215.* Ventriglia *part. 1. adnot. 27. n. 13.* Reinffestuel de Offic. Judic. deleg. *n. 183.* & Matteucci *loc. cit. n. 10. seq.* Quapropter, vel dicendum non esse prohibitam indaginem illam quae in notoriis adhiberi solet, & debet, juxta citatam gloss. *in Cap. statuimus* Monetam de Conservatoribus *Cap. 7. qu. 3. n. 90. & 93.* & Monacelli *part. 1. pag. 304. n. 7.* vel pro indagine prohibita in casu intelligi absolute inquisitionem rigorosam cum judiciali strepitu &c. in causis dubiis & prorsus obscuris, in quibus ne utiquam potest se intromittere Conservator juxta doctrina Pyrrhing in jus Canon. de Offic. Judic. Deleg. *n. 209. & 211.* necnon Peyrini ad Constit. saepe allegatam Gregorii XV. §. 5. quibus subscribit Matteucci *d. Cap. 15. n. 14.* sed de hoc item cum distinctius declarabitur paulo inferius *n. 60. §. I. II.* Quaerit etiam formiter laudatus Matteucci, an Conservator possit procedere criminaliter? Et ibidem *n. 15.* respondet negative, quia non intendit poenam delictorum & delinquentium sed tantum, quod Regulares non molestentur, & damna iis illata reparentur. Concedit deinde *n. 16.* posse comminari censuras contra molestantes & injuriantes, & quatenus non desistant praemissa bina monitione saltem, eos excommunicare vel excommunicatos declarare, & insuper implorare auxilium brachii saecularis & jus & Episcopi familiam armatam petere, atque inobedientes carceribus sive Episcopi sive implorati Principis mancipare, ut *n. tetigimus 55. in fin.* Quaero igitur, hic ego quid desit ad hoc ut dicatur procedere criminaliter eo tunc? Et an esset revera modus procedendi in casu mere civilis? Ideoque resolvendum ducerem posse quidem Conservatorem procedere criminaliter, sed per accidens & casualiter, quatenus videlicet sine hujusmodi procedendi modo potestatem sibi traditam nequiret exercere aut eadem haec impediretur aut contemneretur, prout perspicue in casu citata gloss. super *Cap. 1. statuimus* de off. deleg. & docent Rodriquez *tom. 1. qu. 65. art. 16.* Kokier. de Exempt. *4. part. qu. 111. n. 16. & seq.* Peyrin. *d. §. 2. n. 12.* In causis ipsis criminalibus item quoties injuria relevans inferretur locis & religiosis personis constito prius de notorietate, non video quomodo non posset immo deberet contra injuriantes respective sententias in jure signatas pronuntiare servato ordine necessario quoad substantialia, ut mox fuit adnotatum; ratio est quia in casu ferendae sententiae hoc foret inutiliter peragere & frustratorium, alioquin exercere judicium, nisi valeret injuria aliter irreparabili in aliquo saltem casu infligere aut pronuntiare poenam a jure taxatam; pro executione tamen auxiliorum brachii saecularis vel Episcopi auctoritatem invocando ad normam praedictorum ex eadem citata gloss. & P. Rodriguez *art. 15. & 16.* idque supponit P. Lezana *cap. 1. n. 74. & 75* dum admittit appellationem a sententia Conservatoris quoties hic excederet in poena infligenda cum Panormit. in Cap. *Si quis de foro compet. n. 11.* Farinac. *p. 1. praxis crimin. qu. 21. n. 118. ad 130.* & ut plenius infra n. 60. §. 1.

58 Debere Conservatorem uti Notario & aliis Officialibus sive Ministris Curiae Episcopalis tenet Gavantus in Manuali Episc. *tit. Conservatores n. 17. 19. & 33.* & refert decisum Pascucci Pignatelli compilator *tom. 1. de Conservat. Regular. pag. 207.* Sed contradicit Peyr. in formul. Praelat. *lit. C. cap. 20. n. 3.* pro quo citatur Card. de Luca *disc. 49. n. 17.* Et quamvis Monacellus neget posse Conservatores erigere proprium tribunal; concedit tamen *quod possint Notarios quoties his opus habeant assumere sibi benevisos*: ibi *part. 1. in appendice pag. 303. n. 1. citans* & ipse Cardinalem de Luca de jurisdict. *disc. 4. n. 14.* & decisionem S. C. C. super hoc emanatam in una Faventina *die 17. Decembris 1667.* cui quidem sententiae scilicet quantum ad Notarium proprium assentiendum puto, praecipue quoties pars

 con-

contraria esset Episcopus ipse sive ejus Vicarius generalis; cum ratio naturalis dictet dependentes & stipendia accipientes ab Episcopo magis ipsi fore propensos, quam Judici contra eumdem agenti; intratque in hoc casu æquitas quæ est prima regula; *ex l. Placuit. Cap. de Judic.* Barbos. *cit.* 15. *n.* 5. addita assistentia juris *lib.* 5. *tit.* 41. *Regul.* ibi *n.* 4. *Quod non est licitum in lege necessitas facit licitum.* Nec contemnendus Pater de Ameno consulens Conservatoribus Regularium in casu ut Notarios adhiberent creatos per ipsosmet Prælatos Regulares juxta horum privilegia; *pract. crim. tit.* XI. *n.* 48. *seq.* In iis præsertim causis quæ dilationem non admitterent nec opportunus adesset in promptu Notarius alter; verum contra hanc insinuationem facit doctrina Patris Jesuitæ Forti qui sustinet quidem Notarium pro libito Conservatoris fore deligendum *art.* 28. ℣. *Dico tertio n.* 18. *& seq.* Potestatem tamen creandi Notarios in præmissis & aliis casibus vult esse Supremo Principi in signum suæ Supremæ potestatis reservatam; ibi n. 38. licet autem hoc ejus assertum non sit communiter acceptum, quia aliis à Principe Supremo constat inesse privilegium creandi Notarios & instituendi: ut evidenter conceditur Superioribus Prædicatorum inter alios per *S. Pium V. in Bulla incipient. Debitum sub die* 20. *Mart.* 1571. aliisque Ordinibus per consequens communicatam; hoc non obstante quod Notarius institutus pro causis intra Claustra posset inservire Delegato Papæ & Judici extra Ordinem, valde dubitarem: ipse viderit ergo Conservator, & ipse eligat. Ulterius prohibeturne Conservatori, quod proprium in causis erigeret Tribunal? Respondetur prohiberi prima facie per Concilium *sess.* 14. *cap. repetito V.* ibi *non liceat quoque Conservatoribus Judicibus ullum habere Tribunal erectum*; sed præscindendo à doctrina data, quod Regularia loca & Personæ in hoc capite minime comprehendantur ex littera ejusdem in fin., exponendus foret Concilii textus *Habitualiter*, non *actualiter*: videlicet, quod nequaquam valeret Conservator habere erectum Tribunal pro se solo fixum & omnibus occurrentibus casibus & causis opportunum, cum alias in causis sibi competentibus & actu coram se introductis propriam ferat sententiam, ut verus Judex à Pontifice delegatus, & agere pro Tribunali evidens est, nisi velimus de nomine contendere, aut loquamur de Tribunali completo; verum siquidem est, quod excepto uno Notario & Assessore sibi bene viso si hunc velit ad placitum secundum D. D. ministros reliquos Curiæ Episcopali addictos teneatur adhibere, ut præterquam in relata per Monacellum Faventina ab eadem S. C. C. confirmatum fuit in dubiis generalibus de Conservatoribus 28. *Jan.* 1679. *lib.* 30. *Decretalium pag.* 249. & in peculiariter deputata per Clementem f. m. XI. *die* 20. *Martii* 1720. per quod tamen apparet absolute falsum, quod potestas Conservatorum versetur tantum circa extrajudicialia, ut Monacellus citatus authumat, nec sustinere Judices, exceptis Conservatoribus Patrum Societatis Jesu, & Equitium Jerosolymitanorum, quibus blanditur hic Auctor, de quo clarius n. deinceps 65. §. 1. Veram siquidem sententiam pronuntiat & juridicum indifferenter ordinem, & formam saltem quoad substantialia servant respective in causis, Judicesq. appellantur & supponuntur per Concilium ipsum cit. ibi. *Non liceat Conservatoribus Judicibus*, & præcedenter ibi; *Si qua inter ipsos Judices Conservatorem, & Ordinarium cont roversia super competentia jurisdictionis orta fuerit &c.* nec non Judices passim a Doctoribus, & juribus & ab ipsa Bulla Gregorii *Sanctissimus* reputantur Quod si obiiciatur *Gloss. in Cap. qui Pontificali de offic. Delegati in* 6. *quod in jure nomine Judicis non venit Conservator*, responderetur fallere quando in ipso jure & Sanctionibus Conciliaribus & Pontificiis Conservator idem *Judex* expresse appellatur, ut deffinitur in Trident. atq. Constitutionibus Clementis VIII. & dic. Constit. Gregoriana *Sanctissimus*. Et adnotandum simul quod post hujusmodi Gregorianam Bullam nulla privilegia specialia vel Societati Jesu vel militiæ cujus supra suffragentur, cum omnia ad terminos Bullæ ipsiusmet reducantur, ut fatetur Pater laudatus Forti idem Societatis Alumnus in art. 3. n. 38. ut patet legenti Bullam.

59 Quamvis autem adversus Episcopum quatenus Conservatorem contemneret & in exercitio sui muneris impediret posse per hunc deveniri ad censuras & comminationes privationis &c. sustineant Doctores referente Ursaya *tom.* 2. *part.* 2. *discept.* 15. *n.* 22. allegantes *Cap.* 1. *de Offic. Deleg.* & Caput *Quia Pontificali*: *eod. tit. in* 6. servato ordine inibi præscripto & modus proprius tenendus insinuatur a P. Forti art. 26. per totum; signanter n. ibi dicto *quinto & n.* 24. *seq.*; tamen propter excellentiam Episcopalis dignitatis

ex

ex Tridentino *sess.* 13. *Cap.* 6. *& sess.* 24. *Cap.* 15. diversimode procedendum censerem, & in casu dicto quo resiliret Episcopus & judicium Conservatoris despiceret vel insuper contra jurisdictionem ejus insurgeret, supplicandum fore potius Apostolicæ Sedi pro remedio & interim nihil innovandum inter alios consulit item P. Matteucci *Cap. XV. n.* 19. Vel melius sistendum in provisis per Conc. Trident. *Cap. d. V.* nec non per constitutionem sæpius allatam Gregorii *Sanctissimus* concludens nempe in hujusmodi controversiis non esse procedendum donec per arbitros in forma juris electos super *jurisdictionis competentia fuerit judicatum*. Qui sane arbitri non possunt recusari in casu utpote in causa necessaria; eo magis si dilationem non patiatur juxta Monacell. *tom.* 3. *pag.* 123. *a n.* 7. Verum & ipsi munus ad quod essent assumpti acceptare tenerentur, atque ad id possent compelli; utpote etiam ipsi arbitri juris in necessariis Reinffestuel de arbitris *n.* 20. & notat Monacellus idem *pag.* 524. *n.* 13. Quamquam minus apte consulat hic Doctor unicum eligendum esse arbitrum quem vult individuatum prius ab Episcopo proponendum Conservatori ut in eundem consentiat vel illum approbet in formula ibi tradita *pag.* 524. Nam in tali supposito, non posset non argui Arbiter suspectus pro parte Episcopi. Melius ergo attenderentur verba Concilii necnon Constitutionis Gregorianæ, quæ literaliter sonant adhibendos esse Arbitros in plurali, qui præeligantur in forma juris, videlicet unus ab una, unusque ab altera partium, ut præmittit equidem Monacellus ibidem n. 12. Quod si non conveniant tertium eligendum fore, non a partibus, sed ab ipsis discordantibus arbitris subdit cum citato per se Passerino idemmet Auctor d.n. 12. Attamen etiam contra hanc ejus sententiam faciunt jura & Doctores apud Reinffestuel tit. de Arbitris: nimirum quod non possit remitti placito duorum nominatorum Arbitrorum deputatio tertii cujuslibet incerti, alioquin laudum seu judicium trium inde secuturum viribus careret, sed possit tantum tribui illis facultas tertium certum eligendi & ab ipsis partibus prius admissum in casu. Perlegatur ibi Reinffestuel §. *III. a n.* 54. *seq.*

§. Un. Porro contra attentata & resistentiam Vicarii Generalis Episcopi posse procedere censuris & aliis juris, remediis Conservatores in confirmationem præmissorum *n.* 57. habetur clare decisum per Sacræ Cong. decretum in famosa Angelopolitana insertum intra Innocentii X. Constitutionem ab eoque approbatum, ad ultimum inter dubia proposita a Patribus Societatis sub die 14. *Maii* 1648. apud Matteucci *Cap.* 19. *n.* 41. *& seq.* Absque eo quod valeat replica, quod Decretum cum decisionibus inibi sit editum pro Jesuitis seu pro Conservatoribus Patrum Societatis quibus speciales facultates ut innuimus supra, videtur tribuere Monacellus blandiens ut paulo superius innuimus n. 58. infra part. 1. in Appendic. *pag.* 303. *n.* 2. Facultates etenim tributæ Conservatoribus Jesuitarum per quæcumque privilegia, omnes censentur reductæ ad formam Bullæ *Sanctissimus* Gregorii XV. perinde ac reducuntur ad illam privilegia concessa Conservatoribus omnium aliorum Regularium, sic enim literaliter in responsione ad quintum ex dubiis propositis pro parte Episcopi in eadem Angelopolitana apud eumdemmet Monacell. cit. *n.* 11. & Matteucci *Cap.* 19. *n.* 45. Unde patet pari passu procedere Conservatores quorumcumque Regularium contra Vicarios Generales obsistentes, quatenus Bulla præfata *Sanctissimus* non obstet quomodo concedi tur hujusmodi facultas Conservatoribus Jesuitarum. Ultraquamquod non est ratio nec lex quare quantum ad hoc denegetur aliis Regularibus participatio seu communicatio in privilegiis; juxta tradita dubit. 14. sect. 1. & doctrinam in terminis Ventrigliæ *part.* 1. *adnot.* 27. *n.* 13. Et de facto censuras latas per Conservatorem contra Vicarium Generalem verba injuriosa proferentem & lacerantem intimationem sibi transmissam canonizavit S.C.C. in Turritana censurarum 2. Aprilis 1672. *lib* 27. *decr. fol.* 248. a tergo.

60 Dicendum similiter; quod quicquid potest peragere Conservator Regularium respectu & in favorem ipsorum, possit exequi vigore sibi impertitæ jurisdictionis respectu Sæcularium illis inserventium Oblatorum Commensalium, dummodo tamen inserviant actu intra septa Monasterii & veluti veri familiares resideant sub obedientia; juxta alibi explicata ex Tridentino *sess.* 24. *Cap.* 11. *de Reform.* Lezan. *Cap.* 10. pluries cit. *n.* 65. & cum aliis Anton. a Sp. S. de privil. *tr.* 2. *disp.* 1. *n.* 219. Contrario non obstante Monacelli asserto *part.* 3. *form.* 52. *n.* 18. *pag.* 525. Ubi gratis opinatur hujusmodi facultatem revocatam, cum revocatio neque in Concilio neque in Bulla Gregorii quantum ad hoc reperiatur; quinimmo Concilium familiares eos qui tribus assigna-

tis

tis potiuntur conditionibus aperte eximit quoad omnia aeque ac Regulares ipsos ex alibi dictis *in* 1. *tom. dub.* 9. *sect.* 2. *n.* 12. Verum specialiter id concessum esse constat Syndicis Apostolicis seu Procuratoribus Fratrum Minorum ad tenorem Constitutionis Clementis PP. VII. incipien. *Dum desideramus* lo 19. *Bullar. tom.* 1. ℣. *Et insuper apud Matteucc. Cap.* 51. *sub n.* 2. Videlicet quod Judex eorum sit constitutus Conservator quoties convenirentur rei, puta si pecora eorum alienorum prata & ditiones damnificarent, si debitores ad solutionem pecuniarum vel alterius rei restitutionem cogendi forent. In quibuslibet uno verbo causis civilibus criminalibus & mixtis tam motis quam movendis contra eosdem conveniendos apud Conservatores, ut ibi in Bulla Clementis expresse, ad tenorem item Constitutionis Innocentii s. m. PP. XI. signanter *Alias pro parte* sub die 19. Junii 1686. confirmantis praefatam Antecessoris Clementis ad literam, & signanter quoad subjectionem eorumdem Syndicorum in omnibus causis &c. Conservatoribus respective ut ibi §. 1. necnon alia decreta Sacrarum Congregationum circa privilegium fori dictis Syndicis & Procuratoribus omnino competens in causis tam civilibus quam criminalibus & mixtis etiam motis, contra dubitantem Lezanam *Cap. d.* 10. *n.* 66. ante eorum duputationem seu Institutionem in officium Syndicatus; ibi §. *citat. VIII.* videatur Matteuccius cit. a n. 1. ad 4. inclusive. Amplificant hinc Auctores esse munus Conservatorum respective defendere item Syndicos Procuratoresve a manifestis injuriis & violentiis, quod concedere non haesitarem quoties injuria & violentia fieret ipsis in officio aut circa officium, quia reputaretur injuria illata Religiosis Portell. *V. Syndicus n.* 5. & etiam Lezana *d. Cap.* 10. *n.* 66. Attamen quatenus considerentur ut simplices & singulares personae non attento officio Syndicatus non lego in terminis privilegium; prout universaliter in causis omnibus praecipue criminalibus etiam motis contra Syndicos Laicos excipiuntur quae judicialem indaginem & discussionem uti supra pro veritate comperienda exigerent cum strepitu servato plane ordine juris. Causae pariter excipiuntur in quibus de consensu partium Episcopus praevenisset ut distinctius infra patebit: Syndici namque non est aequum quod exemptionem praeseferant ampliorem quantum ad Conservatorem quam ipsi Fratres Minores a quibus illi desumunt & participant; juxta generalem doctrinam Surdi *Consult.* 126. *n.* 31. Rotae *decis.* 686. apud Farin. *part.* 2. *recent.*

§. I. Non latet profecto haud male fundata sententia, quod Bulla Gregoriana *Sanctissimus* prohibens Conservatoribus judicialem indaginem & praescribens potestatem eorum in manifestis dumtaxat & notoriis casibus & causis locum habeat praecise quoties Regulares aliique cum ipsis privilegiati *sint Actores* & proprias prosequantur injurias. Caeterum quotiescumque ipsimet Regulares & privilegiati una cum ipsis apud Conservatorem conveniantur *ut Rei*, hujus facultatem minime restringi quominus valeat in causis civilibus criminalibus & mixtis procedere utcumque judicialiter ad normam juris citando examinando testes & sententiando etiam circa non manifesta & indaginem exigentia. Eo quia sine hujusmodi actionibus non potest gerere officium veri & legitimi Judicis, qualis per Concilium Tridentinum Sanctiones Pontificias & ipsam Bullam Gregorii XV. nuncupatur. Ita P. Petrus Forti *art.* 21. *resol.* 2. *per tot.* allegans decisiones Rotae Card. de Luca Card. item de Lugo, Lezan. Nidum & alios, ut videre est loc. cit. apud ipsum. Hoc non obstante non cessat vigere difficultas; quod etiam in casibus & causis in quibus Regularibus conveniuntur ut Rei coram dicto Judice Conservatore nequeat hic judicialiter procedere & ad exigendam indaginem se extendere dum Constitutio in casu Gregorii d. XV. incipiens *Sanctissimus*, quae agit dumtaxat de reis conventis apud Judicem Conservatorem & nequaquam de offensis & manifeste injuriatis Regularibus, qui sint actores, ut relatum est, ipsa inquam Constitutio Gregorii ita confirmat & innovat Decretum Bonifacii VII. incipiens *Hac Constitutione de Off. Jud. del. in* 6. ubi districte inhibetur Conservatoribus de facto se ingerere & immiscere absolute in causis, quae dictam judicialem indaginem requirunt: ut ibi in Gregoriana §. 2. Patet igitur, quod attenta eademmet Constitutione, ad cujus terminos reducitur Conservatorum potestas, nequeant hi in causis Regularium etiam quoties ad eorum Tribunal trahuntur ut rei, procedere in forma juris rigorose & ad ea quae exigunt judicialem indaginem, concessam jurisdictionem protrahere. Quid ergo dicemus ad haec? Salvo meliori judicio censerem ego minimus debere jura juribus conciliari; ita quod & regulae communis juris minime abrogatae & servata Apostolicae Sanctioni

ni Gregorianæ ultimæ innixa remanerent illæſa. Et ita non poſſet negari primo Conſervatores legitime electos, eſſe vere Judices in cauſis tum civilibus tum criminalibus tum mixtis Regularium &c. quatenus hi apud ipſos conveniantur ut Rei, ſicuti conveniri & trahi debent ex ipſamet conſtitutione Gregorii §. 9. & quod in omnibus & quibuſlibet cauſis civilibus nempe criminalibus & mixtis legitur expreſſum in conſtitut. Clementis VII. incipien. *Compoſitionem* pro minimis & in conſtitutione Gregorii XIII. incipien. Æquum reputamus Die 8. Kal. Junii Ann. 1575. hæcque Gregorii XIII. conſtitutio ab ipſomet Gregorio deinde XV. allegata in caſu noſtro confirmatur atque innovatur in iis quæ eidem Conſtitutioni incipien. *Sanctiſſimus* non ſunt contraria: Conſtitutio autem *Sanctiſſimus* indeffinite diſponit de omnibus cauſis in quibus Regulares ad Tribunal Conſervatoris reſpective trahendi ſunt veluti rei ut perlegenti liquet, nec Criminales aut mixtas excludit, nec privilegium conceſſum Jeſuitis in hac parte per Gregorium XIII. fertur eſſe incommunicabile ut vult ſupponere Monacellus, conſtat enim legenti contrarium. Ultraquamquod cognitio hujuſmodi omnium cauſarum civilium criminalium atque mixtarum conceſſa expreſſe legitur Conſervatori Fratrum Minorum pro eorum Syndicis tamquam gaudentibus prilegio ab ipſiſmet Fratribus poſſeſſo juxta Conſtitntionem jam ſuperius relatam Clementis VII. & Decreta Apoſtolica per Innocentium PapamXI.ſ.m. confirmata apud Matteucc. *Offic. Cur. Cap.* 52.

§. II. Cum tota proinde reducatur difficultas ad ulterius quæſitum: an in ipſis cauſis tum civilibus tum criminalibus atque mixtis in quibus Regulares conveniuntur tamquam rei valeat Conſervator procedere etiam circa dubias & non manifeſtas ſervato ordine juris atque extendere facultatem ad judiciariam indaginem juxta opportunitatem, & exigentiam; hinc dico ſecundo Judiciariam indaginem ſervato ordine juris proprie importare non ſolum modum procedendi de plano ſine ſtrepitu ſola veritate inſpecta & quoad ſubſtantialia juris indeclinabilia, ex explicatis alibi; ſed etiam juris ſolemnitates cum omni publicitate & ſtrepitu peractas ex alibi etiam Doctrini paſſim animadverſis. Quo ſuppoſito, prohiberi, ſi, & quatenus adderem Conſervatoribus in cauſis ſupradictis, in quibus Regulares reſpective conveniantur ut rei modum procedendi ſervato ordine juris etiam rigoroſo, & cum ſtrepitu in non manifeſtis & dubiis quæ alias per Conſtitutionem *Sanctiſſimus* minime excluduntur, non autem eſſe vetitum in hiſce caſibus & cauſis modum procedendi de plano & ſine ſtrepitu & ſola veritate inſpecta ſervatis dumtaxat ſubſtantialibus juris, ne alias deſtruantur indeclinabiles regulæ: *quod neceſſaria omnia ad unum concedantur illi*, cui conceditur illud unum *l. 2. ff. de juriſd. omn. Jud. l. ad rem mobilem. §. Qui Procuratorem ff. de Procuratoribus*. Bald. in d. l. 2. ℣. *tit. dic plenius ante num. 1. ff. de juriſd. omn. jud.* Immo quod etiam omnia intelligantur conceſſa quæ commodiorem & faciliorem reddunt executionem actus principaliter intenti cenſeri *ex Cap. Præterea de off. deleg.* Navarr. in primo de pœnit. *diſt. 5. n.* 24. Surd. *conſ.* 347. *n.* 20. Thomas de Thomaſſettis in flor. leg. *reg.* 19. addita celebri reg. juris in *6. n.* 12. quod ſubſiſtat ex conceſſo principali nequeat negari & impediri acceſſorium ſequens ejus naturam: cum concordantia ad evitandum item abſurdum maximum, quod alioquin impertita Conſervatoria poteſtas in dictas cauſas, quatenus prohiberentur media neceſſario adhibenda redderent eam omnino fruſtatoriam, quod cavendum abſolute dictat gloſſ. *in Cap. ſtatutum* ab adverſariis adducto *de Off. deleg. in* 6. Ex qua doctrina opportunum eruitur reſponſum Decreto aliter ſatis moleſto S. C. C. 24. Martii 1657. per ipſum P. Forti adductum n. 33. Videlicet -- *Regulares habentes Conſervatorem legitime electum etiam reos debere in hujuſmodi cauſis judicialem diſcuſſionem & indaginem requirentibus coram Ordinario & non coram Conſervatoribus conveniri*. Reſponderetur namque negando ſuppoſitum nimirum quod cauſæ a Conſervatore reſpective cognitæ requirerent judicialem diſcuſſionem & indaginem quæ exerceatur cum ſtrepitu, & publicis ſolemnitatibus juris, ſed debeant de plano, ſummarie ſervato tantum ordine in ſubſtantialibus inevitabili, ad hoc ut procedat nt Judex qualis conſtituitur in ſibi commiſſis; & ne videatur imaginaria prorſus hujuſmodi inſinuatio, legi poteſt jam citata Conſtitutio Gregorii XIII. incipiens *Æquum reputamus* pro Jeſuitis abſque incommunicabilitatis clauſula, ubi in iiſdem fere terminis Conſervatoris facultas pro cognoſcendis cauſis civilibus criminalibus & mixtis Regularium, quoties coram illo reſpective conveniuntur rurſum ſuadetur & explicatur: in Bullar. Rodriguez pag. 147. Legen-

gendus item præcitatus Forti *art.* 28. *n.* 25. *dicto quarto &c.*

61 Item licet exprimatur in dicta Gregorii Bulla, quod Conſervatores iidem extra Diœceſin & Civitatem in qua fuerint deputati nequaquam procedere præſumant, explicant Doctores fere communiter, quod per hoc reſtricta ſit illorum facultas ad procedendum intra Civitatem tantum & Diœceſim in qua pro Monaſteriis inibi exiſtentibus perſonaliter reſident, ut præmiſimus de Epiſcopis quatenus hujuſmodi munus ſuſciperent, ſuperius *n.* 53. in fin. Verum ſi Monaſteria, quorum Conſervatorias gerant pollideant Bona Grancias extra Civitatem & Diœceſim vel perſonas Regulares in iis detineant quibus injuria vel violentia manifeſta inferretur, quod poſſint eo caſu agere contra injuriantes & fungi munere proprio quoad reliqua ſibi permiſſa aſſerit poſt Barboſam & Laurentium de Peyrinis a ſe citatus Ventriglia *p.* 1. *adnot. præfatu* 27. *n.* 11. Additque Matteucci DecretumS.C.C. 23. *Octobris an.* 1623. tranſcriptum ut ipſe fatetur ex Peyrino mox relato, ſed cum limitatione; quod non trahantur rei ultra unam dietam quæ importat ſpatium viginti milliarium, ut videtur præſcribi *in Cap. ſtatutum de reſcriptis & in Cap. Hac Conſtitutione in* 6. *de offic. Delegati* Ventrigl. ubi ſupra *n.* 8. ſeu ultra tres dietas; prout cum Rodriguez, Lezana, Peyrin. & Tamburrino ampliat Ant. a Spir. Sancto in direct. Reg. *tr.* 2. *diſp.* 1. *n.* 217. Attenta ſignanter Bulla Gregorii XIII. pro Jeſuitis *Æquum reputantes*, quæ eſt inter alias hujus Pontificis, ordine prima referente item P. Petro Forti art. 1. & 2. de Judic. obſervat. At ego ſi verum fateri debeam in Decreto S. C. C. die 23. Octobris an. 1627. hic allegato apud Peyrinum & Matteucci Cap. dicto XV. n. 20. non *lego dietas* aut extenſionem ullam; habetur ſiquidem abſolute ibi = *Conſervatorem eſſe deputandum in Civitate vel Diœceſi ubi ſitum eſt Monaſterium & ibi* TANTUM ET NON ALIBI *poſſe eundem Conſervatorem* PROCEDERE ETIAM IN CAUSIS BONORUM ET MEMBRORUM *ejuſdem Monaſterii extra ipſam Diœceſim exiſtentium*, quod ſane Decretum potiſſimum debet attendi; utpote poſterius ad Bullam præcipuam *Sanctiſſimus* Gregorius XV. ejuſque declarationem. Ut in plurimum autem Bona, Granciæ ſive Membra Monaſteriorum non ſunt adeo longe diſtantia.

62 Ad dubium inde: an Conſervatores poſſint alios in officio ſubdelegare, ſubrogare, vel ſub Conſervatores inſtituere. Reſpondent negative Doctores plurimi apud Barboſam *alleg.* 106. *n.* 4. quibus aſſentitur Gavantus *V. Conſervatores* ubi ſupra *n.* 11. & poſt Maceratam, & Riccium negat pariter Ventriglia *par.* 1. *adnot.* 27. *n.* 12. ſubſcribitque Monacelli in repetita appendice p. 1. ad Bullam Gregorii *Sanctiſſimus pag.* 303. *adnot.* 3. Eo quia, ut ait Ventriglia, non habeant juriſdictionem ordinariam ſed delegatam. Immo negativa habetur expreſſe in Cap. ſæpe citato *Hac conſtitutione* de Jud. deleg. in 6. cum clauſula tamen: ibi *Niſi exprimatur in reſcripto ſeu literis non poſſunt committere ſuas vices alteri*. Nihilominus in majori numero affirmative reſpondent Doctores alii, relati a Tamburino. *tom.* 3. *diſp.* 13. *qu.* 1. *n.* 6. quos ſequitur quoque Ant. a Sp. S. ubi ſupra *n.* 118. eamque affirmativam tenent Lezana *Cap.* 10. *punct.* 2. *n.* 57. Et Matteucci *Cap. d. XV. n.* 24. Et ratio potiſſima eſt pro ipſis, quia Conſervatores hujuſcemodi vere ſunt & nominantur Judices in prænotato Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *Cap.* 5. atque in Conſtitutionibus tum Gregorii XIII. *la* 1. pro Jeſuitis tum alterius Gregorii XV. *Sanctiſſimus la* 9. quæ juxta repetita principaliter attenditur; Judices autem poſſunt aliis vices ſuas committere niſi ſpeciali jure ſibi prohibeatur. *Cap. ut litigantes de Offic. Ordin. in* 6. Abb. *in Cap. Nemini n.* 3. *de offic. legat.* Clarus §. *fin. qu.* 41. Nec obſtat, ſubdunt iidem, quod habeantur ut Delegati, eo quia Judices Delegati Papæ, prout ſupponuntur Conſervatores per Doctores omnes Lezanam Ant. a Sp. S. Matteuccium loc. cit. & aperte fatetur poſt Anchar. & Barboſ. Ca. rol. Ant. de Luc. *ad adnotat.* 27. Ventrigl. *n.* 2. gaudent privilegio ſubdelegandi. Ad textum *in Cap. Si pro*, *& Cap. Paſtoralis de Offic. Deleg.* cum concordantibus aliis. Et ulterius, cum ſint delegati ad cauſas univerſales ad normam ſibi commiſſi muneris in genere, eſſe innegabile propter hanc rationem quoque concludunt quomodo alios ſubdelegare queant, ex Gloſſ. *in Cap. ſtatuimus* §. *Inſuper de reſcript. in* 6. *& in Cap. Super* §. *Si vero de offic. deleg.* Abb. *in Cap.* cum Bertoldus *n.* 20. *de ſent. & re judic. Et in Cap. Qualiter & quando il* 2. *de accuſ. n.* 3. Bart. in extravag. *Ad reprimendam* ℣. *Communitas*. Oldrad. *conſ.* 305. *n.* 1. cum communi. Et licet videatur per citatum Caput *Hac Conſtitutione*. Bonifacius VIII. talem prohibere ſubrogationem: conſiderata nihilominus clauſula ibi: *Niſi exprimatur in Reſcripto & literis*; ſententiam affirmativam potius confirmandi prætendunt,

dunt, quia in literis concedi ſolitis facultas eadem exprimitur uſualiter. Literæ autem hujuſmodi, quæ alias Conſervatoriæ appellantur non ſemper conceduntur a Papa ipſo immediate, ut videtur ſupponere Monacellus *part.* 1. *pag.* 303. *n. cit.* 3. Sed vel per Capitula vel per Superiores quibus Summus ipſe Pontifex per reſcriptum in genere vel generalem legem impertitus eſt poteſtatem deligendi & nominandi reſpectivos Conſervatores, ut notat Doctus Ventriglia *d. adnot.* 27. *num.* 2. & 7. Ita ut authoritate Papæ cujus ſunt Delegati, in eoſdem tota juriſdictio derivet; ex oſtenſis ſuperius *num.* 50. *in fin.* & magis declarabitur infra. Attenta pariter ad propoſitum Bulla *Sanctiſſimus* Gregoriana, ad cujus tenorem reducuntur omnia jura circa Conſervatores ex repetitis, cum diſpoſitio ejuſdem afficiat expreſſe *tum principales tum ſubrogatos* ibi §. 2. & latius Petrus Maria Forti Jeſuita art. 35. per tot. ex qua propterea eſſe innegabilem in Conſervatoribus facultatem committendi aliis proprias vices deducunt inter alios Lezana *Cap.* 20. *n.* 57. Hinc itaque manifeſte deducimus & nos ſententiam affirmativam fore probabiliorem, dummodo ſubrogatus vel ſubſtitutus a Conſervatore principali iiſdem qualitatibus & requiſitis polleat, ut in eadem Bulla, videlicet, vel Canonicatum Cathedralis vel dignitatem ſaltem Perſonatum poſſideant & niſi actu inter Judices Synodales connumerati, ſint idonei ſaltem ut in Synodales Iudices eligantur ubicumque Iudices hujuſmodi actu deſint: ex Angelopolitana *in dubio* 7. incidente item doctrina communi quod ſubdelegatus eaſdem qualitates præſeferre debeat in quantum fieri poteſt quæ in Principali ipſum ſubdelegante ſunt neceſſariæ. Alexand. *Conſ.* 77. *n.* 5. ℣. *Et idem habet lib.* 2. Caſtren. *Conſ.* 66. *n.* 4. ℣. *Ad tertium lib.* 1. ſicuti ad propoſitum expreſſe item habetur *in Cap. Hac Conſtitutione de Off. Delegati in* 6. *& ibi gloſſ.* & poſt Rodericum *tom.* 1. *qu.* 65. *art.* 10. Barboſam *alleg.* 106. *n.* 4. advertit P. Didacus ab Aragonia *tract.* 1. *Cap.* 9. *n.* 5. & P. Forti ubi ſupra.

63 Ex præmiſſis clare infertur itidem poſſe equidem ut tetigimus ſupra *n.* 57. *in fin.* non minus ac alium quemcumque Judicem recuſari ſi adſit ſufficiens motivum ſecundum juris diſpoſitionem Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. *alleg.* 106. *n.* 32. Et ab eo poſſe quem appellare ſi fundamentum adſit ſuſpicionis Card. de Luc. *diſc.* 49. *n.* 17. quod procedit etiam in notoriis Farin. in prax. crim. *qu.* 21. *n.* 118. *ſeq.* Monet. de Conſervat. *Cap.* 9. *n.* 180. Lezan. *Cap.* 10. *cit. n.* 74. & 75. excepto ſi ageretur de notorio permanente Paſqualig. ad Lauret. de Franch. *part. prima n.* 851. Quoties etiam Conſervator ſit merus executor quod nequeat recuſari ad normam cœterorum Judicum, neque ab eo appellatio teneat aſſerunt Doctores apud Lezanam *d. n.* 74. Recuſationem pariter faciendam eſſe coram Papa & ad Sedem Apoſtolicam tantum interponendam eſſe appellationem ſentiunt Doctores iidem eo quia Conſervatorem fateantur Sedis Apoſtolicæ Iudicem Delegatum: Tuſch. ℣. *Conſervatores concluſ.* 760. *n.* 5. Anchar. *conſ.* 72. *n.* 1. & *conſ.* 132. Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. *alleg.* 106. *n.* 2. Card. Ant. de Luc. *ad adnot. cit.* 27. Ventrigl. : ibi vocans in quæſt. an Conſervator ſubjaceat Legato *Obſerv.* 2. Quatenus autem contingat caſus eligendos eſſe arbitros in forma juris qui judicent de cauſis ſuſpenſionis providet Concil. Tridentinum *in Cap. ſæpe allegato* 5. *ſeſſ.* 14. Barboſ. *in d. allegat.* 106. *n.* 32. ad normam præmiſſorum n. 59.

§. I. In ſuppoſitione deinde quod excederet in judicando proprii muneris limites & juriſdictionis terminos adverſus Ordinarios, ſubjacere Conſervatorem excommunicationi in Bulla Cœnæ contra uſurpantes juriſdictionem Ordinariorum tradit Ventriglia *d. adnot.* 27. *n.* 10. quem ſequitur Monacellus, limitans tamen ſi exceſſus eſſet doloſus & præſumptuoſus *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 52. *n.* 27. *pag.* 126. At melius ſtandum eſſe in Bulla Gregorii *Sanctiſſimus* ad quam de Conſervatoribus tractanda reducuntur juxta probata, ſuadent Doctores paſſim apud Lezanam *part.* 2. *Cap.* 10. *n.* 37. Pignatell. *tom.* 10. *conſult.* 162. *&c.* Quæ quidem Bulla explicite ſtatuit, quoties limites ſuæ juriſdictionis revera Conſervator excedat, quod per annum ab hujuſmodi Officio ſuſpenſus intelligatur, & quod pars quæ hoc fieri procuraverit ſententiam excommunicationis incurrat ad normam Conſtitutionis Bonifacii prædeceſſoris *in Cap. relato Hac Conſtitutione de Offic. Deleg. in* 6. per eumdem Gregorium inibi innovatam. Exinde opportune notat citatus Lezana *Cap. eod. n.* 70. quod, cum in Conſtitutione innovata Bonifacii ponatur dictio *ſcienter*, excuſat per conſequens in caſu ignorantia etiam craſſa, ſicuti cum ſuſpenſio ſit temporanea tran-

facto anno absque ulla absolutione cessat juxta commune Doctorum. Et quod Ordinarius ipse excommunicationem contra Conservatores ex se nullatenus possit ferre habetur resolutum per S. C. Episcop. in Majoricen. 2. *Octobris* 1643. apud Nicol. in lucubr. *tom. 2. lib. 1. tit.* 29. *n.* 13. *ad* 4. Quando vero excessus se extenderet ad manifestas injurias atque offensas contra Ordinarium usurpationem, que ejusdem jurisdictionis scandalosam, non dissentio posse tunc Ordinarium ad censuram in Bulla Cœnæ contentam & alias a se imponendas devenire adversus Conservatorem, qui ratione dictæ offensæ deperderet privilegium evaderetque subditus jurisdictioni ejusdem offensi: Donat. in prax *part. 2. tract.* 17. *de Conservat. qu.* 42. *n.* 5. post quem Pignatell. *tom. 2. consult.* 14. *n.* 8. Veruntamen advertendum repeto in his casibus etiam qualiter ad incurrendam ultra suspensionem jam relevatam præsertim excommunicationem in Bulla Cœnæ contra usurpationes præfatas latam, requiratur quod prætensus usurpans sit destitutus omni probabili credulitate proprii juris & certo sciat jus esse proprium Episcopi nihilominus sibi illud appropriare, attentis ut ex Suarez Filliuccio Pasqualigo notant etiam laudatus Pignatellus *tom.* 7. *consult.* 44. *n.* 14. Raynald. observ. crim. *tom. 2. supple. ad Cap.* 10. *n.* 38. Et Card. de Luc. in Miscell. Eccl. *disc.* 19. *n.* 6. & 7. Ubi affert resolut. ad propositum S. C. de an. 1661.

§. II. Insuper considerandum specialiter venit: Excessus committi quidem a Conservatoribus quoties hi contra Episcopos insurgant censurasque eorum Curiis comminentur in iis casibus in quibus Regulares quorum jura tueri prætendunt expresse juridictioni Ordinariorum subjiciuntur per Tridentinum. Ut per famosam Angelopolitanam firmatur *in respons. ad* 1. & 2. *pro parte Episc.* Apud Matteucc. *Cap.* 19. *n.* 41. & 42. Cœterum in aliis casibus omnibusque & singulis, in quibus per Tridentinum jurisdictioni Episcoporum Regulares ipsi minime specificam subjectionem habent, esse munus Conservatorum ad hoc ipsum electorum, illosmet defendere a quibuscumque injuriam & violentiam eorum personis bonis & juribus inferre tentantibus adhibendo remedia juris & censuras, *ut n.* 55. & 57. fuit ostensum, absque eo quod excipiatur Episcopalis Curia, contra id quod opinari videtur Monacelli *part.* 3. *form.* 48. *in admot.* ỷ. & *exequi potuisse n.* 5. & 6. licet confuse satis ibi se gerat: Tum quia *ex Cap.* 2. *de Offic. Deleg. in* 6. apparet concessum Conservatoribus in iisdem casibus ferre censuras adversus ipsummet Episcopum, prout sustinere vult Ursayas *tom.* 2. *part.* 2. *disc.* 15. *n.* 21. & 885. quem tamen præ reverentia erga dignitatem nos supra excepimus *n.* 59. *in princ.* contra P. Didacum ab Aragonia *loc. cit. n.* 23. sed præcipue, quia habeamus hoc decisum quantum ad Vicarium Generalem Episcopi atque Episcopalis Curiæ principalem Ministrum & Officialem, nimirum posse ipsummet per Conservatores censuris coerceri; in Angelopolitana quam refert Monacellus ipsemet tom. 1. in Appendice pag. 304. ad quartum dubium pro parte Jesuitarum & in alia declaratoria citata superius *n.* 59. *in fin.* S. C. C. authenticantis censuras latas per Conservatorem contra Vicarium Generalem *sub die* 2. *Aprilis* 1672. apud Ursayam *ubi supra n.* 22. Unde Episcopus ex vi generalis pro se legis atque æquitatis censetur semper exceptus.

64 Ut itaque usque nunc tradita saltem aliqua difficiliora clarius & uberius exponamus, reassumere non erit abs re, duos dari casus in genere in quibus Conservator possit cognoscere causas ad normam Bullæ celebris Gregorii XV. *de anno* 1671. citantis aliam Clementis VIII. *de an.* 1592. inter Constitutiones hujus Pontificis *num.* 3. cum superaddito Decreto S. C. C. ad Calcem ejusdem Gregorianæ. Casus nempe hujusmodi esse eos in quibus Regulares sint Rei indeffinitive loquendo. Quamvis nempe Concilium *sess.* 14. *Cap.* 5. *de Reform.* limitet munus Conservatorum ad cognoscendum in civilibus non in criminalibus, idem ex dictis percutit Conservatorias cœteras Capitulis Communitatibus & Personis etiam singularibus concessas, non autem ligat Regulares nec horum ibi exceptas Conservatorias diminuit, ut pro tollendis dubietatibus omnibus super hoc declaravit Paulus V. *in Constit. la* 34. quæ incipit *Religiosam* in Bullar. Cherub. *tom.* 3. relati item per Peyrinum *de privil. tom.* 1. *ad Constit.* 2. *Sixti IV.* §. *ii. n.* 32. *Constitutio* proinde præfata Gregorii incipiens *Sanctissimus* unice attendenda sit in hac materia pro Regularibus secundum Doctores, quæ nullatenus exprimit prætensam limitationem. Et ita non video cur non possit Conservator in aliqua causa criminali in qua Regulares essent Rei, nec foret ex illis quæ Ordinario per Sedem Apostolicam delegantur juxta præ-

fata in immediata antecedente §. *ii.* eosdemmet Reos ad judicium proprium trahere & convenire: juxta generica & indeffinita verba dictæ Bullæ: ibi. *Ut coram ipsis Conservatoribus Regulares & personas præscriptæ conveniri & trahi debeant*. Et iterum *Jurisdictionem habeant in iis tantum in quibus Regulares & alii Rei extiterint*. Veluti si daretur casus non impossibilis quod Regularis ad qoem limitamus sermonem in Monasterio privatim sæculari alapam impingeret vel Sæcularem infamaret aliis coram, seu non qualificatum furtum extra Monasterium committeret; in hoc inquam supposito atque similibus casibus non deprehendo in allata Constitutione facultatem cognoscendi Conservatori ademptam. Verum circa hoc genus judicii in ordine ad Regulares quatenus rei conveniantur quod habeat facultatem indeffinitam Conservator in causis non solum civilibus sed & criminalibus & mixtis, satis indicatum est in n. præcedenti 60. §. 1. prop. finem. Alter deinde genericus casus quando munus & potestatem Delegati Apostolici exercere valeat Conservator? occurret sine dubio quoties *defendendi sint Regulares a manifestis injuriis & violentiis* ad tenorem Decreti S. C. C. Constitutioni Gregorianæ appositi, ut dictum est; quæ sane potestas Conservatori invenitur expresse tributa per anteriores repetitas sæpius Constitutiones tum Innocentii IV. in *Cap. Statuimus s.* tum Bonifacii VIII. in Cap. *Hac constitutione ult. de offic. Jud. deleg. in 6.* quas citat posterius allatum S. C. Decretum, immo ultimum innovat atque confirmat in sua Bulla ipse Gregorius. Et quamvis in hisce secundi generis casibus aperte fistineant posse Regulares se gerere uti actores coram d. Conservatore: Lezana *Cap. 10. n. 60.*, & seq. Anton. à Spir. Sancto *tract.2. ubi supra n. 212.* Matteuccius *Cap. xv. n. 10.* & cum aliis Didacus Aragonien. *n. 16. in fin.* attamen superius adnotavimus *n. 56.* magis uniformiter ad Bullam Gregorianam acturum Judicem ipsummet, quoties præcedente notitia quacumque aut qoocumque recursu extrajudiciali de injuria & violentia Regularibus illata vel horum bonis, ex officio de facto procederet sumendo informationem primo & examinando summarie testes super notorietate injuriæ & violentiæ: ut valeret super eadem probata in casu suam fundare jorisdictionem, ex traditis signanter per Monacellum *part. 1. in appendice pag. 304. n. 7.* atque inde citare & cogere injuriæ & violentiæ illatæ reos eo modo quo ibi in d. n. 56. sequent. & n. 57. fuit demonstratum.

§. Un. Porro duos relatos diversi generis casus non esse in unum confundendos ut videtur tentare Monacellus *tom. 1. ubi supra n. 4.* sed apertius *tom. 3. pag. 125. n. 17.* ostendit item evidens ratio. Nam si in casibus primi generis conveniantur ut rei patet quod supponantur injuriam aliis potius inferre quam pati: in casibus item secundi generis manifeste relevat injuria & violentia ipsis illata & quam patiuntur, & de qua agitur tum in Decreto S. C. tum in Constitutionibus Innocentii & Bonifacii ibi citatis: Supponitque præfatam distinctionem celebris Angelopolitana: cum ibi in VI. dubio pro parte Episcopi quæritur: *An Regulares possint conveniri coram Ordinario si sint ære alieno gravati &c. quoties non nominaverint Conservatores?* Atque in dubio VIII. pro parte Jesuitarum distincte resolvitur, posse Conservatores compescere Vicarios Generales Episcoporum a manifestis injuriis & violentiis etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis. Patet igitur repeto, quod non tantum valeant procedere & exercere munus proprium Conservatores in defensam Regularium, quotiescumque vel in personis vel in Bonis patiantur hi manifestas injurias & violentias, ut in secundo proposito casu; sed ulterius quatenus supponantur Iudices electi & depotati quando Regulares ipsimet habentur ut Rei iniuriarum aliis illatarum, idque tenetur concedere Monacellus idem; cum in citata prima parte *pag.* 304. affert & non potest non approbare ambos distinctos casus in Angelopolitana decisos *n. 12. & n. 15.* quod quidem apud Anctores reliquos est absolute manifestum.

65 Præterea quia repetitis viribus obiicitur Conservatoribus quod nequeant se intromittere & procedere in iis quæ judicialem indaginem exigant, ut præscribunt signanter Constitutiones ambæ Innocentii IV. & Bonifacii VIII quas Decretum S. C. C. ad calcem Bullæ Gregorianæ præcipit observari, non prætermittendum hic duco; aliqualem indaginem concedi ad probandam notorietatem injuriarum quas paterentur Regulares a Conservatore defensi, ut præmisimus nos & insinuat aperte gloss. in dd. Capitibus primo & ultimo *de potest. Jud. deleg. in 6.* ipsam immo joriditam probationem notorietatis afferi necessariam per Monacellum prima parte pag.304. n. 7. ubi citat Tuschum *lit. C. conclus. 760. n. 3. & 4.* Et ulterius judiciariam hujusmodi

di indaginem quæ de sui natura non importare nequit discussionem legalem oppositionem inter partes ac solemne judicium cum strepitu, prohiberi quidem in prosequendis iisdem causis injuriarum & violentiarum Regularibus inflictarum, quæ debent esse qualificatæ, videlicet notoriæ & manifestæ; ita ut in aliis obscuris & adhuc dubiis quæ altiorem propterea & solemniorem ut mox adnotavimus indaginem exposcunt, nequeant se ingerere Conservatores, veluti explicant Ricc. in decis. Archiepisc. Neapol. 255. *n.* 9. & *seq. part.* 2. & Donat. prax. Regular. *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 17. de Conserv. *qu.* 8. *n.* 24. Cæterum in alio genere causarum in quibus Religiosi possint conveniri ut Rei, non deesse auctores qui sustinent cognitionem earum quamvis plenariam & non sine strepitu spectare ad Conservatorem: attenta præcipue resolutione S. C. C. in una Mediolanen. quam referunt de facto & sequuntur Leo in Thesaur. for. Eccles. *part.* 5. *Cap.* 3. *n.* 58. Peyrin. de privil. Regul. *tom.* 3. *fol.* 350. *n.* 56. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 81. *n.* 13. Et in Sum. Apostolic. decis. collect. 216. n. 21. prout firmavit pariter Rota sequendo citatam resolutionem in Mediolanen. *decis.* 239. per tot. cor. Ubald. & *decis.* 285. *n.* 6. & 7. *part.* 15. *recent.* Ubi ampliatur jurisdictio Conservatorum ad causas in quibus agitur de executione publica causarum ipsarum. Quod si opponantur resolutiones aliæ S. C. C. aperte inhibentes Conservatori judicium ferre in causis in quibus etiam tamquam Rei conveniantur Regulares, quando in iis est opus indagine & discussione judiciali, una *de anno* 1657. *die* 28. *Julii in lib. dec.* 21. *pag.* 31. altera in Papien. *sub die* 30. *Martii* 1680. *lib. decr.* 31. *pag.* 73: adderem discreta in hac materia varias ab Auctoribus hinc & inde adduci declarationes. Et revera præfatam facultatem in Conservatoribus respective substinentes resolutionem ejusdem Congregationis afferunt in relata Mediolanensi, nec non etiam in replicata Papien. 6. *Julii* 1681. quæ admittit jurisdictionem in ipsis Conservatoribus etiam quantum ad causas judicialem discussionem exigentes, quoties in favorem Regularium in suppositione semper quod Rei existant adducitur privilegium; ut in *lib.* 32. *decret. fol.* 295. cui privilegio equivalere consuetudinem in Conservatore exercendi prætensum jus contendit Ursaya *tom.* 2. *part.* 2. *disc. XV. n.* 37. & 38. adducens Doctores & Rotam in *decis.* 251. *n.* 7. & 8. *part.* 19. *recent.* Videndus etiam Pignatellus *tom.* 8. *consult.* 33. ubi postquam attulit declarationem S. C. paulo ante citatam de anno 1657. quamvis asserat *sub vario die* 24. *Martii non* 28. *Julii*, quod debeant nempe Regulares etiam Rei in causis requirentibus judicialem discussionem conveniri coram Ordinario: deinde tamen attentis dispositionibus & rationibus in contrarium, concludit, declarationem præallegatam non obstare Regularium privilegiis, quin possint coram Conservatoribus in causis etiam exigentibus indaginem conveniri: Pascucci idem ejus compilator *tom.* 2. *pag.* 310. Verum enim vero veluti aptior ad concilianda jura & Decreta non potest negari sententia quæ post descriptionem indaginis idem in cap. datam n. præcedente 57. & repetitam n. 60. negat hanc eamdem indaginem rigorose acceptam intervenire unquam in judiciis Conservatoris, sive in cognoscendis causis in quibus Regulares injurias patiuntur & violentias, quæ manifestæ & notoriæ prius probentur, sive in alio genere causarum quarumcumque in quibus etiam dubiis & non manifestis Regulares &c. conveniuntur ut Rei eodem n. 60. ubi supra §. II.

§. I. Quia autem privilegia peculiaria quantum ad hoc inter alia referuntur concessa Societati Jesu nec non Religioni seu Militiæ Hierosolymitanæ per Cardinalem de Luc. de Regular. *disc.* 51. *n.* 12. & 15. & de jurisdict. *disc.* 49. *n.* 7. quem sequitur Monacell. *part.* 1. ad Bullam Gregorii XV. *n.* 2. *pag.* 303. nempe quod a proprio electo Conservatore possint judicari in quibuscumque causis, puta non manifestis sed etiam dubiis obscuris & exigentibus licet judicialem indaginem, quoties ipsismet privilegiatis magis conveniri contingat uti reos; non animadvertere iterum nequeo hujusmodi privilegia opportere quod post d. Gregorii Constitutionem *Sanctissimus* emanaverint cum alias omnes & quæcumque Religiones Militiæ etiam specifice *S. Joannis Hierosolymitani &c.* in ea comprehendantur quantum ad irritationem & nullitatem privilegiorum antea concessorum; ut evidens est legenti; quæ Constitutio insuper apertissime disponit quoad privilegia in hac parte a Regularibus prætensa quatenus conveniantur ut Rei, nec de actoribus facit verbum: Religiosi item Societatis Iesu qui peculiaria privilegia circa Conservatores possidere perhibentur, ut etiam ex Carolo Antonio de Luca videtur asserere Ursaya *tom. V. p.* 2. *disc.* 32. *in fin.* quod illa obtinuerint est ostendere necesse

ſe poſt famoſam & toties allegatam Angelopolitanam quæ prodiit *de anno* 1648. *die* 14. *Maii*, ubi in reſponſione ad v. dubium pro parte Ordinarii loquendo de Ieſuitis inibi expreſſis non minus ac de cœteris aliis Regularibus privilegia præcipue omnium eorum quoad Conſervatores æque ad Gregorianam Bullam declarantur redacta, prout accurate notavit Pater eruditus Petrus Maria Forti Societatis alumnus in laudato opere de Iudice Conſervatore art. 3. n. 38. & repetimus hic adducendo ad literam Angelopolitanæ decretum; ibi = *Hujuſmodi Conſtitutionem cum ſuis declarationibus æque afficere Religioſos Societatis Jeſu atque aliorum Ordinum, & Conſervatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos non obſtantibus quibuſvis privilegiis. Quippe quæ omnia ſunt redacta ad terminos ejuſdem Conſtitutionis*. Apud Monacelli ubi ſupra *n.* 11. & Matteucci *d. cap.* 19. *n.* 45. Idemque concludendum venit de privilegiis quæ pro certo affirmat conceſſa peculiaribus Religionibus P. Theſaurus apud Ventrigliam *in d. adnot.* 27. *n.* 8. aut de quibuslibet aliis a quocumque allegatis, videlicet opus fore quod conceſſa fuerint privilegia hujuſmodi poſt Bullam Gregorianam & poſt Decretum in cauſa Angelopolitana mox allegatum inſertumque in Conſtitutione Innocentii PP. X. *Cum ſicut la* 29. *in Bull. tom.* 4. Cum alioquin Bulla præfata & Decretum omnino ſine exceptione ulla quæcumque privilegia antea collata annullans & irritans & ad terminos ejuſdem Conſtitutionis reducens, procul dubio dabeat attendi unice & obſervari, ſi adducatur pariter indultum, quod refert Monacelli *part.* 3. *pag.* 123. *n.* 3. conceſſum Militiæ antedictæ Hieroſolymitanæ ab *Alexandro VII.* 17. *Maii* 1651. eligendi ſibi in Conſervatores etiam non deſignatos Iudices in Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis, necnon ſimile impertitum Patribus Societatis in Angelopolitana ipſa eligendi pariter Conſervatores qui non ſint Iudices Synodales in locis in quibus hi non extant in reſponſ. ad 7. dubium pro ipſis Ieſuitis: i.) ampliatum jam diximus ſuperius n. 53. ad Regulares reliquos per Decretum S. C. C. inſertum in Conſtit. Clementis X. *Inter Opera* 18. Ianuarii 1672. apud Matteucci Offic. Cur. *Cap. xv. n.* 7. Quare etiam de eodem extra Synodales Iudices ſelecto quod poſſit carere conditionibus alias in Conſtitutione Gregorii XV. *Cap. ſtatutum* præſcriptis, ſcilicet vel canonicatu vel dignitate ſaltem perſonatu non invenitur conceſſum, nec ſuper hoc dictis Conſtitutionibus derogatum duco. Illud autem privilegium quod tradit Pignatellus *tom.* 8. *conſult.* 33. *n.* 26. fuiſſe conceſſum Cartuſiæ Papienſi ejuſque Conſervatori cognoſcendi in omnibus cauſis exigentibus etiam rigoroſam & publicam indaginem etiam cum ſtrepitu judicii cum ampliſſima facultate & derogatione expreſſa Conſtitutioni Gregorii XV. *Sanctiſſimus* ab Innocentio PP. X. Illud vero aliud peculiare, quod aſſerit Mendo de Ordin. Milit. *diſp.* 2. *qu.* 4. *n.* 141. & 142. a S. Pio elargitum Ordini Militari S. Iacobii dicatur, ſi & quatenus primum fuerit revera cum derogatione expreſſa Conſtitutioni Gregorianæ ab Innocentio X. poſt decreta in Angelopolitana conceſſum, vim utique quoad particulam Cartuſiæ Papienſis Monaſterium retinere, ſed minime poſſe utpote exorbitans & ſingulare ad alia Monaſteria per communicationem trahi ejuſdem tanto minus alterius diſtincti Ordinis, juxta communem ſenſum quod privilegium exorbitans & individuum Conventus Eccleſiæ vel Monaſterii, inibi limitatio exiſtat nec ſit cœteris communicabile *ex reg. jur.* 28. *in* 6. *arg. L. doli ff. de verb. oblig. Cap. ſi propterea de reſcript. in* 6. & expreſſius *in Cap. Cum Capella* 16. *de privileg.* Aliud deinde militibus Sancti Iacobi a D. Pio V. collatum difficulter ſalvaretur quod poſterioribus Conſtitutionibus & Decretis annullantibus irritantibus & revocantibus omnia & ſingula quomodocumque conceſſa indulta prævaleret.

§. II. Verumtamen dato, quod revera poſt latam Bullam Gregorianam & Angelopolitanum quoque Decretum impertita forent indulta ſpecialia quoad Conſervatorem hujuſmodi cuivis integræ & toti Religioni, in his Regulares cœteri qui gaudent privilegio communicationis in genere participarent? Reſpondet negative D. Urſaya *d. tom.* v. *mox citato part.* 2. *diſcept.* 32. *in fin.* diverſus a ſe ipſo quantum ad ea, quæ præmiſit *tom.* 2. *part.* 2. *diſc.* 15. de Regularibus indifferenter & allegans hic Carolum Ant. de Luca ad Ventrigliam *adnot. d.* 27. *n.* 5. obſervat & advertit a Conſervatoribus aliarum Religionum non poſſe argui ad illos Societatis Ieſu, utpote qui habeant ampliorem Iuriſdictionem. Attamen ſuppoſito ad rem noſtram quod in conceſſo privilegio non appoſita ſit privativa aut excluſio communicationis ejuſdem quoad Regulares reliquos, non apparet quomodo poſſit id ſubſtinere laudatus Urſaja, abſque eo quod de-

destruat regulam generalem communicationis reciprocae Ordinum Religiosorum in privilegiis ad tenorem Apostolicarum Constitutionum sole clariorem secundum allata in terminis per Barbos. in Sum. Apostolicar. *decis. collect.* 116. *n.* 2. *& seq. signanter* 11. Ubi affert super hoc *decis. S. C. C. Conservatores scilicet venire sub communicatione privilegiorum* ut pariter addocit Novar. lucern. Regular. V. *Conservator n.* 7. apud Ventrigliam *in d. adnot.* 27. *n.* 13. per Ursayam citata, cui poterat oculos admovere hic Advocatus sicuti observationes Caroli Ant. de Luca ad calcem ejus pro se facientes ipse observavit. Quoties vero clausula privativa & exclusiva communicationis passivae pro aliis Religionibus limitaret privilegia de facto alicui inter ipsas specialiter impertita; certum est quod verba Bullae sive decreti suum deberent sortiri effectum; nihilominus adhuc haberet fortasse locum doctrina quam tradit in simili P. Reinfenstuel *tit. de privileg.* §. 3. ℣. *Quaritur secundo* ad propositum consideranda.

66 Cadunt etiam sub consideratione opportuna in praesenti casus aliqui, in quibus est certum, utpote decisum in specie quod nequeant se ingerere Conservatores. Et primo, ultra id quod praemisimus in genere non posse illos esse Judices in causis Regularium, quotiescumque hi per Tridentinum expresse subjiciuntur jurisdictioni Ordinarii *n. superius* 63. §. *ii.* attentis item responsionibus in Angelopolitana *ad* 1. 2. *&* 3. dubium pro parte Episcopi exposita apud Monacellum & Matteucci ubi supra, relevat procul dubio resolutio in specie, quod nequeant assumere cognitionem causarum concernentium curam animarum & administrationem Sacramentorum vel Monialium clausuram. Hujusmodi namque causae committuntur Episcopis sive Ordinariis per Summos Pontifices signanter Gregorium XV. in notissima Bulla *Inscrutabili*, & dubiis eidem adnexis, nec posse in iis se ingerere Conservatores, etiam quoad Religionem Hierosolymitanam ordinavit Cong. Episcop. 1659. 31. *Januarii* referente Nicol. Lucubr. *tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 29. *n.* 9. Sicuti in causa item sepulturae datae a Monialibus, contra praetensionem Parochi, cadaveri defuncti in domo sita in Cortili Monasterii muris circumdato, acta Conservatoris electi a dictis Monialibus adversus Curiam Episcopalem &c. declarata fuere nulla a S. C. C. in Barchinonen. jurium Parochialium 14. *Januar.* 1713. *ad* 3. *&* 4. *in decr. lib.* 63.

§. I. Item quod nequeant Conservatores uti praetenso jure neque Regulares ad ipsum veluti proprium Judicem convolare, quando causae fuerint introductae de consensu partium coram Ordinario; hic enim acquisivisset jus in casu & proprio juri cessissent Regulares coram ipso prius convenientes, & voluntarie ejus jurisdictioni se subjicientes, & sic nequaquam liceret Conservatori contra Curiam Ordinarii, aut ullam ex partibus inhibere, resolutum habetur in una Januen. 30. *Februarii* 1723. quando expositis tribus dubiis.

I. *An Conservator V. Collegii societatis Jesu Civitatis Januae tam in casibus quam extra casus manifestae violentiae & injuriae possit procedere? Sive PP. Societatis sint actores sive Rei?*

II. *An pendente aliqua lite coram Ordinario Metropolitano semel introducta cum Patribus Societatis Jesu post eorum consensum in jurisdictione, liceat eisdem convolare ad Judicem Conservatorem?*

III. *An in supradicto casu litis jam introductae ut supra inhibitio Conservatoris si qua fiat Ordinario & parti, illiusque successiva Decreta annullativa actorum ab Ordinario post dictam inhibitionem factorum sit attendenda?*

S. C. &c. Respondit.

Ad primum *Affirmative in casibus tantum manifestae violentiae & injuriae & quando Patres sunt Rei.*

Ad secundum vero, & tertium *Negative. decr. lib.* 73. *& in tom.* 2. *thesaur. resol. pag.* 274.

Ubi tamen advertendum, quantum ad responsionem ad primum dubium, dictionem & in eo, quod dicitur. Et quando Patres sunt Rei non debere accipi in sensu composito, quasi unus sit casus manifestae violentiae, & quando Regularis est Reus, sed facere sensum singularem, seu separatum itaut diversi ibi notentur casus; unus, quando Regulares patiuntur manifestas injurias & violentias, alter quando conveniuntur ut Rei injuriarum aliis potius illatarum sive ut tales praetensi: juxta explicationem dictionis ejusdem in similibus Alciati *Cons.* 39. *n.* 19. *lib.* 9. apud Vulpell. de praeposit. & adverb. *pag.* 30. *n.* 2. ℣. *Illud*. Eo magis ad tollendam contradictionem in casu, videlicet, quod deberet conveniri ut reus idem in eomet in quo injurias & violentias pateretur, aut in juribus, aut in persona, aut in bonis: ideoque debere intelligi in casu ly & pro *vel* est manifestum juxta superius dicta *n.*55. *&* 56. & tradita in genere per Alexandr.

zandr. *Conſ*. 48. *n*. 3. *lib*. 1. Tuſch. *tom*. 2. *lit*. *D*. *concluſ*. 274. *n*. 58. *&* 59. poſt Imol. *conſ*. 101. *n*. 4. & Roman. *conſ*. 480. *n*. 3. *& ſeq*. Addita doctrina apud Urſayam *tom*. 2. *part*. 2. *diſc*. 15. ubi is apertiſſime diſtinguit caſus in quibus Regulares ſunt Rei ab iis in quibus ipſus dicit Actores, atque ſuper ambos habere juriſdictionem Conſervatores probat licet ſuper primos magis amplam, ibi *n*. 35. & late idem probat P. Forti jam pridem cit. in tract. de Jud. Conſerv. *art*. 3. *n*. 89. *& ſeq*.

§. II. Accedit uſque nunc dictis de limitatione poteſtatis in Conſervatore, quod ſecundum diſpoſitionem conciliarem *ſeſſ*. 7. *Cap*. 14. de reform. nequeat eſſe Judex in civilibus cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum in quibus Regulares reſpective comperiantur aut Rei imputentur; Quomodolibet etenim licet exempti, tamen extra Monaſterium degentes, conveniri debent hi a locorum Ordinariis, tamquam in hoc per Sanctam Sedem ſpecialiter Delegatis, & prout de jure ad ſolvenda debita cogi poſſunt & compelli privilegiis non obſtantibus, ut ibi. Quæ diſpoſitio confirmata deinde fuit a piæ mem. Benedicto XIII. in additionibus, & declarationibus in fine Conc. Rom. ad primum & ſecundum Decretum Urbani PP. VIII. v. *Itidem*. Nec non Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS Pontifex XIV. in iiſdem cauſis cognoſcendis per Ordinarios in prima inſtantia appellationem excluſit in Conſtitutione *Ad militantis* de Appellat. 1747. tertiodecimo *Cal. Aprilis*: Ad hæc P. Petrus Maria Forti in tract. jam pluries allegato de Judice Conſervatore &c. articulo ibi 22. centum producit Reſolutiones in quibus ſuſtinet ipſe Conſervatores poſſe procedere & adverſus Poteſtates Magiſtratuſque Sæculares atque contra Eccleſiaſticos Prælatos Epiſcopos ſignanter injuriam inferentes quomodocumque Regularibus Monialibus famulis & colonis in perſona & eorum bonis &c. Sicut & in articulo ſubſequente XXIII. centum addit caſus in quibus Conſervatori nequaquam ſed Epiſcopo reſpective competit ſuper Regularibus, Monialibus &c. juriſdictio. Attamen in articulo prius allegato XIII. plura concedit Conſervatoribus quæ difficultates non tam cito ſolvendas patiuntur vel reſiſtentiam experiuntur in praxi. Sicut & in centum ſuballatis caſibus artic. 22. partes Epiſcoporum agit, ſed cum diſtinctionibus exceptionibus non ſemel interpoſitis; itaut juriſdictionem nequaquam tueri, ſed potius diminuere & inficere videatur. Quia igitur omnium occurrentium dubiorum ſuper articulos plures prolixum nimis & importunum evaderet examen, breviſſime recolo in cauſis, in quibus Regulares actores ſint aut eſſe poſſe cenſeantur, nequaquam ultra manifeſtas injurias & violentias poſſe juridice procedere Conſervatores, excepta ſummaria probatione notorietatis. In cauſis vero in quibus Regulares rei ſint & conveniantur, judicialem indaginem ſaltem rigoroſam & cum ſtrepitu exercitam debere prorſus excitari. Et in cauſis controverſis Apoſtolica decreta, præcipue noviſſima fore attendenda.

67 Ut reſolvamus de hinc tertium quæſitum principale. Quænam videlicet ſint Conſervatorum privilegia perſonalia ſcilicet & quantum ad præeminentiam? Reſpondetur; de jure antiquo ante Bullas nempe Clementis VIII. & Gregorii XV. multis equidem privilegiis vel per jura vel per conſuetudinem fuiſſe potitos, ut videre eſt apud Lezanam *tom*. 2. *Cap*. 10. Prælationem ſiquidem juriſdictionis in cognoſcendis cauſis Regularium, privative etiam quoad Nuntios Apoſtolicos habentes poteſtatem legati a latere; ita ut contra quoſcumque hujuſmodi poterant ſe tueri Regulares per ipſoſmet Conſervatores proprios, ut colligitur ex Apoſtolicis Sanctionibus pro Minimis Carmelitis & Jeſuitis &c. referente Peyrin. in tom. 2. de privileg. ad *Conſt*. 5. *Gregorii XV*. §. 6. & ſuſtinet cum pluribus a ſe citatis P. Sanchez *tom*. 2. *Conſ*. *mor*. *lib*. 5. *Cap*. 9. *dub*. 6. *n*. 4. Attamen hæc privativa hiſce temporibus invenitur ſublata ad normam non tantum præfatarum Conſtitutionum Clementis & Gregorii, ſed Decreti ſignanter Congreg. Conc. in una Florentina 16. Novembris 1652. Relata per Pignatellum *tom*. 1. *conſult*. 39. *q*. 2. & ejus compilatorem Paſcucci *tom*. 1. *pag*. 206. Item quando dicitur a Conſervatore poſſe & debere appellari ad Sedem ſolummodo Apoſtolicam, uti ſupra n. 63. circa init. comprehendi inter Judices appellationis in caſu Delegatum Apoſtolicum Papæ ipſius & Apoſtolicæ Sedis gerentem vices affert cum Pignatello *tom*. 3. *Conſult*. 1. Paſcucci ejus compilator *tom*. 1. *tit*. *de Appellat*. *fol*. 22. *col*. 2. *& ſeq*. ubi legitur deciſio quantum ad hoc in favorem Delegati Papæ in Regno Sardiniæ demorantis, una cum pluribus aliis dubiis per extenſum propoſitis in hac materia a Patribus Societatis & pro delegato ipſo Apoſtolico reſolutis.

§. Un. Prætendebant quoque Conſervatores olim

olim a jurisdictione Ordinarii se esse exemptos; sed præterquam quod neque in jure neque in Constitutionibus Apostolicis privilegia conferentibus hujusmodi exemptio neutiquam reperiatur, signata expresse adest in oppositum declaratio in una Faventina jurisdictionis 17. *Decembris* 1667. *ad* 8. quam refert Card. de Luca de jurisdict. *disc.* 4. *n.* 2. nimirum Præsbiteros Sæculares (nam de Abbatibus ac Prælatis Regularibus, quatenus in Conservatores possint eligi constat contrarium) habitantes in domo propria Conservatoris munus gerentes *subesse Ordinario Diœcesis in qua degunt*. Quod sane intelligendum esse signanter in causis propriis sive civilibus sive criminalibus sive mixtis post Farinaccium Barbosam & Casped. probat una cum Pignatello, Passerin. loc. ubi supra. Quia tamen addit ibi posse coram Ordinario conveniri & puniri ulterius esto delinquat in proprio Offic. ex Farinác. in fragm. crim. *part.* 2. *lit. I. n.* 973. *& seq.* patet per dicta *n.* 59. eligendos in casu Arbitros juxta dispositionem Concil. Tridentini & Bullæ Gregorianæ *Sanctissimus*. Atque interim in causa non procedendum; ut legere quis valet apud Peyrinum *tom.* 2. *cit. privil.* §. 7. *n.* 58. nisi ad Sanctam Sedem fieret opportunior fortasse recursus; pro quo videndus Ursaya superius allegatus *tom.* 2. *part.* 2. *discept.* 15. *n. præcipue* 88.

68 Reducitur ergo privilegium Conservatoris ad expressa in Constitutione Gregorii *Sanctissimus* & in Decreto ad ejus calcem & ulterioribus declarationibus in famosa Angelopolitana præsertim, sed additur quantum ad jurisdictiones excellentiam & personalem præeminentiam, quod scilicet in proprio munere & potestate circa principales causas & adnexa & connexa juxta allatas usque nunc doctrinas nequeat molestari aut impediri ab Ordinariis & aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis & Laicis: ex Capitibus præcipue sæpius adductis 1. 2. & *ult. de Offic. & potest. Jud. Deleg. in* 6. Et contra molestantes & impedientes possint ipsi uti remediis opportunis juris invocato etiam brachii Sæcularis auxilio, ut supra adnotatum *fuit num.* 57. Quod extenditur etiam in ordine ad Commendatarios Ordinis Cisterciensis per consequens cujuscumque alterius Ordinis, videlicet ad obtinentes eadem Monasteria in commendam, quatenus hi intromittere se attentarent in concernentibus Regulare institutum seu Priores Subpriores aliosque Officiales vexationibus ac manifestis violentiis perturbare, nempe quod possint per Conservatores inhiberi & remediis juris coerceri, salva semper Congregationis Cardinalium auctoritate ex Bulla Innocentii X. *Pastoralis* 25. *Septembris* 1654. *n.* 62. & alia Alexandri PP. VII. quæ incipit *Exponi sub die* 26. *Augusti* 1655. *la* 6. Bullar. tom. 5. Ubi habetur clausula, *Si Conservatores a Monachis patientibus vexationes & violentias fuerint requisiti*. Per hoc patet esse diversos hujusmodi casus ac quando Monachi atque Regulares convenirentur ut Rei: ad propositum præmissorum n. 64. per tot. &c. Sed præcipuum privilegium Conservatorum quod maximi pendere debent est de omnibus bonis spiritualibus Religionum, quas tuentur & Religiosorum in ipsis degentium participare. Videlicet de orationibus jejuniis sacrificiis missionibus prædicationibus, necnon voluntariis aliis pœnitentiis &c. In unaquaque namque Religione Servi Dei peculiares & quidem noti, sed multo plures absconditi vigent, quorum heroicarum virtutum sublevari signanter Protectores earundem Religionum & defensores quicumque, pie valent credere se a malis spiritualibus & temporalibus in hac vita præservari, & ad salutem æternam a Summo bonorum omnium largitore Deo Opt. Max. promovendos esse in futura. Legendus Sorbus in compend. privileg. Mendicantium. Verbo *Conservatores Ordinum* §. *Clemens VII.* Lezana *part.* 2. *Cap.* 10. *n.* 78.

69 Notandum denique venit ad æquivocationes submovendas posse assignari Conservatores & concedi per privilegia Ecclesiis Capitulis & Personis Ecclesiasticis extra Regulares immediate ab ipso Summo Pontifice, seu media Dataria & Cancellaria Apostolica concedi literas conservatorias nuncupatas, de quibus in genere acceptis agit Concilium Tridentinum in Capite allegato communiter quinto Sessionis decimæ quartæ & nos aliqualiter indicavimus supra, sed impræsentiarum ad propositum Prælati Regularis sermonem nos habuisse peculiarem de Conservatoribus Religionum, quibus patentales conferunt attentis privilegiis quasi Commissarii ipsius Summi Pontificis respective Prælati, vel nomine Summi Pontificis earumdem Religionum aut Monasteriorum ad præhabita ibi *sectionis hujusmet v. n.* 50. Et quamvis de Conservatoribus indifferenter quibuscumque verificetur hic data doctrina quantum ad principalia quæsita, nihilominus quod difficultates non paucæ magis aptentur Regularibus & dictat ratio & docet experientia. Prout ad-

dimus

dimus opportune, quod non obstante assignatione Judicum Conservatorum in datis casibus, minime prohibitum sit Regularibus Prælatis sive per se sive per deputatos in causis a jure permissis petere Judicem non suspectum a Principibus & Magistratibus sæcularibus, dummodo conditiones infrascriptæ copulative concurrant: videlicet, *ut ipsi Regulares sint actores & non Rei, utque agant contra laicum non contra Ecclesiasticum aut alias a jurisdictione laicali exemptum, atque ut causa sit profana non Ecclesiastica. Et in ea juxta sacrorum Canonum dispositionem laicus eligendus, sit Judex competens*. Ita in præfata adducta sæpius Bulla *Sanctissimi Gregorii XV.* §. 12. Unde ultimo demum colligendo prudentia præditi viri ideo item assignatos Regularibus Judices Conservatores, ut ipsis tolleretur ansa ad Magistratus Sæculares etiam in Ecclesiasticis causis recurrendi in quantum ad passas injurias vel in quibus ipsi convenirentur ut rei: utpote pariter Sedes Apostolica nolit Regulares sibi proxime addictos & privative pro se ubique justa foventes, per Tribunalia quæcumque, quibus non una vice sunt invisi vagentur, neve ad ipsa pertrahantur. Reliqua ad Conservatorum quomodocumque etiam indirecte spectantia copiosa quidem, sed eleganti, & legali stylo luculenter exaravit Pater laudatus sæpe Petrus Maria Forti in tract. speciali sub an. 1743. mutinæ typis dato, ubi plura ad normam novissimi juris & communem praxim redigi oportere non diffiteor ad præmissa *n.66.* §. 11. *in fin.* Hæc autem omnia de Conservatore scripto exarata ab hinc qui opere immo arte servabam animo hæsitans, an typis publicis proderem; cum de anno 1748. post Menses item 8. ab ædito in lucem primo Tomo de jurisdictione Prælati Ecclesiastici tum in visitando, tum extra visitationis actum, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Pontifex XIV. potens opere, calamo, & eloquio opus eximium doctrina inter reliqua de Synodo Diœcesana publicavit, ubi de Judicibus Conservatoribus etiam in compendio principaliora quæsita elucidavit *lib. 4. Cap. vi.* cujus doctrinæ quæcumque in hac sectione de Judice eodem Conservatore pertractantur in nihilo substantialiter dissonant, etsi in aliquo discreparent non obstantibus forte iisinet rationibus, attenta reverentia utique debita Pontifici simul & Doctori, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere omnia conformare intendo.

cendi modo pœnaliter & rigorose sumpto est resolutio impræsentiarum; nimirum, quod valeat in toto sibi subjecto Ordine circa quaslibet sibi subditas personas Superior Generalis ea uti, nisi quatenus per legem aut statutum limitetur aut quantum ad peculiares Personas aliquas cum moderatione exercenda præscribatur. Lex namque in casu sive universalis sive municipalis supremi Superioris gereret vicem, cui Generalis ipse præsto esse teneretur. D. Th. 1. 2. *qu.* 96. *art.* 5. Sot. *lib.* 1. *de Just. qu.* 6. *art.* 7. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 68. *art.* 3. Mirand. *in man. qu.* 29. *art.* 4. Et revera in Religione nostra Minoritica modus procedendi circa Patres, qui principalioribus officiis aut dignitatibus functi sint, non nisi cum peculiaribus conditionibus observandas injungitur, cum consilio videlicet vel Deffinitorum generalium vel Patrum in Provincia congregatorum, saltem de congruentia & attenta æquitate. Sanctor. *de pæn. Cap.* 30. *quæst.* 2. Quod autem assertum est de Superiore Generali, proportionaliter immo fortius quantum ad Prælatos Inferiores sive Provinciales sive locales replicatur, ita ut erga subditos pariformiter, vel in tota Provinciæ latitudine, quatenus Provinciales existant, vel gubernati Conventus Monasterii aut Regularis cujuscumque loci Priores Præpositi Guardiani, sub quocumque demum nomine & titulo Superiores sint instituti, potestatem possideant coercitivam in modo & in sensu superius explicato: nisi in quantum diminuatur & limitetur per Regulam generalia vel municipalia statuta, quæ respectu præcipue localium diversa in diversis Religionibus vigent: Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 3. *& Cap.* 2. *n.* 10. *seqq.* Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 2. *&* 22. Peliz. *tr.* 9. *Cap.* 3. *num.* 55. & recolenda quæ dicebantur *dubit.* 15. *n.* 89. *§. i. ii. & iii.* Et quantum ad Religionem Minoriticam pluries explicatum est signanter in hoc eodem tomo *dub.* 15. *sect.* 2. *n.* 29. *seq* in qua Religione respectu graviorum Patrum præcipue non tam facile permittitur coercitivæ exercitium licet paternaliter tantum, de Amen. pract. crim. *tit. IV. qu.* 2. siculi Provincialibus expresse inhibetur punire Patres Ordinis vel Provinciæ absque consensu Generalis vel maioris partis cœterorum Patrum, nec Patres dictos graves ad notabilem aliquam punitionem aut confusionem cogere Statut. gen. Ord. *Cap.* 7. *§.* 6. *n.* 33. Stat. Reform. *Cap.* 8. *n.* 10. Verum tamen jurisdictionem etiam in foro contentioso, quatenus eis competat potestatemque coercitivam Superiores, vel Generales Provinciales sive locales circa sibi subditos posse exercere extra suum territorium quoque, cum sint Judices Personarum in casu independenter a loco, sustinent Rodriguez Sayrus Bonaccina Diana apud se subscribentem Bordonum *tom.* 2. *resol.* 78. *n.* 57. Quamvis in Generali negaretur suppositum, na m totus mundus est ei pro territorio: Sanchez Portella, & eosdem sequens Pelizar. *tract.* 9. *Cap.* 3. *n.* 11.

2 Quæritur nihilominus, utrum subsint Potestati coercitivæ Superiorum intra Ordinem Regulares promoti ad dignitates vel Officia extra Religionem? Experimur nimirum ex Religionibus assumi ad Episcopatus & Cardinalatum quandoque Viros de Ecclesia benemeritos, qui non cessant propterea esse Religiosi, & pro talibus haberi, ex Soto *Cap.* 3. 16. *qu. & in Cap. nu.* 18. *qu.* 1. D. Th. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *Cap.* 161. per quos aliosque Doctores sapienter & erudite explicatur, quomodo non extinguantur sed perficiantur potius in dictis promotis tria essentialia vota & quasi emineat excellentius observantia Regularis: D. Thoma cit. Sylvester V. Religio Cap. 6. *qu.* 10. cum communi; unde relationem quamdam, & pendentiam ad proprium Ordinem retinere quemquam ex honestate saltem & congruentia concludunt Azor. *tom.* 1. *Inst. mor. lib.* 12. *Cap.* 10. *qu.* 6. Aragon. *lib.* 6. *in decal. Cap.* 6. *n.* 26. *& seq.* tanto plus, si Episcopi declararentur solummodo titulares, Author idem 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Et inter alia teneri omnes ad propriæ Religionis habitum respective deferendum non est dubium. *Ex Cap. Clerici xv. de vit. & hon. Cleric. ubique* Gloss. *in fin.* Sà in Summ. *V. Episcopus* Henriquez *lib.* 10. *de Sacr. Ord. C.* 23. *n.* 5. juxta moderationem tamen Clementis VIII. in Rit. Ref. Sanch. *lib.* 6. *decl. Cap.* 6. *n.* 22. Porro hisce non obstantibus: nimirum non subjacere præfatos Potestati dominativæ & directivæ Superiorum Religionis respective e qua fuerint assumpti, tantominus Potestati coercitivæ, constans est Doctorum sensus, eo quia Religiosus promotus Cardinalis Episcopus vel Abbas factus extra Religionem, quod rarius contingit a jugo Religionis eximitur atque liberatur attento Cap. unico *statutam* 18. *qu.* 1. cum Gloss. Attamen ulterius superest dubitationi locus: an adhuc remaneant sub-

pendendo ult. *de ſtat. Monach.* At præcipue potentiam hujuſmodi coercitivam executioni mandare contra Juventutem ad mala protendentem, quoties gliſcentia vitia ſucereſcere in eadem inſoleſcente comperiant ſub interminatione Divini judicii adiguntur Superiores, ſuperque ipſos præſertim invigilare quaſi rationem de animabus eorum reddituri non tantum, ſed de omnibus malis quæ ex mala Juvenum eorumdem educatione indubie exoriri formidantur in dies: uniformiter ad ea quæ in Concilio Tridentino præſcribuntur *ſeſſ.* 25. *de Regul. Cap.*1. *& ſeq.* Juventus ſiquidem tamquam effrenis firmiori indiget ut coerceatur habena, cum alioquin ita innuente Criſoſtomo inter alios, otioſa ipſa juventus impudenter educata *omni ferociſſima beſtia immanior ſit*. hom. 38. in Matt. & ſic de ætate in ætatem licentia execrabilior diffluat, abſque eo quod medicina morbo demum in ulcus converſo poſſit amplius parari ſalubris, niſi principio obſtent medio ſevero medicamine ferro & igne Prælati. Hinc apparet inſuper quantorum ſint malorum in Religionæ cauſæ ii qui Potentiam coercitivam Superiorum reſpective adverſus diſcolos & juvenes in deterius prolabentes impediunt vel protegendo vel eoſdem quod pejus foret contra Prælatos cohibentes animando; ſcandala etenim prope diem per ipſoſmet protectores & fautores, videlicet cauſa ipſorummet poſſunt aſſeri venire: propterea veh eis.

SECTIO II.

Quæ crimina reſpiciat in Prælatis Regularibus eadem coercitiva Poteſtas.

SUMMARIUM.

6 *Poteſtas hujuſmodi coercitiva reſidet in Prælatis Regularibus adverſus quæcumque crimina ſubditorum, ſed præcipue adhibenda eſt contra gliſcentes communiter inobſervantias, eſto ab initio appareant leves.*

7 *Coercitivam tenentur ſpecialiter adhibere Prælati Regulares pro extirpandis factionibus.*

8 *Poteſtas coercitiva contra Apoſtatas exercenda, quæ extenditur quandoque ad Subditos, & Epiſcopos valentes Apoſtatum & vagum Regularem in Carcerem detrudere.*

9 *De gradibus Apoſtaſiæ de pœnis ipſis debitis remiſſive. Examinatur item caſus quoad Regulares fugitivos ad Urbem.*

10 *Ad graviora crimina cohibenda datur poteſtas in Prælatis reſpective Regularibus reſervandi caſus & expenditur Decretum editum ſub Clemente VIII.*

11 *Explicatur particula addita in Decreto Urbani PP. VIII. quod Confeſſarius petens & non obtinens facultatem abſolvendi a reſervato: tamen poſſit pœnitentem abſolvere pro illa vice.*

12 *Facultas reſervandi caſus competit de jure communi omnibus Prælatis Regularibus; niſi limitent eam municipalia ſtatuta.*

13 *Recenſentur crimina ſive delicta nonnulla ad quæ non ſe extendit Poteſtas coercitiva Prælatorum Regularium licet in ordine ad ſuos ſubditos.*

6 Univerſaliter reſpondendum eſt Potentiam coercitivam in Prælatis Regularibus inſidentem omnia infectari crimina quorum Religioſi ſubditi ſint capaces; non enim quia Religioſi ſint & homines ſicuti cœteri deſinunt eſſe. Ideoque non ſolum contra tranſgreſſiones votorum ant Conſtitutionum Ordinis reſpective verum etiam adverſus delicta omnia præceptorum naturalium Divinorum & Eccleſiaſticorum deſtructiva, quæ patrari per dictos ſubditos non eſt impoſſibile, exercere pro certo valebit in occurrentibus caſibus eamdem poteſtatem Regularis Prælatus. Quomodo autem excipiantur aliqua atrociora a peculiaribus Judicibus extra Ordinem cognoſcenda & pœnis debitis adigenda inferius indigitare non omittemus in Sect. n. 13. Pro nunc repetimus modum procedendi paternum eſſe ut in plurimum adhibendum quidem, ſed præcipue adverſus defectus peculiares ſeu perſonarum in particulari, quatenus talis correctio verbalis & pœnitentia ſalutaris ſufficeret pro illorum extirpatione & medela; verumtamen ſi morbus ſerpere comperiretur cum generali infectione in Ordine vel Provincia & inobſervantiæ paſſim introductæ inciperent in conſuetudinem corruptelamque morum converti; indeclinabiliter tunc poteſtatem coercitivam per punitiones publicas & reſerationes eſto violentas fore neceſſe ut exercerent Regulares iidem Prælati, tamquam rationem aliter pro deperditione animarum ſibi commiſſarum reddituri probat ex Cap. *Irrefragabili de Off. Ordin.* atque pluribus ſcripturarum teſtimoniis juris Peyrin. *de Prælat. qu.* 2. *Cap. III.* §. 15. *n.* 137. *ſeq.* Quod ſi ex timore perſecutionis aut noxiæ ſibi inferendæ id peragere negligerent culpæ utcumque gravi obnoxios ipſos evaſuros, utpote pro extirpandis in Religione abuſibus adſtrictos periculum etiam mortis non effugere; ſuſtinet Rodriguez *tom.* 3. *qu.* 37.

qu. 37. *art.* 5. & 6. ubi citat Cagnolum Felinum, Picum, Bartolum, & Decium, subscribitque P. Raggius Capuccinus controv. prima *dubit.* 4. *n.* 2. Solet autem quaeri, an teneatur adhuc sub mortali Praelatus adhibere coercitivam potestatem, & punire severius crimina ipsa venialia quae simplicem alias correctionem vel ad summum salutares poenitentias exigere videatur: & respondent Doctores teneri in conscientia sub peccato gravi istismet defectibus & inobservantiis levibus obsistere Regularem Praelatum per poenitentias etiam graviores & modum procedendi severiorem, quoties mitiores nil juvent correctiones, & quatenus inobservantiae leves licet in pravas consuetudines converti queant non sine magna status Regularis pernicie, ut foret in casu habitualis fractio Religiosi silentii, frequentia ludi cum notabili temporis jactura; tanto magis defectus relevans circa assistentiam Choro aliisque actibus Communitatis. Ex quibus similibusve transgressionibus non mediocre incipiat Religioni sive Communitati respective obvenire detrimentum, ut severius cohibeantur & per praeventivum adhibiti zeli gladium resecentur. Ita Thomas a Jesu de Visit. Regul. *tract.* 1. *cap.* 6. Diana *tr.* 2. *de dub. regular. resol.*38. Raggius *centur.* 7. *dubit.* 72. *n.* 2. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disput.* 1. *sect.* 8. *n.* 234. & *seq.*

7 Verumtamen hujusmodi potestatis coercitivae gladium totis viribus a Regulari Praelato applicandum fore Doctores premunt pro evellendo radicitus germina perniciosissima suborientium aut succrescentium factionum. Ita quod mortaliter peccent sine dubio Superiores quibus incumbit respective Ordinis Provinciarum Monasteriorum regimen, si clausis oculis easdem in dies vires acquirere sinant. Quot mala etenim ex iis luctuosam trahunt originem; invidiae nempe discordiae murmurationes seditiones usque cum extinctione omnimoda pacis ac charitatis, quam servare inter subditos obligantur strictissime quicumque Communitatibus praesunt: D.Paulus perpendatur *ad Ephes. Cap.* 4. & *ad Rom. cap.* 13. & ibi D. Chrysost.*tom.* 4. *hom.* 23. D. Thom. 2. 2. *qu.* 69. *art.* 4. & 1. *de reg. Princip. art.* 5. Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 36. Quanto magis igitur gravissimis criminibus se obnoxiis reddent, si factiones ipsimet foveant ad hoc ut praedominium in Religione sive Provincia perpetuo arripiant. Religiosos namque dyscolos quamvis dummodo illi adhaerentes vel Nationis ejusdem alumni compotes unice promovere nituntur; totoque simul conatu a dignitatibus & praeeminentiis viros licet de Religione meritissimos ex hoc ipso motivo sibi invisos longe amovent, quandoque artibus pessimis ipsorum bonam famam denigrando virtutes deprimendo defectus quibus nullus expers est vel propalando occultos casualesque vel magnificando leves. Veh ipsis qui in via Cain abierunt; hujus nequitiam adversus fratres prosequi non erubescentes & perfidiam aemulari Principum Synagogae contra Christum ex una parte, ex alia autem dissidiorum quae inter factiones excitatas vigere non nequeunt scandalorum, quae de ineptitudine in faciem meriti promota necesse est ut promanent se constituant reos. Perlegantur quaestus super desidium Praelatorum permittentium, immo non una vice foventium factiones in Religionum & observantiae Regularis ruinam, Peyrin. de Praelat. *qu.*2. *Cap.* 3. *n.*2. Raggius *dubit.* 4. & 5. *per tot. item dub.* 518. *n.* 2. & *dubit.* 187. *n.* 2. *ad tertium* Ant. a Spir. Sancto *tr.* 4. *disp.* 1. *sect. VI. n.* 157. usq. ad fin. sect.

8 Potestatem coercitivam exercent Praelati Regulares signanter super Apostatas, quos immo perquirere tenentur & ad Religionem reducere. Ad text. *in Cap. fin. de Regul.* & per Decretum notum S. C. C. editum sub Urbano VIII. *de anno* 1624. Potestas proinde haec adimpletur in carcerandis primo & postea juxta qualitatem Apostasiae ipsis puniendis. Carcer siquidem Apostatis videtur proprie deberi veluti fugitivis & sine lege vagantibus ad ipsos coercendos & per vim intra claustra continendos. Navarr. *tom.* 3. *de Regul. n.*5. Rodericus *tom.* 1. *qu.* 30. *art.*6. &c. Ideoque eorumdem in carcerem detrusio ubi Praelati Regulares desint a quocumque Religioso subdito ordinari & peragi nquibit praesertim in Minoritica Religione, ex P. de Ameno in Pract. crim. *tit. Delictorum n.* 13. vel absolute adhibitis Ministris opportunis per facultatem sibi concessam ab Innocentio IV. in Statuto Assiens. *de anno* 1354. quod citat P. de Ameno ibi: *Possint Custodes & Guardiani in casu necessitatis capere Apostatos & alii Fratres auctoritatem habeant nostri Ordinis itcapiendi &c.* & confirmatũ in duobus aliis dispa ratis Statutis Ieramnensi videlicet *de anno* 1500. & Vallisoletano *de anno* 1501. apud eumdem Doctorem; vel in vocato ad id auxilio brachii saecularis, quod opportunius semper peteretur ab Episcopo, in cujus carceribus Apostata detinendus foret, usquedum

quedum ſecure Religioni puniendus conſignaretur. Quinimmo idipſum exequi valeret Epiſcopus, ordinare nimirum ex ſe capturam Apoſtatarum & detenſionem eorumdem in carceribus vigore Tridentini *ſeſſ.* 25. *de Regular. Cap.* 3. Id tamen intelligi debere in caſu quo Regulares pigri & negligentes fuerint vel forte abeſſent ab iis Diœceſibus & locis ubi Apoſtatæ & fugitivi proprii reſpective Ordinis vagarentur, advertit Miranda in man. *tom.* 5. *qu.* 50. *art.* 3. & poſt ipſum Lezana *tom.* 1. *Cap.* 16. *n.* 17. Quod ſi inſurgeret inanis controverſia; an teneretur Ordinarius tradere Apoſtatam Superioribus Religionis vel potius hi tenerentur eum expoſcere prius ab Ordinario? Reſponderetur & Epiſcopum teneri ad conſignandum & Superiores obligari ad exquirendum ad normam decreti perlegendi S. C. C. de Apoſtatis & eiectis Urbani VIII. Juſſu editi *de anno* 1624. in Conſt. ejuſdem Summi Pontificis *la* 26. §. 4. Bullar. *tom.* 4. Lezana *tom.* 1. *Cap. cit.* 16. *n.* 17. Profecto cum voluntas non poſſit ferri in incognitum ſecundum commune adagium, videtur quod Ordinàrius habens in ſua poteſtate captum fugitivum ſive Apoſtatam teneretur certiorem reddere Superiorem Religionis in caſu magis propinquum, ad hoc ut ille vel per ſe vel per emiſſos miniſtros adveniret ad ſuum ſubditum e carceribus publicis ad privatos Conventus traducendum; vel rogaret ipſummet Ordinarium ut tuto & ſecreto ad Monaſterium dignaretur mittere: prout benigne non dedignarentur adimplere exorati Epiſcopi eo caſu; cum Religioſa humilitas plus valeat obtinere, quam vana pretenſio.

De gradibus deinde Apoſtaſiæ apud Regulares & circa modum probandi eos diſſerte tractat P. Ludovicus de Ameno in ſuo legali opere de delict. & pœn. *tit.* 2. §. 5. Ubi etiam de pœnis debitis eidem magis & minus gravi delicto, præſertim in Religione noſtra interpoſitis ſimul & egregie ſolutis quæſitis variis in præſenti materia opportunis *n.* ibi 1. *uſque ad* 9. *&* *a n.* 10. *uſque ad* 39. & rurſus *a n.* 40. *ad* 183. Quæ ibi legere quis valebit occurrentibus controverſiis. Tantum hic iterum relevabo caſum, de quo actum eſt obiter *in tom.* 1. *dub. X. n.* 43. *circa med. pag.* 397. quantum ad fugitivos qui titulo gravaminis paſſi a Superioribus ſubalternis ad Superiores majores. Signanter Romam ad Sacram Congregationem abſque obedientialibus iter arripiunt. Ibi ſiquidem dicebatur contra Monacellum autumantem non eſſe moleſtandos, utpote Apoſtaſiæ minime reos qui recto tramite ad Urbem obedientialibus deſtituti ſic recurrunt: quo nimis facilis aperiretur via Regularibus ſignanter nonnullarum Provinciarum juxta depravatum genium vagandi ut Romam pergerent; nullus namque ex his gravamen irreparabile non allegaret in caſu, idemque Impræſentiarum repeto. Eo quia contra prætendentem ſe gravatum vel proceſſiſſent Superiores ſubalterni judicialiter vel paternaliter ſolum ad correctionem. Si primum aſſignantur de ſtricto & eſſentiali jure defenſæ & exinde opportunæ ſe offerunt contra gravamina irreparabilia appellationes ad Superiores majores gradatim, & ultimo ad ipſas Sacras Congregationes poſſunt recurſus per literas emitti, & proviſiones neceſſariæ implorari ad tradita *dubit. præced. XVII. ſect.* 1. *n.* 5. *& ſeq.* Si ſecundum, viſum fuit ibidem *ſect.* 1. *n.* 1. *& ſeq.* quod vix a correctionibus paternalibus datur appellatio ad ſuſpenſivam, quando ſcilicet exceſſus contingat enormis in ſubſtantia aut in modo ſignanter *n.* 5. Ideoque regulariter loquendo deficeret in caſu motivum urgens gravato ſe perſonaliter ad Urbem conferendi; & ſic inſubſiſtentem plerumque concludendum reputo & non niſi palliatis prætextibus fultum ipſummet perſonalem recurſum, contra expreſſam prohibitionem Concilii *ſeſſ.* 25. *Cap.* 4. *de Regul.* Pro quo attendendæ item obveniunt. Noviſſimæ ſanctiones additæ in dicta *dub. XVI. ſect.* 1. *n.* 9. *&* 10. & quantum ad Minoritas *n.* 28. *ejuſdem ſect* 1.

§. I. Nihilominus caſum quamvis rariſſimum nolo judicare omnino impoſſibilem. Videlicet quod recurrens perſonaliter a gravamine Superiorum ſubalternorum ad majores, nec non ad pedes ſummi Pontificis in Vrbe ſive ad Sacram Congregationem pro juſtitia obtinenda aliquando Apoſtaſiæ nequaquam ſit obnoxius. Verum concurrentibus neceſſario circumſtantiis pluribus, nimirum quod gravamen ſit vere notabile & alias irreparabile ſi mora protraheretur, quod præcluſa ſit omnino via recurrendi per Epiſtolas & obtinendi proviſionem abſolute neceſſariam in abſentia, & quod revera contra recurrentem perſonaliter ad Sacram Congregationem vel Pontificis Summi pedes Superiores omnes & ſubalterni & majores uſque ad ſupremum forent colligati, neque ab ullo eorum gravaminis notabiliter paſſi poſſet ſperare levamen. Alioquin non eſt dubium quod deberent reputari

Re-

Religiosi in casu absque obedientialibus è Provinciis ac Conventibus propriis temere egressi, & ad Superiorem respective remitti juxta Regularia instituta puniendi, ut concedit deinde Monacellus ipse *tom. 1. in appendice pag. 342. n. 1.* Vbi decretum allegat S. C. Episc. apud Fagnanum *in Cap. de priore n. 18. de appell.* Legendus autem præcipue Pater Ludovicus de Ameno qui casum juxta circumstantias variabilem egregie tractat & resolvit in dicto volumine de delict. & pœn. *tit. 2. §. 1. n. 27. ad 32.* Ubi opportune advertit *n. 30.* Quod de appellatione a notorio & manifesto gravamine opporteret secum asportare claras attestationes recurrentem, cum alias tamquam Apostasiæ Reus haberetur a Superiore sive Iudice ad quem. Unde quoties vere sic gravatus ad Vrbem accederet, necesse sibi foret omnino attestationes prædictas mox Tribunali supremo præsentare, supplicans super declaratione non commissæ Apostasiæ; cum alioquin absque hujusmodi declaratione propria ab ipsamet Sacra Pœnitentiaria, revocaretur procul dubio Procuratori Generali respective tamquam reus aut præsumptus Apostata absolvendus, priusque carceri triduanæ mancipandus, juxta praxim quæ etiam *dub. 10. num. 43. in fine ante §. 1.* fuit allegata; explicat quoque P. de Ameno loc. cit. statuta in Religione Minorum signanter contra discedentes a proprio Conventu sine licentia sub hoc eodem prætextu recurrendi ad Superiorem *n. 105. ad 109.*

§. II. Duo advertenda pariter occurrunt in hac materia. Primum quod licet praxis in absolvendo Reum de Apostasia ad Vrbem accedentem vigeat, quod detineatur in carcere formali per triduum ante apud Observantes, & Reformatos præcipue; tamen hoc mandari præcipiebatur per ullum statutum tamquam de substantia absolutionis, sed ob specialia motiva id servatur a P. Procuratore Generali apud Curiam Romanam degente; cœterum Apostatas ad alios Conventus extra Urbem vel voluntarie accedentes vel vi deductos, esse sine mora absolvendos absque prævia hujusmodi formalis carceris inclusione a Superioribus respective, concludenter probat contra P. Sanctorum laudatus P. de Ameno de alibi dictis se corrigens loc. cit. a *n. 161. ad 166.* Alterum quod occurrit adnotandum est, non esse tam faciliter absolvendos Apostatas privatim in Ordine nostro Regularis & strictioris Observantiæ cum resistat statutum clarissimum editum pro utraque familia de anno 1700. apud Julium de Venetiis *n. 25.* ibi = *Apostatæ omnes cujuscumque conditionis existant nullibi absolvantur, nisi solemniter coram tota communitate capitulariter congregata in forma canonica ac genuflexi sine caputio & corda prævia reprehensione condigna, observatisque reliquis quæ statuta præscribunt.* Quæ sane lex neque inutiliter neque inconsiderate condita Potentioribus non semel Apostatas pro absolutione privata commendantibus, a solerte Procuratore Generali vel quopiam Superiore deberet objci. omnes autem fere Religiones quantum ad Apostatas peculiaribus fulciuntur ordinationibus, præcipue si habitus dimittatur; immo in casu habitus proprii Ordinis retenti, contendunt in Curia Advocati, fugitivos denominandos esse eos qui sine obedientialibus e Provincia vel Conventu discedunt, Apostatas nequaquam. Sed lis evadit de nomine, & attendendas repeto cujuscumque Ordinis varias ad propositum constitutiones.

10 Ut pariter crimina sive delicta fructuosius coerceant Regulares Prælati quæ Religioni propriæ respective perniciosa magis reputantur, conceditur Potestas eis aliqua reservare ex iisdem criminibus ne passim a quocumque Confessario etiam in foro conscientiæ possint absolvi. In qua quidem reservatione duo occurrunt animadvertenda, quod videlicet versetur circa peccata mortalia, & circa actus externos. Ex Suarez. *tom. 4. de Relig. tr. VIII. lib. 2. Cap. 18. n. 3.* Reservationem immo esse institutam ad coercenda crimina non tantum gravia, sed atrocia colligitur ex Tridentino *sess. 14. Cap. 7.* Quapropter, ne Prælati ipsi Regulares hujusmodi facultate immoderate utantur, Clemens PP. VIII. in notissimo Decreto *sub die 26. Maii* 1593. limitavit illam ad determinatos casus, qui inibi recensentur apud Auctores passim legendi: absque eo quod tamen obliget Superiores Regulares ad reservandos omnes, sed præscribendo dumtaxat quod ultra eos reservationem non extendentes possint vel omnes vel aliquos absolvendos Confessariis prohibere, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint. Addens itidem, quod deinceps; *si peccatum aliud grave*, præter in Decreto expressa *pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione, & consensu &c. ut ibi.* Decretum autem præfatum confirmavit Urbanus PP. VIII. per aliud

aliud Decretum a S. C. C. ejus jussu editum *die 21. Septembris 1624.* Cui apposita fuit Sanctitatis suæ declaratio, quod si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii pro illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obstante a Superiore illi denegata facultate absolvere: sic in decreto. Videatur Felix Potestas *tom. 1. n.* 3302. Ex quibus profecto deducitur primo, quod reservatio novi casus deberet cadere super aliquod grave pro utilitate publica saltem ratione alicujus circumstantiæ, per quod excluditur peccatum in se veniale. Secundo, quod non possit fieri a solo Superiore, sed quod requiratur consensus Capituli vel Generalis vel Provincialis, & non sine matura prævia discussione: Ita ut scilicet pro Religionis conservatione communi utilitati reservatio expediat; & sic reservatio quæ in continenti fieret a Vocalibus in Capitulo respondentibus *Et cum spiritu tuo* alicui Præpotenti, qui proponeret casum reservandum ex dictamine passionis propriæ potius quam publicæ utilitatis inspectione, apparet quomodo excederet limites decretorum. Nihilominus non desunt monentes dubium in proposito. An reservatio novi casus non concurrentibus præfatis conditionibus foret irrita vel tantum illicita. Et respondetur absolute fore irritam & invalidam; quoties etenim reservaretur veniale tantum, id contra naturam reservationis contingeret secundum commune Doctorum, & contra expressam doctrinam Concilii sess. 14. cap. 7. ibi; ut *atrociora & graviora crimina non a quibusvis absolverentur*, contra expressam pariter inhibitionem Clementis ubi limitatur reservatio ad peccatum *grave*. Si autem veniali superadderetur circumstantia scandali vel publici damni; tunc verificaretur suppositū gravitatis ratione additæ circūstātiæ, ideoque reservationis respiciētis publicam utilitatem. Idipsum clare relevat quoties reservatio peccati licet gravis fieret a Superiore vel Generali vel Provinciali extra Capitulum, nisi agatur de Religionibus in quibus Capitulorum consuetudo non viget ut est *Societas Jesu* ubi etiam diceretur; quod pro reservando novo casu Generalis, consilium & consensum Assistentium esset adhibiturus ad se uniformandum quantum possibile foret Pontificio Decreto; ratio est, quia Pontifex utitur aperte in Decreto verbis præceptivis, ibi: *Id non aliter fiat*; prout legitur antecedenter ibidem. *Decrevit ut nemo ex Regularium Superioribus absolutiones sibi reservet nisi &c.* Itemque non potest negari nullitas actus si reservatio fieret imprudenter & præcipitanter, absque imposita ibi & præscripta *maturitate & discussione*; eo quia clausula citata *non aliter* præcisam formam assignare conspicitur *l. de his* ubi Bartol. n. 3. *ff. de transact.* Cardin. Mant. de Conjectur. ult. Valent. *lib. 11. tit. 8. n. 12.* Rot. in Perus. Fideicommiss. 14. *Junii 1592.* coram Luca apud Farin. *dec. 16. n. 2. part. 2. rec.* Barbos. cum innumeris *claus.* 81. *n.* 8. Ex quo satisfit rationi quam ex Tamburino affert Felix Potestas. Videlicet; quod nec Tridentinum nec Clemens VIII. utatur particula irritante; si enim irritatio non legatur in iis explicita per verba propria sufficienter tamen importatur per verba æquivalentia & præscribentia formam seu substantiam actus, qua non observata ipse actus nullus evidenter evadit; ut apud omnes est inconcusso. Barbos. *axiom.* 100. *n.* 3. *cum cæteris* ibi.

11 Insurgit difficultas quoque super Decretum subsequens Urbani PP. VIII. quomodo debeant intelligi verba *pro illa vice*. Communiter namque tenent Doctores accipiēnda esse *pro una tantum vice*, taliter ut quando Confessarius non habens facultatem super reservata petit a Superiore ut sibi eam impartiatur pro absolvendo Religioso pœnitente in suppositione quod a dicto Superiore responsum negativum audiat possit ipse hac negativa non obstante pœnitentem absolvere; & quanam auctoritate? Sibi impertita ab ipso Papa a quo omnis jurisdictio veluti a supremo fonte absolvendi a non reservatis & reservatis simul dimanat. Quod si pœnitens idem in casum iterum reservatum reinciderit qui debet intelligi ejusdem speciei cum primo a quo pro una vice fuit absolutus, & Confessario petenti Superiori facultatem communicare recusaverit; non posse Confessarium per se ipsum iterum dare absolutionem ejusdem reservati Religioso confitenti, sed debere hunc alia via consulere conscientiæ suæ; prout cum Toledo, Suarez, Longo suadet Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 29. & Cap. 19. n. 37.* ubi etiam ait quod possit rationabiliter Superior negare facultatem petitam illi Confessario quem comperit non esse idoneum; cum non sit credibile Pontificem eamdem facultatem Confessario non idoneo voluisse concedi allegans Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 30. sect. 4. n. 11.* & Peyrin. *tom 1. privil. ad const. 2. Julii 11. §. 24. n. 59.* Alii autem sustinent eadem

ver-

verba *pro illa vice* non limitari ad vicem unicam sed debere accipi pro quacumque vice Superior de impertienda facultate hujusmodi fuerit requisitus : itaut non tribuat quidem facultatem simpliciter , sed pro eo tunc ; verumtamen quoties rogatus fuerit non impertiri eam nequeat propterea possit Cofessarius in casu negativæ pro quacumque vice pœnitentem absolvere : & rationem adducunt quia illis verbis *pro illa vice* non apponitur dictio taxativa *tantum* : unde significat illam vicem indeffinite quoties Confessarius facultatem petit & Superior denegat . Ita Diana *q.9 tr. 3. resol.* 15. & Felix Potestas *tom. 3. part 1. n.* 282. Quantum ergo ad hanc difcultatem autumarem ego juxta leges procedendum esse simul & æquitatem . Nam primo supponitur Religiosus recidivus nequaquam indignus simpliciter absolutionis propter defectum emendationis in eodem reservato casu aut propter alias circumstantias occasionis proximæ aut consuetudinis non dimissæ aut evitatæ ; in eo utpote casu Superior perspicax valeret Confessario dare cum limitatione facultatē videlicet dummodo subesset emendationis spes & fructus in recidivo, prout & ipse Confessarius doctrinam teneretur cavere in propositionibus 60. 61. 62. per Innocentium f.m. XI. condemnatam. Quoties vero prævaleret fragilitas malitiæ in pœnitente licet recidivo ita ut capax deprehenderetur absolutionis , concederem recensita verba *pro illa vice* non esse arbitrarie taxanda , quasi significarent *vicem unicam* : tum inspecta æquitate prima omnium lege , tum propter axioma tritum quod in dubiis favor debet magis attendi quam odium . Gonzalez ad reg. 8. Cancell. §. 6. proœm. n. 37. Additum deinde P. Lezanæ de idoneitate Confessarii quā non comperta possit Superior denegare facultatem minime placet ; quia Confessarius supponitur in casu approbatus propterea proprio muneri idoneus : nec majorem idoneitatem quam ad Confessiones audiendas videtur exigere Summus Pontifex qui loquitur de Confessario simplici non habente facultatem super reservata ; qui cognosceret immo ad quid se extenderet propria facultas dum eam quæ sibi non competeret a Superiore efflagitaret . Tantummodo obligationem recte exercendi proprium munus posset eidem memorare Superior zelans per hoc attentionem debitam explens . Cum aliter in similibus subtilitas suggeratur vitanda : juxta doctrinam Decii *cons.* 666. *circa fin.* Bald. in *proœm. decretal.* in *Cap. Initium* circa fin. Geminian. *cons.* 49. super isto *puncto n.* 4. Et alii apud Bart of. *axiom.* 114. &c.

12 Quæritur item an hujusmodi reservandi casus facultas omnibus & quibuscumque competat Regularibus Prælatis ? Respondentque passim Doctores competere quibuscumque Prælatis jurisdictionem spiritualem super subditos habentibus quasi Episcopalem ; itaut super subditos proprios succedant loco Episcopi in spiritualibus propter evidentem rationem quia possidens legitime jurisdictionem potest ea uti absque controversia . Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 21. *art.* 2. Portell. verbo *Abbas n. 6.* Verbo *Guardianus n.* 1. & 2. & V. *Prælatus n.* 1. Lezana d. *Cap.* 18. *n.* 19. Pro his autem Prælatis in casu habentur Superiores cujuscumque Religionis respective Generales Provinciales nec non locales quocumque vocentur titulo canonice electi vel ad nutum legitime promoti ; dummodo in capite ut solet dici atque independenter præsint Communitati ; ut non una vice fuit ostensum omnes utpote & singuli inter eos jurisdictionem magis vel minus Episcopalem possident & de facto exerceant : ut late probant Doctores alibi adducti Passerinus signanter *de elect. can. Cap.* 26. *n.* 14. *seq.* Et adest perspicua declaratio Sancti Pii V. apud Rodriguez in Bullario *fol.* 910. quam affert pariter citatus Passerinus *d. Cap.* 26. *n.* 16. incipien. *Romanus Pontifex sub die* 21. *Julii* 1571. *la* 132. quantum ad Priores Conventuales Dominicanorum ; quod nempe erga subditos proprios jurisdictionem possideant quam habent Episcopi supra suos , eamquemet declarationem valere pro Superioribus localibus quorumcumque Ordinum communicantium affirmāt Doctores innumeri ibidem allegati a Passerino ; prout de Guardianis Ordinis Minorum quod omnia concessa Prioribus S. Dominici intelligantur concessa ipsis sancivit cum peculiari expressione Iulius II. in Compend. privileg. Minorum . V. *Guardianus* §. 4. & habeat Collecta ibidem . Unde eo modo quo Episcopus per Tridentinum supra allegatum *sess.* 14. *Cap.* 7. potestatem reservandi casus sibi vendicat deducitur recte illam possidere quicumque Superior ex hic relatis apud Regulares esto sit localis, canonice tamen & legitime electus & deputatus ut supra. Et hoc de jure communi loquendo de omnibus quorumcumque Ordinum Superioribus .

§. I. Verum quidem est quod idem jus in Religionibus per statuta municipalia

accedente præſertim Apoſtolica auctoritate confirmata limitari non nequit, ut alibi tactum eſt quoad alias facultates, prout videtur limitari de facto quantum ad Superiores Provinciales & locales in Societate Jeſu; ubi omnia privilegia conceſſa & concedenda per privilegium item ſpeciale intelliguntur elargita ſoli collata Generali Præpoſito, qui pro ſui libito valeat ea reliquis diſtribuere; unde quæcumque poteſtas reſervativa in caſu nequaquam competere dicenda eſt Superioribus Provincialibus & localibus, niſi eis effective a Generali communicetur ad tradita per Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 22. *n.* 13. *&c.* In noſtra pariter Religione Minorum conſtat limitari ipſammet facultatem quoad Guardianos ſeu eiſdem denegari per ſtatutum Capituli Generalis Aſſiſienſis a Sacta Sede confirmatum de ann. 1525. & ibi *Ordinatur, & mandatur Authoritate Apoſtolica & totius Capituli generalis quod nullus Guardianus poſſit ſibi reſervare caſum aliquem, ſed ſolus Miniſter Provincialis id poterit.* Apud Rodriguez cit. *tom.* 1. *qu.* 21. *art.* 2. Ex quo capite poterat ſane hic digniſſimus Author præfatam facultatem reſervandi caſus aſſerere Guardianis fuiſſe ſuſpenſam: abſque eo quod adderet ibi in fine articuli tamquam rationem incompetentis juris; *quia Guardiani comparantur Curatis.* Eſt innegabile ſiquidem Superiores locales indeffinite jurisdictionem Curatorum in multis reſpective excedere, & ſecundum quid ſaltem Epiſcopis comparari ex Donat. prax. Regul. *tom.* 2. *tr.* 10. *qu.* 3. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 2. *ſequ.* & aliis apud Paſſerinum *loc. cit.* Potro Superiores illi qui facultate hujuſmodi in ſpecie reſervandi ſibi caſus revera pollent abſque eo quod inveniatur per Conſtitutiones peculiares eis adempta, non eſt dubium quod formam præſcriptam in allato decreto Clementis PP. VIII. ſervare teneantur, ita ut caſus inibi enumeratos vel aliquot ex ipſis valeant quidē reſervare per ſe ſolos abſque Capitularibus, ut cum Lezana, Diana, & Pelizario advertit Ant. a Spir. Sancto in Direct. *tr.* 4. *diſp.* 1. *ſect.* 7. *n.º* 209. ſed non alios præter eoſdem, nec alio modo. Aliter reſervatos caſus pro non reſervatis habere poſſent ſubditi qui apprime noſſent Auctoritatem Papæ tam clare expreſſam quibuſcumque ordinationibus Prælatorum Regularium in caſu prævalere §. II. Nec reticendum cenſeo quod licet in Religionibus non paucis caſus reſervati taxari ſoleant a Capitulis generalibus præſertim pro toto Ordine prout utilitas & communis profectus expoſcit & ſuggerit ſicut in Religione noſtra Obſervantium & Reformatorum recenſentur revera pro Obſervantibus caſus reſervati 19. ſtat. generali *Cap.* 7. §. 3. Et pro Reformatis caſus 13. in ſtatut. eorum *Cap. item* 7. *n.* 1. per hoc tamen in Prælatis ordinaria poteſtas nequaquam extinguitur, quin nequirent ea uti ad tenorem Decreti Clementis, quatenus per Capitulum ipſum generale & totius Ordinis placitum non eſſet expleta ob rationem inconcuſſam juriſdictionis ordinariæ in ſubditos veluti Epiſcopi in ſuos. Si autem contra præmiſſa opponatur declaratio Sacra Congregatione Viſit. Apoſt. juſſu Clementis tunc PP. VIII. initæ 13. *Martii* 1601. quem affert P. Matteucci in Offic. Cur. *Cap.* 38. *n.* 40. Quod ſcilicet Auctoritas ordinaria abſolvendi a reſervatis competat Generalibus & Provincialibus & nequaquam Guardianis Prioribus & Superioribus immediatis Conventuum, ex quo deduci poſſe videtur quod tanto minus iimet poteſtatem habeant caſus reſervandi? Reſponderetur valere quidem argumentum de Guardianis Religionis Minoriticæ pro parte quorum propoſitum fuit dubium, ut ibi attenta ſignanter limitatione & diſpoſitione contrariorum ſtatutorum auctoritate Apoſtolica fultorum. juxta præmiſſa; cæterum pro aliis Religionibus adderem, quod in ſuppoſitione reſervationis caſuum factæ a Generali vel Provinciali probabilius non poſſent Priores Superioreſque locales alii ab iis abſolvere, niſi ſibi implicite ſaltem committeretur facultas juxta Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 18. *n.* 54. Ant. a Sp. S. *ſubiupra n.* 22. At de jure communi poſſe Priores alioſque locales ſibi reſervare caſus quoad formam in Decreto Clementis & ab iis abſolvere quod eſt pro nunc extra propoſitum; ſuſtinent cum communi Lezana Moronius Pelizarius Ant. a Sp. Sancto *n.* 228. quoties non reſiſtant propria municipalia ſtatuta præcipue a S. Sede confirmata ſicut reſiſtunt de facto apud Minoritas. Et de facto uſui & Conſtitutionibus Religionum reſpective ſe conformare intendit declaratio citata apud Matteucci per extenſum ibi *n.* 40. Quantum ad poteſtatem reſervandi cenſuras paulo poſt dicemus. Inveſtigabimus interim quomodo aliqua dentur de facto crimina ſive delicta ad quæ Poteſtas coercitiva Prælatorum Regularium qua talium non habeat ſe extendendi vires.

13 Nequeunt siquidem Prælati Regulares etiam in ordine ad proprios subditos se immiscere in causis ad Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis seu Sanctum Officium spectantibus, ut notissimæ Constitutiones indicant, adeo ut quoties Prælati ipsi seu Superiores Regulares in causis hujuscemodi vel minimum se ingerant & Reos ad idem Tribunal nequaquam deferant, pœnas incurrunt privationis Officiorum & perpetuæ inhabilitatis imposterum nec non excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ. Paul. V. in Const. *Romanus Pontifex ea interdum* Calend. Septemb. an. 1666. Neque possunt cognoscere in causis immunitatis quatenus verterentur quoad loca sibi subjecta & personas subditas, cum harum cognitio spectet privative ad Episcopum, ut id pluribus decretis sancitum ostendit P. Riccius in synopsi. V. *Causarum cognitio*. Et V. *Episcopos* quoad causarum cognitionem a quo transcripsit Carmen Factorilli in *part. I. tr. v. sect.* 44. & subsequentibus. Sed neque potestas competit Prælatis quibuscumque Regularibus cognoscendi causas Monasteriorum, scilicet eorum qui rei sunt criminis circa fabricationem aut falsificationem &c. monetarum; attenta Constitutione signanter Urbanii VIII. *In suprema* Idibus Novembris 1627., in qua quidem Constitutione hic Pontifex confirmat aliam Sancti Pii V. pœnas contra tondentes &c. monetas aureas extendentis ad argenteas; cum prius leviores essent statutæ contra tondentes argenteas ipsasmet quam aureas. Deinde easdem pœnas extendit ipse Urbanus in d. sua Constitutione ad omnes personas Ecclesiasticas quomodolibet exemptas habitantes in quibuscumque locis intra fines Italiæ *quæ præsumpserint aureas aut argenteas monetas tondere fabricare colorare vel alias adulterare*, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare aut exponere. Et postquam contra respective reos recensitorum actuum pœnas assignaverit ibi videndas, præcipit ad rem nostram, quod cognitio eorumdem criminum seu in iis delinquentium monetariorum Ecclesiasticorum privative etiam quoad Superiores Regulares spectet ad Legatos seu Prolegatos Apostolicos in locis suæ jurisdictionis in aliis autem ad Ordinarios locorum. Inhibendo insuper omnibus Ecclesiasticis sub pœnis privationis officii ac beneficii vocisque activæ & passivæ & inhabilitate ad alia imposterum obtinenda ac excommunicatione latæ sententiæ, ne audeant aut præsumant impedire perturbare aut molestare Legatos Prolegatos Ordinarios qui in hoc crimine procedant. Et demum præcipit ut quatenus Regulares fuerint requisiti, Religiosos ipsos, esto Superiores alicujus loci actu fuerint, consignent una cum scripturis & actis, si quæ tunc reperiantur apud ipsos eisdem Legatis aut Ordinariis sive aliis de eorum mandato. Constat itaque vigore hujus Constitutionis nequaquam competere Prælatis Regularibus cognoscere super dicto monetariorum crimine ejusque speciebus ac qualitatibus. Veruntamen patet insimul, quod hujusmodi prohibitio afficiat Regulares intra fines Italiæ tantum, comprehensis etiam in Insulis adjacentibus nempe Sicilia, Corsica, & Sardinia; ex Decreto Sacr. Congr. Episc. *sub die* 14. *Aug.* 1582. apud Pasqualigum ad Lauretum *tit. de monet. n.* 1373. quod nempe dictæ Insulæ veniant nomine Italiæ etiam in odiosis. Proinde quoties crimen extra Italiam committatur, quod valeant Prælati Regulares super idem cognoscere adversus subditos respective proprios ad normam juris communis, & statutorum; cum non habeatur lex in contrarium. Et quatenus sit taxata mors juxta jura municipalia Principum & consuetudines Religionum quod valeant Prælati antedicti ultimi supplicii pœnam commutare in aliam triremium aut perpetui carceris etiam qualificati, signanter in Ordine Minorum in quo super hoc viget generale statutum, & proinde advertit Pater de Ameno *tom. de delict. & pœn. tit.* 6. §. 3. Ubi pariter nonnullas difficultates ad propositum erudite adducit & solvit apud ipsum proinde legendas a *n.* 43. *ad* 57. juxta opportunitates. Hic autem opportune cadit solutio tertii quæsiti, initio hujus Dubitationis XVII. expositi super quod propria item debet institui.

SECTIO III.

Ad quas pœnas Potestas coercitiva Prælatorum Regularium se extendat.

SUMMARIUM.

14 *Potestas coercitiva Prælatorum Regularium contra criminosos respective subditos ad pœnas quascumque potest extendi præterquam ad pœnam mortis & ultimi supplicii nec in aliquo casu dependent ipsi ut subditos Curiæ sæculari tradant.*

15 *Ultra pœnas taxatas in statutis Religionum re-*

respective signanter Minoriticae; habent Praelati Regulares potestatem infligendi arbitrarias & quomodo. Ubi signanter de carcere & tortura.

16 *Quod Praelati Regulares possint ferre censuras: remissive. Non possunt imponere irregularitates, inhabilitates. Et quid de privationibus. An possint censuras reservare.*

17 *De modo procedendi seu Potestatis coercitivae exercendae contra Sontes: quantum ad Regulares Praelatos remissive.*

18 *Quinam censendi sint incorrigibiles? Et quomodo ad poenam ultimam expulsionis ab Ordine condemnari queant?*

19 *Statutum adducitur speciale pro declarandis incorrigibilibus & expellendis ab Ordine Discalceatis Religionis Minoriticae a Benedicto XIII. confirmatum:*

20 *Explanatur difficultas oriens ex probatione contumaciae in ultimo semestri carceris in casu quo incorrigibilis praetensus persisteret in malo proposito, vel contra protestaretur emendationem.*

21 *Si incorrigibiles in fine semestris resipiscentiam promittant quid agendum nihilominus Praelato solerti. Praxis exequenda ad hoc ut ficte poenitens ad primum novum crimen de facto eiiceretur. Sed non potest non timeri recursus ad Sanctam Sedem. Alia de expulsione incorrigibilium remissive.*

14 ET quidem quantum ad poenas temporales, de quibus primario hic agimus supposita notitia meri & mixti imperii, quod possident Regulares supra subditos ad tradita *in tom. 1. dub. III. proem. n. 11.* licet varient in multis Doctores ut constabit, conveniunt in hoc quod Superiores sive Regulares Praelati nequeant subditos afficere poena mortis seu ad ultimum supplicium condemnare. *Cap. Cum non ab homine* de Judic. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. Cap.* 10. Roderic. *tom. 1. qu.* 30. *art.* 28. qui citat Navarrum, Duarenum & Clarum. Lezana *tom. 1. Cap.* 18. *n.* 16. Ant. a Sp. S. Direct. Regul. *tr.* 4. *disp.* 1. *sect.* 5. *num.* 131. & 132. P. Ludovicus de Ameno *de delict. & poen. tit.* 7. *n.* 78. Quod similiter tenent quantum ad poenam mutilationis membrorum vel subtractionis cibi ita & taliter ut reus sensim fame periret. Inducerent enim ex natura sua hujusmodi poenae seu sententiae ad dictas poenas irregularitatem ex defectu lenitatis quae per Sacros Canones Ecclesiasticos praesertim Regulares in his casibus percutit. Donat. *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 7. *qu.* 18. *n.* 6. Bordon. *dec.* 292. Lezana, Ant. a Sp. S. ubi supra & alii communiter. Ideoque conveniunt, minime fas esse Praelatis hisce Regularibus signanter subditos proprios criminosos degradare & brachio Saeculari ultimo supplicio puniendos tradere, non obstantibus Constitutionibus Pontificiis contra aliqua magis enormia crimina id ordinantibus. Ratio est quia Regulares propriis regulantur legibus per Sedem Apostolicam confirmatis ad quarum normam tenentur reos sive delinquentes punire, poena etenim a statutis imposita juris communis poenas immutat & impedit. Clar. *lib.* 1. §. *Ad ulteriorem* ℣. *Pone statutum* §. *fin. qu.* 85. ℣. *Debet etiam*. Hinc Constitutiones Pontificiae ordinantes non una vice Clericum delinquentem degradari & Curiae Saeculari extremo supplicio perimendum tradi, eos utique afficiunt Judices, quibus id a jure permissum est, ut sunt Episcopi & alii Praelati; non autem Regulares quibus a municipalibus legibus ad normam Sacrorum Canonum conditis id clare est vetitum, ut probat Sanctorus de poen. *Cap.* 8. *qu.* 11. §. *Verum enim vero*. Necnon egregie P. laudatus de Ameno *de delict. & poen.* ubi supra *n.* 78.

§. I. Sed quid? Si Regularis non desit adeo protervuus ut scelera atrociora committat, propter quae Sanctiones Pontificiae generaliter jubeant, Ecclesiasticos fore degradandos, atque Curiae Saeculari ultimo supplicio puniantur, utique relaxandus: puta si monetam falsam ferret intra Italiae fines uti supra homicidium proditorium aut assassinium patraret & similia? Respondetur, replicando prius & clarius explicando: regulam vigere generalem in Religionibus sive Ordinibus Religiosis, quod ea crimina quae mortem merentur & alias ultimo supplicio plecterentur a Tribunalibus exteris; poenis citra sanguinem videlicet exilio carcere & postremo triremibus soccedentibus loco mortis respective puniantur: attentis praecipue Sacris Canonibus quibus statutariae Religionum leges fulciuntur & disponuntur: Paulinus Berti in prax. *tit.* 24. *Cap.* 4. *n.* 26. Sant. loc. supra cit. *Cap.* 8. *qu.* 11. Lezana, Ant. a Sp. S ubi supra. De Ameno pract. crim. *tit. V. n.* 23. Et sane inter poenas graves relevat exilium in jure *l. Exilium, ff. de interd. & releg.* ita ut si sit perpetuum aequiparetur morti, ut probat Jul. Clar. *qu.* 67. *n.* 1. Hoc autem in Religione Minorum potest imponi a solo Superiore generali, ut innuit statutum generale Ordinis *Cap.* 7. §. 6. *n.* 81. cum alias in sententiis ferendis per Definitorium loco exilii intret carcer claustralis

ut in

ut in eodem statuto vel altera pœna juxta criminis exigentiam, ex alio statuto Congregationis generalis Romanæ *ann.* 1625. ℣. *deinceps nullus tom.* 3. Orb. Seraph. *pag.* 615. *col.* 1. Ad tradita item & explicata per Patrem de Ameno pract. crim. *tit. V.* §. 10. per tot. Carcer etiam signanter perpetuus qui jejuniis aliisque afflictationibus additis qualificari potest quod gravissimis etiam delictis puniendis sufficiat, sustinent Doctores passim inter quos Paulinus Berti majorem pœnam se non invenisse testatur in Sacris Canonibus pro quovis delicto impositam, quam perpetuum carcerem, vel delinquentis in Monasterio intrusionem prax. crim. *tit.* 24. *Cap. d.* 4. *n.* 28. Pœnam triremium denique succedere loco mortis in jure nemo negat. Navarr. *tom.* 1. *de Regular. n.* 52. ita ut Religionibus esse subsidiariam quando videlicet nequeat sufficienter puniri Regularis gravissimorum criminum Reus affirmat Donatus *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 9. *qu.* 3. immo deteriorem morte quoad aliquam circumstantiam asseverat Vivaldus tr. de degrad. *n.* 38. Unde concluditur ad rem, quod neque irrationabiliter nec contra nec præter jura saltem antiquos Canones agant Regulares, quatenus pœnam capitis & sanguinis adversus Sontes in recensitas exilii carceris & triremium transmutent, lænitatem Ecclesiasticam non dimittentes; sicuti de facto extra in Seraphico signanter Ordine statutum, quod delicta, quæ pœna ultimi supplicii & mortis in sæculo plecterentur, perpetuo carcere vel triremibus in Ordine vindicentur. Stat. gener. Ord. *Cap. VII.* §. 6. *n.* 69. *& Reform. Cap. item* 7. *n.* 7. Quamvis pro decore Ordinis clamet P. de Ameno, & pro spirituali Religiosorum salute, nonnisi ex maxima necessitate fore ipsos ad triremes condemnandos, sed potius in perpetuum etiam qualificatum carcerem detrudendos pract. crim. *tit. V.* §. 5. *n.* 13. post Peyrin. *de subd. qu.* 1. *Cap.* 27. ℣. *Quibus omnibus*. Regulam per consequens generalem apud omnes Religiosorum Ordines vigentem merito, tamquam juribus consonum repetimus & substinemus quod pœna mortis & ultimi supplicii vel mutilationis, alioquin atrocioribus criminibus debita per leges etiam Pontificias, contra delinquentes Regulares, in aliam pœnam exilii, (quod tamen improperium mendicantibus generaliter item asserit cum Alderato Lezana *tom.* 2. *Cap.* 18. *n. cit.* 18.) vel perpetui carceris vel triremium commutetur uti supra, absque eo quod Curiæ sæculari, veluti alii Clerici non Regulares, juxta atrocitatem criminum puniendi tradantur.

§. II. Verum quia objectus fuit casus nec metaphysicus, in quo Regularis perditus delictum patraret adeo enorme, ut mors debita esset per leges civiles atque Ecclesiasticas, non tantum simplex sed qualificata, eo modo quo qualificatum detestatur in lege delictum idem, ut homicidium proditorium & magis assassinum aut aliquod eiusdem generis, ex Raynaldo Observ. crim. *tom.* 1. *Cap.* 7. §. 1. *n.* 168. *& seq.* per quod impudentissimus Reus foret non minus quam alter Ecclesiasticus per leges expressas brachio sæculari omnino tradendus juxta *Cap.* 1. *de homicid. in* 6. Quod revera eo tunc non haberet locum municipalis lex sive statutum de commutanda pœna mortis in illam perpetui carceris aut triremium, præ cœteris advertit P. de Amen. de delict. & pœn. *tit. VII. n.* 49. *&* 50. Eo quia statutum talis commutationis admittitur quando lex communis condemnaret Ecclesiasticos alios sæculares ad mortem simplicem, & non qualificatam propter atrocissima, ideo idem jus ordinans quamcumque personam Ecclesiasticam in casu tradendam brachio sæculari etiam quoad Regularem foret procul dubio adimplendum. Quamvis etiam in hoc casu Prælatus Regularis nequaquam pœna mortis & ultimi supplicii plecteret subditos sed puniendos relinqueret Judicibus quibus de jure, & ad quam pœnam posset se extendere ex parte sui dictus Prælatus subdit laudatus Auctor *num. citato* 50. Litem autem dirimunt Principes ipsi, signanter Papa, qui in ditione sui status Assassinii Reos, quatenus probentur tales Judicibus extra Religionem ultimo supplicio puniendos effective remittit: atque alii, juxta facultates præsumptas contra non gaudentes privilegiis Clericatus, sontes perditissimos arripiunt eosque ad supplicium extremum absque ceremoniis condemnant: prout Reos etiam læsæ Majestatis in primo capite sententia mortis plectunt de facto quamvis amissio privilegii fori & canonis esset fortasse controvertenda. De Ameno de delict. & pœn. *tit.* 2. *s.* 6. *n.* 47. *seq.* Quod idem adimpleri videmus in casu proditionis, aut rebellionis contra ipsos Principes, absque eo quod detur mora ad probandum excessivum scelus in proditore & rebelli; alioquin regulariter necessaria, ut advertit item Felix Potestas *tom.* 1. *a n.* 781. *seq.* Nihilominus, adhuc cognitionem

nem cauſæ, an ſit revera circa caſus exceptos in Bulla Gregorii & quantum ad perſonas Eccleſiaſticas in omni delicto etiam læſæ Maieſtatis, ſicuti reorum degradationem præviam ſpectare ad Eccleſiaſticum Judicem videlicet Epiſcopum, nemo poteſt negare, ad tenorem decretorum S. C. Immunitatis, quæ perlegi queunt apud Patrem Riccium in ſua Synopſi *tit. Cauſarum cognitio &c.*

15 Ut redeamus nunc ad pœnas, quas valent infligere Prælati Regulares vel abſolute per ſe ſolos vel una cum Aſſiſtentibus ſive Deffinitoribus, repetimus eas eſſe Carceris perpetui & triremium & quandoque perpetui exilii, quatenus ſit aptabile; tamquam maximas criminibus gravioribus, quibus in Conſtitutionibus reſpective diverſorum Ordinum ſint taxatæ aut ſupplicium vel pœna mortis decernatur per jus commune. Cœterum in Religione Minoritica Regularis & Strictioris Obſervantiæ perpetuus carcer vel damnatio ad triremes ſpecificatur contra quæ crimina debeat infligi. *Cap. Videlicet* 7. ſtatutorum generalium §. 6. *n.* 22. 23. 52. 53. 55. Nec id hic repetere duco neceſſarium, cum poſſit ibi perlegi, ſicuti in pract. crim. tit. *Pœnarum genera*. Prout etiam pœna carceris ad tempus individuatur Criminibus aliis relevantibus in eodem *Cap.* 7. *&* §. 6. Statutorum num. ibi 25. 39. 45. 52. 55. 61. 64. 68. Pœnæ autem mitiores aſſignantur ibi criminibus non adeo gravibus vel arbitrio Superiorum relinquuntur, ut legenti patere poteſt; quod profecto apud omnes fere Religiones erit in uſu. Hinc manifeſte colligitur Poteſtatem coercitivam vigere in Prælatis quidem Regularibus quantum ad infligendas pœnas per ſtatuta criminibus reſpective taxatas, ac etiam ubi non taxantur ad arbitrium ipſorummet Prælatorum, regulatum tamen, a legibus & Jure communi quantum fieri poteſt determinandas, cum addita advertentia, quod in Religione ſignanter noſtra. *Ubi de Officiorum privatione vel de alicujus condemnatione vel abſolutione agendum eſt id niſi de majoris partis Deffinitorii conſilio & conſenſu non fiat* Statut. *Cap.* 7. §. 6, *n.* 32. Loquendo de cauſis quæ apud Superiores Ordinarios vel Delegatos in Provinciis actitentur & terminentur; nam Superiorum generalium Poteſtas hujuſmodi apud nos non dependet aB aliorum conſenſu, niſi in caſibus in jure fortaſſe expreſſis; ut *dubit. XV. ſect. II. n.* 23. aliqualiter tactum eſt. Apud vero alios Regulares menſuranda eſt Poteſtas Generalium quantum ad pœnas infligendas magis vel minus ampla: juxta Conſtitutiones conſuetudines eorumque inſtituta; ibi.

§. Un. Attamen, quia dubia pleraque inſurgunt circa Prælatos ſubalternos atque Generalibus inferiores, an poſſint hi ſignanter pœnam carceris infligere ſive decernere ſontibus? Reſpondetur in genere ultra caſus in lege ſive Statutis reſpective expreſſos valere Prælatos hujuſmodi reos ſubditos in carcerem detrudere; ſuppoſitis delictis id exigentibus & gravi obnoxiis pœnæ; per conſequens ad torturam ipſoſmet adigere reſpective. Quod probatum remanet ex ſuppoſito principio meri & mixti Imperii ſibi competentis circa crimina & pœnas criminibus magis vel minus gravibus reſpondentes, ut in jam citata *dubit.* 4. *proœm.* & in hac ipſa *dub. XVII. n.* 1. At quantum ad carcerem præſertim non perpetuum occaſione delictorum non capitalium extra delicta capitalia debitum ut diſtinctius progrediamur. Vel iſte foret ad cuſtodiam, quam poſſe decerni contra Reum indiciatum de delictis gravibus, quatenus ſit ſuſpectus de fuga a Judice competente in cauſa, non controvertitur. De Ameno pract. crim. *tit. V. n.* 76. cum criminaliſtis paſſim. Quamvis quoties habeat rationem arctationis in Religione noſtra requiratur votum Deffinitorii aut aliorum proborum Patrum ad hoc ut arctatio ſit licita, doceat ipſemet peritiſſimus Auctor d. pract. crim. *tit. Carcer. n.* 3. ſicut & poſſe Superiores etiam locales carcerare ad Cuſtodiam ſubditos in caſibus præmiſſis communiter ſubſtinetur apud Anton. a Spir. Sancto *tr.* 4. *diſp.* 4. *ſect. item* 4. *n.* 163. & cit. P. de Ameno d. *tit. V. n.* 76. Qui alibi eoſdem enumerat & individuat caſus *tit.* 4. §. 5. *n.* 10. Vel Carcer temporalis præſertim datur ad pœnam, & poſſe Superiores ſive Regulares Prælatos hunc infligere ſervato ordine juris ſecundum eorum Conſtitutiones, nemo dubitat in Religione noſtra regulariter debeat concurrere votum Deffinitorii; utpote nequeat infligi niſi per ſententiam juxta paulo ante cit. ſtat. gen. *Cap.* 7. §. 6. *n.* 32. Quomodo deinde valeat Carceri etiam ad pœnam mancipare ſubditos Superior localis in tribus nempe caſibus, declarat idem de Ameno *tit. v. ubi ſupra n.* 75. ſimiliter poſſe Prælatos hujuſmodi etiam ſubalternos cogere reos ſubditos ad torturam attenta criminum gravitate quod dictum eſt paulo ante, manifeſte oſtenditur quia quibus conceditur majus in eodem genere non poteſt negari quod eſt minus

ex

ex reg. notis juris in 6. *n.* 35. & 53. cum concordantiis: Cum valeant itaque Prælati hujusmodi procedere contra dictos Reos usque ad sententiam diffinitivam in suppositis casibus, non est dubium quod torturam quatenus sit necessaria possint quoque decernere: Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 16. & 17. & *Cap.* 27. *n. item* 16. Ant. a Sp. San. *tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 244. & *seq.* Apud nos autem neque Decretum torturæ in Provinciis potest prodire nisi de consilio & assensu Diffinitorii: Ad textum in pract. crim. *tit. Tortura* §. *iii.* Ubi fuse Pater de Ameno *n.* 22. & *seq.*

16 Præter pœnas corporis afflictivas valere Prælatos Regulares contra subditos transgressores adhibere spirituales, censuras nempe, nulli est dubium: sed de his sufficiens videtur fuisse tractatum *in Dubitat.* xv. *sect.* 2. *per tot.* solum repetimus debere Prælatos in ferendis censuris servare ordinem juris, præsertim quantum ad excommunicationem, quæ requirit indispensabiliter contumaciam in Reo, ut alibi diximus *dubit.* 4. *n.* 15. & ex parte Prælati præcipue inter Regulares aliquam monitionem, si loquamur de inflicta signanter ab homine Suarez *tom.* 1. *qu.* 3. *disp.* 3. *sect.* 13. *a n.* 1. Addentes quod pœnam irregularitatis Superiores Regularium nullo pacto possint imponere per se primo; cum solius Summi Pontificis sit super illam directa auctoritas, & in casibus a jure expressis secundum communem sententiam ea dumtaxat incurratur *Cap. Is qui de sent. excom. in* 6. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 7. &c. Simile asseritur quantum ad inhabilitates; nam exprimuntur in jure cui innixi Superiores valent declarare incurrendas vel incursas. Si fermo deinde sit de privationibus, sicuti diversa sunt officia, ita diversæ specie autumantur officiorum ipsæ privationes, ut jam *in tom.* 1. *dub.* 8. *proœm.* fuit adnotatum *n.* 15. & 16. Itaut si Officia dignitatem cum administratione importent, ad eorum privationem nequeant devenire per se ipsos subalterni Prælati; secus de privationibus Officiorum Monialium attento etiam pro Minoritis statuto Superius citato *Cap.* 7. §. 6. *n.* 32. Fortius id asseritur de privationibus juris suffragandi & actuum legitimorum: videlicet quod regulariter taxantur in jure delictis gravibus nec Prælatis sunt arbitrariæ, quin immo nequeant infligi nullatenus nisi prævio processu & in Religione Minorum accedente Diffinitorii voto. Quamvis non tollatur facultas Judicibus competentibus in ipsarum privationum declaratione & applicatione, immo & impositione quatenus arbitrio eorum relinquatur (quod idem extenditur ad alias pœnas) mitius aut severius se gerendi juxta malitiam magis aut minus in criminibus relevantem: Innocent. *in Cap. qualiter & quando de accusat.* Clar. *qu.* 85. ℣. *Ulterius* Menoch. *de Arbitr. Judic. lib.* 1. *qu.* 96. Covarr. *lib.* 2. *varior. Cap.* 9. *n.* 8. Alphonsus de Castr. *lib.* 1. *de pot. leg. Cap.* 6. Mirand. Ord. Jud. *qu.* 28. *Cap.* 7. Cum interventu tamen semper assistentium Consultorum sive Deffinitorum præsertim, si causa agatur apud Tribunal subalternum in Provinciis; prout apud Minoritas est in confesso atque in praxi crim. eorum expressum tit. Pœnarum genera ℣. & *licet in fin.* Hinc patet manifeste, quomodo non subsistant propositiones absolute P. Didaci ab Aragonia quantum ad potentiam coercitivam Prælatorum Regularium tract. 2. Cap. 3. inter quas n. 8., signanter quod habeant Generales Potestatem deponendi Prælatos inferiores a suis Officiis, si hi negligentes sint in procuranda observantia Regulæ & Constitutionum Ordinis &c. Depositionāque ab officio Superioris respective est pœna gravissima quę requirit ordinem juris, & in pluribus Religionibus specialiter in Minoritica ex pluries ostensis requirit sententiam præviā Deffinitoribus sive Consultoribus intervenientibus signāter in Provinciis, ad tenorē Constitutionum legum & statutorum &c.

§. I. Consequenter ad hæc; cum innegabile sit posse Superiores Regulares contra subditos comminari & pronunciare censuras ut initio numerī allegavimus, & ex alia parte Prælatos eosdem casus reservare juxta eam methodum ibi assignatam compertum sit *n. supra* 10. & *seq.* occurrit resolvenda controversia an censuras coherenter ad casus quibus sint adnexæ possint vel non Prælati Regulares reservare? Quam fane controversiam solvit cito responsum affirmativum; nempe quod reservatio censurarum pari passu procedat sicut illa casuum, ita quod solis expressis in Decreto Clementis possit adnecti, quod si aliquem alium casum sub censura reservata prohibere contingat pro utilitate Religionis aut Provinciæ, id nisi in generali vel provinciali Capitulo non sine prævia matura deliberatione perficiatur, pro quo adducitur decretum sequens: *Sac. Cong. Cardinalium negotiis Regularium præposita Illmo Bandino referente censuras in supradicto Decreto Clementis VIII. super casuum reservatione de anno* 1593.

1593. 16. *Maji edito comprehendi censuit*, *Romae* 7. *Julii* 1617. Apud Felicem Potestatem *part.* 1. *n.* 3602. Sed numquid est verum, quod Superiores sive Praelati Regulares pro bono regimine Religionis casum sive censuram in aliqua urgente necessitate nequeant sibi reservare? Respondet Pater Rodriguez loco jam citato *tom.* 1. *qu.* 21. *art.* 1. *quantum ad casus*; praefatum Clementis Decretum non esse in Religione Minoritica acceptatum, quia saepe saepius occurrunt casus novi extra Capitula congregata urgente communi utilitate reservandi, quam rationem equidem afferre queunt & Religiones reliquae. Quantum ad censuras excommunicationem praesertim subdit Portella *in dub. Regul. V. Abbas in addit. n.* 1. posse quemcumque Praelatum Regularem habentem subditos illos excommunicare atque excommunicationem a se illis impositam sibi reservare per communem sententiam, quod qui potest excommunicare possit excommunicationem per se latam reservare sibi soli; pro qua citat. Suarez de censuris *disp.* 23. *sect.* 1. *n.* 2. Verum, si responsionem Patris Rodriguez hic examinemus doctrinae jam traditae de casuum reservatione *n.* 10. *& seq.* tenemur addere, quod nu lum possit adinveniri effugium declinandi obligationem inductam per Decretum absolutum & clarum Clementis de non reservando aliquo casu deinceps oltra aut praeter inibi expressos, & in suppositione reservationis necessariae aut utilis alterius casus pro bono Religionis regimine de consulendis Capitulis sive Generalibus sive Provincialibus respective cum Capitularium item consensu. Ita namque pro quibuscumqne Regularium Superioribus cujusvis dignitatis & conditionis existant Summus Pontifex ibi observari mandavit. Dicere autem, quod lex mature condita & universaliter promulgata non acceptetur aut non acceptari queat ab integra Religione, praesertim sub obedientia speciali Sanctae Sedis militante veluti est Minoritica; non mediocrem foret id inurere Religioni eidem injuriam, atque nimis latam aperiret viam eludendi ipsas leges Pontificiasque sanctiones. Legatur Anacletus Reiffenstuel *tit. de Constit.* §. 6. *per tot.* Quod deinde possit occurrere necessitas pro bono regimine reservandi novum casum, gratis asseritur, in Decreto siquidem Clementis recensiti casus, sicut & enumerati in statutis respective Religionum comprehenduntur peccata quaecumque graviora & quae non tantum legaliter, sed juxta aequitatem & prudentem providentiam censeantur reservationi obnoxia: nec tanta inter unum & aliud Capitulum intercedit temporis distinctio, quin possit utilitati publicae medio aequo intervallo provideri. Ultra quam quod occurrenti necessitati sive publicae utilitati opportunum non deest in promptu remedium per Decretum S. C. C. jussu Urbani VIII. superadditum primo; videlicet. *Quod liceat Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a Confessariis imponendas, quae subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint sub die* 21. *Septembris* 1624. Ecce proinde quoties urgentiae contingerent extra Capitula purgandi Religionem sive Provinciam aliqua gliscente inobservantia quae sensim in maximam periclitaretur declinare perniciem; modum sive potestatem haberent Praelati substituendi reservationi non executae atque prohibitae poenam seu poenitentiam graviorem.

§. II. Ad assertum inde Portellae quantum ad censuras in proposito, quod qui habet potestatem ipsas ferendi, possideat identidem jus easdem sibi reservandi dicitur quod haec regula in pluribus fallit. Dantur siquidem qui casus & censuras reservant inter Regulares Praelatos, veluti sunt Generales Provincialesque ut in plurimum & Superiores item locales attento jure communi, dummodo terminus Decreti Clementis VIII. jussu conditi non transgrediantur. Alii casus & censuras minime reservare queunt, tamen & censuras ferunt & a casibus censurisque per alios reservatis absolvunt, ut Praelati locales in aliquibus Religionibus, ubi per municipalia statuta potestas legitime reservandi quae de communi jure competeret illis adimitur. Et dantur denique inter Superiores Praelatosve, qui licet censuras ferre valeant in subditos, verum illas neque casus sibi reservare nequeunt; immo nec a reservatis per alios absolvere, nisi sibi delegetur facultas, propter resistentiam jurium municipalium & statutorum propriae Religionis, veluti de facto se habent Praelati sive Superiores locales in Religione Minorum Observantium atque Reformatorum ubi nullus horum potest sibi reservare casum aliquem per statutum id prohibens authoritate Apostolica; ut superius n. 12. §. 1. visum fuit & cum nomine casus veniat etiam censura in proposito per declarationem S. C. ad Decretum Clementis, datam supra n. 16. §. 1. Per consequens: quamvis valeant Guardiani Praelative locales in eodem

Ordi-

Ordine censuras quandoque e cationem signanter de facto ferrenuntiamen sibi nequaquam reservare iam concludere nos debemus, ne Apostol Decreta atque statuta eiusdem Apostoli cæ Sedis munimine fulta evadant sic evidenter frustratoria, quod insinuare est nefas *ex l. contra ff. de leg. Reg. jur. in 6. n.* 88. Barbat. & Felin. in Cap. *Causamque de rescrip.* quos citant Pechius & Strainius supra dictam Reg. juris 88. a sopl. 2. & ita ad rationem quam ex Suarez affert Portella posse nempe Prælatos Regulares reservare excomunicationem, quia possunt eam ferre, occurreret replica opportuna valere argumentum quoties lex aut statutum in contrarium non resistat; ut in casu propter Decretum in contrarium Clementis VIII. a S. C. declaratum per Decretum jussu Urbani VIII. subsequenter editum & statuta si que dentur municipalia Religionum a S. Sede confirmata, prout contingit in Religione Minorum de facto pro Guardianis & Superioribus localibus dicti Ordinis: Quibus attentis sententia opposita in praxi nequit amplius amplecti. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 21. Bordon. referens plurimos *tit.* 1. *resol.* 37. *n.* 45. Ant. a Spiritu Sancto *tr.* 4. *disp.* 1. *sect.* 7. *n.* 210. ex hujusmodi doctrina relevat item, nequire Generales ac Provinciales ad libitum adnectere reservatis censuras peccatis aliis extra enunciata in Clementis Decreto absque Capituli vel generalis vel provincialis respectivo consensu, contra assertum Patris Didaci ab Aragonia tr. 2. cap. 4. n. 3. ob declarationem S. Congregationis a Felice Potestate adductum pro Regularibus omnibus. Nec valere pro Minoritis statutum ipsorum ab Aragonen. citatum eo quod d: Congregatio prævalet statuto fratrum licet per Sedem Apostolicam generaliter approbato; attentis regulis generalibus in jure, signanter ea n. 81. quod in generali approbatione non veniunt specialiter in jure prohibita. Barbos. de offic. & potest. Episc. *alleg.* 54. *num.* 89. *ex Cap. Generali cit. in* 6. Pront dubitandum est quantum ad adnotationem additam per dictum Patrem Aragonensem in tract. 3. cap. 3. n. 3. in fine, quod nimirum per Decretum Clementis non annullentur neque revocentur casus antiquiores reservati in Religionibus per statuta generalia in Capitulis generalibus facta; Decretum] siquidem per Clementis VIII. specificam jussionem editum casus præscribit & adnumerat absolute qui reservationi subsint, novam imponendo legem per verbum *Decrevit ut nemo ex Superioribus &c.* Et sicut excepit casus alios reservandos imposterum per Capitulum generale vel respective Provinciale, ita non excipiendo casus antiquitus reservatos diversos ab assignatis, signum est quod excipere noluit ex Cap. *[illegible] circa 22. de privileg.* Addito Summa- *Dn l. de pretio ff. de Publicano in rem aut tur t[illegible]ibus concordantibus.* Quod si adducatur tabulæ casuum reservatorum in Religionibus per quos relevant nonnulli ultra præscriptos per DecretoClementis, contra ipsos facit a[illegible]gumentum: Debet namque prævalere Decretum Papæ indiffinite præcipiens absque exceptione circa casus antiquos & limitans [illegible]ca futuros *quod id non aliter fiat* nisi in forma præscripta, quæ clausula satis clare ostendit quicquid aliter fiat fore jure irritum & nullum contra assertum Felicis Pote[illegible] n. 3305. citantis pro se Tamburinum Pa[illegible] *cons.* 12. *n.* 104. *lib.* 2. Natta *cons.* 372. *n.* 405. Menoch. *de arbit. casu* 237. *n.* [illegible] *&* *cons.* 369. *n.* 25. Surd. *cons.* 268. *n.* 9. Farin. *fragm. crim. part.* 2. *lit.C. num.* 101. Nisi replicetur quod tabella casuum reservatorum continens alios ultra adnumeratos a Clemente sit a Capitulis generalibus admissa præscripta aut renovata post ipsum Clementinum Decretum: ut de facto verificatur quoad casus reservatos in statutis generalibus Reformatorum cap. 7. quæ post Clementem VIII. approbata & confirmata leguntur per Urbanum pariter VIII. in Constitut. *Aliat pro Congregatione die* 22. *Decembris* 1642.

17 Pro exercenda hinc potestate coercitiva contra sontes propriæ respective Religionis possunt procedere vel paternaliter vel juridice Regulares Prælati. Quantum ad primum modum, quomodo videlicet debeant se gerere in puniendis seu melius corrigendis paternaliter defectibus sufficienter traditum est *Dub. XV. sect. III.* in hoc secundo Tomo, & quando a paternali possint & debeant facere transitum ad modum procedendi juridicum, colligitur item ex sufficienter traditis in eadem *Dubitatione XV. sect. IV.* De viis etiam judicialiter procedendi contra delicta & delinquentes quæ sunt via Inquisitionis denuntiationis & accusationis ac etiam via exceptionis, late tractant Doctores post Rodericum in summa Paulinus Berti in prax. crim. Sanctorus de pœn. Lezana tom. 1. cap. 27. per tot. Ant. a Spir. Sancto in Direct. Regul. *tract. IV. a sect. V. disp. III. usque ad disput. IV.*

Egregie quoque P. Philippus de Bictis Capuccinus in Epitome & prax. causar. crimin. sed supereminens cœteris P. Ludovicus de Ameno in sua pract. crimin. illustrata nec non in erudito opere de delict. & pœn. quem præcipue sequutus est P. Anacletus Reiffenstuel, clara & brevi metodo tradens normam conficiendi processus inter Regulares tit. de accus. per tot. signanter §. 7. & 8. Has igitur poterit inspicere diligens Lector, cum nimelius ipsis possem producere in hac materia & transcribere easdem foret nimis longus & inutilis labor. Aliquid etiam quantum ad viam inquisitionis potest colli ex dictis in hoc opere tom. 1. dubit. 2. procem. sicuti nonnulla declarata sunt quantum ad denunciationem in dubit. hujus Tomi antecedente XIV. sect. 4. & 5. Et quantum ad pœnas delinquentibus & delictis respective applicandas in hac ipsa sect. III. agimus. Verumtamen quia delinquentes cœteris scelestiores nequeunt non reputari, qui in criminibus præsertim gravioribus evaserunt aut præsumuntur incorrigibiles, ipsisque pœna item cœteris gravior vel gravissima, scilicet ultimo supplicio & triremibus æquivalens assignatur expulsionis ab Ordine; ne quis eorum tamquam pecus morbida & membrum putre insanabile proinde alios conviventes Religiosos inficiat; ideo aliqua superaddemus de his in particulari, quomodo nimirum se gerere debeant Prælati Regulares in expulsione eorumdem, cum leges in hac materia non parum intricatæ adducantur, quatenus incorrigibiles revera sint censendi.

18 Incorrigibiles itaque proprie dicuntur illi quorum emendatio non amplius speratur; illorum autem minime speranda est emendatio Religiosorum signanter de quibus verificantur hæc tria: nimirum; quod crimina gravia sæpius commiserint, quod moniti nequaquam resipuerint, & quod pœnitentiam de commissis nolint agere. Sayrus de Censuris *lib.* 5. *Cap.* 21. *n.* 37. Sanchez lib. 6. in decal. *Cap.* 9. *n.* 4. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 23. *n.* 2. Porro hæc tria quæ de jure communi requirebantur olim ad hoc ut quis vere incorrigibilis judicaretur, atque inde ad expulsionem ejusdem per Prælatos Religionum procedi posset, ut late probat P. Ludovicus de Ameno initio operis posthumi de incorrigibilibus, quod postea per Patrem Fabritium item de Ameno fuit expletum pag. 1. 2. 3. & 4. nequaquam sufficiunt de jure novo; alia siquidem pro incorrigibili probando & expellendo adjuncta sunt requisita: nimirum, quod detineatur prius in carcere, qui per decretum S. C. C. sub Urbano VIII. per integrum annum erit duraturus, sed postea per aliud ejusdem S. C. Decretum approbante Innocentio claræ memoriæ Papa XII. redactus est ad semestre. Quod processus conficiatur secundum Religionis stylum, in quo tria saltem gravia crimina juridice probentur prius quam ad expulsionis sententiam deveniatur. Quod Reus durante carceratione eaque immo completa in sua contumacia perseveret; & demum quod ejectio nequeat peragi, seu decretum ejectionis prodire nisi a Patre Generali de consensu sex Patrum in Capitulo seu Congregatione generali seligendorum ex gravioribus Religionis, ut in allegato S. C. primo Decreto sub Urbano VIII. licet Sacra eadem C. C. eodem Urbano annuente concesserit posse eligi in unaquaque Provincia & postremo sub Innocentio XII. die 1. Martii 1693. extenderit facultatem ad quoscumque Patres, Provinciales videlicet, ut adhibitis pariter sex gravibus ex propria Provincia Patribus a Generali confirmandis, de illorum consilio & assensu causas hujusmodi cognoscant & ad sententiam ejectionis incorrigibilium in propria Provincia, accedente approbatione Patris Generalis effective deveniant. Hæc omnia fuse explicantur & per quæstiones distinctas enucleantur in dicto opere posthumo laudati Patris de Ameno part. 1. Unde doctrinam in hujusmodi casibus opportunam poterit assumere solers lector. At, quia pro Religione Regularis & Strictioris Observantiæ Minoritica emanavit peculiaris confirmatio per Benedictum piæ mem. PP. XIII. Statuti cujusdam; in quo facilior prætenditur exponi expellendi incorrigibiles methodus & forma; propterea illud idem Statutum hic trascribendum duxi addita solutione aliquarum difficultatum, quæ non obstante hoc novissimo Sanctæ Sedis rescripto relevare non cessant, atque insimul in occurrentibus aliorum Ordinum causis Prælatis respective quod innotescat non erit inopportunum.

19 Statutum pro cujus confirmatione supplicatum fuit Benedicto piæ mem. Papæ XIII. erutum ex elencho Capituli Generalis Mediolanensis de anno 1729. pag. 125. tenoris est, ut sequitur.

In expulsione incorrigibilium Universo Ordini nostro maxime salubri & necessaria nedum ad Religiosam pacem concordiam atque candorem Ordinis conservandum ejectis perturbatoribus & scandalosis fratribus suo malo exem-

exemplo & conversatione alios pervertentibus, & propterea a Seraphico Patre nostro Francisco in suo testamento maledictis; verum etiam ad ipsam regularem disciplinam ubi viget augendam & ubi deficit instaurandam, ob timorem exinde inquietis & discolis incutiendum, servato jure communi; reus post tria delicta gravia ejusdem vel diversae speciei intra vel extra claustra commissa, si aliquando de iis monitus & punitus juridice vel Paternaliter fuerit, & constet per juridica acta vel per Provinciae regesta, in carceribus per aliquod tempus detineatur, & examinatis actis alias factis seu sententiis contra Reum ipsum alias latis, vel novis actis denuo confectis; si veridice tria gravia delicta, ut supra dictum est probata sint, a suo Ministro Provinciali cum Provinciae Deffinitorio incorrigibilis declarari possit non tamen expelli, nisi prius a Superiore Generali, cui acta hujusmodi mittenda sunt de consilio sex graviorum Patrum & cum voto D. Consultoris Saecularis, ejectionis sententia approbata & confirmata sit. Si Sanctissimo D. Nostro placuerit.

RESCRIPTUM.

Ex audientia Sanctissimi 6. Decembris 1729. Sanctissimus annuit: dummodo non adversetur Constitutioni *Universalis &c.*

N. M. Lercari.

Loco ✠ Sigilli.

Quamvis autem in supplici libello pro confirmatione praefati statuti porrecto expositum etiam fuerit, quod Sanctissimus Constitutionibus Pontificum Urbani VIII. & Innocentii XII. supra relatis in hac materia dignaretur derogare; propterea rescriptum absolute favorabile, etiam derogationi petitae annuat; nihilominus non satis capio in quo expulsio incorrigibilium per idem statutum & rescriptum revera faciliteter. Quod etenim sufficerent etiam antea tria delicta gravia *ejusdem vel diversae speciei* non consideratis statuto & rescripto debemus asserere permissum, quia non invenitur prohibitio in contrarium, immo quantum ad hoc vigebat prius probabilior opinio Doctorum, ut videre est in citato opere Patris de Ameno *qu.* 7. *pag.* 30. Item quod delicta requisita ad incorrigibilitatem debuissent committi intra vel extra Claustra, neque invenitur per Decreta praecedentia definitum, unde remanebat libertas integra utrunque sentiendi ex communi principio, quod ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. Quod pariter satis esset reos de delictis extitisse monitos & punitos vel juridice vel paternaliter & id constaret vel per juridica acta vel per Provinciae regesta dummodo probarentur commissa per juridicum processum ante expulsionem communiter tenebatur a Doctoribus, ut in eodem opere *qu.* 8. nec decretum aliquod in contrarium militabat. Quod item additur in exposito statuto, *quod in carceribus per aliquod tempus detineatur*, cum non assignetur tempus determinatum non potest non appellare semestre, intra quod abbreviatum fuerat idem carcerationis tempus per Decretum S. Congregationis de anno 1693. sub Innocentio XII. An autem abbreviatum semestre possit esse & valere etiam interpolatum? non exprimitur in statuto, proinde cum super hoc non possit cadere gratiosum & favorabile rescriptum, recurrendum est proculdubio ad priora decreta, in quibus per S. C. C. aperte statuitur carceris probatorii continuatio, & integritas: ita in uno *sub die* 21. *Junii* 1653. & insinuatur per Patrem de Ameno in d. Opere *qu.* 13. *pag.* 46. *n.* 111. Quamvis haec eadem continuatio non adeo rigorose accipienda foret ut parvitatem materiae non admitteret & Epiehejam, ut inibi *n.* 112. Unum adverto ego in dicto statuto, per rescriptum prima facie gratiosum confirmato, quod contra extensionem facultatis ad Provinciales eligendi sex graviores Patres, & de eorum consilio & assensu sententiandi expulsionem incorrigibilium, accedente tantum approbatione Patris Generalis, virtute Decreti S. C. C. sub Innocentio XII. Ibi autem scilicet in allato statuto permittatur tantum Provinciali una cum Deffinitorio declarare incorrigibilitatem, nequaquam ad expulsionem devenire; sed requiratur ulterior sententia non sola approbatio Patris Generalis; qui teneatur examinare acta ad se transmissa & adhibito ipso consilio atque consensu sex graviorum Patrum, una cum voto Consultoris saecularis expulsionis tandem executionem demandare. Sicque per viam gratiosi praetensi rescripti potius Religio perdidit, quam acquisivit, ut consideranti constabit.

20. Difficultas fere inextricabilis in hac materia consistit in probatione contumaciae intra illud carcerationis semestre, ad comperiendum videlicet an Reus vere resipiscat vel in proposito male vivendi perduret? Certum namque est quod ad hunc effectum possit fraequenter mitti ad carcerem de-

deputatus nuncius cum testibus ut Reum interroget an velit permanere in sua perfidia vel potius ex corde emendationem polliceatur? Ut innuunt id exequendum post semestre completum vel sub ipsius semestris termino Donatus in prax. *q*.19. Pasqualig. *n*. 107. nec non P. Matteucci Off. cur. *Cap*. 25. *n*. 27. Et in suppositione quod idem admonitiones spernat & protestetur se habitum Regularem dimittere atq; pristinas corruptelas continuare malle, indubium est quoque quomodo semestri elapso vel intra idem processus cum probatione trium delictorum ut praefertur possit confici in ordine ad expulsionem, & inde post semestre dictum citato Reo assignatoque termino congruo ad dicendum quare non debeat ut incorrigibilis ejici, possit ultimo contra ipsum ad sententiam tum per Provincialem cum Deffinitorio tum Generalem de consilio & consensu sex Patrum sententiaeque executionem juxta praedicta, deveniri, in quo conveniunt omnes ad normam Decretorum sub Urbano & Innocentio per S. C. editorum. Attamen, quoties Reus protestaretur cum lachrimis intra semestre carcerationis aut sub fine ipsius, se malle a contumacia desistere vitamque suam imposterum juxta Regulam Constitutiones & Dei leges recte componere; quid agendum in casu? Non posset equidem processus pro expulsione institui, quia resistunt decreta attenta resipiscentia rei. Sed posset ne aut deberet e carcere educi supposita protestatione umili futurae exemplaris vitę antequam ii sex complerentur menses? Quod excarcerari posset quoties resipiscentiae eadem signa a P. Provinciali una cum Deffinitorio vera judicentur & approbentur, non dubito; nam cum expulsio sit facultativa & non de praecepto ut advertit P. Sanctorus *Cap*. 19. *qu*. 3. *de pae*. Etiam media ad expulsionem quando finis cessat sive ad finem non inserviunt sub obligatione non cadunt, media nimirum naturam sui finis consequuntur & ab eo regulantur ex Reg. Jur. *Cap. 42. in 6. Cap. Praeterea de Off. delegat. Concordat. l. Oratio ff. de Sponsalibus*. Ex quo videtur deduci, quod etiam excarcerari debeat, nam finis adaequatus & ratio unica legis ordinantis carcerem semestrem, est probare ipsius rei praesumptam contumaciam, an velit scilicet in proposito male vivendi persistere: Quatenus ergo ille protestetur oppositum & emendationem serio polliceatur, motivum carcerationis omnino cessat, & per consequens deducitur quod e carcere sit revera dimittendus: nec ulterius possit affligi poenis cuiquam detruso in carceribus debitis, videlicet subtractione chordae & caputii, jejunio in pane & aqua, & addita disciplina in refectione publica qualibet sexta feria: propter irrefragabile principium, quod cessante ratione & fine legis, cesset quaecumque legis consequens dispositio: apud Barbosam allegantem textus, & Doctores *axiom*.136. *n*. 9.

21 Nihilominus, esto quod ad probandam magis & magis ejus in proposito melioris vitae constantiam per integrum semestre Reus in carceribus detineatur, moraliter est etiam certum quod in supposito casu recusatae expulsionis exploratus ipsemet ad semestris terminum emendationem pollicebitur ut experientia docere non cessat. Et tunc minime posse processum in ordine ad ejectionem confici proculdubio tenendum est, attentis decretis: vel si confectus sit tempore carcerationis in qua signa resipiscentis non dederit, utcumque debere reponi usquedum constet protestationem exhibitam veram & non fictam ex contrito animo licet suppositam in ultimo prodiisse; atque interea reum ipsummet è carceribus educi, & quod nequeat Judex ultra poenas in jure statutas procedere, ex animadversis per Patrem de Ameno in d. opere *qu*. 14. *n*. 121. & ecce in hoc supposito plerumque communi, carceratio & probatio quantum ad incorrigibilitatem pro certo inutilis. Quod si dicatur, processum adhuc fore pro expulsione exequenda opportunum quoties signa emendationis vel in promissione vel in opere comperirentur dubia, aut si ad crimina deinde graviaautrelaxatam vivendi rationem rediret Reus in apparentia primum contritus, attenta ejusdem Auctoris doctrina ibi. *n*. 121. *ad* 123. Id de facili concederem, addens immo, quod supposita probatione & punitione quomodocumque trium vere praecedentium delictorum, quoties Reus in experimento semestris carceris emendationem polliceretur, & Deffinitorii Patribus sive Superioribus respective promissionē seu emendationis protestationem placeret admittere, hoc non aliter fieri nec alio modo expediret, nisi cum subscriptione ipsiusmet incorrigibilis in casu plene probati talis, quod ad expulsionem vitandam in suppositione recidivi delicti & inobservantia propositi sive promissi de bene vivendo edita, nullum sibi superesset effugium nec ratio ulla quin condemnaretur & se condemnandum fateretur. Hoc inquam pro bono communi Religionis fas esse Su-

pe-

perioribus respective exigere, ne fraus resipicientiam ficte promittentibus in damnum deceptæ Religionis impune prodesset: prout de facto ad impudentis scandalosum & contumacem reincidentiam via remaneret aperta expulsionem sine mora post novi delicti summariam probationem decernere sententiare & executioni mandare. His non obstantibus resistentis e Religione exire novum recursum ad Sanctam Sedem & Sacram Congregationem quis & quomodo valeret impedire? & ejusdem S.C. sensum quis nosset. Profecto & recorrendi via aperta cuiquam quantumlibet contumaci, & Authoritas decernendi ad beneplacitum integra vigere perhibetur in Decreto S. C. C. Innocentio XII.annuente de anno 1693. §.3. ibi = *Salva semper Sanctæ Sedis & Sacræ Congr. Conc. in casu recursus & appellationis Auctoritate*. Quo contingente casu semper recurrenti Reo fore deferendum rationabilis suadet timor: Eo quia Presbyteri sæculares nullo pacto velint permixtos ona secum Religiosos refractores a Regularibus Ordinibus expulsos. Ad propositum insuper aliqua adnotare non decro. Primum. Quod semestre carceris non datur Reo expellendo in pœnam delictorum, sed pro simplici & mera probatione an in pervicacia perseveret? ut patet Decreta sub Urbano & Innocentio sæpius citata legenti. Unde si aliquod delictum adhuc imponitum vindictâ exposceret, nequaquam per experientiam semestris expulsione non secuta debitam sortiretur effugere pœnam. Secundum adverto; quod propter unicum gravissimum licet delictum expulsionis pœna nequeat infligi: cum hæc instituta sive assignata sit præcise contra incorrigibiles, consequenter plurium criminum Reos, ut præter relata Decreta id perspicue innuentia refert decisum per Sacram Congregationem Episcoporum Lezana tom. 1. Cap. 23. n. 4. *nempe non posse ejici a Religione scandalosos aut delinquentes; si non sint vere incorrigibiles*. In causa PP. Cistercensium *die 1. Junii* 1635. Ex quo relevat graviter delinquenti pro prima vice minime esse opportunam viam expulsionis ad declinandam pœnam delicto taxatam; verum hanc ipsam adhibendam esse juxta leges. Tertium deinde noto; quod ejectus ipse quatenus per notabile tempus extra Religionem exemplariter vixerit, acceptis insuper de morum probitate testimonialibus literis ab Ordinario, habet jus petendi immo obtinendi iteratam admissionem ad Religionem, ut legere quis potest apud Lezanam *tom. 1. d. Cap. 23. n. 7. & 9.* Et in allegato Opere Patris de Ameno de incorrigibilium expulsione *part. 3. qu. 9. & seq.* Quo proinde supposito iterata admissione, si item delinqueret de novo contumax ut scandalosam duceret vitam, infructuosus prorsus evaderet primus labor, hinc non mediocriter saltem Superiores se faterentur exagitatos. Ex præfatis omnibus igitur concludendum venit, ut advertunt pariter Auctores non pauci, faciliorem patere viam Superioribus Religionum detrudendi hujusmodi Reos in perpetuum & si opus fuerit qualificatum carcerem vel damnandi juxta atrocitatem criminis ad triremes, quam istam arripiendi intricatissimam expulsionis aliis ultro difficultatibus expositam quas ob prolixitatem vitandam non placuit per integrum recensere. Praxis autem efformandi decreta & explendi omnia juridice requisita ad expulsionem quæ inextricabilitatem causæ confirmant, habentur exactissime in eodem opere de incorrigibilibus per quadraginta & amplius capita *part. 2. pag. 97. &c.* Quomodo item se gerere debeat expulsus ad quid teneatur & quid prætendere licite valeat, assignat P. Lezana loc. cit. Anton. a Spir. Sanct. Direct. Regular. *tr. 4. disp. 3. sect. 12.* §. 6. P. Matteucci *d. Cap. 25. n. 31. & seq.* sed fuse præ cœteris laudatus ipse P. de Ameno in cit. Opere posthomo *part. 3. per tot.*

DU-

DUBITATIO XIX.

DE POTESTATE PRÆLATI REGULARIS ABSOLUTIVA ATQUE DISPENSATIVA.

Quibus dedit Poteſtatem ligandi Chriſtus illam contulit & ſolvendi juxta Evangelium Matthæi Cap. 18. Quapropter ſi probavimus vigere in Prælatis reſpective Regularibus poteſtatem coercendi ſubditos pœnis ſpiritualibus non tantum; ſed & corporis afflictivis juxta delictorum menſuram & gravitatem: quæ omnia pertinent ad ligandum; per conſequens eſt innegabilis ipſiſmet poteſtas correſpondens ſolvendi, quæ immo principalior & magis propria conſideranda obvenit in Miniſtris illius Divini Præſulis, qui proteſtatus eſt Miſericordiam ſe velle, & non ſacrificium. Poteſtas igitur hæc eadem, quæ conſiſtit in abſolvendo ſubditos & diſpenſando cum eis quantum ad omnia quæ abſolutione indigent & diſpenſationi rationabili ſubjacent opportune examinanda occurrit poſt coercitivam; & quia poteſt conſiderari in genere prius, quatenus in Prælatis Regularibus in quibus & quomodo reſideat, tum in abſolvendo tum in diſpenſando: Inde in ſpecie ſignanter in abſolvendo circa ea crimina de quibus magis emergit controverſia & ſub Poteſtate abſolutiva cadit; & demum in diſpenſando præſertim ſuper pœnis nonnullis quæ Poteſtati hujuſmodi Prælatorum Regularium, ſaltem omnium & quorumcumque minime ſubeſſe cenſentur ideo generice exponitur prius.

SECTIO I.

Poteſtas abſolutiva ad propoſitum quomodo & quibus Prælatis Regularibus competit.

SUMMARIUM.

1 *Poſſunt Prælati Regulares abſolvere ſubditos a peccatis & cenſuris non reſervatis & etiam a quibuſcumque a quibus poſſunt Epiſcopi abſolvere ſubditos proprios: ſimiliter diſpenſare &c.*

2 *Nomine Prælatorum quantum ad hanc poteſtatem, veniunt etiam Superiores locales ſaltem per communicationem privilegii.*

3 *Facultas hujuſmodi abſolutiva competens a jure etiam Superioribus localibus, quomodo poſſit reſtringi per ſtatuta municipalia Religionum; prout reſtringitur in Religione Minorum. Ibi §. Un. in fin.*

4 *Nomine Prælatorum ſi veniant Superiores locales. Quid de Vicariis, & ſuccedentibus antiquioribus?*

5 *Procuratoribus generalibus reſpective an competat Poteſtas hujuſmodi abſolvendi & diſpenſandi in reſervatis Papæ.*

6 *Procuratores generales item an poſſint Apoſtatis pœnas ſtatutarias condonare vel in pœnitentias ſalutares permutare?*

7 *Poteſtas eadem Superioribus Regularibus reſpective competens quomodo poſſit delegari.*

8 *Pœnitentiarius inter Regulares ex vi ſui muneris a quibus poteſt abſolvere a cenſuris reſervatis an valeat abſolvere extra Sacramentalem Confeſſionem?*

9 *Quid dicendum. Si Prælatus exprimat Pœnitentiario: omnem facultatem meam tibi committo? Alia de Pœnitentiario remiſſive.*

10 *Ex aliis Capitibus & privilegiis expreſſis poſſident Regulares Prælati facultatem prædictam abſolvendi & diſpenſandi; præter quam ob Caput* Liceat *Tridentini: tum directe tum per communicationem.*

1 In-

1 Indubium est posse Prælatos Regulares absolvere proprios subditos ab omnibus & quibuscumque peccatis non solum sed & censuris tum a jure tum ab homine per sententiam latis quoties iis non sit adnexa reservatio. Et hoc præscindendo etiam a privilegiis; cum hæc facultas competat cuilibet simplici Confessario approbato pro absolutione peccatorum & per consequens censurarum superflua namque foret prima potestas, nisi ad censuras minime reservatas extenderetur: intelligendo in foro conscientiæ: Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *qu.* 3. *art.* 2. Suarez *tom.* 5. *p.* 3. *disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 19. Lezana citans alios. *V. Censur. n.* 13. Barbos. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 10. *n.* 283. Anacl. Reinffestuel *de sent. excom.* §. 8. *n.* 246. Prælatos immo Regulares ab iisdem non reservatis censuris posse absolvere subditos etiam in foro externo, servatis tamen alias servandis, tenent præfati DD. Arg. Cap. *Nuper de sent. excom.* apud Leandrum *part.* 4. *tr.* 11. *disp.* 17. *qu.* 21. & 28. Posse pariter Prælatos Regulares de jure communi absolvere sibi subditos ab omnibus censuris & peccatis a quibus absolvere queunt proprios Episcopi aliive Prælati Ordinarii virtute Tridentini vel alterius Canonicæ legis, est sententia Doctorum passim; eo quia respectu subditorum suorum Prælati ipsi Regulares habeant potestatem jurisdictionis quasi Episcopalem, ut dictum est alibi & non semel replicabitur infra; cum enim ab obedientia & subjectione erga Sæculares Prælatos ad subjectionem & sub obedientia Prælatorum proprii Ordinis Regulares sint translati, tota jurisdictio quæ erat in primis respectu ipsorum concluditur transisse in secundos: salvis tamen exceptionibus vel reservationibus, quæ in jure ipso vel subsequentibus Summorum Pontificum sanctionibus atque Decretis specificantur. *Ex Cap. Abbates de privil. in* 6. *concordante* Gloss. *in Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* ℣. *Proprii.* Navarrus *lib.* 1. *cons.* 36. *de temp. ord. & in Sum. Cap.* 12. *n.* 75. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 16. *n.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 3. *n.* 9. Peyrin. ad constit. Pirrh. *num.* 46. Reinffestuel cum aliis *tit. de hæret.* §. 9. *n.* 417. *seq.* Et quamvis negent aliqui; quod possint revera Prælati Regulares in suos subditos, quidquid possunt Episcopi signanter virtute Tridentini in proprios per facultatem sibi specialiter delegatam, absolvendi nempe in foro conscientiæ ab omnibus casibus & dispensandi in omnibus irregularitatibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, occultis tamen exceptis & quæ oritur ex homicidio voluntario & deductas ad forum contentiosum. *Cap.* 6. *sess.* 24. *Reform.* Quamvis inquam negent aliqui hanc delegatam facultatem Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum jure communi competere; utpote in Concilio non nominantur. Nihilominus pars affirmativa statuitur, & per rationem, nam quidquid concedunt jura Episcopis inspecta eorum jurisdictione, non potest negari concessum per consequens jurisdictionem quasi Episcopalem possidentibus, nisi apponatur exceptio, & insuper per declarationem eidem Concilio in terminis datam a Sancto Pio V. in Constitutione alibi citata *Romanus Pontifex sub die* 21. *Julii anni* 1571. in favorem Ordinis Prædicatorum cum quo sine dubio alii communicant Ordines. Sic Doctores fere innumeri relati a Pasqualigo ad Lauret. de Franch. *part.* 2. *qu.* 92. *n.* 8. necnon a Passerin. de elect. Canon. *Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 16.

2 At nomine Prælatorum Regularium qui tali possunt uti facultate revera Superiores generales Provinciales & Abbates quidem ex *d. Cap. Abbates de privil. in* 6. sed nequaquam reliquos Superiores locales volunt plurimi; utpote Superiores hi locales in Religionibus jurisdictionem potitus Parochi sive Curati exerceant & non Episcopalem, ut post Sanctorum de Melphi a se citatum asseverat Anacletus Reinffestuel de hæret. *n.* 418. Verum extendi facultatem ad Priores quoque & alios Superiores locales respective habentes in ordine ad proprios subditos jurisdictionem pariter quasi Episcopalem, ut alibi probavimus, & signanter, quoad Potestatem coactivam *in dubit. præcedenti sect.* 1. arbitrantur in casu de absolutiva & dispensativa post Navarrum loco ubi supra & Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 2. & 13. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 3. Anton. a Sp. Sanct. Direct. Regul. *tr.* 2. *n.* 2. 3. 23. & 26. Passerin. signanter *d. Cap.* 26. *n.* 14. & *seq.* & *qu.* 12. *ejusdem Cap. n.* 121. Cum omnem dubitationem tollat S. Pius V. qui in citata paulo ante Constitutione *Romanus Pontifex*, quoad hanc potestatem absolvendi proprios subditos ad instar Episcoporum aperte nominat & includit Priores Conventuales Dominicanorum, prout idem pro Religione ipsamet Prædicatorum specificant alii Pontifices allegandi inferius in amplioribus privilegiis tum absolvendi tum dispensandi. Unde non esse ambigen-

bigendum extendi potestatem eamdem, quasi Episcopalem absolvendi scilicet subditos veluti possunt Episcopi absolvere suos ad Superiores quoscumque locales aliorum Ordinum communicantes in privilegiis, merito sustinet Passerinus ubi supra *n.* 14. & 16. & *alibi*. Immo quotiescumque in jure sive Constitutionibus Pontificiis seu Decretis Apostolicæ Sedis conceditur quæcumque alia facultas vel privilegium Prælatis Regularibus, aut indeffinite Prælati Regulares nominantur, includi etiam Superiores Conventuum ordinarios, nisi aliud exprimatur aut signatim excludantur, repetunt DD. Portella *Dub. Regul.* V. *Abbas n.* 6. V. *Prælatus n.* 5. Lezana ubi supra *n.* 3. Ant. a Sp. Sanct. *tr.* 2. *disp.* 2. *n.* 3. post Suarez jam citatum alibi *tom.* 4. *tr.* 8. *de Relig. lib.* 2. *Cap.* 22. Revera autem in privilegio concesso Prælatis Ordinis Minorum absolvendi subditos & dispensandi cum eis a quibuscumque excessibus censuris etiam Sedi Apostolicæ reservatis & in quibuslibet irregularitatibus aliisque pœnis, quæ enumerantur per Portellam in dub. Regul. V. *Abbas in addit.* V. *In illis* exprimuntur tantum Generalis Provinciales eorumque Vicarii & Custodes, ut videre est in Bulla Clementis IV. incipien. *Virtute conspicuos* & in Mari magno Syxti IV. incipien. *Regimini* ubi dicta Clementis Bulla *Ad literam* recensetur apud Lezan. *tom.* 5. Unde Prælati locales videlicet Guardiani in casu videntur non inclusi; privilegia namque non debent extendi ultra quam tenor eorum sonet *Cap. Porro Cap. recepimus de privil. Cap. ult. de translat. Prælat. Cap. Consideravimus* 10. *de elect.* Nihilominus quamvis hoc verificetur in casu de Superioribus localibus Ordinis Minorum, quod scilicet non includantur in privilegio absolvendi &c. directe concesso Prælatis Religionis propriæ, idemque de quocumque alio Ordine, quoties privilegia proprie directe concessa non specificarent Prælatos Generalibus & Provincialibus inferiores; quatenus tamen per alios Summos Pontifices facultas hujusmodi absolvendi & dispensandi in aliqua Religione ad Superiores locales inveniatur extensa, ut contingit in Religione Prædicatorum per adductam Bullam S. Pii & aliam anteriorem Gregorii XV. relatam a Passerino de elect. *Cap.* 26. *qu.* 5. *n.* 40. *seq.* quod ad Minores aliosque utcumque extenderetur per viam communicationis communiter autument dd. apud Passerinum loc. cit. ubi plura ad propositum erudite docet.

3 Præmissis non obstantibus eadem Potestas absolvendi & dispensandi, quæ competeret Prælatis etiam localibus eo amplo modo quo competit Episcopis in ordine ad proprios subditos, quod possit restringi per Statuta Religionum respective fatendum, est iterum, ut in Dubitatione præcedenti innuimus circa casuum reservationem, itaut Superiores locales excludantur, & usus dicti privilegii in suppositione statuti contrarii iis remaneat prohibitus. Ea ferme ratione, quia in concessione privilegiorum Religionibus elargita, præsertim per communicationem apponitur plerumque clausula *Dummodo institutis ipsorum & Regulari observantiæ non sint contraria*; & quatenus non exprimatur absque dubio subintelligenda foret juxta Decretum in praxi *part.* 1. *tr.* 7. *qu.* 11. Unde in casu dicto & similibus statuta uniuscujusque Religionis fore respective examinanda consulto advertunt Passerinus plures, signanter *Cap.* 26. *qu.* 14. *n.* 132. & 134. & cum aliis per se citatis Antonius a Spir. Sancto ubi supra *disp.* 1. *n.* 5. & 23. post Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 4. *lib.* 27. *n.* 15. Addendum immo pro præsentis doctrinæ licet casuali complemento, quod unaquæque Religio non solum valet in Capitulo generali usum alicujus privilegii limitare, sed & eidem sibi directe per Apostolicam Sedem concesso per novum statutum abrenuntiare; dummodo tamen statutum abrenuntians in casu foret auctoritate pariter Apostolica munitum per rationem adducta in a Bordono, quod res per quascumque causas nascitur per easdem resolvatur *tom.* 2. *resol.* 12. *n.* 110. Cum alioquin privilegia per Summos Pontifices pro decore Ordinis & utilitate publica impertita nequeat nedum Generalis ipse, sed neque etiam integra Religio absque placito ejusdem Sanctæ Sedis absolute refutare proprio sponte aut infirmare: ex doctrina considerandа Tamburini allegantis plurimos *tom.* 1. *disput.* 16. *qu.* 15. *n.* 2.

4 Un. Procujus rei intelligentia obiter notandum; quod aliqua concedi contingit Ordinibus privilegia in relaxationem, videlicet quoad possessionem bonorum indumenta formam habitus venustioris & alia commoda, quibus quidem non solum potest Capitulum generale renuntiare; sed per Superiores Generales præcipue mediis admonitionibus inducentibus sensim usum contrarium fas esset obviari. Nec desunt Auctores qui posse Superiores hujuscemodi privilegia refutare per se solos, & observantiam pristinam

cum

cum protestatione dictæ abrenuntiationis reparare; Cum præsumatur in casu acceptatio concedentis, & nisi ab homine saltem a jure impertita renuntiandi facultas: ut patet ex Bulla Gregorii XIII. quam refert Tamburinus *tom. 1. disp. 16. qu. 9.* Et cum Patre Suarez docet Pelizarius *tr. 8. Cap. 1. n. 63.* Alia vero conferuntur Religionibus privilegia aut in remunerationem meritorum, ex quibus generosa relevat justitia Sanctæ Sedis, aut pro eorumdem majori decore conferuntur & arctiori disciplina indirecte saltem ad observantiam Regulæ statutorumque conducentia, ut est in casu privilegium concessum Prælatis absolvendi subditos a reservatis etiam Summo Pontifici &c. ad evitandam eorumdem vagationem & ut citius conscientiæ eorum possit afferri remedium, eo modo quo ipsimet Pontifices concedentes asseverant in Constitutionibus editis. At hujus secundi generis privilegiis nequaquam renuntiare queunt Superiores Religionum vel ipsamet Capitula generalia in statutis, absque concedentis Apostolicæ Sedis acceptatione expressa. Ideoque quoties privilegium idem in casu expresse extendatur ad Prælatos inferiores juxta præmissa n. præcedenti quod non possit tolli per ullum Superiorem, licet Generalem aut generale ipsum Capitulum, probat Passerinus *d. qu. 26. n. 131.* Attamen, quia in usu etiam privilegiorum hujusmodi non desinunt quandoque irrepere corruptelæ, ad tollendas ipsas minime aufertur, ut mox prænotavimus Religionibus facultas condendi statuta moderativa & restrictiva usus ejusdem: ex Passerino ipsomet *Cap. 26. n. 120.* præcipue si privilegium habeatur per communicationem; communicationi etenim in casu resisteret peculiare statutum ex datis sup̄erius & admissis per laudatum Doctorem n. ibi 132. & 134. Quapropter, cum Religio Minoritica abusus de facto experiretur fortasse ex facultate communicata Prælatis etiam localibus absolvendi a quibuscumque reservatis S. Sedi & dispensandi in quibuslibet occultis &c. eo ferme pacto, quo hæc competit Episcopis in ordine ad horum subditos vigore Tridentini; consulto eandem dictis localibus ademit sive ejus impedivit usum per generalia statuta *Cap. 7. §. 4.* Compil. Sambuc. & apud Reformatos *Cap. pariter 7. n. 14.* ubi Potestas absolvendi & dispensandi in casibus similibus ad Superiores generales de facto restringitur eorumque Vicarios; Ministros item atque Vicarios Provinciales nec non Custodes ad normam privilegii supra cit. directe impertiti eidem Ordini per Clementem IV. & Sixtum pariter IV. in quo maluit Religio sistere, ut notat Sanctorus super Constitut. *Cap. 2. stat. 14. §. 7.* His ergo sic firmatis, juxta Doctrinam item Felicis Potestatis in *tom. 1. part. 4. n. 3432. & seq.* miror quomodo P. Didacus ab Aragonia in Dilucidat. *tr. 4. Cap. 4. n. 4. & 5.* velit privilegium aliis Superioribus localibus Religionum concessum per Constitutionem signanter S. Pii ad Guardianos Fratrum Minorum extendere contra expressa statuta in quibus taxative prohibetur, *Quod nemo præsumat &c.* dicto *Cap. 7. §. 4.* saltem adeo intricatum se gerat, quod non satis clare dignoscatur: an revera in Guardianis & Superioribus localibus Minoritici Ordinis hujusmodi facultatem absolvendi a reservatis a jure, admittat vel neget: nisi quod tum in principio dicti n. 4. & in fine n. 5. videtur sententiæ affirmativæ favere, nequit autem distinguere Aragoniensis inter casus reservatos a Constitutionibus Apostolicis & reservatos per statuta Ordinis, itaut possint Guardiani absolvere a primis non vero a secundis; statuta namque prohibent iisdem absolutionem ab utriusque generis casibus: ibi *Decernimus & sancimus ut in illis casibus quos per statuta generalia*, aut CONSTITUTIONES APOSTOLICAS reservatos esse aut reservari contigerit nemo absolvere quemquam præsumat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda nisi a Generali vel Provinciali Prælato absolvendi facultatem accipiat; unde Doctores deducunt in nostra Religione facultatem super reservatos Papæ, Generali aut Provinciali non habeant, nisi ab ipso Generali vel Provinciali obtineant: Felix Pot. *loc. cit. n. 3433.* De his redibit sermo in sect. subsequenti *n. 51.*

4 Dato tamen hoc, quod nomine Prælati in Religionibus universaliter veniat etiam Superior localis resurgit controversia, an facultas quæ indefinite Superiori locali concessa sit, intelligatur etiam competere Vicario (quod etiam posset controverti de Vicario Provinciali respective secundum usum Religionum) & non tantum quoad absolvendum & dispensandum, sed casualiter quantum ad cæteros actus Prælato Conventuali proprios. Circa quam controversiam; ultro resolutæ jam in *tom. 1. dub. iii. proœm. n. 14. & 15. pag. 14.* & repetita in hoc *tom. dub. 17. sect. 1. n. 4. §. Ux. in fin.* replica-

tur breviter, facultatem praefatam quoad absolvendum & dispensandum & caetera peragenda de jure a Superiore locali competere quoque Vicario, quoties hic sit independens & gubernium absolutum exerceat in Conventu & familia quocumque nomine nuncupetur, sive Praesidentis, Rectoris, sive sub Prioris, aut Vicarii sive Superioris in capite. Ratio habetur, quia in tali suppositione vere Praelatus est & omnia veluti Praelatus agit independenter ab alio locali, quantum ad jurisdictionem & administrationem, & solum variatur nomen secundum doctrinam Rodriguez *tom. 1. qu. 10. art. 2. & 3.* Suarez *tom. 3. de Relig. tr. 8. lib. 2.* pluriumque quos refert & sequitur Ant. a Sp. S. loc. cit. *tr. 2. disp. 1. sect. 1. §. 1. a n. 4.* quam facultatem sane in omnibus & per omnia, eo modo, quo habent eam quicumque alii Praelati, nisi specialis in jure reservetur Majoribus sive Primariis cum exclusione horum inferiorum, extendit idem Auctor ad Vicarios in absentia etiam casuali Prioris vel similium; dummodo ipsemet principalis non sit reversurus per unum diem, & ratione puto, quia non est conveniens, quod per notabile tempus, si tamen pro notabili tempore unus integer dies accipiatur, Conventus remaneat absque vero Superiore habente jurisdictionem erga subditos ad completum regimen requisitum; prout insinuat revera Passerinus de elect. can. *Cap. 26. qu. 12. n. 122.* Et profecto; quatenus haec ratio probet concludit pariter de aliis, qui a jure per plures dies non semel remaneant Superiores in Conventibus, absente Priore non tantum sed & Vicario aut Subpriore, quales forent antiquiores in professione; ne videlicet Familia Superiore vero habente facultates ad regimen necessarias destituatur, ut eveniret de facto, si substitutus Pater antiquior vi statutorum & legis succedat in gubernio Conventus dictis facultatibus substineatur carere: Antonius a Spiritu Sancto loc. cit. *n. 5. & seq.* Et quemadmodum tuetur Passerinus, quod Vicarius deputatus a Priore in ejus absentia vel quolibet alio directo Superiore esto hic non committat eidem omnes suas vices & facultates, censetur a jure & Pontificiis diplomatibus illas habere: ubi supra *n. 126. in fin.* Ita procul dubio dicendum foret de Superiore remanente in capite dum abesset per notabile tempus Prior aut alter primarius Rector, ac simul sub Prior seu Vicarius; quod nempe is a jure succederet, quoad facultates praefatas tamquam eo tempore independenter gubernans & Ordinarii Prioris seu alterius principalis Superioris Vicesgerens uniformiter ad terminos quibus utitur Gregorius XI. in suo privilegio concesso Praelatis Ordinis Praedicatorum, in quo caeteri aliorum Religionum, nisi obstent propriae Constitutiones respective communicant §. *ii.* ibi = *Et singuli Priores Provinciales Conventuales & vices eorum gerentes in Provinciis ac Conventibus & locis sibi commissis*; quod privilegium deinde Sixtus IV. confirmavit & explicavit in Mari magno; juxta Passerinum praelegatum *n. 122. & 125.*

§. I. Non autem gaudent facultate usque nunc declarata, concessa videlicet Praelatis a jure vel ex privilegio, Vicarii vel quicumque alii dum actualiter alteri in Conventu subsunt, vel sint a Generali Provinciali vel a Deffinitorio electi vel a Superiore ordinario Conventus deputati. Isti siquidem, cum non habeant in capite gubernium sed a Superiore locali actualiter residente ut supponitur dependeant, propterea jurisdictionem & administrationem nec a jure nec ab homine sibi collatam censentur exercere ex usque nunc citatis Doctoribus, Lezana praesertim dicto *Cap. 18. tom. 1. n. 5.* ac Passerino *Cap. 26. qu. 12. n. 122. & 127.* Idemque sustinendum venit de Vicariis Provincialibus Regularium Ordinum respective, quod nimirum succedunt hi revera in Praelatura mortuo vel amoto vel Provinciali absenti veluti gerentes ejus vices in casu, sive succedant per electionem, sive per legem substituentem digniores aut antiquiores; adeoque facultatibus omnibus quas veri Provinciales ad instar Episcoporum possident absque dubio potiantur, signanter de quibus agitur in praesenti absolvendi & dispensandi. Secus vero, quoties Vicarii in eadem Provincia instituti sint veluti coadjutores ab ipsomet Provinciali principaliter & independenter gubernante; a quo per consequens & ipsi absolute dependent, ut in aliquibus Provinciis ad praxim deduci testatur Passerinus *n. 123.* Non enim facultates easdem quae vero Praelato competunt exercere valeret nisi in quantum sibi delegatae intelligerentur ab ipsomet Superiore immediato cujus forent veluti partiales Commissarii; Ant. a Spir. Sanct. de privil. Regul. *tr. 2. disp. 1. sect. 1. §. 1. n. 16. & 17.*

§. II. De Ordine Regularis & Strictioris Observantiae Minoritico si loquamur quantum ad Vicarios locales recolenda sunt

quae

quæ in statutis ejusdem Ordinis præscribuntur, videlicet si independenter gubernent a Superiore Provinciali instituti & deputati, veniant tunc & ipsi procul dubio sub nomine Prælatorum atque proprio titulo Præsidentis illorum quisque in casu nuncupetur: ut in stat. Sambuc. *Cap. viii. §. 43. n. 3. & §. 48. n. 14.* necnon Reform. *Cap. item viii. n. 55. & 60.* Ideoque potestate absolvendi & dispensandi etiam polleant non minus ac Guardiani, quatenus eis a Provinciali respective communicetur aut juxta consuetudinem communicata intelligatur: ad tradita n. præcedenti. Absentibus deinde Guardianis quæ facultas remaneat Vicariis nequaquam in Præsidentes institutis juxta qualitatem absentiæ habetur item in statuto generali *Cap. viii. §. 41. n. 2.* & apud Sanctorum *stat. 51.* ℣. Quartum & de pœn. *Cap. 3. qu. 2.* & Patrem de Ameno pract. crim. *tit. 4. qu. 9. n. 41.* Consonatque statut. Reform. *Cap. item 8. n. 61.* non potest tamen admitti pro Guardianis doctrina communis de Superioribus localibus aliorum Ordinum ut infra dilucidabitur n. 1. quantum ad Vicarios locales; nempe quod possint hi generalē delegare facultatē absolvendi &c. quoties illi a Conventu absint; Guardiani siquidem in Ordine nostro non habent talem facultatem a jure nisi in quantum sibi delegatur: ex stat. generali *Cap. 7. §. 3. n. 1. seq.* & Decr. S. C. apud Matteucc. Offic. Cur. *Cap. 38. n. 40.* Hinc eam generaliter delegare minime possunt, ex quo pariter deducitur non posse sustineri assertum Lanusch in Theatr. Regul. tit. Vicarii locales *n. 3.* quod Vicarius scilicet in Ordine nostro absente Prælato locali per integrum diem non reversuro possit aliis concedere facultatem absolvendi a reservatis quasi eam haberet a jure: nam neque Guardiani ipsi habent talem potestatem ut ordinariam ex dictis *n. 3.* per statuta sibi ademptam, sed solum quatenus a Patre Provinciali instituantur Pœnitentiarii, quod sane rationi congruit & solet communiter exequi, prout instituuntur tales scilicet Pœnitentiarii plerumque quatenus ætatem habeant etiam iidem Vicarii.

5 Superest aliquod resolvendum de Procuratoribus generalibus Religionum, de quibus si & quatenus jurisdictionem magis & minus possideant ad normam Constitutionum proprii Ordinis respective, non potest negari item quod proportionaliter sint Prælati, eo pacto quo præmisimus in dub. III. prœem. *n. 13. pag. 19.* ideo que potestas respondens absolutiva & dispensativa amplior vel limitata magis tribui debeat. At in Religione nostra nempe Regularis & Strictioris observantiæ quod revera nomine Prælatorum veniant Procuratores dicti generales tum Ordinis tum Reformatorum, & Commissarius generalis Curiæ sic dictus, per consequens Procurator generalis Recollectorum sive Excalceatorum noviter institutus, debemus asserere, eo quia veram jurisdictionem de facto possideant, licet cum limitatione ad eos qui propriæ Curiæ sint addicti & respectu Forensium quoque: ex dictis loc. cit. & per Sanctorum Constit. *Cap. 8. stat. 38.* per tot. signanter *qu. 4.* necnon P. de Ameno *tit. 1.* pract. crim. *§. 2. n. 12. & 13. & qu. 9. & 10.* ejusdem tit. Proinde quoties facultas absolvendi & dispensandi concedatur vel in diplomatibus Pontificiis vel per statuta ipsa Prælatis Religiosis indefinite & in genere; quod intelligatur item concessa hujusmodi Procuratoribus respectu sibi subditorum videtur non esse dubitandum. Dubium nihilominus non potest non relevare quantum ad potestatem absolvendi & dispensandi super casibus Summo Pontifici specialiter reservatis quæ in Mari Magno signanter Sixti IV. & per Clementem IV. prius conceditur non Prælatis quibuscumque in genere ut mox retulimus *n. 2.* sed ibi nominatis & specificatis: nimirum Superioribus Generalibus Provincialibus; ac eorum Vicariis: necnon Custodibus qui eo tunc paulo minus a Provincialibus gubernium agebant, & fortasse quamvis minime nunc gubernent adhuc in ejusdem facultatis possessione manutenendi sunt per Sanctorum Const. *Cap. 2. §. 4. qu. 1.* verum; cum Procuratores generales &c. inter Superiores specifice expressos non connumerentur a Papa: apparet relata facultas eismet nequaquam concessa, quod idem colligitur ex statutis generalibus tum Sambucanis *Cap. 7. §. 4. n. 1. tum Reformatorum Cap. eodem 7. n. 12.* Vult hoc non obstante Pater Sanctorus, quod iidem Procuratores & Curiæ Commissarii respectu ministrantium in Curia & sibi subditorum adnexorum, Vicarii Ministrorum Generalium censeri possint & vere sint, propterea facultatem dictam absolvendi & dispensandi in reservatis vigore Constitutionum Clementis & Sixti IV. non solum per se ipsos exercere sed valeant respective aliis delegare *ibi Cap. 8. stat. 38. qu. 4.* Res est maximi ponderis & consideranda.

6 Sed dubium ad propositum insurgit circa Apo-

Apostatas peculiare: an videlicet Procurator Generalis Ordinis, ille item Reformatorum Commissariusque generalis in Curia valeant his condonare pœnas propter Apostasiam etiam gravem debitas & in statutis assignatas, saltem pœnas easdem in pœnitentias salutares aliquas commutare? Cui dubio equidem responsio esse impromptu; nempe videtur prima facie quod possint, nam ab actu ad potentiam evidens est consequentia, cum igitur quisque Officialis ex adductis non semel de facto pœnas in statutis recensitas Apostatis cujuscumque gradus condonet, aut in leves pœnitentias salutares transmutet, non est denegandum quod valeant id adimplere. Verum super quo intentionem propriam sive potestatem exercitam revera fundant? super statutis: in generalibus siquidem Ordinis Cap. 2. §. 8. n. 25. fancitur; *Quod si ad Generales vel Romanæ Curiæ Officiales Apostatas recurrere contigerit; & ab eis puniri pœna illa pro sola Apostasia; & non pro aliis delictis intelligatur inflicta &c.* Hinc statutum sicut concedit quod possint Apostatæ ad Officiales Curiæ quæ & ad Generalem recurrere ab iisque puniri pro patrata Apostasia, ita sit liberum Officialibus pariter ac Generali Apostatis pœnas sibi benevisas imponere & statutarias permutare. Clarius tamen hujusmodi potestatem desumunt ex statutis Reformatorum *Cap. 2. tit. de Apostatis* ubi lingua vernacula. *Occorrendo che il Procurator generale delle Riforme abbia assoluto, e rimandi alcun Apostata alla sua Provincia, ciò s'intende delle sole pene dell'Apostasia, e non di altri delitti, che abbia commessi &c. n.* 18. Igitur potestas iisdem absolvendi a pœnis contra Apostatas taxatis indicatur perspicue atque supponitur. Additur quod Procuratores ipsi generales Apostatarum ordinarii judices asseruntur per Sanctorum juxta statuta Salmantic. & Vallisol. in Constitut. *dicto Cap. VIII. stat.* 38. *qu.* 2. causasque Apostasiæ jure ordinario ipsos judicare repetit ibi inferius *qu.* 4. *¶. Respondeo quarto*, idque confirmatur item per P. Ludovicum de Ameno in pract. crimin. *tit.* 1. loc. supra cit. Quamvis neuter istorum Doctorum moveat & resolvat quæsitum in terminis: an videlicet Officialibus hujusmodi in Curia Potestas condonandi & commutandi pœnas gravem licet committentibus Apostasiam revera competat? Advertit immo P. Lantusca in Theatr. Regularium V. *Apostata n.* 6. quod per Paulum fel. rec. V. in suo Brevi *Admonemus*; Superioribus nostri Ordinis imponitur, ne ad instantiam personarum quarumcumque extra Ordinem ullo pacto remittantur Apostatis aliisque delinquentibus pœnæ debitæ. Ad quem effectum adducit item *Urbani VIII. Constitutionem n.* 49. *tom.* 4. *pag.* 63. Unde autumarem ego in hisce casibus non currenti pede sed mature procedendum; eo vel magis attenta ratione quod absolutio simul & dispensatio circa pœnas & spirituales & temporales adhibenda est ut in plurimum cum Apostatis si remittantur pœnæ aut in leviores pœnitentias commutentur. At dispensatione sine motivo; videtur non posse aut debere tam faciliter uti Superiores, ut alibi in Dubit. V. Tom. I. dicebamus n. 19. pag. 54. & uberius replicabitur infra.

7 Hinc etiam opportune quæritur. An facultas ista absolvendi signanter & dispensandi in casibus Sedi Apostolicæ reservatis collata per jus commune vel per privilegia antedictis Regularibus Prælatis possit ab iisdem alteri delegari. Et quidem difficultas oritur specialis inspecto *Cap. liceat 6. sess. 24. Tridentini de Reform.* nam cum probatum sit Prælatos Regulares per suos subditos possidere potestatem quasi Episcopalem nempe illam quam præsefert Episcopus erga proprios, & hoc vigore signanter Constitutionis Sancti Pii V. *Romanus Pontifex* 21. Iunii 1507. Caput autem *Liceat* Tridentini det facultatem Episcopis absolvendi a reservatis & dispensandi super irregularitatibus inibi expressis vel per se ipsos vel per Vicarium ad id deputatum: Sed Constitut. Piana limitat eamdem Regularibus Prælatis absolvendi & dispensandi *per se ipsos* ut legenti liquet, apparet consequenter quod Prælati hujuscemodi nequeant facultatem sibi tributam in casu & *per se ipsos* exercendam alteri delegare quemadmodum Episcopis conceditur. Respondetur nihilominus absolute quod quæcumque facultas conceditur a jure sive per privilegium speciale Superioribus Regularibus tamquam Prælatis & jurisdictionem quasi Episcopalem erga proprios subditos possidentibus, intelligitur concessa semper cum facultate delegandi; nam conceditur iisdem ut Ordinariis per Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 24. *art.* 13. & 17. & *qu.* 61. *n.* 7. Tambur. *tom.* 2. *disp.* 17. *qu.* 3. Passerin. *Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 15. 16., & 17. Quantum igitur ad facultatem virtute Capitis *Liceat* Tridentini, Episcopis, ea declaratur competere eisdem Regularibus Prælatis vigore Constitutionis peculiaris Sancti Pii *Romanus Pontifex &c.* id tantummodo observandum

dum cadit per DD. pariter, quomodo Episcopis præscribatur quod possint eam delegare alteri specialiter deputato, unde ex vi officii non habeat illum delegatum sibi Vicarius Generalis: Sbroz de Offic. Vic. *lib.* 2. *qu.* 19. *n.* 2. aliique citati a Barbosa ad d.Cap. *Liceat n.*46.& de Offic.Episcopi *alleg.* 39. *n.* 10. Simili modo propterea Prælati Regulares qui valent exercere eamdem *per se ipsos* non prohibeantur tamen aliis illammet committere; quia habere jurisdictionem quasi Episcopalem etiam Prælati locales in Bullamet declarantor; nec apponitur in concessione aliqua dictio taxativa. Ex. gr. *per se ipsos tantum*. Verumtamen teneantur non nisi specialem delegationem & deputationem pro ea exercenda in casu alicui particulari tribuere, nec valeret aut sufficeret universalis delegatio alteri impertita in genere propriæ facultatis. Standum siquidem in expressa lege Tridentini ad instar cujus privilegium ipsimet consertur & competere declaratur per Bullam Pianam, sic signanter per Passerinum citatum *Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 17. vide infra n. 8. Insuper quoad hujusmodi delegationem statuta municipalia Religionum præscribentia usum privilegiorum attendi non nequeunt; ut satis innuimus n. 3. A fortiori privilegia in forma peculiari aliquibus Religionibus elargita, veluti Societati Jesu & Clericis Ministris infirmorum; pro quibus Societate videlicet Constitutio Pauli III. *Licet debitum* nec non Clericis relatis Gregorius XIV. *in sua Constit. n.* 17. §. 27. *declarant* quod Generalis habeat plenam potestatem absolvendi &c. & valeat eamdem ipsemet aliis in sua Religione deputatis vel deputandis conferre; patetque proinde quod Prelati alii inferiores inibi nisi eo modo quo sibi a Patre Generali committatur ac præscribatur illa uti queant, & ita per se nequeant illam delegare sicuti Superiores aliarum Religionum, ut optime notant Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 35. 36. 37. & 41. Passerin. *Cap. cit.* 26. *qu.* 5. *n.* 43. Sed de hoc infra n. 10. §. 1.

8 Pro complemento præmissi quæsiti de delegatione Potestatis in casu duo ulterius occurrunt examinanda. Primum; an quando a Superiore habente facultatem deputatur aliquis generaliter ad munus Pœnitentiarii censendus sit habere omnem facultatem absolvendi & dispensandi, quam habet delegans? Secundum; Vtrum omnem facultatem Superioris potentis delegare censeatur obtinuisse saltem ille cui Superior ipse ait. *Omnes facultates meas tibi confero*. Et ad primum respōdetur, quod Pœnitentiarius inter Regulares ex vi sui muneris tantummodo potest absolvere a casibus in propria Religione reservatis, nec non a censuris supposito quod in aliqua Religione vel Provincia per Capitulum Generale vel Provinciale casibus vel alicui ex casibus præscriptis censuræ etiam legitime reservatæ adnectantur. Quantum ad absolutionem a peccatis est incontroversum, eo quia ad id Pœnitentiarius ipse instituitur & deputatur vigore etiam præcepti expressi in Decreto Clementis VIII. de casuum reservatione ibi: *Quibus etiam* loquendo de Pœnitentiariis absolutio reservatorum committatur. De censuris etiam adnexis patet cum nullus Superior Regularis ex dictis dubit. præcedente *sect. iii. n.* 16. §. 1. ad beneplacitum suum censuras reservare queat. Sed regulare teneatur suam potestatem & jurisdictionem quoad censuras etiam juxta Decretum Clementis, uniformiter nempe ad reservationem casuum attenta declaratione *S. C.* 7. *Julii* 1617. ibi allegata; ideoque quoties conceditur Pœnitentiariis facultas absolvendi a reservatis casibus ad normam Clementini decreti, non potest non comprehendi in ea facultas absolvendi a censuris quatenus legitime casibus adnectantur. Et hoc loquendo de Pœnitentiariis absolute institutis absque limitatione in Conventibus respective; nam in confesso est posse alioquin Superiores Ordinarios quibus insit legitima potestas communicare peculiari Religioso facultatem absolvendi a casibus aliquibus reservatis pariter & a censuris sed non ab omnibus in statuto recensitis. Attamen difficultas ultro emergit, utrum ab his reservatis censuris valeat Pœnitentiarius absolvere extra Sacramentum Pœnitentiæ? Et respondetur probabiliter non posse, quia ex vi muneris proprii ad audiendas Confessiones & ad absolvendum in hujusmodi actu est deputatus, proinde illud in foro pœnitentiali tantum & non in foro contentioso aut foro conscientiæ extra Pœnitentiæ Sacramentum nequaquam exercere quibit, & licet ad idem pœnitentiale forum potestas data absolvendi a censuris non limitetur verbis explicitis, implicite tamen videtur id importare mens delegantis & ratio officii: juxta doctrinam Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 35. & *seq.* & Lezanæ *tom.* 3. *Verb. Absolutio n.* 6. dixi vero *probabiliter*, cum non careat æquali probabilitate sententia opposita, quoties ad forum pœnitentiale non fiat restri-

stricto aperta in concessione facultatis: ex eo quod absolutio a censuris separabilis est ab absolutione a peccatis, nec necessario exigit Confessionem Sacramentalem: propter quod quilibet Sacerdos approbatus Regularis, si possit virtute privilegiorum ab aliquibus absolvere censuris, proculdubio sibi competentem potestatem extra poenitentiale forum quod adimplere non quidem in contentioso foro, *sed in foro Conscientiae* sic appellato tenent. Abbas *in Cap. de his 6. n. 3. de accusat.* Praepsit. *in Cap. Praeterea 12. n. 5. de sponsal.* & alii Canonistae *in tit. de poenit. & remiss. &c.* Ex dictis autem colligitur quod nequaquam habeat potestatem Poenitentiariis ex vi facultatis generaliter sibi traditae seu commissi muneris absolvendi a casibus & censuris in communi tabella minime connumeratis; tanto minus dispensandi in irregularitatibus atque impedimentis Papae *specialiter* reservatis & specifice Superioribus sive Praelatis ab ipso Pontifice per privilegia collatam, nisi talis facultas eidem Poenitentiario specialiter etiam pro determinatis vicibus per Praelatos ipsosmet demandetur, eo quia reservatio in hisce pecnliaribus casibus sit longe altioris ordinis & expressiones requirat pecnliares ex regulis tritis *juris 28. & 81. in 6.* & approbat post Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. Cap. 22. n. 18.* Passerinus *d. Cap. 26. qu. 13. n. 130.* Sicut idem concludendum de facultate ex vi Tridentini *in Cap. Liceat 6. sess. 24. de Reform.* concessa Praelatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem respective per declarationem S. Pii V. in Constit. *Romanus Pontifex*, quod videlicet ut supra tetigimus, non intelligatur concessa in delegatione generali Poenitentiariis; cum exigat ex vi Tridentini ejusdem committi specialiter ad id deputatis: Passerinus *Cap. 26. qu. 4. n. 17.* Nisi sustineatur opinio quae pariter non potest negari probabilis, quod valeant quidem Praelati Regulares in casu, si attendatur facultas sibi tradita praecise per Tridentinum absolvere subditos a reservatis specialiter Papae in eodem *Cap. 6. expressis*; sed *per se ipsos*, ut praescribit eadem Bulla Sancti Pontificis & post Rodriguez Sorb. Sanchez docet Lezana *tom. 1. Cap. 18 n. 31. & 46.*

9 Ad secundum dubium respondeo explorandam atque interpretandam ex circumstantiis mentem delegantis; an intendat scilicet in concessione & delegatione facultatis, etiam casus Papae specialiter reservatos & suae jurisdictioni ut Praelatus est commissos comprehendi. Navarr. *in Sum. Cap. 27. n. 255.* Suarez de censur. *disp. 7. sect. 4. n. 13. & seq.* Quod si absolute proferat in deputando Poenitentiarium *Omnem meam facultatem & jurisdictionem in hoc munere tibi committo*: interpretandus est quidem ex vi absolutae delegationis communicare illam quoque absolvendi a censuris, a quibus ratione privilegii respicientis officium potest absolvere ipsemet qua Praelatus: ex eod. Suarez mox cit. & Portell. dub. Regul. *V. Casus reservati n. 4.* Potestatem tamen dispensandi in irregularitatibus, inhabilitatibus atque impedimentis &c. non interpretaretur delegare, nisi exprimeret, eo quia altioris Ordinis & magis Praelatitia sit hujusmodi secunda potestas & proinde in generali concessione verisimiliter non contineatur: juxta supra allegatam regulam juris 81. in 6. & doctrinam Passerini cit. *n.* 130. Quod si petenti facultatem dispensandi in aliqua irregularitate orta ex. gr. ex percussione mutua duorum Religiosorum responderet Praelatus: *tibi committo totam facultatem meam*; nil aliud requireretur ad hoc ut intelligeretur commissa facultas etiam dispensandi; posset namque Praelatus committere qua Ordinarius (praescindendo etiam a *Cap. liceat* & a Bulla Piana ut infra) & de facto se illam committere declararet, cum advertentia tamen, quod concessio respiceret illum dumtaxat casum pro quo petitio fieret; licet in tota amplitudine pronuntiaretur & in terminis generalibus, strictae enim interpretationi subjaceret nonnisi relative ad occurrentem necessitatem facultas in generali deputatione non comprehensa. Cap. *Cum in ordine de rescript.* Cap. *Tria de sponsal.* Card. Tusch. *tom. 8. lit. V. concl. 89. n. 3.* Nisi Praelatus adderet. *Tribuo tibi totam facultatem meam in hoc, ac in omnibus aliis occurrentibus casibus* tum absolvendi tum dispensandi, diversus namque & amplior sensus habetur in hac secunda concessione ac in prima; ne velimus asserere superaddita verba nil prorsus significare: contra doctrinam communem apud Barbosam axiom. *222. n. 13. seq.* Verum enim vero hujusmodi Delegatio generalis & si possibilis foret ratione cujusquam privilegii inferius adducendi, neque est in usu, neque esset aequa: nisi in eadem Provincia ratione vastitatis aliquis Provincialis Superior substitueret Commissarium absolutum quoad unam partem aut Regionem dissitam ut contingere non una vice affirmat Passerinus loc. cit. An vero Poenitentiario com-

committere possit potestatem absolvendi pro utroque foro, interno videlicet & externo, & eam committere intelligatur principalis Prælatus sive Superior, cui potestas hujusmodi jure ordinario competit, quoties absolute & sine limitatione facultatem ipsam absolvendi de facto illi tribuat. Et an in eo casu absolutio collata in foro pœnitentiali etiam pro contentioso valere queat? Totum videtur concedere Passerinus legendus de elect. can. *Cap. 26. qu. 9. n. 102. & qu. 10. fusius.* Sed quantum ad hoc opportunior occurret sermo.

10 Redenndo nunc ad principalem controversiam quantum ad potestatem absolvendi & dispensandi Prælatis Regularibus conpetentem addendum est, quod valeant non tantum Regulares Prælati absolvere proprios subditos ab omnibus occultis criminibus quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis & dispensare cum eis in occultis etiam impedimentis quibuslibet propter relatam rationem, quia potiuntur potestate serv. pariformiter servan. eadem quæ competit Episcopis vigore *Cap. Liceat* Tridentini *sect. 24. de reform.* Sed esto ex hoc capite potestas hujusmodi in eis impugnaretur aut diminuta prætenderetur, addendum est inquam, quod insuper evidenter constat, hanc ipsam iisdem competere vigore privilegiorum amplissimorum a Summis Pontificibus emanatorum; itaut a quibusvis censuris & in quibuslibet pœnis quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis valeant Regulares dicti Prælati suos absolvere subditos & cum eis dispensare, quamvis de dispensatione specialiter differemus inferius *sect. iii.* nisi quatenus reservatio afficiat expresse etiam Regulares vel revocatio privilegiorum in subjecta materia aperte relevet aut clare deducatur. Hæc autem superaddita thesis evidenter demonstratur ex ostensione privilegiorum, quæ concessa habentur quantum ad absolutionem & dispensationem in proposito Prædicatoribus a Gregorio IX. in Bulla *Virtute conspicuos*. In Bulla Clementis IV. item *Virtute conspicuos* Minoribus in Mari magno duplici Sixti IV. incipien. *Regimini*, pro Prædicatoribus §. 14. & 15. & pro Minoribus §. 12. 13. & 40. Augustinensibus in Mari magno pariter ejusdem Sixti *Dum fructus uberes* §. 43. & 44. Carmelitis item per Sixtum ipsummet in Mari magno. *Dum attenta* §. 62. 63. Servitis etiam per Innocentium VIII. in Mari magno. *Apostolica Sedis* §. 35. & 36. Minimis quoque a Julio II. in Bulla Maris magni. *Virtute conspicuos* a n. 29. ad 38. Atque in ampliori fortasse forma Patribus Societatis Jesu per Paulum III. in Motu proprio. *Licet debitum* nec non per Julium III. & Gregorium XIII. ut in privil. Societ. V. *Absolutio* Ministris item infirmorum per Gregorium XIV. Sicuti amplissimum privilegium concessum legitur in hac materia per Sanctum Pium Monachis Cassinensibus *in Constit. 129. Dum ad Congregationem*, omniaque & singula inspici possunt apud Lezanam *tom. 1. Cap. 18. a n. 31.* & latius *tom. 5.* in Bullis ibi recensitis & expositis: Peyrin. *tom. 1. privileg. Constit. 2.* Julii II. & Passerin. de elect. Canon. *Cap. 26. qu. 5. per tot.* Ulterius quod privilegia eadem communicentur ad invicem inter Regulares taliter ut concessa uni Ordini quatenus magis ampliarentur quantum ad absolvendum & dispensandum in reservatis, competant aliis Ordinibus proinde ac si unicuique horum in terminis concessa legerentur, jam satis probavimus *in dubit. xiv. sect. i.* proinde non est opus hic inutili repetitione.

§. I. Replicamus tamen breviter, quod cum aliquibus Religionibus non pro omnibus Prælatis subjective concedatur potestas ampla licet objective absolvendi & dispensandi super reservata Sedi Apostolicæ; sed cum limitatione ad Prælatos seu Præpositos tantum Generales, a quibus postea secundum eorum judicium possit aliis inferioribus videlicet Provincialibus Rectoribus Superioribusve localibus impertiri & delegari, ut in Const. Pauli III. & Julii III. pro Societate Jesu nec non Gregorii XIV. pro Ministris infirmorum referente inter alios Passerino *d. qu. 5. n. 47.* eodem prorsus pacto a communicantibus participetur. nimirum nonnisi quantum ad Generales non autem ab aliis Superioribus subalternis per se primo, ita ut vigore talis communicationis non modo nequeant Superiores subalterni facultatem in casu aliis delegare ut *n. 7.* cautum est, sed neque ipsi illam participent per se, nisi quatenus a Generalibus ad horum placitum sibi demandetur, ex animadversis per Lezanam signanter *Cap. 18. n. 41.* necnon Passerinum de elect. *Cap. 26. qu. 5. n. 43.* Super hoc tamen distinctius agemus in hac eadem dubitatione *sect. iii. n. 76. ultimo* E' contra vero addimus ad propositum, quod cum in aliis Religionibus hujusmodi concessio sive privilegium absolvendi; &c. extendatur ad Superiores cœteros videlicet, præterquam ad Generales & Provinciales Vicariosque eorum

ad Priores etiam locales horumque Vicemgerentes, ut in Bulla Gregorii IX. confirmatam per Mare magnum a Sixto IV. pro Prædicatoribus & in alia S. Pii V. pro Monachis Cassinensibus *Dum ad Congregationem*, ad omnes Abbates nempe & Prælatos respectivos ejusdem Congregationis quapropter non remaneat dubitationi locus, quod qui in tali privilegio communicant Regulares, eo possunt uti in eadem forma cum extensione videlicet ad Superiores locales Conventuum distinctorum eorumque gerentes vices seu Vicarios in capite, ficuti explanatum est superius *n.* 4. ex Passerin. cit. *Cap.* 26. *q.* 5. *n.* 42. & uti expresse habetur in Bulla Julii II. *Alias &c.* apud Reinffestuel tit. de privil. §. 3. *n.* 59. In supposition ne tamen, quatenus non obstent statuta propriæ Religionis respective auctoritate Apostolica munita, quæ scilicet expresse limitent privilegiorum usum pro communi ejusdem Religionis bono ad unam vel alteram Superiorum speciem, prout limitare revera queunt: ex jam dictis & alias dicendis. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 56. Passerin. eod. *Cap.* 26. *qu.* 14. *n.* 132. *seq.* Anaclet. Reinffest. loc. cit. de privileg. *n.* 199. *seq.* §. 11. Nec reticendum pro tollendis difficultatibus, quod quamvis facultas concessa per Gregorium IX. Prædicatoribus extensive ad Provinciales Priores & eorum gerentes vices sit restricta, postmodum per Sixtum eumdem ad Magistrum generalem pro iisdem Prædicatoribus ad solum Ministrum generalem pro Minoribus in una Bulla aurea pro utroque Ordine sic nuncupata, 7. Cal. Aug. 1479. restrictio tamen hæc invenitur sublata & prior concessio renovata deinde in duabus Bullis per modum Brevis, quas refert Rodriguez in Bullario ad Constit: Sixti IV. 21. & 22. Ultraquamquod, militare pro extensione facultatis in casu ad Superiores locales privilegia concessa in eorum Mari Magno Eremitis Sancti Augustini, Carmelitis, & Minimis afferit laudatus Lezana *tom.* 5. ad dictam Bullam auream §. 6. Sed revera, si perlegantur in fonte hæc Maris Magni singula privilegia, pro Eremitis Sancti Augustini & Carmelitis, extenduntur in casu de quo agitur ultra Generales, ad Provinciales dumtaxat, & pro Minimis præcise ampliata legitur a Julio II. dicta facultas ad Correctores, eorumque Vicemgerentes, ut apud eumdem Auctorem *tom.* 5. ad Mare Magnum Minimorum *n.* 28. quod quidem sufficit, ad hoc ut communicetur privilegium Superioribus aliarum Religionum etiam localibus, ficuti & illud concessum a S. Pio singulis Abbatibus Monasteriorum Cassinensibus non est dubium, quod cœteris Superioribus Conventuum per se communicetur, nisi aliunde ut re, plicatum est obveniat resistentia.

SECTIO II.

Expenduntur casus, de quibus est specialis ratio quod non cadant sub potestate absolutiva Prælati Regularis.

SUMMARIUM.

11 *Difficultas potissima an possint Prælati Regulares absolvere subditos a casibus reservatis in Bulla Cœnæ. Et adducuntur privilegia pro parte affirmativa tamen non sine exceptionibus.*

12 *Adducitur quoad hoc Bulla in terminis Julii II. cum exceptione casus peculiaris: atque privilegium duplex amplum unum concessum Monachis Cassinensibus alterum Generali Præposito Societatis Jesu.*

13 *Hæc potestas in Prælatis Regularibus erga proprios subditos non est abrogata per Tridentinum;*

14 *Sublata prætenditur potestas hujusmodi per ipsammet Bullam Cœnæ quot annis renovari solitam, derogantem omnibus & quibuscumque privilegiis, additis aliis Bullis & decretis.*

15 *Hoc non obstante, quod potestas dicta respectu subditorum vigeat adhuc in Prælatis Regularibus sustinens Doctores æqualis numeri & ponderis Bullasq. afferunt & rationes, & opinantibus in contrarium respondent.*

16 *Fortius urget Passerinus contra sententiam affirmativam adducens celebrem Constitutionem Urbani VIII. at respondens ei Doctores potestatem Prælatorum Regularium sustinentes.*

17 *Aliæ rationes adducuntur pro Prælatis iisdem a sustinentibus sententiam affirmativam, quantum ad horum potestatem in casu.*

18 *Si sustineatur sententia affirmativa, assignantur cautelæ & necessariæ exceptiones.*

19 *Quæritur dehinc circa casus expositos in Decreto S. C. sub Clemente VIII. An Prælati Regulares possint ab his absolvere subditos. Et videntur posse quoad forum conscientiæ.*

20 *Expenduntur singuli dicti casus & per prius violatio immunitatis, a qua possunt absolvere Prælati Regulares in foro conscientiæ; nullatenus in foro fori.*

21 *Non violatur immunitas, si subditus Regula-*

laris extrahatur ab Ecclesia ob meram correctionem, & concilientur decreta.

22. *De violatione Clausuræ Monialium remissive. Plura quoque præsupponuntur quantum ad injectionem violentem manus in Clericos: a quo possunt Regulares Prælati suos absolvere subditos.*

23 *Valent Prælati in casu absolvere subditos a percussione Clerici levi mediocri & enormi & evincitur Monacellus.*

24 *Quid sentiendum; si percusserint se ad invicem Superior & Sacerdos qui soli remanserint in Conventu?*

25 *Quid pariter; si Religiosus unius Ordinis percutiat alium Ordinis alterius? Major difficultas; si Regularis percuteret Clericum sæcularem, an ab Episcopo deberet absolvi. Ubi plura de satisfactione danda Episcopo.*

26 *Respondetur Patri Matteucci sustinenti nequire Prælatos Regulares absolvere subditos percutientes Clericum Sæcularem. Solvuntur rationes & explicantur textus: aliaque enucleantur dubia.*

27 *An Regulares possint absolvere a percussione levi Clerici Sæcularis ubi plura remissive & explicatur Constitutio Clementis VIII.* Quæcumque §. Un.

28 *De aliis tribus casibus expositis in Decreto Clementis VIII. remissive. Proponitur quæsitum an valeant Regulares Prælati absolvere subditos ab abortu fœtus animati. Ubi refertur Constitutio Syxti V. & moderatio Gregorii XIV.*

29 *Reprobatur opinio; quod valeant Regulares absolvere ab abortu fœtus animati sæculares.*

30 *Examinetur diligentius hic casus in sui reservatione, plura remissive.*

31 *Expenduntur aliæ censuræ specialiter reservatæ a quibus tamen autumant Doctores posse per Prælatos Regulares proprios absolvi subditos.*

32 *Examinanda est qualitas reservationis cum clausulis præpositis censura vel alterius pœna in adductis & adducendis casibus; ut deprehendamus a quibus possint absolvi.*

33 *Prohibetur recursus ad Tribunalia sæcularia in causis spectantibus ad Ordinem. Et an prohibitio comprehendat recursus ad Tribunalia Ecclesiastica?*

34 *Casus iste recursus ad Tribunalia Sæcularia &c. reducitur ad Bullam Cœnæ & potest ita reservari in aliqua Religione per Sanctiones Apostolicas ut a solo Pontifice absolvi possit, & Sanctiones in casu nequaquam ad cæteras Religiones extenderentur contra Sanctorum.*

35 *Recursus hujusmodi ad Tribunalia Sæcularia in Religione Minorum per Prælatos ejusdem non potest absolvi: attenta Constitutione Gregorii* XIII. Quoniam nostra *additis statutis generalibus ipsam acceptantibus.*

36 *In hoc casu reservatio cadit super excommunicationem non super alias pœnas; item non percutis consultores & fautores; afficit tamen recurrentes; licet repellerentur, aliaque observantur hac occasione.*

37 *Statutum aliud contra recurrentes sub prætextu injustitiæ passæ vel pro consilio ut auxilio adducitur cum sententia Patris Sanctori & Patris de Ameno.*

38 *Non admittitur doctrina Patris de Amene in ullo casu cum resistat omnimode Bulla Gregorii, quæ extenditur ad cæteras Religiones. Salvatur tamen recursus quandoque pro consilio petendo.*

39 *Recursus ad Tribunalia Sæcularia pro implorando auxilio omnino reprobatur atque interdicitur Fratribus Minoribus signanter etiam in casu injustitiæ & oppressionis.*

40 *Viget statutum pariter apud Minoritas prohibens recursum extra Religionem ad Ecclesiasticos signanter Episcopos: quod explicatur. Regula item pro absolutione.*

41 *Recursus inde improbatur a Religiosis ad Sæculares pro favoribus obtinendis; & non obstante quod in Religionibus pluribus casus hujusmodi soli Pontifici reservetur. An possit absolvi a Prælatis respective vel Pœnitentiariis.*

42 *Tangitur de Prælatis & Superioribus conferentibus beneficia promoventibus ad dignitates & concedentibus gratias intuitu favorum & instantiarum a Sæcularibus & recursibus de pœnis ipsis etiam inflictis quæ Religiosas personas dumtaxat afficiant.*

43 *Fratribus Minoribus interdicitur tum Superioribus concedere tum subditis procurare & obtinere mediis recursibus & favoribus dignitates officia & gratias per speciales Constitutiones signanter Urbani VIII. sub excommunicatione ipso facto incurrenda quæ omnia confirmat* Benedictus XIV. *in Constitutione* Sacrosancti *quæ iterum explicatur.*

44 *Consideratur ultro potestas absolutiva Prælati Regularis super suspensionem vel ut censuram vel ut pœnam quatenus subditos ligat, & breviter resolvuntur casus.*

45 *De interdicto pariter cum distinctione concluditur quoties & qualiter ab eo possit absolvere subditos Prælatus Regularis.*

46 *Replicantur distinctius regulæ generales ad dignoscendam potestatem Prælati Regularis absolvendi subditos a reservatis per Summum Pontificem aut Ordinarium tum*

in foro conscientia tum in foro fori. Adducitur & explicatur Sanctorui.

47 *Censura imposita vel lata à Prælatis Regularibus Superioris Ordinis an & quomodo possint absolvi ab inferioribus.*

48 *Enucleantur dubia quantum ad censuras latas ab æquali; an possint per Prælatum æqualem absolvi inter Regulares. Similiter delatis à Prælato inferiori; an & quomodo super ipsas potestatem habeat Superior altioris Ordinis.*

49 *Etiam inter Religiosos in absolvendo à censuris debet servari conditio sive clausula* satisfacta parte. *Quæ clausula si non adimpleatur an sit valida absolutio. Quænam censenda sit pars?*

50 *Afferuntur statuta peculiaria pro Minoritis in subjecta materia. Et primo contra inferiores alterantes & remittentes pœnas per consequens censuras latas à Superioribus. Circa pœnas item ab inferioribus Judicibus latas an possint remitti per Superiores Prælatos. Ubi plura observanda.*

51 *Ostenditur item facultas absolvendi à casibus reservatis quomodo insit Guardianis aliisque Superioribus localibus Ordinis Minorum. Et quæritur an possint hi subdelegare ad casus particulares. Idemque de Pœnitentiariis.*

11 Porro hæc privilegia ampla adeo primo visa observandi & dispensandi respectu subditorum Prælatis Regularibus elargita patiuntur revera exceptiones aliquas ita ut possint dari, immo dentur casus taliter excepti & reservati ipsimet Sanctæ Apostolicæ Sedi, quod sit opus cuilibet etiam Regulari pro absolutione ab iis ipsam immediate adire aut implorare: sicut & irregularitates atque impedimēta oriri queant ut examinabimus in Sect. sequenti III. super quibus nullatenus a propriis Prælatis dispensari possint subditi Religiosi. De potestate itaque absolutiva primitus inquirentes examinabimus de facto; an se extendat vel non ad aliquos magis prohibitos casus & ad adnexas censuras, itaut sufficiat subdito Regulari ad proprium recurrere respective Prælatum absque necessitate absolutionem petendi a Sancta ipsa Sede, prout ratio specialis videtur urgere & experientia docet quantum ad reliquos Christifideles. Et primo obvenit dubium super absolutione a casibus Bullæ *Coenę*; seu in Bulla *Coenę* sic nuncapata contentos, signanter quantum ad hæresim; cui profecto quivis de privilegiis Regularium instructus respondere non nequit relative ad eadem primo visu *affirmative*, cum claris verbis exprimatur in iis facultas de facto concessa Prælatis respective Regularibus absolvendi proprios subditos a casibus seu censuris fere omnibus in Bulla *Coenę Domini* reservatis ac etiam ab hæresi. Patet hæc ipsa facultas in privilegio Sixti IV. Maris Magni pro Prædicatoribus & Minoribus dato sub iisdem anno & die scilicet an. 1474. pridie Cal. Septembris in Bulla 6. & 7. Bullar. *tom.* 1. & apud Lezanam in Bulla 1. & 2. *tom.* 5. Quod jam pridem elargitum fuerat Prædicatoribus per Gregorium XI. in Bulla *Virtute conspicuos*, necnon Martinum V. Clementem IV. Eugenium pariter IV. in Bulla *Licet debitum* Fratribus Minoribus; Minoribus quidem pro Generalibus Provincialibus eorumque Vicariis, Prædicatoribus autem extensive ad Priores Conventuales: juxta doctrinam superius traditam n. 2. Porro facultas in casu per verba sequentia sic recensetur in Bullis = *Impertiendi beneficium absolutionis & dispensationis propriis subditis aliisque Fratribus ad se declinantibus absolutione & dispensatione indigentibus in casibus, in quibus excesserint pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrerint sententias a jure vel a Judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Divina Officia celebrantes vel suscipientes Ordines sic ligati notam irregularitatis incurrerint*. In Mari Magno Prædicatorum apud Lezanam *tom.* 5. §. 14. & 41. atque alterum Minorum §. 12. 13. & 40. quod repetitum legitur in Mari Magno pariter Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, Servitarum & Minimorum; ut videre est apud laudatum Lezanam in dicto *tom.* 5. in propriis eorum Bullis, qui eruditus Auctor opportune advertit in Mari Magno Eremitarum specialiter ampliari facultatem absolvendi etiam a poenis quas Religiosi propter excessus patratos incurrissent, ex hoc deducens posse prælatos Regulares relaxare in sibi subditis privationes inhabilitationes ad Officia &c. ibi sub §. 43. & 44. *n.* 124.

§. Un. Excipiuntur tamen in iisimet Bullis casus quatuor cum censuris appositis a quibus Prælati Regulares nullatenus valent subditos absolvere; nempe *Hæresis cum relapsu; schisma; falsificatio litterarum Apostolicarum; & delatio prohibitorum ad infideles*; Sicut & Potestas subditur ibi dispensandi in irregularitatibus cum exceptione illarum, super quibus illam non possident Regulares ipsi Prælati. Sed de iis

quæ

quæ dispensationes concernunt post expleam potestatem absolvendi differemus latius & distinctius in sectione tota subsequenti tertia. Sicut etiam ibi animadversio occurret specialis pro Novitiis. Ex his itaque ad propositum constat, quod cum exceptio firmet regulam in contrarium virtute ejusdem repetiti privilegii, impertita vigeat per Apostolicam Sedem Prælatis respective Religionum facultas de qua agitur absolvendi subditos ab omnibus casibus & censuris quantumvis reservatis indeffinite, ac etiam ab hæresi: exceptis quatuor mox enumeratis casibus, inter quos excipitur hæresis quidem, *sed cum relapsu*: Quid vero intelligatur hæresis cum relapsu explicant Doctores, videlicet, quod hæretici relapsi censeantur illi qui vel primo abjurarunt hæresim formalem & postea inciderunt in vehementem suspicionem, vel qui primo abjurarunt de vehementi & postea inciderunt in hæresim formalem, vel qui primo abjurarunt unam vel plures species hæresis, & postea in eas reinciderunt. Ita cum aliis a se relatis Corona de Offic. S. Inquisit. *part. 1. tit. 2.* §. 5. Rupertus autem Guecher refert respondisse Cardinales per relapsos in hæresim non intelligi omnes illos, qui lapsi in hæresim post eam abjectam iterum in hæresim reincidunt, sed illos tantum qui post hæresim coram Judice competente abjurata rursus in hæresim relabuntur. *Ita in tract. iii. disp. i. sect. V. n. 15. pag.* 593. Cum pariter aliqua ex his privilegiis absolute concessa non distinguant inter casus publicos & occultos seu inter forum conscientiæ & contentiosum, quod videantur propterea & occultos & publicos casus unum & alterum forum comprehendere, cum Rodriguez & aliis citatis resolvunt Bordonus *tom. 2. resol.* 13. *n.* 14. Peyrin. de privil. *ad Constit. vi. Julii II. n.* 21. & probat Lezana *tom. 3. V. Absolutio n. 6.* nec non *tom.* 5. ad Mare Magnum Minorum *n.* 112. allegans decisionem Rotæ in hac causa inter decisiones Putei *n.* 90. verum inspiciendæ sunt exceptiones inferius dandæ *n.* 18. sub initio.

12 Sed exprimit specialiter casus etiam in Bulla *Cœnæ* contentos Julius II. declarans præfatum Sixti IV. privilegium in Bulla *Exponi Nobis sub die* 27. *Februarii* 1510. ibi enim proposito dubio, an in eodem privilegio Sixti Prælatis antedictis concesso comprehendatur facultas absolvendi proprios subditos a casibus contentis in mox dicta Bulla *Cœnæ*? Resolvit & decernit partem affirmativam, nimirum posse Prælatos in casu absolvere ac dispensare subditos, ad tollendam illis omnem vagandi prætextum & occasionem *perinde ac si prædicta Bulla in Cœna Domini non esset facta, nec fieret*, ut ibi apud Rodriguez in Bullario *pag.* 273. Passerin. de elect. Can. *Cap.* 26. *qu.* 5. *num.* 48. & fusius apud Felicem potestatem *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 339. Excipit tamen Julius II. in allegata declaratione quatuor casus quos exceperat Sixtus additque quintum, videlicet, *Conspirationem in Romanum Pontificem*. Ideoque sistendo etiam in Bulla ejusdem Pontificis pro his quinque casibus esset ad Sanctam Sedem recurrendum nec Prælati Regulares possent absolvere ab eis proprios subditos, nisi privilegia quantum ad hoc successu temporis per alios Summos Pontifices sint ampliata.

§. Un. At de facto ampliata adhuc afferuntur ab hujus sententiæ propugnatoribus per alia duo successiva, quæ adducunt privilegia quæ citavimus & nos in fine sectionis præcedentis *n.* 10. *ante* §. *i.* Unum quidem concessum a Sancto Pio V. Monachis Cassinens. 15. Julii 1571. in Bulla incipien. *Dum ad Congregationem* tom. 2. Bullar. Abbatibus nempe & Prælatis dicti Ordinis absolvendi a quibuscumque casibus etiam publicis pro utroque foro licet in Bulla *Cœnæ* contentis: exceptis tantum homicidio voluntario injusto & mutilatione commissis post ingressum in Religionem, sicuti homicidium commissum ante ingressum limitat Sanctus Pontifex quod possit absolvi tantum in foro conscientiæ: Passerin. *qu. d.* 5. *n.* 46. Additurque in eadem Bulla facultas reintegrandi rehabilitandi impeditos irregulares infames, ut distinctius sect. sequenti. Quo privilegio per consequens videntur frui alii Regulares propter probatam alibi communicationem inter ipsos, ex iis quæ tradit in terminis Hieronymus Rodriguez in Compend. *resol.* 116. & latius Reiffenstuel tit. de privileg. ob allegatam Constitutionem Clementis VIII. perpendendum ibi *n.* 56. Affertur insuper privilegium ampliativum Gregorii XIII. 18. *Martii* 1584. relatum a Passerino signanter *qu.* 5. *cit. n.* 49. & Felic. Potest. ubi supra *n.* 3395. per quod idem Pontifex tribuit facultatem Præposito Generali Societatis Jesu per se vel a se deputatos absolvendi aut quatenus opus sit in foro conscientiæ dispensandi (de dispensatione in sect. seq.) ab omnibus excessibus etiam *ab hæresi cum relapsu*. Additque P. Suarez per Passerinum allegatus Gregorium ipsummet XIII. expresse concessisse Societati ut ejus facul-

cultates nullatenus per Bullam *Cœnæ Domini* censerentur revocatæ, quod habetur pariter in Compendio privileg. Societatis ejusdem V. *Absolutio* §. 6. & 9. & V. *Bulla Cœnæ* §. 2. Hæc omnia adducit quoque D. Rupertus Gueber Lateranen. Canonicus in lib. de privileg. *tract. iii. disput.* 1. *sect. iv. & v.* De potestate Prælatorum Regularium absolvendi subditos a reservatis in Bulla *Cœnæ* differens, & pro sententia affirmative concludens *sect. iv.* & inde specialiter probans iisdem inesse ejusmodi facultatem absolvēdi ab hæresi etiam cum relapsu *n.* 57. & 58. cum coacervatis Doctoribus quos non opportet hic replicare. At licet amplissimum hoc privilegium absolvendi ab omnibus excessibus etiam ab hæresi cum relapsu a se aliquando abdicaverit Pater Generalis Jesuitarum teste Tamburino *tom.* 2. *lib.* 5. *Cap.* 11. §. 1. *n.* 17. Prætendunt ultro Auctores, quod abdicatio in casu quatenus vera sit aliis communicantibus in privilegiis minime noceat: Turrian. de privil. ex Panorm. *in Cap. Cum accessissent* Bordon. *tom.* 2. *resol.* 52. *n.* 96. Pelizar. *tr.* 8. *Cap.* 1. *n.* 54. cum aliis per hos allegatis, necnon Reinffestuel cit. de privileg. *n.* 69. super hoc autem articulo pariter erit diligentius examen in fine dubitationis hujusce *sect. iii. n. ultimo.* Hæc sunt revera potiora & clariora privilegia afferenda in favorem Regularium pro Prælatis ad absolvendos proprios subditos a casibus etiam in Bulla *Cœnæ* reservatis. Quod si alia proferantur vel non plene authentica vel minus ampla consideranti pro certo apparebunt: ut observat diligens Passerinus *d. Cap.* 26. *qu.* 5. *n.* 50.

53 His distincte traditis quoad privilegia absolvendi a casibus contentis in Bulla *Cœnæ* ardua examinanda remanet difficultas; an videlicet eadem privilegia fuerint deinceps abrogata, ut contendunt contrariæ sententiæ defensores, potestatem per consequens absolutionum in Prælatis Regularibus hujusmodi denegantes. Et quidem patet primo non esse abrogata privilegia in casu per Tridentinum, cum per idem Concilium immo appareant confirmata *in Cap. repetito* 6. *sect.* 24. *de reform.* ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi ab omnibus casibus censuris & dispensandi in irregularitatibus occultis quantumvis S. Sedi specialiter reservatis, quatenus enim hæc potestas non obstante Bulla *Cœnæ* adhuc in Episcopis vigeat, prætenditur a Regularibus Prælatis habentibus magis & minus quasi Episcopalem iurisdictionem quod etiam in se ipsis erga proprios subditos firma maneat: jux ta doctrinam communiter acceptam attenta signanter declaratione super hoc Sancti Pii V. pro Ordine Prædicatorum in Bulla *Romanus Pontifex* sub die 21. Julii 1571. uti probavimus in antecedente sectione *n.* 1. *in fin.* Quod si Concilium ipsum in dictæ sessionis capite non amplius militet quoad hoc pro Episcopis, ut probabilior sententia docet, eo quia Bulla *Cœnæ* expresse derogat quantum ad facultatem absolvendi a casibus in ea contentis privilegiis omnibus etiam per Canones & Concilia concessis, ut in fine ejusdem Bullæ: ibi = *Nullus per alium quam per Romanum Pontificem &c. absolvi possit &c. etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum per nos & dictam Sedem ac cujusvis Concilii decreta concessorum aut concedendorum.* Cum sufficiat derogare Conciliis in genere, ad hoc ut includatur etiam Tridentinum, de quo non est necessaria specialis & individua mentio: juxta Motum proprium S. Pii V. apud Garziam de benefic. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 33. & doctrinam Passerini *qu.* 4. *n.* 36. 37. & 38. *cap. sæpius cit.* 26. Attentis immo declarationibus S. C. Sancti Officii adductis per Felicem Potest. *tom.* 2. *part.* 4. *cap.* 5. *a n.* 3335. ut nos etiam alibi tetigimus; quamvis fiet inquam hujusmet derogatio facultatis jampridem per Concilium impertitæ in eodem *Cap.* 6. *sess.* 24. habetur saltem quod vigore Concilii non sit sublata Prælatis Regularibus potestas absolvendi suos subditos a casibus contentis in Bulla *Cœnæ*; dum nisi Concilio derogaretur vi illius immo Prælati iidem automarent quoad casus saltem occultos ipsammet facultatem erga proprios subditos possidere.

54 Minime ergo refragante in contrarium Tridentino inquiramus aptius, an revera sit sublata hęc eadem facultas absolvendi proprios subditos a casibus in Bulla *Cœnæ* contentis per ipsammet Bullam *Cœnæ* quotannis publicari solitam & subsequentes alias declarationes. Et sane in Bulla *Cœnæ* per Urbanum VIII. & alios Summos Pontifices deinceps promulgata omnibus privilegiis quibusvis Regularibus cuicumque Religioni concessis quoad hanc facultatem perspicue derogatur: ibi = *Nullus absolvi possit per alium, nisi per Romanum Pontificem etiam prætexta quarumvis facultatum & indultorum quibusvis personis Ecclesiasticis &c. quorumvis Ordinum etiam Mendicantium & militiarum Regularibus ipsisque Ordinibus & eorum Monasteriis Conventibus &c. in genere & in specie concessorum & innovatorum, ac concedendorum aut*

aut innovandorum. Prout aliæ Constitutiones primas declarantes & confirmantes præfatam derogationem jamdudum antiquiori tempore emanatæ quoad Regulares, signanter Sancti Pii V. videlicet & Gregorii XIII. citantur apud Barbosam de Offic. Episc. allegat. 40. n. 24. licet celebris inter cæteras & notanda signanter mox allegata literaliter Urbani VIII. *Cum sicut sub die v. Decembris* 1632. Decreta insuper plurima Sacrarum Congregationum supremæ Inquisitionis ac Episcorum & Regul. Summis Pontificibus approbantibus hoc unum urgentia non desunt. Ex quibus omnibus facultatem controversam Prælatis dictis Regularibus etiam erga proprios subditos non amplius inesse, nec vigere deducunt, immo acriter contendunt Auctores fere innumeri quos referre nimis foret prolixum: apud Tamburin. *tom. 2. disput.* 14. *qu.* 15. *n.* 3. Dianam *part.* 1. *tr.* 5. *resol.* 6. & alibi pluries nec non Dominicum Vinc. *ad propos.* 4. ab Alexandr. VII. damnatam La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1622. *&c.* Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 38. & alibi, sed fusius apud Passerinum *Cap.* 26. *qu.* 6. *per tot. signanter n.* 61.

25 Cæterum priorem sententiam; videlicet quod adhuc vigeat in Prælatis Regularibus facultas absolvendi suos subditos a casibus & censuris in Bulla *Cœna* reservatis sustinere non desinunt Auctores æqualis numeri & ponderis: ob rationem jugiter relevantem nulli injuriosam & spirituali profectui consonam, nimirum ad tollendas ipsorummet Regularium evagationes & eorum quieti consulendum *ex Cap. cum illorum de sent. excom.* Attentis potissimum Constitutionibus præallegatis *n.* 11. *&* 12. illa signanter Julii II. declarantis expresse, quod respectu suorum subditorum Prælati Ordinis Prædicatorum consequenter alii per communicationem eamdem absolvendi ac dispensandi facultatem retinent perinde ac *prædicta Bulla in Cœna Domini non esset facta nec fieret*, exceptis tamen quinque casibus supra recensitis apud Rodriguez in Bullar. pag. 273. nec non alia S. Pii V. pro Cassinensibus in qua specificantur item casus in Bulla *Cœna* contenti: ibi *Etiamsi de casibus reservatis Sedi Apostolicæ vel de comprehensis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini singulis annis legi consuevit, fuerint* cum amplissimis derogatoriis apud d. Passerinum Cap. 26. qu. 5. n. 46. Ita cum Rodriguez, Suarez, Coriolano, Peyrino, Bannez, Turano, Candido, Bordono, Filinccio, Bossio, Amandol. Hasben. Sanctor. de Melph. Ant. a Spiritu Sancto in direct. Regul. *tr.* 1. *disp.* 1. *sect.* 1. *per tot.* Donatus præcipue qui rem doctissime tractat & resolvit *tom.* 1. *part.* 1. *tr.* 13. *qu.* 17. *& tom.* 2. *tr.* 11. *qu.* 17. *&* 18. Felix Poteft. *tom.* 1. *part.* 4. *Cap.* 5. *a n.* 3375. Rupertus Gueber prius cit. n. 12. inter cœteros afferens distinctas Constitutiones Summorum Pontificum pro Canonicis Lateranensibus &c. Cistercieusibus Camaldulensibus ultro supra citatis pro aliis *tract.* III. *disp.* 1. *sect.* 1. *n.* 40. sicut innumeros citat & ipse Auctores *n. præcedenti ibi* 39. Quamvis inopportune alleget Benedicti clar. mem. XIII. quæ incipit *Pretiosus* 7. *Calen. Julii an.* 1727. per Clementem XII. dehinc revocata per aliam Bullam incipient. *Romanus Pontifex* 7. *Kal. April.* 1732. quæ forte laudatum latuit Auctorem. Porro opinantibus in contrarium & contendentibus privilegium alias Prælatis Regularibus collatum revocatum revera fuisse & per Bullam ipsammet in die *Cœna Domini* quotannis legi solitam jugiter revocari, respondent mox citati sententiæ hujus favorabilis sectatores; nullibi inveniri de facto claram revocationem hujusmodi privilegii Prælatis Regularibus concessi absolvendi a dictis casibus proprios subditos, nec de ipsa revocatione ullatenus constare in dicta Bulla *Cœnæ* quotannis solita publicari. Quamvis namque in Bulla eadem revocatio legatur de facto quorumcumque privilegiorum etiam Regularibus concessorum, quia tamen privilegium de quo est sermo absolvendi signanter proprios Religiosos subditos sit particulare feriens eamdemmet Bullam *Cœnæ* ut visum est in Bulla præsertim Papæ Julii II. videtur quod de hoc ipso in revocatione prætensa deberet fieri peculiaris mentio, ut quantum ad omnes alias Constitutiones derogantes privilegiis in genere resolvitur, quatenus aliquod privilegium relevet inter alia dignum nota speciali & quamcumque derogationem immo Bullam specialiter derogantem excludens. Cum igitur non fiat mentio de Bulla dicta Julii II. alias firmante ipsammet Bullam *Cœnæ*; derogationem inibi expressam quoad absolutionem dumtaxat tribuendam Sæcularibus, non autem propriis Regularibus subditis pro qua viget adhuc Bulla Juliana, intelligendam esse concludunt Peyrin. signanter *tom.* 3. *in addit. ad Bullam Sixti IV. n.* 38. Donatus ubi supra *part.* 1. *tr.* 13. *qu.* 19. *n.* 15. Felix Poteft. cum aliis loco cit.

§. I. Absque eo quod relevet quod eadem Bulla dicta in *Cœna Domini* privilegiorum

rum omnium prius conceſſorum revocatoria quotannis publicatur ac veluti renovatur, quæ eſt ratio potiſſima Lezanæ *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 38. & Pafferini *qu. cit.* 5. *n.* 61. Subdunt ſiquidem Doctores recenſiti hanc revocationem quotannis replicari ſolitam prævifam eſſe atque exclufam per Bullam Julii II. in terminis ſupra relatis: ibi: *ac ſi prædicta Bulla in Cœna Domini non eſſet facta nec fieret*. At de hujuſmodi excluſione ut foret neceſſe mentionem nullam contingere. Ad alias Conſtitutiones Summorum Pontificum declarationeſque Sacrarum Congregationum ipſiſmet Pontificibus approbantibus per quos aperte tollitur facultas Prælatis Regularibus abſolvendi a caſibus & cenſuris in Bulla *Coena* contentis reſpondent identidem Doctores præfati, prout ſingillatim ad unamquamque videre quis poteſt apud Felicem Poteſtatem loc. cit. quod intelligendæ ſint nimirum de facultate adempta abſolvendi Sæculares, prout Auctores nonnulli prætendebant abſolvi de facto poſſe per ipſoſmet Prælatos Regulares etiam ab hereſi occulta; proindeque merito damnata fuerit ab Alexandro VII. propoſitio ſequens n. 4. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares ab hæreſi occulta & ab excommunicatione per eam incurſa*. Verumtamen nullæ Conſtitutiones vel declarationes nec ulla Decreta expreſſe vetant quod neque proprios ſubditos ab hæreſi occulta atque caſibus in Bulla *Coena* contentis poſſint abſolvere ut perſcrutanti repeutant eſſe manifeſtum.

§. II. Quinimmo cum Sectatores contrariæ ſive negativæ ſententiæ fundentur ſignanter ſuper Decreto S. C. Epiſc. ſub die 17. Novembris 1628. per Urbanum VIII. approbato, in quo patenter equidem exprimitur indulta abſolvendi a caſibus reſervatis in Bulla *Cœna* per annuam ipſius Bullæ publicationem eſſe ſublata. Paſſerin. *diſp.* 5. *num.* 59. cui concordat aliud ſimile Decretum reſponſivum ejuſdem S. Congregationis ſub die 7. Decembris 1646. Ex ipſiſmet ulterius hiſce decretis concludunt favorabilis ſententiæ propugnatores, colligi potius facultatem in Prælatis Regularibus abſolvendi proprios ſubditos a caſibus & cenſuris contentis in Bulla firmam perſiſtere. Decreta namque mox allata ſimul & indiſtincte cenſurant abſolutionem per prius datam prohibentque impoſterum dandam a caſibus tum Ordinariis locorum tum in Bulla *Cœnæ* reſervatis & perlegi poſſunt ambo apud Felicem Poteſtatem *tom.* 1. *part.* 4. *Cap. V. n.* 3414. & 3415. Cum igitur prohibitio abſolvendi a caſibus reſervatis Ordinario habeat locum præciſe reſpectu pœnitentium Sæcularium, non enim Prælati Regulares ab Ordinariis reſpective circa caſus ab his reſervatis pendent; neque reſervatio caſuum ab Ordinario facta Regulares ullatenus afficit ab eius iuriſdictione exemptos, opportet per conſequens concedere pariformiter, quod prohibitio in iiſdem Decretis lata abſolvendi a cenſuris & caſibus in Bulla Cœnæ recenſitis, ſolummodo in ordine ad Sæculares veniat intelligenda, quod noluit obſervare Paſſerinus *qu.* 8. *cit. n.* 59. ubi Decretum Urbani de anno 1628. pro ſe refert; quamvis opportune obſervaverit Felix Poteſtas in alleg. *Cap.* 5. *num.* 3418. ubi ad ambo Decreta reſpondet.

§. III. Minus autem adverſari videntur Bullæ aliæ quæcumque derogantes privilegiis Regularium in genere poſt Tridentinum quia derogationes hujuſmodi ſerio perpenſæ feriunt dicta privilegia, quatenus Tridentino ipſi ſunt contraria præjudiciumque inferunt Epiſcopis eorumve juriſdictionem diminuunt aut perturbant: at privilegium abſolvendi proprios ſubditos in caſu Prælatis Regularibus ante collatum Concilii Tridentini Decretis nullatenus adverſatur; cum nullibi inveniatur in dicto Concilio abrogatum ex ſupranotatis & communi Doctorum conſenſu, nec ullum præjudicium Epiſcopis locorum infert, cum hi in ſubditos Prælatorum Regularium juriſdictionem nequaquam ſervare prætendant, quantum ad miniſtrandum eis Sacramenta, ut advertunt Tamburinus, Donatus aliique ſuperius adducti; cum immo non deſint Conſtitutiones Summorum Pontificum, quæ privilegia Regularibus jampridem ante Tridentinum conceſſa, quatenus eidem Concilio non contrarientur in ampla forma deinde confirmavere, potius concludere fas erit ex hoc capite cadere confirmationem ſupra poteſtatem abſolvendi præfatam, niſi aliunde ejuſdem revocatio ſpecialis demonſtretur. Donat. loc.cit. Felix Poteſtas *n.* 3410. *&c.* Porro repetere non erit abs re quod ipſi & alii cum ipſis addunt: quomodo hoc idem privilegium nequaquam poſſit reputari exorbitans quatenus mature perpendatur; intra Clauſtra etenim occluſum rariſſime item occurrit exequendum, ut conſideranti liquet, & ulterius Superiori unico tribuatur illo utendi facultas vel per ſe vel per individualiter pro quacumque vice deputandum, ſublata etiam in aliquibus Religionibus facultate eadem

Supe-

Superioribus respective subalternis. Sed quod suis praecipue cohonestet in casu privilegium veluti rationabile qui a Summis Pontificibus in ejus concessione intenditur & declaratur ut initio hujus numeri 15. cautum fuit; ne videlicet Religiosi sub hoc praetextu absolutionis consequendae ab Apostolica Sede extra Claustra divagentur & ut citius saluti spirituali eorumdem provideatur; qui finis profecto in gratiam animarum Deo dicatarum militare deprehenditur magis quam pro Saecularibus. Ultraquamquod Religiosus in locis longe dissitis de familia degens secundum quid saltem, nisi simpliciter posse connumerari videtur inter impeditos: exceptis insuper casibus sive enormibus delictis, jam aliqualiter supra memoratis & de quibus uberior occurret inferius sermo pro absolutione ad Sanctam Sedem utique deportandis. Ita praefati sententiae affirmativae sectatores, facultatis scilicet dictae in Praelatis Regularibus adhuc vigentis Auctores.

26 Fortius hoc non obstante non cessat urgere Passerinus Constitutionem specialem Urbani VIII. obiiciens datam die 5. Novembris 1631. incipien. *Cum sicut* in qua dictus Pontifex declarat simul & decernit: quod in Constitutionibus generalibus Summorum Pontificum editis vel edendis comprehendantur Regulares cujuscumque Ordinis etiam Monacalis S. Benedicti Cistercienfis Praemostraten. S. Antonii de S. Antonio Vienuen. & PP. Societatis, ac Regulares omnes perinde ac si essent nominatim expressi; nisi in edendis talibus Constitutionibus specialiter & expresse excipiantur, etiamsi ipsi forent magis speciali nota & expressione digni, eisque privilegia amplissima sub quibusvis derogatoriarum derogatoriis efficacioribus & insolitis clausulis motu, scientia propriis de potestatis plenitudine fuerint concessa. Unde Bullae derogantes privilegiis quoad absolvendum a casibus reservatis in Bulla *Coena* comprehendunt sine dubio concludit laudatus Auctor Regulares quoscumque etiam Cassinenses Patres Societatis, in favorem quorum specialiter data sunt privilegia superius adducta quoad hoc. Destruunt per consequens quamcumque communicationem cum ipsis ab aliis Regularibus praetensam. Ita Passerinus praefatus acerrime sententiam affirmativam impugnans *Cap. d. 26. qu. 5. n. 56. 60. & 61.* Quam quidem oppositionem in hac materia apud Gueber item loc. supr. cit. n. 62. ℣. *Obiicitur secundo* formiter adductam inveni. Nihilominus ex ipsamet doctrina Passerini non desunt responsa partem affirmativam sustinentibus. Primo siquidem ipsamet Urbani famosa Sanctio diligenter examinata per extensum apud Auctorem citatum comperitur distinguere inter Constitutiones de praeterito jam editas & imposterum edendas, jamque editas limitare ad tractantes de Fide & Officio S. inquisitionis & de materiis ad propagationem ejusdem fidei spectantibus praesertim coram Sanctissimo agitari & expediri solitis, ad quas si perpendantur nequaquam pertinent Constitutiones aut Ordinationes quaecumque sint agentes de privilegiis Regularium aut ea revocantes quoad absolutionem a casibus & censuris: ac proinde nisi clausulae necessario exprimendae Constitutionibus derogantibus ad hoc ut comprehendant Religiones de quibus facienda sit specialis mentio, apponantur, loquendo de Bullis generaliter derogantibus super privilegiis ante annum 1631. quando edita fuit Bulla Urbani, adhuc eadem privilegia concessa alicui Religioni sive Monacali sive Societatis Iesu de qua facienda foret specialis mentio in derogatoriis sine dubio vigeret: juxta etiam generalem doctrinam Lezanae tom. 5. ad Mare magnum Minorum n. 44. Quantum vero ad constitutiones imposterum edendas a dicto *anno* 1631. quae per allatam Urbani *Cum sicut* comprehendunt omnes Regulares etiam speciali mentione dignos extensive ad quamlibet materiam ut ibi; propterea que Bulla *Coenae* quotannis renovari solita post annum praefatum omnium Regularium absque ulla exceptione facultatem sive privilegium absolvendi a casibus in ea contentis videatur universaliter abolere per illa verba ibi. *Nullus absolvi possit*, idemque de caeteris Bullis quae hujusmodi privilegio derogant a dicto tempore; adderent facultatis impugnatae defensores extendi quidem Bullas derogatorias datas ab anno 1731. ad Regulares omnes etiam de quibus facienda esset mentio specialis vigore Constitutionis Urbanianae *Cum sicut* sed non ultra terminos & significationem intentionemque Bullae cujuslibet derogantis. Ex. gr. Si conficiatur de novo Bulla post Urbanianam reducens ad terminos juris omnia privilegia concessa Regularibus sive mendicantibus sive non quae Tridentino adversentur, prout aliqua concessa licet sic adversantia inveniuntur, extendi quidem deberet ipsa nova Bulla ad Regulares omnes etiam speciali nota dignos, sed non

ultra illiusmet terminos; ita ut nequaquam derogatio comprehenderet privilegia quoque quae Tridentino contraria non sunt: ex quo standum sit in verbis expresse derogatoriis, & habeatur fundamentum aliunde asserendi quod plura revera privilegia supersunt quae non solum dicto Concilio non adversantur, immo ab eodem confirmantur atque in primo vigore relinquuntur ex *Cap.* 20. *sess.* 25. *de Regular.* ibi = *In caeteris omnibus, praefatorum Ordinum privilegia & facultates, quae ipsorum Personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illaesa*, ut fusius demonstratum est Dub. XIV. Sess. I. Similiter si Constitutio prodeat post datam Urbani de anno 1631. quod nullatenus Regulares possint absolvere a casibus Episcopo reservatis, ut de facto praecipitur indeffinite & absolute in Bulla Clementis X. *Superna* §. 6., & 7. emanata de anno 1670. eademmet Constitutio obligat quidem Regulares omnes etiam non ibi expressos, Monachos videlicet esto praetendant perdurare sibi privilegia habita per contractum: verum non ligat ultra intentionem Pontificis prohibentis: nimirum adhuc respectu poenitentium Regularium qui ex aliis firmis privilegiis supponantur exempti. Ita in proposito Constitutio derogans privilegiis absolvendi a casibus in Bulla *Coenae* contentis valere quidem concedunt relati Auctores contra Regulares etiam specialiter exprimendos, sed non posse rationabiliter extendi contra privilegia concessa Praelatis eorum absolvendi proprios subditos a dictis casibus, quoties de extensione hujusmodi in Bulla derogante minime constet: immo aliunde interpretanda venit ejusdem Bullae derogantis intentio sistere in ablatione facultatis respectu Saecularium tantum. Quae sane rationabilis interpretatio ex hucusque traditis patet signanter n. praecedente 16. §. 11. in fine & n. 17. subsequenti, ne detur praesertim Regularibus speciali voto obedientiae obstrictis divagandi occasio, ut in ipsismet privilegiis Pontificiis exprimitur & citius eorum conscientiae utpote Deo specialiter dicatorum ex repetitis consulatur. Considerata itidem responsione quae affertur duobus S. C. Decretis supra dicto n. 15. §. 1. Eo vel magis si post Urbanum VIII. prodierint Bullae confirmativae ex certa scientia & plenitudine potestatis omnium privilegiorum jampridem Regularibus concessorum, inter quae connumeretur sine dubio praefatum absolvendi proprios subditos &c. cum excipiantur dumtaxat adversantia Concilio Tridentino quae exceptio ex praeostensis non verificatur in casu, additis amplissimis derogatoriis quae Constitutionem Urbani *Cum sicut* evidenter comprehendunt (*Nisi specialiter & ipsa excipiatur*). Inter quas relevat Bulla Innocentii X. *Exponi nobis* pro Cistercienfibus *n.* 54. Immo Bulla ipsiusmet Urbani VIII. pro Patribus de Mercede Captivorum edita *de anno* 1634. *quinto Cal. Aprilis* post triennium a dicta celebri *Cum sicut*; in terminis praegnantissimis cum absoluta derogatione Constitutionum quarumcumque in contrarium prius emanatarum. Datur responsio obiectioni a d. Can. Gueber quae ad hanc ipsam utique reducitur loc. cit.

17 Advertunt ultro sententiam affirmativam propugnantes per Bullam *Coenae* annullari quidem privilegia quaecumque omnibus Regularibus quoad hujusmodi absolutionem sine exceptione concessa, sed nequaquam Constitutionem si detur quae directe ipsammet Bullam *Coenae* percutiat & praecaveat in terminis derogando, nisi de illius specialis Constitutionis revocatione obveniret evidens argumentum per sequentia vel aequivalentia verba: ex. gr. *Non obstantibus quibuscumque etiam hanc Bullam in die Coenae Domini renovari solitam directe annullantibus*. Cum alioquin videretur deesse Summis novis Pontificibus potestas condendi Constitutionem, quae similem facultatem absolvendi subditos Praelatis Regularibus concederet, non obstante Bulla *Coenae* quotannis publicari solita: contra quam nempe quoad hoc esset impossibilis praecautio, quamvis clausulae quaecumque derogatoriae adhiberentur; utpote foret in promptu semper responsio, quod per eamdem Bullam *Coenae* sub sequenti anno ad suppositam concessionem publicatam vel publicandam, concessio jampridem lata deinde vel revocata vel revocanda intelligeretur; quod esset inter Constitutiones Pontificias inducere collusiones. Et ex alia parte opporteret deducere nil valituram novam concessionem privilegiorum etiam in forma specifica cum clausula *non obstantibus quibuscumque etiam speciali nota dignis*; eo quia obstaret jugiter praefata Bulla Urbani *Cum sicut* & plenitudinem Potestatis in aliis Pontificibus impediret, quod inconveniens Passerinus ipse in sua defendenda mordicus opinione implexus effugere nequit. Sic ergo concludere non haesitant Doctores iidem privilegium concessum a Julio II. Praedica-

to-

toribus aliisque communicatum confirmans illud prævium Maris magni impertitum a Sixto IV. & Prædicatoribus & pluribus aliis Regularium Ordinibus quantum ad facultatem Prælatorum absolvendi subditos a controversis casibus Bullæ *Cœnæ* (quinque exceptis) adhuc subsistere in casu, dum in Constitutione relata Julii Bulla ipsamet *Cœnæ* præcavetur pro quocumque tempore imposterum & declaratur non auferre facultatem dictam perinde ac si Bulla *nec facta fuisset* NEC FIERET, additis confirmatione S. Pii in Bulla expedita pro Cassinensibus & Gregorii XIII. pro Jesuitis inferius tamen *n.* immediate sequenti examinandis contra quod privilegium nec ulla sanctio deinceps nec Decretum ullum, ut probasse prætendunt possit adduci, quod valeat. Et ad rationem demum styli Curiæ & praxis S. Pœnitentiariæ absolvendi quantum est ex se recurrentes Regulares pro dictis casibus, Sacram Pœnitentiariam uti jure proprio, sed non auferre jus alienum, respondent, sicut etiam contingit in absolvendis ab excommunicatione incursa Regularibus Apostatis, quamvis per hoc potestas ordinaria ipsos absolvendi non tollatur Procuratoribus generalibus & aliis Superioribus competens iis per statuta Religionis a Sancta Sede confirmata. Donat. *tom.* 1. *part.* 1. *tr.* 13. *qu.* 17. *n.* 26. & post Portellam. *Verbo dispensare n.* 18. P. Sanctorus de pœn. *Cap.* 18. *qu.* 3. Videatur Peyrin. de privileg. Regular. in Constit. Sixti IV. §. 5. *a n.* 6. in addit. ad Constit. ejusdem Sixti *num.* 35. & ad Constit. 6. Sancti Pii V. *n.* 42. Nonnullæ adducuntur instantiæ contra affirmativam sententiam, ultra allatas per Dominicum Canonicum Lateranen. Gueber *loc. cit. n.* 51. *pag.* 575. Quas plene solutas ex data doctrina solers Lector deprehendet: sicuti facile solvit Laudatus ipse Gueber num. eodem. Verumtamen pro sententia dicta affirmativa ipse acriter decertans Doctoresque coacervans antiquos recentioresque, non est opus quod recurrat ad probabilitatem magis & minus in re tam gravi ad consuetudinem, aut titulum coloratum communemque errorem ut *n.* ibi 50. & 53. sed foret æquum sistere in sententia eademmet tamquam certa, quatenus eam absolute cum relatis Doctoribus amplectatur, propter rationem quam sustinent ineluctabilem, quod privilegium sit innegabile in casu & nullatenus de revocatione constet. Similem notam addit doctrinæ Canonici Gueber Eusebius Canonicus item Lateranensis & Eusebius Amort, *sect. IV. n.* 53. *in fin. & sect. V. n.* 66. *pariter in fin.*

18 At quoad me spectat non ausim equidem alterutram ex allatis sententiis de improbabilitate notare. Verum in suppositione quod affirmativa Prælatis Regularibus favorabilis teneatur adderem, eam fore absolute deponendam, quoties in Bulla *Cœnæ* quolibet anno solita publicari adderetur particula controversa. *Quod nullus neque Regularis a proprio Prælato absolvi possit &c.* vel æquivalentes clausulæ in quacumque alia Constitutione, seu declaratione de mente Pontificis exprimerentur; quod quidem usque modo non legi seu reperiri expresse in ulla Bulla vel derogante Decreto, testantur Doctores & pro reliquis Felix Potestas cit. *n.* 3421. Advertere item absolute cogor, quod si affirmativa ipsa sententia placeat, de facultate nempe competente Prælatis hujusmodi absolvendi suos subditos & dispensandi cum eis in casibus Bullæ *Cœnæ*, debeat excipi omnino hæresis quoad forum externum non obstantibus privilegiis recensitis *n.* 11. *in fine* quæ facultatem ad forum pœnitentiale non limitant. Ratio procedit ex perspicuis Sanctionibus Pauli V. *Romanus Pontifex die* 1. *Septembris* 1606. atque Alexandri VII. *Licet alias die* 8. *Julii* 1660. per quas districte inhibetur Prælatis Regularibus, etiam quoad subditos proprios hæresis labe infectos, vel etiam leviter suspectos in cognoscendis hujusmodi causis, quovis modo se intromittere &c. Non possunt enim non dici cognoscere causas atque in iis judicare, quatenus in foro externo absolverent. Passerin. *Cap.* 26. *qu.* 10. *n. signanter* 115. Quod idem propterea intelligendum cadit, quoad omnes alios casus in Bulla *Cœnæ* contentos, qui quomodolibet ad Sanctum Officium spectarent aut reducerentur, immo, ut evitemus alibi hoc repetere, de casibus esto non contentis in Bulla *Cœnæ*, sed ex vi aliarum Constitutionum ad Sanctum ipsum Officium pertinentibus, ut de Astrologia judicaria & prædicantibus contra Immaculatam Deiparæ Conceptionem, necnon de casibus per Inquisitores in eorum edictis reservatis quoad censuras inibi impositas adversus innobedientes, quod nimirum nequeant a Prælatis ipsis Regularibus absolvi, quatenus in eas incurrerent proprii subditi in foro externo & judiciali. Eo quia, si quis nequeat causam cognoscere, aut judicium in ea facere, nec pœnas per consequens valet imponere, aut fontes ab iisdem relaxare. Hoc totum ex

ex ipsis Bullis Pauli V. & Alexandri VII.cit. Doctoribus omnibus consentientibus. Quod si apponerentur in iisdem edictis censuræ absque reservatione posse absolvi Regulares non solum a propriis Prælatis, sed a quocumque propriæ Religionis approbato Confessario in foro conscientiæ, sicuti in eodem foro posse absolvi satisfacta parte etiam a Regularibus Confessariis sæculares ostendit Felix Potestas *tom.* 1. *Cap.* v. *n.* 3477. *& tom.* 2. *n.* 641. *ad* 644.

§. I. Item ut revertamur ad potestatem absolvendi respective a casibus contentis in Bulla *Cœnæ* perpendenda ducerem privilegia superius relata duo *n.* 12. §. *vii.* videlicet concessum Cassinensibus *a S. Pio V. de anno* 1571. 15. *Julii* absolvendi ab omnibus casibus & excessibus etiam contentis in Bulla *Cœnæ Domini* absque limitatione ulla in utroque foro & aliud Gregorii XIII. pro Præposito Generali Societatis *de anno* 1784. 18. *Martii* absolvendi ab hæresi & relapsu in hæresim, utrum sint amplius in usu. Quoties enim Regulares hujusmodi effrænatis privilegiis non utantur censerentur iisdem renuntiasse Felin. *in Cap. Cum ex Offic. n.* 15. de præsumpt. Soccin. *de Visit. n.* 53. & in terminis generalibus Barbos. de potest. Episc. *part.* 2. *alleg.* 26. *n.* 12. *seq.* Gonzales *in Cap.* 6. *Si de terra n.* 7. de privil. & Rot. in Gerunden. 17. *Martii* 1692. §. *si adhuc privilegium &* §. *Prout neque* necnon 10. *Junii ejusdem anni* §. *Privilegium coram Decano Molines*, Et ita quoties privilegio amplissimo absolvendi signanter ab hæresi cum relapsu abrenuntiaverit aliquando Generalis Præpositus Societatis cui concessum principaliter & expresse traditur ex præhabitis *n.* 12. §. *un.*, minime approbo idem in communicantibus continuare, utpote contra rationem naturalem foret continuare rivulum extincto fonte, & ulterius adhuc communicatione admissa posse facultate hujusmodi uti Superiores Generales dumtaxat aliarum Religionum aut ab iis deputatos specialiter atque in foro conscientiæ præcise, ut in eodem privilegio allegato originali teneremur advertere cum Herinex *disp. de leg. qu.* 6. *n.* 28. *seq.* ob rationes per nos item adductas in præcedenti *sect. n.* 10. §. 1. circa potestatem pariter absolvendi a casibus & censuris exceptis tantum homicidio injusto & mutilatione esto publicis quoad utrumque forum, ut in Privilegio S. Pii V. allegato Cassinensibus observandæ sunt limitationes paulo ante adductæ, ultra ea quæ dicemus de deductis ad forum contentiosum; & revera Religio Minoritica videtur sistere in concessione primæva in Mari magno Sixti Quarti expressa: Prælatos videlicet ipsius Ordinis quoad facultatem absolvendi atque dispensandi ab omnibus & in omnibus fratres sibi commissos vel ad eos undequaque declinantes exceptis hæreticis relapsis schismaticis literarum Apostolicarum falsificatoribus & ad partes infidelium prohibita deferentibus: bigamis & homicidis voluntaris quoad dispensationem *Cap.* 7. compilat. Sam buc. § 4. *& Cap. item* 7. Statut. Reform. *n.* 12. quibus tamen debent addi conspirantes in Summum Pontificem, quoad potestatem sublatam absolvendi juxta Bullam Julii II. & mutilantes quoad dispensationem, de qua sect. seq. juxta Mare magnum citati ejusdem Sixti IV. pro quibus jure superadditis non video privilegium incontroversum. Cœterum pro ipsamet Religione & reliquis quæ propriis legibus atque statutis regulantur super hanc facultatem magis aut minus extensam per Apostolicam Sedem confirmatis, observandum concluderem etiam usum. Ad normam cujus interpretandas quoque fore Constitutiones Summornm Pontificum confirmantes & de novo concedentes privilegia, ipsis namque regulariter apponitur clausula. *Dummodo sint in usu*. Quidquid in contrarium afferat Ant. a Spir. Sanct. de regim. Regul. *disp.* 1. *sect.* 6. *n.* 113. *&* 118. qui tamen sibi constans non esse comperitur per ea quæ inferius asserit *n.* 142. *& seq.* post Suarez *lib.* 8. *de leg. Cap.* 35. *n.* 3. & alios relatos a Tamburino *tom.* 1. *disp.* 16. *qu.* 14. *n.* 19. Cum saltem pro certo habeatur posse a Regularibus respective pro bono regimine in hoc & aliis casibus privilegiorum usum omitti moderari atque restringi per statuta & longi temporis consuetudinem, sic concordantibus Doctoribus passim cum citato Tamburino *tom.* 1. *disp.* 16. *qu.* 9. *n.* 2. Mirand. *tom.* 2. *qu.* 4. *art.* 4. Peliz. *tr.* 8. *Cap.* 1. *n.* 63.

§. II. Porro P. Didacus ab Aragonia præfatam potestatem absolvendi subditos a casibus & censuris contentis in Bulla *Cœnæ* absolute & clare substinet in suaDilucidatione privilegiorum competere Prælatis respective Generalibus prius *tr.* 2. *Cap.* 5. *n.* 16. *& seq.* de hinc Provincialibus *tract.* 3. *Cap.* 5. *n.* 17. *seq.* Et per eadem fere verba Superioribus localibus *tract.* 4. *Cap.* 4. cum addita limitatione tamen quatenus *casus sint occulti*; exceptis item quinque casibus pluries recensitis esto occul-

ti

ti sint: *nempe haeresis schismate falsificatione literarum Apostolicarum deportatione armorum ad infideles & conspiratione contra Papam*. Quia vero de Provincialibus & Superioribus localibus ibidem differens pag. 125. & 168. quod quintus casus nempe conspiratio in Romanum Pontificem pro Praelatis Ordinis Minorum Observant. & Reformat. non venit reservatus, ut constat ex eorum statutis Cap. 7. ex hoc capite teneor objicere reservationem relevare nisi Constitutio Apostolica afferatur illam tollens; perperam siquidem quis assereret statutum in casu Bullae Pontificiae & juri Canonico praevalere Cap. Quod super his de Major. & Obed. Cap. Si duobus de Appellat. ubi Panorm. & decis. Navarr. *lib. 1. Consil. de Constit. Cons. 9. n. 14.* Duard. in Bulla *Caenae lib. 1. Cap. 1. qu. 1. n. 2.* Suarez de leg. *lib. 4. Cap. 19.* Tambur. de jur. Abbat. *tom. 3. disp. 3. qu. 2.* Rot. coram Ludovisi *decis. 267. & decis. 103. n. 7. part. 2. divers.* & certe parum honesta videretur lex in Religione nostra, quae praetenderet non subiici reservationi crimen Conspirationis adversus Pontificem Summum reliquis quatuor reservatis enormius, eo vel magis, quod eadem Julii II. perspicua Constitutione nos utimur quantum ad potestatem ibi expressam absolvendi a casibus aliis in Bulla *Caenae* contentis; uti supra. Non debet itidem P. Aragonius Praelatos sive Superiores locales quoad suppositam facultatem absolvendi a casibus etiam Bullae *Caenae* Generalibus & Provincialibus coaequare, praesertim Locales Ordinis Minorum, quibus ex adductis legitur adempta facultas; & quamvis laudatus Auctor *n. 23.* postquam de Superioribus localibus pronuntiavit posse ipsos quoad absolutiones in suis Conventibus facere quidquid possunt Generales in toto Ordine & Provinciales in suis Provinciis addiderit limitationem in ultimo ibi: nisi per speciale statutum hujusmodi facultas eisdem restricta vel sublata fuerit: opus foret per ipsum expressos exemplariter fuisse Superiores locales Ordinis nostri quibus de facto ipsa eadem facultas fuit adempta, & sic debere assertum eamdem facultatem Praelatis localibus Ordinis ipsiusmet nostri absolvendi a quinto casu conspirationis minime pro ipsis reservato ut n. ibi 19. Quia insuper laudatus Auctor asserens posse Superiores Religionum absolvere subditos ab haeresi occulta etiam cum relapsu fundat sententiam praecipue super privilegio Generali Societatis concesso a Gregorio XIII. ubi dicta haeresis cum relapsu specificatur: recolenda duco circa hoc privilegia quae mox adnotavimus in §. praecedente & n. superius 12. §. un. nec omittendum, quod privilegium Generali Praeposito Societatis Jesu absolvendi a relapsu in haeresim deprehendatur concessum a Gregorio XIII. per oraculum vivae vocis ut fatetur Rupertus Gueber in suo cit. opere pag. 605. Unde non obstante praetensione ejusdem Auctoris, quod nequaquam sit revocatum per Constitutiones notas Gregorii XV. & Urbani VIII. nequeant evitari super illud implexae difficultates, sicut & super assertum aliud, quod concessum hujusmodi privilegium ultramontanis Minoribus de Observantia per Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 1. lib. 2. Cap. 21.* Fateorque ego horum privilegiorum originalia authentica nusquam invenire potuisse.

19 Post discussa circa facultatum competentiam Praelatis Regularibus absolvendi proprios subditos a casibus in Bulla *Caenae* reservatis, supposita semper aliquorum peculiari prohibitione, ardua non minus urget difficultas contra alios quosdam contra quos specialis deinde per Decreta Pontificum addita est reservatio, ubi propterea praescriptum recurrendi pro absolutione ad Apostolicam Sedem. Inter alios perpendendi primo occurrunt ii sex contenti in celebri Decreto Clementis VIII. seu Sacrae Congregationis Episcoporum Clementis VIII. jussu edito *die 9. Januarii* 1601. declarato postmodum per aliud *die 26. Novembris* 1602. nimirum 1. *Violatio Immunitatis Ecclesiasticae circa confugientes ad Ecclesiam.* 2. *Violatio Clausurae Monialium ad malum finem.* 3. *Injectio manus violentae in Clericum.* 4. *Provocatio & pugna in duello.* 5. *Simonia Realis scienter contracta.* 6. *Confidentia beneficialis.* Et quidem Passerinus pro his (sicut pro quibuscumque extra Bullam *Caenae*) asserit uno verbo, inesse Praelatis Regularibus facultatem amplissimam absolvendi suos subditos in foro conscientiae sicut & a censuris adnexis sive sint occultae sive quomodolibet publicae & notoriae, non deductae tamen ad forum contentiosum, propter perspicua privilegia quae adducit inter publicas & occultas censuras minime distinguentia sed absolute Praelatis ipsis Regularibus elargita. Nec facultati praefatae inurere praejudicium addit quaecumque Decreta Sacrarum Congregationum quae pro contraria sententia produci queant: ostendit namque per eademmet, quae recenset inhiberi tantum *Confessariis Regularibus*

ap-

approbatis ab Ordinario quod absolvere possint a dictis sex & aliis Sanctæ Sedi specialiter reservatis pœnitentes in genere. At inquit ipse, Confessarii Regulares approbantur ab Ordinariis locorum pro Sæcularibus sibi subditis, non pro Regularibus, qui subjacent Prælatis propriis; unde in Prælatis ipsismet Regularibus, quod remaneat repetit respectu suorum Religiosorum integra facultas eadem per amplissima non vulnerata privilegia jam præsupposita cum pluribus a se ingestis *Cap. 26. qu. 7. n. 63. ad 67.* Expedit nihilominus cum eodem & aliis rem distinctius expendere & ad unumquemque ex relatis sex casibus descendere adnexamque censuram.

20 Quoad violationem itaque immunitatis Ecclesiasticæ, quæ est casus primus in Decreto Clementis sustinet præfatus Auctor posse absolvi Regulares a propriis Prælatis in terminis tamen Constitutionis Gregorii XIV. *Cum alias* (ampliatæ deinde & declaratæ per Benedictum piæ memoriæ XIII. in Constitutione. *Ex quo Divina ann.* 1725. *sexto Idus Junii*.) Eo quod hujusmodi casui adjuncta censura non inveniatur Sedi Apostolicæ reservata cum derogatione privilegiorum Prælatis Regularibus erga subditos concessorum. Verum hæc sententia in præsenti casu sustineri quidem potest, ut mox innuebamus & ipsa quoad forum conscientiæ, in quo fateor non invenisse sive Pontificum sive S. C. Decretum expresse interdicens Prælatis Regularibus absolvere delinquentes subditos in terminis citatæ Bullæ Gregorii, ut pervolventi de facto quæcumque Decreta; illa videlicet eadem sub Clemente VIII. *de anno* 1601. *die* 9. *Januarii*, & *die* 16. *Novembris* 1602. necnon aliud sub Paulo V. *de anno* 1617. *die* 7. *Januarii* per extensum apud Cardinalem Petram: *tom.* 5. *ad Constit.* 19. *Sixti IV. n.* 7. *seq.* patenter innotescet; disponunt namque hujusmodi Decreta de Confessariis approbatis *ab Ordinario* sive *Episcopo* loci, quales non sunt Regulares Prælati in ordine ad proprios subditos, sed nec Regulares ipsi Confessarii respectu aliorum ejusdem Ordinis intra Claustra. Prout etiam Decretum Clementis PP. XI. *Quoniam Sanctissimus Dominus noster sub die* 17. *Junii* 1711. relatum ab eodem Eminentissimo Petra ibi *n.* 4. proculdubio appellat & annullat privilegia in casu Regularium in ordine ad pœnitentes Sæculares; non sine tamen advertentia, quod eademmet immunitatis materia potest involvere casus in Bulla *Cœnæ* prohibitos ut recursus ad Tribunalia Sæcularia in causis Ecclesiasticis tum Spiritualibus tum temporalibus adversus jurisdictionem Episcoporum & contra Prælatos proprios & alias Ecclesiasticas personas atque in similibus. Proinde quoad forum etiam conscientiæ recollenda tunc forent quæ de potestate Prælatorum Regularium in Ordine ad proprios subditos circa casus Bullæ *Cœnæ* paulo ante differebantur ab initio sectionis ad num. 19. Habetur autem pro casibus ad immunitatem in genere & indeffinite spectantibus uniforme ad plura alia, efficacius & expressius Decretum in una Casertina Sac. Congr. ejusdem immunitatis die 24. Januarii 1651. ibi. *Absolutio a censuris contractis ex causa violatæ immunitatis, libertatis & jurisdictionis Ecclesiasticæ est reservata Summo Pontifici nec ab alio potest concedi sub quocumque prætextu etiam restitutionis statim factæ Ecclesiæ, & opinio contraria improbatur* = Apud Riccium in Synopsi V. Absolutio n. 1. Sed consideratio- ni legentium relinquo an hoc quoque decretum intelligendum sit de censuris publice latis sive ad forum contentiosum deductis, absque eo quod comprehendat absolutionem earumdem in foro tantum conscientiæ; præcipue quatenus sint occultæ; hinc excludit potestatem in casu Prælatorum etiam Regularium erga proprios subditos, quæ est lis controversa. Quod si decretum inveniatur aut de novo detur prohibens etiam in foro conscientiæ absolutionem hujusmodi Regularibus eorumque Prælatis intra Claustra: non est dubium, quod acquiescendum foret prohibitioni aut authentico præcepto.

§. Un. Cæterum si transeamus inde quoad forum contentiosum extra omne dubium debemus casum violationis immunitatis fateri omnino Summo Pontifici reservatum & Sanctæ Sedi, ita quod Episcopi locorum, qui aliter in absolvendo absque S. Congr. facultate speciali se gerant, incurrant ipsi in censuras, ut aperte decernitur in Squillacen. signanter 16. *Decembris* 1654. Nec Apostolici Nuncii nec Legati a latere, aut Cameræ Apostolicæ Auditor potestatem habeant absolvendi sontes aut super hujusmodi delicti deffinitive sententiandi Sacra eadem Congregatione immunitatis inconsulta; ut late per plura decreta demonstrant Monacelli *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 6. *n.* 12. *sequ.* Riccius in Synopsi *V. Absolutio*. Fatolilli de immunitat. *part.* 1. *sect.* 16. *n.* 1. *& part.* 5. *sect.* 12. *n.* 13. *seq. & tom.* 2. *tit.* 8. *n.* 8. nec non *tom.* 3. *tit.* 8. *n.* 2. Unde concludendum

dum ahuc pro certo venit pro Regularibus contravenientibus in dicto foro Sacram pariter Congregationem esse consulendam, ut ego ipse comperi observatum in praxi quantum ad aliquos Religiosos Calabros in causa celebri Gravinen. Commissum namque fuit Nuntio Neapolitano ut eosdem, qui immunitatem prætendebantur etiam indirecte offendisse in causa contentiose agitata absolveret interim ad reincidentiam. Quod idem contigit recentius in causa Mediolanen. de anno 1747. licet de formiter læsa immunitate non ita certo constaret.

21 Porro non reticendum censeo hac eadem occasione qualiter nequaquam offenditur Immunitas per hoc quod Prælato mandante extrahatur ab Ecclesia subditus, qui ad eam confugerit ad evitandam correctionem seu si extrahatur ad finem correctionis paternæ; ita tamen ut correctio intenta & deinde executa non excedat limites pœnitentiæ salutaris & usualis, nec subditus sub hoc prætextu notabiliter gravandus foret. Ideoque mandantes & extrahentes in casu minime incurrant excommunicationem. Ita in Decreto S. Congregationis Immunitatis in una Æsina signanter sub die 19. Aprilis 1701. Apud Riccium *V. Regularis delinquens n. 2.* ubi alia. Pro cujus asserti uberiori declaratu non erit abs re addita notitia, qualiter Fr. Petrus Paulus a Cerignola Minorum Reformatorum Procurator eo tunc Generalis libellum porrexerit supplicem Summo Pontifici Clementi XII. ut præfatum Decretum in Æsina a S. Cong. Immunitatis editum dignaretur confirmare & expressius ordinare, quod possint Ministri Provinciales & Guardiani suos subditos intra septa Monasterii delinquentes constringere ad subeundas pœnitentias salutares & quatenus ob id ad Ecclesias confugiant, licite possint eosdem ab illis extrahere, eidemque libello pro parte etiam Provincialium & Guardianorum exhibito. *Die 19. Mensis Septembris* 1734. datum fuerit responsum sive editum sequentis tenoris Decretum.

Sanctissimus ex causis in supplici libello expositis impertitus fuit licentiam, & facultatem Ministris Provincialibus & Guardianis Ordinis de quo in precibus, ducere faciendi delinquentes Religiosos & contumaces ab Ecclesiis eorum respective Conventuum ad Claustrales Carceres, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

N. Card. Corsinus.

Hoc tamen non obstante idem qui supra Pontifex Summus Clemens XII. per speciale mandatum concessum indultum omnino revocavit & pro revocato haberi jussit reducens omnia ad terminos juris in hac materia; ad hoc ut illæsa remaneat dependentia in similibus casibus quam debent servare Superiores Regulares ab Episcopis. Ita in chirographo *sub die 8. Julii 1736.* de ordine Sanctitatis Suæ transmisso Superiori generali tunc vice Commissario generali Reformatorum; cujus transumptum in regestis secretariæ seu dicatur curiæ in Conventu Sancti Francisci ad Ripam asservatur. Proinde, ut relata præcepta sive rescripta quæ videntur inter se pugnare concilientur advertendum obvenit, quod permissio extrahendi a loco Ecclesiæ erat ad effectum solius correctionis paternalis ut patet in dicta Æsina, Decretum autem expeditum ad petitionem Procuratoris generalis importabat absolutam concessionem extrahendi Claustrales delinquentes & contumaces & reducendi eos ad carceres; ad quem effectum requiritur auctoritas & assensus Episcopi ex una Mediolanen. 15. *Aprilis 1644.* apud eumdem Riccium *tit. Regularis delinquens n. 1.* Unde merito generalis concessio in dicto ultimo Decreto expressa extitit abrogata. Quidquid autem sit, ultimum mandatum *de anno* 1736. 28. *Julii* debet attendi.

22 Subsequeretur examinandus secundus casus inter sex n. 19. recensitos: videlicet Violatio clausuræ Monialium ad malum finem, sed de hoc opportunior occurret tractatus in dubitatione de Potestate Prælati Regularis super Moniales. Tertium itaque arripiemus casum, nempe injectionem manus violentæ in Clericum, qui casus includit etiam censuram celebris Canonis. *Si quis suadente diabulo ab Innocentio II. conditi 17. qu. 4.* Inquirendo an revera & quomodo valeant Prælati Regulares ab hujusmodi casu & censura proprios subditos absolvere. Cui sane quæsito, ut plene per necessarios articulos satisfaciamus debent supponi plura. Quinam veniant primo nomine Clericorum & Monacorum pro quibus indifferenter conditus legitur famosus Canon. Itemque pro injectione violenta manuum quæ actio intelligatur per Doctores attentis juribus. Ulterius in quibus casibus hujusmodi excommunicatio evitetur, esto violenta manus injectio sequatur. Quomodo etiam ad mandantes consulentes immo ratam habentes percussionem excommunicatio extendatur, sed præcipue. Qualiter

ter percussio in levem mediocrem & enormem dividatur, quӕ omnia ab Auctoribus fuse explicantur; sed cum claritate & brevitate opportuna descripta & insinuata reperiuntur inter alios apud Lezanam *tom.* 3. *V. Clericus n.* 1. *ad* 18. Felicem Potestatem *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 3557. *seq.* Anacletum Reinffenftuel Theol. mor. *tr.* 13. *qu.* 4. *conclus.* 2. *usque ad tertiam & lib.* 5. *dubit. tit.* 39. §. 4. Ubi signanter docet quomodo incurratur censura a ratam habente percussionem *n.* 112. His ergo suppositis tamquam Lectori studioso notis vel de facili innotescendis; respondetur absolute Prӕlatos Regulares posse absolvere suos subditos ab excommunicatione canonis ob percussionem Clerici seu Monachi in omnibus casibus in quibus potest absolvere suos Episcopus propter illud sӕpius relatum principium, quod Prӕlati Regulares signanter Generales & Provinciales potestate erga sibi subjectos potiantur quasi Episcopali, ideoque quidquid conceditur Episcopis respectu suorum subditorum, Prӕlatis ipsis Regularibus in Ordine ad subditos Religiosos non potest negari Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 2. & 3. 30. & 31. inter cӕteros Eminentissimus Petra *tom.* 5. *pag.* 312. *edit. Ven. n.* 16. Casus autem in quibus Episcopus possit absolvere suos ab hac censura diligentissime enumerantur & explicantur per Monacellum *art.* 3. *tit.* 1. *form.* 1. *n.* 21. *seq.* Quamvis esset adnotandus ipse & perpendendus in adnotationibus ad eamdem formulam a n. 1. usque ad ultimum ubi plura scitu digna congerit, non omnia tamen vera, ut infra tangemus.

23 Dicendum ulterius, quod Prӕlatus Regularis possit suos subditos absolvere a percussione non tantum lӕvi sed mediocri ac etiam enormi, cujus asserti ratio habetur evidens; quia in privilegiis, quӕ Prӕlatis hujusmodi conceduntur absolvendi suos a quocumque crimine & excessu prӕterquam ab enumeratis ibi quator aut quinque, percussio vel enormis non reperitur excepta, ut perquirenti legenti & perpendenti patere potest in omnibus Bullis Mare magnum nuncupatis apud Lezan. *tom.* 5. & *satis supra n.* 11. & 12. fuit persuasum: unde non emergit motivum ullum, quare iidem hoc jure sibi competente expoliandi sint Lezana cit. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 33. *ad* 36. Layman Theol. mor. *libr.* 4. *tr.* 9. *cap.* 7. *n.* 10. Passerin. de elect. can. *Cap.* 26. *qu.* 7. *ubi n.* 69. adducit privilegium specificum a Bonifacio IX. concessum Prӕlatis sui Ordinis; videlicet *absolvendi fratres qui manus violentas in Confratres vel alios quoscumque Clericos etiam usque ad sanguinis effusionem & enormem lӕsionem injecerint.* Tamburin. de jur. Abbat. *tom.* 2. *disp.* 11. *qu.* 10. *n.* 6. quibus consentit quantum ad hoc, scilicet absolutionem Religiosorum subditorum ejusdem Ordinis se invicem percutientium Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 39. *n.* 20. idemque ultro confirmatur per Decretum Clementis VIII. assignantis Prӕlatis Regularibus casus reservabiles, inter quos *n.* 10. relevat. *Occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujuscumque personӕ.* Ridiculum enim foret, quod quis posset reservare sibi casum in cujus absolutionem non haberet facultatem signanter stando inter subditos. Eo vel magis, quod in prӕfato Decreto pro Regularibus edito *de anno* 1596. 16. *Maji additur*, quod Superiores deputent in singulis domibus Confessarios qui a dictis reservatis possint absolvere, prout Urbanus quoque VIII. ordinat, quod Confessarii quicumque petentes facultatem absolvendi a dictis singillatim casibus quatenus sibi denegetur a Superiore, absolutionem nihilominus pœnitenti Regulari valeant impertiri: juxta prӕhabita in prӕcedenti sectione n. 7. Ex quibus evidenter constat. Prӕlatis Regularibus hujusmodi facultatem absolvendi videlicet subditos a quibuscumque casibus in Decreto contentis competere: juxta Sedis Apostolicӕ judicium dum aliis facultatem ipsam committere perhibentur. Ex animadversis item per Matteucci titulo *Excommunicatio Canonis*, quem citat & sequitur Felix Potestas *tom.* 1. *n.* 3579. Nec potest dissentire Monacellus; quamvis namque *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 1. *n.* 22. limitet facultatem Prӕlatorum Regularium in casu absolvendi suos si percussio non sit enormis, repetit in enormi nequaquam eos posse absolvere *nisi habeant speciale privilegium*. Cum igitur de facto potiantur communiter privilegio hoc quod nullibi invenitur revocatum ex dictis, cogitur per consequens concedere, posse eos subditis percussionis etiam enormis absolutionem impertiri: & potius Constitutionibus & Decretis Apostolicis est credendum quam iis quӕ ipse arbitrarie profert.

24 Nonnulla nihilominus super hoc oriuntur dubia. Et primo. Quid agendum, quoties se percuterent invicem Superior & alter Religiosus subditus, qui in eadem domo seu familia soli remansissent Sacerdotes, cui satisfit distinguendo, quod si Superior revera facultate absolvendi ab hujusmodi casu fulciatur, veluti fuit

sunt Superiores etiam locales in aliquibus Religionibus ad quos privilegia Pontificum quantum ad hoc & alia extendantur, ut de sua ostendit Passerinus *Cap.* 26. *n.* 181. secundum præhabita *sect. præcedenti n.* 4. & *n.* 10. §. 1. Tunc ipse localis Superior poterit extra Religionem alicui Sacerdoti suam facultatem committere ad hoc ut prius idemmet absolveretur a censura, & deinde correum subditum valeret absolvere, in suppositione quod censura sit publica & ambo evaserint vitandi; in quo casu minime posset argui usus jurisdictionis in Prælato excommunicato eligente Sacerdotem extra Ordinem, sed potius relevaret usus privilegii eligendo sibi dictum Sacerdotem benevisum, cui jurisdictionem conferret deinde privilegio supposito ipse Pontifex. Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 5. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 2. *disp.* 14. *qu.* 51. *n.* 1. *ad* 4. Passerin. *d. Cap.* 26. *n.* 154. Lezana *tom.* 3. V. *Clericus n.* 17. In suppositione autem, quod percussio & sic excommunicatio esset occulta, tunc posset Prælatus subditum, & dehinc subditus tamquam delegatus Prælatum absolvere, utpote uterque toleratus secundum communem sententiam apud Felicem Potestatem *tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 3582. Sed in casu quo statutum in aliqua Religione obstaret, prohibens scilicet in eadem professis Confessarium ullatenus eligere extra Ordinem vel Superioribus localibus authoritas ordinaria absolvendi a censuris & casibus aliquibus Papæ specialiter reservatis esset adempta, in isto rarissimo casu meræ necessitatis statutum minime valiturum, pro quo suffragaret lex universalior æquitatis concludunt Doctores, Lezana præsertim *n.* 17. Passerin. *n.* 154. Recursus tamen ad Superiorem majorem nimirum ad Provincialem esset semper tutior, utpote agitur de jurisdictione, qua privari non est dubium excommunicatos ipso facto, præsertim publicos & vitandos. Felix Potestas cit. *n.* 3584.

25 Verum, quoties Religiosus cujus Ordinis alium alterius Ordinis percuteret vel Clericum Sæcularem, quoad primum casum conveniunt Doctores debere quidem absolvi percussorem a Prælato proprio, sub cujus obedientia & jurisdictione degeret, sed præsente altero Superiore Religiosi percussi, cui nimirum satisfactio præstanda esset, de cujus consensu proinde absolutio, quæ non a duobus simul proferri potest, impertiretur, nisi hoc totaliter negotium Superiori percutientis, una cum injuria remitteret. Quod si ambo Religiosi se percuterent, unusquisque Superior proprium absolveret subditum, utpote injuria compensaretur: apud Engel Molinam, citatos per Felicem Potestatem *n.* 3587. Quamvis tacite Matteuccius ex Diana velit insinuare necessarium recursum ad Sedem Apostolicam si percussio esset enormis, fortasse stylo Curiæ, quem sæpe sæpius adhibere sive adducere solet principaliter extimulatus, eo quia proculdubio Pœnitentiaria absolvit, si ad eam de facto fiat recursus. Sic *Cap.* 39. *offic. n.* 18. At contrarium est evidens ex privilegiis & textibus clarissimis *n.* 23. paulo ante ostensis, nisi dicatur quod Doctor privatus posset pro libito ea delere. Ex quo etenim Pœnitentiaria utatur jure proprio in favorem recurrentium, non proinde valet deduci, quod tollat jus alienum: ex præmissis hoc *n.* 17. *in fin.*

§. I. Difficultas attamen insurgit peculiaris de Regulari percutiente Clericum Sæcularem, variant nempe Doctores de potestate absolvendi ipsum, cum asserat P. Felix Potestas *n.* 3586. debere non a Prælato Regulari, sed vel ab Episcopo, de cujus Diœcesi est Clericus percussus vel a Sede Apostolica percutientem absolvi, sequutus in hac parte Patrem Matteucci idem pro viribus contendentem videlicet vel ex *Cap. cum illorum de sent. excom.* debere Sedem Apostolicam adiri, vel ex *Cap. Religioso in* 6. cui standum subdit utpote posteriori absolutionem esse ab Episcopo impertiendam; juxta limitationem tamen aliorum Canonum, non excedendo scilicet circumstantias, in quibus Episcopus alios sibi subditos valet absolutionem tribuere, rationesque sui asserti assignat ibi Matteuccius, *Cap.* 39. *Offic. a n.* 15. de quibus infra. Monacellus clarius & brevius pronuntiat, quod si percussio in casu sit levis, absolutio pertineat ad Episcopum: *ex d. Cap. Religioso*, quoties vero foret enormis, ad Episcopum eam non spectare, sed ad Papam juxta *Cap. Cum illorum* §. *Si vero, ita part.* 3. *cit. pag.* 36. *n.* 22. Postremo Passerinus manifeste sustinet absolutionem a Prælato Regulari percutientis fore ipsimet dandam: de elect. Can. *Cap.* 26. *qu.* 7. *n.* 67. & 69. At ego cum hoc ultimo teneo, posse quidem Religiosum qui Clericum Sæcularem percutiat pro sui libito & libertate recurrere pro absolutione ad Sacram Pœnitentiariam, de cujus stylo est, absolutionem hujusmodi & aliorum excessuum recurrentibus impertiri, esto etiam Regularis alium ejusdem

Ordinis percuteret Regularem, sed alias negari non posse absolutionis ejusdem facultatem Praelatò Regulari competere de jure, idque assero propter privilegia ampla paulo ante signata, quae nullam restrictionem aut distinctionem important & exceptis quatuor, aut quinque casibus ut ibi *n.* 11. & 12. nullam exceptionem casus hujusmodi adducunt, sive percussus sit Regularis, sive sit Clericus Saecularis; ut evidens est legenti.

§. II. Nec allegata jura de recursu habendo ad Sedem Apostolicam seu ad Episcopum Cap. *Cum illorum* & Cap. *Religiosi*, quorum primum conditum fuit per Innocentium IV. secundum per Bonifacium VIII. urgent in casu: cum adducta ex altera parte sint posteriora cum necessariis derogatoriis; concessa nempe per Gregorium XI. Bonifacium IX. Sixtum IV. Julium II. inter quos Bonifacius signanter IX. facultatem hanc quantum ad percussionem Clerici Saecularis specifice expressit; uti supra n. 23. Quae sane adducta privilegia nec contraria sunt Tridentino nec inveniuntur ullibi abrogata. Eademque probatio valet de percussione quacumque etiam enormi; quia percussionis hujusmodi nulla est exceptio in generalibus amplis privilegiis; immo percussio revera *enormis* Clerici etiam Saecularis specificatur in d. privilegio Bonifacii IX. Religioni Praedicatorum concesso: quod repetere non est nefas: ibi: *Qui manus violentas in Confratres vel alios quoscumque Clericos etiam usque ad sanguinis effusionem & enormem laesionem injecerint* in Bullar. Ord. Praedic. inter privil. Bonifacius IX. n. 4. apud Passerinum. Cap. 26. ubi supra n. 69. Admitto equidem quod absolutio nequaquam tribuenda sit a Praelato Regulari, nisi satisfacto Episcopo & praesente eodem vel aliquo ab ipsomet deputato poenitentiam injunctam percussori acceptante & comprobante; eo modo quo mox diximus in casu Regularis percutientis Regulares distincti Ordinis; cum aequitas non minus immo principalius militet pro Episcopo ejusque subdito Arg. Cap. *Cum illorum de sent. excomm.* Caeterum quoad hanc absolutionis materiam maxima urget exemptio Regularium ab Ordinariis locorum in quibuscumque casibus, praeterquam in expressis a Tridentino Concilio, super quos ratione dictae manifestae exemptionis hi facultatem habent jure non ordinario sed delegato, cui exemptioni nullatenus possunt Regulares ipsi renuntiare: unde movet dubium Passerinus citatus: An Regularis percutiens in supposito valide per Episcopum absolveretur, & nisi Episcopus ageret tamquam ab ipsomet Praelato Regulari delegatus, negativam laudatus Auctor conglomeratis Doctoribus solidissime probat. *Cap. d.* 26. *qu.* 15. *per tot. n. signanter* 140. & 141.

§. III. Neque ulla irrogaretur injuria Episcopis in casu, immo nec aliquod commodum Regularibus sive Praelatis sive subditis resultaret, cum nihilominus satisfactio partis laesae nempe Clerici percussi & Episcopi ejus Superioris acceptantis poenitentiam sive poenam respective percussori imponendam, requiratur ex dictis, & ulterius posset Episcopus de executione poenae injunctae certam notitiam exquirere; nec non per prius cogere Praelatum Regularem ad imponendam poenitentiam sive poenam non quamcumque ad libitum sed condignam; sicut idem praetendere quiret quoties gravis percussio Regularium inter se vel alterius etiam laici contingeret extra Claustra vel intra Claustra eadem, sed cum notorietate & scandalo: juxta alibi dicta *Tom. I. Dub. X. Sect.* 4. *n.* 44. ad normam Tridentini *sess.* 6. *cap.* 3. & 14. *de Reformat.* & Constitutionem Clementis VIII. *Suscepti muneris*; nec non declarationem S. C. C. apud Sperell. *decis.* 38. *n.* 15. Verum observato etiam motu proprio Benedicti piae mem. XIII. Clementinam Bullam declarante & moderante ad tenorem item praemissorum, in *tom.* 1. *ibidem n.* 46. *seq.* Est specialiter autem adnotandum quod licet in eadem cit. *Dubit. X. Sect. IV. Tom. I. n.* 50. *§. I.* enunciavimus casualiter; Regularem percussorem Sacerdotis Saecularis quodammodo subjici Episcopo offenso & proinde probabilius ab Episcopo ipso debere absolvi; attamen propter doctrinam hic distinctius digestam, absolutionem impartiendam esse absolute per Regularem Praelatum firmamus: atque subjectionem Episcopo offenso expleri sufficienter per poenam percutienti impositam, quae ab Episcopo ipso prius satisfacto & de executione certiorato simulque a percusso Clerico approbetur, idem quamvis perspicue deducitur ex Decreto S. C. C. ibidem in d. *sect. IV. tom.* 1. *n.* 50. §. 1. in fine adducto *in Mediolanen.*, *Censurarum* 2. *Decembris* 1719.

27 Hinc ut textibus & rationibus adductis per Patrem Matteuccio contrariam sententiam pro Episcopis sustinentem ut n. praesedente 25. §. 1. post initium innuimus, recondeamus. Ipse allegat in primis *Cap. d.* 39.

d, 39. *n.* 15. Extravagantem Sixti IV. *Etsi de panit. & remiss.* in qua prohibetur sub pœna excommunicationis reservatæ Regularibus ne vigore facultatum obtentarum absolverent eos qui occiderent vel mutilarent Clericos: ut ibi. At saltem restringeret objectum laudatus Pater juxta verba Extravagantis *per se ipsum citatæ* ad occisionem & mutilationem ut ibi, absque eo quod ultro extenderet ad quamcumque percussionem. Nihilominus etiam indeffinite loquendo; constat dictam Bullam editam fuisse occasione Jubilæi Magni, quando proinde idem Pontifex revocans indulgentias sparsim per Orbem simul & revocabat facultates si quas concessisset absolvendi generaliter ubivis Christifideles a casibus contentis in Bulla *Cœnæ* & a quibusdam excessibus gravioribus censurisque sibi soli reservatis; absque eo quod ullam ibi fecerit mentionem de Prælatis Regularibus erga proprios subditos. Eadem Bulla perlegatur & perpendatur an aliquod ad propositum contra Regulares revera contineat. Ultraquamquod aliæ non desunt Constitutiones post citatam Extravagantem privilegia Prælatorum Regularium quoad absolutionem subditorum ab omnibus quibuscumque casibus & censuris exceptis illis quatuor aut quinque superius n. 11. recensitis renovantes & confirmantes, Julii II. post Sixtum dictum IV. tum Pauli III. & aliorum apud Passerinum *Cap.* 26. *qu.* 5. 7. & 15.

§. I. Adducit inde P. Matteucci Clementis VIII. celebre idem Decretum quod præsenti quæstioni præbet principale motivum editum de anno 1602. sub die 26. Novembris, in quo nempe tertius casus hic examinatus a quo prohibentur absolvere Confessarii tum Sæculares tum Regulares relevat iis quæ sequuntur verbis = *Inicientes violentas manus in Clericum juxta Canonem. Si quis suadente: &c.* ET JURIS DISPOSITIONEM. Juris autem dispositio est ipse ait, ut Regularis percutiens Clericum absolvatur ab Episcopo Cap. *Religioso cit. de sent. excom. in* 6. Facultas propterea Prælato in casu non potest negari non adempta, additque quod statim ac Regularis percusserit Clericum Sæcularem secundum posita a nobis in præcedenti §. II. in fin. fit de foro Episcopi cujus subditum offendit, ideoque ab ipsomet tenetur absolutionem petere. Si vero replicetur cum Diana præfatum Decretum sub Clemente VIII. adigere quidem Regulares, sed in ordine tantum ad pœnitentes Sæculares; respondet iterum Mat teucci? posse concedi replicam stando in materia uniformi videlicet si Regularis percutiat Regularem, non vero si excesserit percutiendo Clericum sub litum Episcopi, de cujus foro propterea fit percutiens ipse propter delictum uti supra. Sic Cap. cit. 39. off. Cur. n. 15. seq. Ad hæc tamen etiam celeriter satisfit quod esto Decretum adductum in casu nostro valeret non posset non limitari ejus valor intra Italiam & nequaquam extendi extra ipsam, nec vigorem ullum habere intra Urbem ut clare legitur ibi; ita quod Regulares in Urbe ipsa & extra Italiam fierent deterioris conditionis ac Sæculares nec possent absolvi a propriis Prælatis immo a quibuscumque propriæ Religionis Confessariis, nisi aliunde oriretur quantum ad hujusmodi percussionem reservatio. Nihilominus juxta declarationem S. Cong. a P. Diana relatam & DD. fere omnes, immo juxta contextum evidentem Decreti ipsiusmet manifeste habetur inhibitionem absolvendi a casibus in Decreto expressis ligare Confessarios approbatos & deputatos ab Ordinariis respective locorum, per consequens in ordine ad subditos eorum Sæculares, & ita facultatem Prælatorum Regularium respectu Religiosorum sibi subditorum remanere in suo robore firmam: ex notatis item signanter per Pelizarium & alios apud ipsum de Monialib. *Cap.* 9. *n.* 19. Quod autem additur per Laudatum Matteucci, ob percusionem Clerici Sæcularis, prout a nobis etiam notatum fuit, Regularem fieri subditum Episcopi, non magis probat de Episcopo ac de Prælatis Regularibus aliorum Ordinum quorum subditus percuteretur, ita quod Regularis percutiens evaderet de foro eorumdem, ipsos in subditis offendendo. Ideoque cum salvetur dependentia per satisfactionem ipsis offensis datam & per pœnam injunctam offendenti de beneplacito Prælati qui in proprio subdito offensus fuerit, non minus satisfactio sufficiens præberetur Episcopo a cujus foro in aliqua parte dependeret percussor in terminis mox relatis num. præcedenti 25. §. I. & II. Propter rationem repetitam eo quia privilegia absolvendi in casu sunt concessa absque limitatione: propterea absque limitatione possunt iis uti Prælati Regulares. Suarez *tom.* 4. de Religione *tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 11. *n.* 2. addito signanter privilegio expresso in terminis Bonifacii IX. ad Canones in contrarium adductos posteriori: ex animadversis item num. præcedenti 25. §. I. Minus exinde re-

relevat responsio gratis addita a P. eodem Matteucci de materia uniformi; nimirum privilegia limitari ad absolutionem Religiosi percutientis Religiosum alterum non vero habere vim si percutiat Clericum Saecularem. Probaret siquidem replica quod non posset absolvi a Praelato proprio Religiosus qui percuteret Saecularem, propter subjectorum difformitatem majorem prae illa quae inter Ecclesiasticos vigeat; & saltem negari non potest, quod non servetur integre uniformitas materiae quoties Religiosus onius Ordinis, Regularem percusserit Ordinis disparati, materia namque perspicitur non ita uniformis, veluti si essent ambo in una Religione professi, & sub eodem Praelato; & tamen facultas absolvendi delinquentem, hujus Praelato proprio communiter conceditur per Doctores in terminis supra relatos num. eodem 25. init. Verum omnem litem dirimit privilegium non una vice relatum Bonifacii IX. ubi in terminis exprimitur facultas data Praelatis Regularibus absolvendi subditum percussorem Clerici cujuscumque etiam *usque ad effusionem sanguinis, & lesionem etiam enormem*: cui nequaquam potest peculiaris Auctoris dictum praevalere aut derogare. Videatur Gueber extendens hujusmodi facultatem in Praelatis Regularibus absolvendi subditos ad quamcumque percussionem, etiam mutilationem, occisionem cujuscumque Clerici sine distinctione ulla *pag.* 556. licet insinuatae a nobis observationes sint necessariae.

§. II. Si vero quaeratur ad praesens: qui sint hi Praelati quibus conceditur facultas absolvendi subditos percutientes Religiosum ejusdem vel alterius Ordinis sive Clericum Saecularem ad normam praefatorum a num. usque 22. Respondebimus esse absque dubio Generales Provinciales eorumque Vicarios, & in Religionibus illis quae localibus non adimunt aut diminuunt facultates in hac materia ut in illa Praedicatorum, esse etiam locales ipsos, Priores videlicet vel Subpriores in Capite, aliosque quocumque appellentur nomine, dummodo independens gubernium gerant vel absolute vel ad tempus: juxta explicationem datam in hac ipsa Dubitatione XIX. Sect. I. n. 2. & seq. cum advertentia item pluries insinuata quod apud Ordines quosdam ut est ille Jesuitarum tota facultas Praeposito sive Superiori Generali specialiter per Bullas Pontificum attributa, ab hoc deinde subalternis pro opportunitate distribuatur. Caeterum pro Religione Minoritica relevat statutum sequens = *Ab excommunicatione contracta ob violentam manuum injectionem possit Guardianus vel eo absente per diem naturalem Vicarius absolvere si Ministri praesentia intra triduum haberi non possit, quod de percussione atroci vel subditi in Praelatum nunquam intelligendum esse decernimus.* Ex quo colligitur literaliter, posse Guardianum aut Vicarium eo absente per diem naturalem, absolvere a percussione levi, atque mediocri, quia excipitur tantum atrox, & quatenus intra triduum nequeat adiri Ministri Provincialis praesentia; nullatenus autem a percussione esto levi & censura per eam incursa posse absolvi subditum si Praelatum percusserit, quia exceptio quoad Praelatum est absoluta. Ulterius absolutionem in casu posse impertiri quoad utrumque forum salvis semper poenis delicti qualitati debitis quantum ad forum exte rnum contentiosum, eo quia lex non distinguat propterea neque nos distinguendi habeamus facultatem, ex communi axiomate apud Barbosam 136. *n.* 4. *&c.* Patet inde pariter non esse pronuntiandom negandam omnibus Superioribus localibus Regularibus facultatem hujusmodi nisi a Generalibus vel Provincialibus delegetur: prout agit Matteuccius paucis se expediens Verbis *Cap. cit.* 49. *n.* 22. cum Superioribus etiam localibus per se competat; quatenus aliunde non oriatur resistentia municipalis statuti. Sed nunquid Poenitentiariis non inest facultas absolvendi ab eodem casu, praeter quam Guardianis? Inest equidem; si sermo sit de Religione nostra, quia casus hujusmodi continetur in tabella reservatorum tum apud Observantes *num.* 18. tum pro Reformatis *num.* 3. Consequenter habita Poenitentiarii facultate super casus reservatos in dicta tabella ut sine controversia supponitur possident proculdubio eam quoque absolvendi ab hoc peculiari casu inter eos connumerato; esto percussio sit gravis, quia in reservato casu percussio ipsa gravis exprimitur: verum in solo foro conscientiae & quatenus percussio sit occulta, quae facultas tunc non solum est ad peccati absolutionem sed etiam censurae quicquid in contrarium afferant alii; habens namque potestatem super casum, habet & super censuram ipsi adnexam; cum nequeat immo absolvere a peccato nisi per prius a poenitente censurae impedimentum per absolutionem tollatur: ex alibi animadversis & apud Lezanam Verbo Censura *n.* 13. cum caeteris. Nequaquam tamen, si casus sit deductus ad forum contentiosum aut percussio sit publica; tunc etenim in Religione Mi-

Minorum reservatur percussio Provincialibus eorumque Vicariis; præcipue si percussio sit enormis: ex præallegato statuto; ita ut in dicta suppositione vel per eos privative vel per Delegatos speciales possit impertiri absolutio. Guardianis autem competat potestas Delegati veluti aliis Pœnitentiariis regulariter loquendo sed cum hoc discrimine, quod in Ordine ad percussionem levem & mediocrem possident potestatem ordinariam a jure sibi traditam, sicut etiam Vicarii in eorum absentia uti supra & quoad utrumque forum si per tres dies absit Minister Provincialis, quia in lege statutaria quoad forum non fit limitatio; licet enormem percussionem vel qualecumque cujuspiam Prælati occultam absolvant tantum inquam Pœnitentiarii in foro conscientiæ ex prænotatis. Quæ doctrina circa Pœnitentiarios respective pro omnibus Regularibus valere potest consideratis eorum Constitutionibus: juxta præmissa in Sect. præcedente num. 8. & 9.

27 Ad quæsitum deinde quod potest moveri incidenter; an vigore privilegiorum valeant Confessarii Regulares ab Ordinario approbati absolvere Sæculares & exteros a percussione Clerici saltem levi? Respondetur *negative*, attento prædicto Decreto Clementis seu Sacræ Congregationis Clemente VIII. approbante; nam ibi inhibetur Confessariis etiam Regularibus absolutio ab hujusmodi casu inter alios ibi simpliciter absque ulla distinctione; propterea neque nos juxta mox dicta distinguere possumus inter percussionem levem mediocrem sive enormem, eo modo quo asserit laudatus Matteucci *Cap. cit.* 39. *n.* 17. Ubi tamen addit pœnam inhabilitatis ad audiendas Confessiones transgredientibus, sed absque fundamento; cum pœnam hanc in decreto ipsomet Clementis de anno 1602. citato per eumdem Matteucci, possit quis legere explicite sublatam & apud Felicem Potestatem num. 3473. Prout in eodem Decreto expresse apparet, prohibitionem percutere Confessarios tantum extra Urbem & intra Italiam, quamvis hoc ipsum citatus Auctor nollit advertere. Quapropter concludere nequaquam dubitaut quod possit leviter percutiens Clericum in Urbe & extra Italiam a Confessariis Regularibus absolvi virtute privilegii a Paulo III. Jesuitis elargito in Constitut. incipien. *Cum inter cunctas* 3. *Junii* 1545. Lezana V. *Clericus n.* 1. *& tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 15. *&* 16. nec non Felix potestas *tom.* 1. *part.* 4. *Cap.* 5. *a n.* 3459. ubi Constitutionem Pauli III. recenset & n. 3475. Cum limitatione tamen quod facultas hujusmodi non se extendat extra conscientiæ forum. Porro de hac facultate Confessariorum Regularium erga sæculares & exteros non tantum quoad dictum casum & reliquos expressos in Decreto Clementis VIII. in Urbe & extra Italiam, sed etiam generaliter quoad alios Papæ reservatos seclusis iis qui continentur in Bulla *Cœnæ* atque reservatis cum derogatione privilegiorum, ne tractatus repetatur prolixior extra propositum recolenda sunt quæ diximus in *primo tom. dub. v. sect. iii. n.* 36. *&* 37. Et legi possunt Auctores Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. & V. Confessarius Regularis *a num.* 5. Felix Potestas cit. *a num.* 3457. *&c.* Anacletus Reinffestuel tit. de hæret. *n.* 430. & de sent. excom. *a n.* 255. pro quo facit ejusdem doctrina tit. de privileg. §. 4. *n.* 73. *seq.*

§. Un. At quia nonnulli facultatem hanc absolvendi in Regularibus impugnantes fortius argumentum fundant in Bulla Clementis VIII. *Quæcumque* de anno 1604. die 7. Decembris lâ 115. in Bullar. Cherub. ubi restringit laudatus Pontifex potestatem Confessariorum Regularium erga sæculares prætextu privilegiorum, nimirum quod sub dicto prætextu nequeant eos absolvere *a casibus Bullæ Cœnæ; neque a recensitis sex in Decreto supra relato*: prohibens insuper absolutionem ab aliis casibus, ut ibi: *Tam a nobis quam a prædicto nostro in Urbe Vicario & locorum Ordinariis respective reservatis & pro tempore reservandis & etiam a quavis excommunicatione ab homine lata absolvere, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint*. Ideo non est omittenda advertentia, qualiter eadem Constitutio emanaverit ad effectum assignandi formam sub qua Ordines Regulares debeant erigere Confraternitates Sæcularium, ut potest constare legenti, & quomodo communicentur iisdem indulgentiæ & indulta, atque ad eludendam simul prætensionem Confratrum gaudendi privilegio eodem quo Regulares instituentes gaudeant circa absolutionem a prædictis, additum sit ibi §. 9. quod Confessarii ipsorum debeant esse approbati tam a suis Superioribus quam a locorum Ordinariis, nec valeant absolvere eos & dispensare uti mox retulimus. Quando itaque specificat ibi Pontifex quod nequeant Confessarii Regulares absolvere dictos Confratres Sæculares a sex casibus

jam

jam per se specialiter reservatis in Decreto de anno 1602. profecto debeat intelligi relative ad idem Decretum & ejus formam, nimirum in Italia & non extra nec etiam in Urbe, ut unanimiter Doctores autumant. Et cum addit neque a casibus reservatis & reservandis tam a nobis quam a prædicto nostro in Urbe Vicario & locorum Ordinariis respective, quod ibi loquatur ut Episcopus Romæ non ut universalis Pastor, ut patet ex contextu: non enim exprimit a reservatis & reservandis per Prædecessores nostros aut successores *Romanos Pontifices*, ut assolet explicari in similibus prohibitionibus, quæ universaliter auctoritatem Romani Pontificis præseferant: ex communi regula quod non sit ampliandus sensus verborum ultra expressa, signanter in odiosis. *L. 42. ff. de poen. Reg. 15. & Reg. 49. de reg. jur. in 6.* Card. Tusch. *lit. E. concl.* 665. Reinffestuel de Constit. §. 17. *n.* 427. Hæc dicta sint incidenter & casualiter, cum satis alioquin actum sit de hac materia in quantum ad præsens opus pertinet tom. 1. dub. cit. 1. sect. 3.

28 Quantum a reliquos tres casus qui in famoso Clementis Decreto de anno 1602. continentur, a quibus potest adhuc institui specialis quæstio an Prælatus Regularis queat proprios respective subditos absolvere: non est pro nunc ratiocinandum. Quartus namque de provocatione & pugna in duello, non occurrit inter Regulares, & esset suspicari nefas quod contingeret vel inter Milites sacros. Quintus de symonia reali scienter contracta, necnon alter de confidentia beneficiali, loco magis proprio examinandi differuntur; quatenus Deus votis faveat; vertam me igitur ad alios diversos casus de quibus non minor insurgit controversia ac deusque modo recensitis, an sub potestate absolutiva cadant Prælati Regularis respectu suorum subditorum, ob speciales in contrarium adductas sanctiones. Et primo de abortu fœtus præsertim animati intricatissima obvenit quæstio. Licet namque prima facie appareat hujus criminis reum posse a Prælato legitimo equidem absolvi, si inspiciantur privilegia tam ampla Prælatis ipsismet respectu subditorum elargita ut his evagandi occasio tollatur, in quibus privilegiis sive facultatibus absolutio ab hujusmodi casu seu censura minime excipitur, ut legenti constat. Attamen Sixtus postea V. in sua Constitutione: *Effrenatam* de anno 1588. &c. per extensum apud Lezanam *Verbo abortus n.* 3. reservavit specialiter Romano Pontifici casum eumdem, sive fœtus fuerit animatus sive inanimis excommunicationemque propter eumdem incurrendam inclusis mulieribus etiam professis; extensive ad consulentes & quomodocumque vel per se vel per alios procurantes & cooperantes, prohibens absolutionem ejusdem Confessariis omnibus sive Sæcularibus sive Regularibus non obstantibus privilegiis quibuscumque &c. Addita pœna irregularitatis pariter reservata, & contra Clericos sive Sæculares sive Regulares pœna privationis & inhabilitatis. Idemque quoad omnes pœnas & reservationes statuit contra procurantes aliquo modo sive consulentes sterilitatem & impedientes conceptionem fœtus, ut videre est in Bulla citata. Et licet Gregorius deinde XIV. præfatæ Bullæ Sixtinæ vigorem moderatus, eam quantum ad abortum fœtus inanimis & casum sterilitatis procurandæ ad terminos juris reduxerit, & quantum ad abortum fœtus animati tribuerit auctoritatem absolvendi a peccato & censura ejusmodi Confessariis sive Sæcularibus sive Regularibus ab Ordinario loci approbatis *& ad hujusmodi casus specialiter deputatis*, nihilominus quoad reliqua omnia eamdem Sixtinam Bullam in suo reliquit vigore, ut apparet in Constitutione ipsiusmet Gregorii *Sedes Apostolica* 31. *Maji* 1591. pariter ab eodem Lezana relata ubi supra n. 3. Ex quo concludunt Doctores non pauci, quod facultas ablata Regularibus per Sixtum non obstantibus eorum privilegiis neutiquam sit per Gregorium restituta, & sic posse minime Prælatos Regulares uti eadem erga Subditos vigore privilegiorum sæpe memoratorum sic Lezana loc. cit. *n.* 4. *& seq.* qui tamen ibi non sibi satis consonat, & Felix Potestas *n.* 3438. quamvis ambo quoad hoc reliquos Doctores minime sequantur, nec eamdem facultatem Prælatis Regularibus erga subditos absolvendos in sermonis decursu non denegant, non eadem tamen dicti ratione. Disputat autem Pater Lezana; an hic casus sit Papalis vel Episcopalis, sed quantum ad peccatum & censuram superflua est disputatio; quia reservationem Papæ abstulit Gregorius, indeque non esse amplius casum Papalem satis clare constat, sicuti posse dici Episcopalem præcise quantum *ad specialem deputationem* pro illius impertienda absolutione Confessariis alias per Episcopum approbatis, ut opportune notat Portella dub. Regular. *Verbo abortus* n. 5. Respectu vero irregularitatis remanere casum Papalem pariter est indubitatum, cum super hac non sit

sit data Ordinariis facultas & firma stet Bulla Sixti reservantis: ex animadversis per ipsummet Lezinam loc. cit. *n.* 13. 19. *&* 20.

§. I. Subdit hinc diligens alioquin & fundatus Doctor posse nihilominus ab hujusmodi peccato & censura subditos Regulares absolvi per proprium Prælatum, ex alio ut tetigi capite, quia cum data sit facultas Episcopis deputandi Confessarios ad ejusdem casus absolutionem in Gregoriana; Prælati consequenter Regulares qui per jura & Bullam signanter S. Pii V. pluries relatam erga subditos proprios auctoritate quasi Episcopali pollent, poterunt istamet in proposito plene uti. V. *Abortus n.* 8. cum limitatione tamen, quod debeant Confessarii ad hujusmodi absolutionem a Prælatis propriis specialiter deputari, veluti exprimitur in Bulla Gregorii de deputandis ab Ordinariis locorum, & hoc in sententia magis tuta, secundum Portellam citatum n. 5. Verumtamen contra doctrinam hanc militaret objectio: Prælatos Regulares frui erga subditos potestate quasi Episcopali, utique generaliter, atque in iis in quibus & ad quæ jus aliunde non resistit, seu auctoritas eorum non restringitur; At contingere restrictionem in casu per Bullam Sixti auferentis Episcopis auctoritatem & derogantis in ordine ad absolutionem de qua agitur Regularium privilegiis, inter quæ est jurisdictio quasi Episcopalis, per Constitutionem Gregorii deinde in casu minime restituta sicuti nec restituuntur privilegia quoad hoc specialiter ablata -- Hoc non obstante replicaretur a sustinentibus auctoritatem Prælatorum Regularium vigore paritatis, seu rationis adductæ per Bullam Sixti sublatam esse quidem facultatem absolvendi a dicta censura tum Episcopis, tum Prælatis Regularibus, non obstantibus eorum privilegiis: at per Bullam deinde Gregorii facultatem Episcopis restitutam. Cum etenim datur Confessariis ab Episcopo approbatis & ad id specialiter deputandis, potestas absolvendi, datur per consequens Episcopo facultas & approbandi ipsos & specialiter deputandi quoad hunc casum, proinde restitutam esse potestatem ipsammet Ordinariis Religionum, videlicet Prælatis Regularibus Ordinariam & veluti Episcopalem præeminentiam & jurisdictionem possidentibus erga eorum subditos respective. Eo magis, quod exclusio Regularium facta a Sixto non obstantibus eorum privilegiis, non repetita fore legitur in moderatione & nova concessione Gregorii, ad hoc, ut Regulares Prælati non intelligerentur in ea comprehensi indirecte, ex sæpe dicto principio, quod quæcumque conceduntur Ordinariis locorum intelliguntur etiam concessa, quoad hanc materiam absolvendi & dispensandi Ordinariis Religionum erga subditos proprios in terminis, signanter Bullæ pluries citatæ Pianæ *Romanus Pontifex* 21. *Julii* 1571. Rupertus Gueber huic adhærens opinioni sustinet reservationem quoad abortum effectu secuto, fuisse sublatam per Bullam Gregorii XV. uti supra: tradidit namque Gregorius Episcopis facultatem deputandi Confessarios, pro casus absolutione: unde cum sit factus casus idem ex Papali Episcopalis, Prælatos Regulares quoad eorum subditos minime ligat. Ita *pag.* 560. *n.* 35. Unumque adducit notabile, nimirum quod inter casus reservabiles per Regulares Prælatos Clemens VIII. adnumeravit postmodum per Decretum suum sub die 26. Maii an. 1597. procurationem &c. abortus animati etiam effectu non sequuto: unde supposuit Pontifex in Superioribus Regularibus potestatem absolvendi casum quem reservare deinde valerent. Licet replicari posset quod non aliter nec alio modo supponuntur Prælati posse absolvere casum quam ad instar Episcoporum deputando scilicet Confessarios peculiares &c. juxta Gregorii Bullam.

§. II. Felix vero Potestas suum fundat assertum in Confirmatione privilegiorum ex certa scientia, elargita deinde post Sixtum & Gregorium Prælatis Regularibus per plures Summos Pontifices, Clementem VIII. signanter Fratribus Minoribus in Constitutione *Ratio Pastoralis* 20. *Decembris* 1597. Citatque signanter Roderici Doctrinam, quod confirmatio ex certa scientia revalidat invalidum & revocatum, habetque vim novæ concessionis *ex Cap. Quoties de pactis. Cap.* 1. *de transact.* juncta Gloss. Quæ Clementis VIII. Bulla adducitur de verbo ad verbum a P.Reinffestuel de privil. §. 3. *n.* 13. Apud quem aliæ possunt perlegi tam pro Minoribus, quam aliorum Ordinum Religiosis circa communicationem, confirmationem, ac innovationem privilegiorum: una cum diligenti clara & egregia doctrina. §. 3. 4. *&* 5. Cui quidem opinioni se confirmat P. Didacus ab Aragonia, concedens sublata privilegia Regularibus quoad hoc per Sixtum V. nec revalidata per moderationem Gregorii XIV. sed renovata asserens per Clementem VIII. Urbanum item VIII. in Constitutionibus

ex cer-

ex certa scientia confirmantibus, ut de potestate absolvendi in Generalibus resolvit in dilucidat. *tr. 11. Cap. 5. n. 10.* iisdem fere verbis repetit de potestate Provincialium *tr. III. Cap. item 5. n. 10.* An de Superioribus localibus *tr. 4. Cap. 4. n. 12.* extendens facultatem Praelatorum hujusmodi cujuscumque gradus ad absolvendos subditos etiam convictos in foro externo. Observanda nihilominus non possunt utcumque negari cujuspiam Pontificis Constitutionis confirmantis verba, ut inde sumatur regula, sicut in aliis sic in praesenti casu. Nam si exprimunt confirmationem privilegiorum, quatenus non sint contraria Constitutionibus Summorum Pontificum praecedentium, ut habet confirmativa edita ab Innocentio S. M. XI. tunc nequaquam renovantur privilegia per decessores Pontifices revocata quale est hoc absolvendi a peccato & censura propter abortum faetus in terminis assignatis quod fuit revocatum a Sixto quoad Clericos etiam Regulares; sistendo in dicta ratione Bullae confirmantis ex certa scientia. Quoties vero in dicta confirmatione, non apponatur hujusmodi clausula, sed illa dumtaxat Solita *dummodo Decretis & Canonibus Concilii Tridentini non adversentur*, tunc dicenda est habere locum sententia, quod confirmantur privilegia omnia iamdudum concessa facultatesque, quamvis inde ab aliis Pontificibus infirmatas & irritatas, eo fortius quia in confirmationibus, seu Bullis confirmantibus apponuntur clausulae derogatoriae *Non obstantibus &c.* Cum igitur ita contingat in casu, affertur siquidem inter alias Constitutio Clementis VIII. confirmantis privilegia omnia & facultates exceptis tantum iis, quae Concilii Tridentini decretis adversantur, ut legenti constat; patet consequenter sustineri posse revalidatum & innovatum privilegium de quo agitur, eo quia nullibi in Concilio Tridentino anoullatum aut reprobatum, ex notatis quoque per Lezanam cit. V. *Abortus*; Quatenus autem privilegia in casu per confirmationem reviviscant, poterit defendi in Praelatis Regularibus dicta potestas etiam quoad forum exterius eo quia in privilegiis pro nunc assignatis forum istud externum non habetur exclusum attento signanter privilegio illo S. Pii V. pro Cassinensibus ad verbum transcripto apud Passerinum *Cap. 26. qu. 5. n. 46.* Quamvis si stemus in Bulla Gregoriana cit. *Sedes Apostolica* Regulares specialiter deputati a proprio Praelato possint absolvere ejusdem Ordinis Reos ab hujusinodi peccato & excommunicatione in solo praeciso foro conscientiae, cum ad hoc forum limitetur facultas ibi data Confessariis approbandis & deputandis per Ordinarium loci, nomine cujus diximus venire saltem ad instar Praelatum quoque Regularem respectu subditi attenta Bulla item alias citata Sancti Pii V. *Romanus Pontifex* 132. In suppositione item quod quatenus statuta Religionis alicujus a S. Sede confirmata, ut alibi notatum est non resistant limitando facultatem &c. Ita quod non transeat ad locales.

29 Fateor hic non placere sententiam Antonii a Sp. S. citantis alios in direct. Regul. *tr. 2. disp. 3. sect. 1. n. 35.* Quod Confessarii Regulares approbati quicumque possint ab hujusmodi casu & censura delinquentes Seculares absolvere, eo quia propter confirmationes Summorum Pontificum signanter Clementis VIII. *Ratio Pastoralis* revixit privilegium Pauli III. collatum Jesuitis, in quo participant Regulares alii praecipue Mendicantes absolvendi quoscumque Saeculares a casibus censuris quibuslibet exceptis contentis in Bulla *Coenae*; ut videre est per extensum apud Lezanam *tom. 1. cap. 19. n. 15. &* titulo *Confessarii Regulares n. 5. & 22.* sicut & apud Felicem Potestatem *tom. 1. part. 4. cap. 5. n. 3459.* Et licet excipi pariter debeant casus & censurae in Decreto Clementis supracitato reservatae intra Italiam; facultas tamen absolvendi ab abortu vigore dicti privilegii confirmati & renovati in subsequentibus Bullis non possit non firma remanere, cum nullibi inveniatur specialiter abrogata. Ita etiam cum aliis per se allegatis Peyrin. de privil. ad Const. Julii II. §. 32. *n.* 69. Fateor inquam hanc doctrinam non undequaque placere, cum casus praefatus secundum Gregorii XV. dispositionem evaserit Episcopalis, saltem Episcopis seu Ordinariis locorum sit commissus tamquam specialiter Delegatis; absolvendus videlicet a Praesbyteris tum Saecularibus tum Regularibus per illos specialiter deputandis: unde sit quod in serie casuum reservatorum Episcopo a quibus possint absolvere Confessarii per eosdem specialiter deputati, hic idem casus abortus &c. de ordine Papae sit connumerandus. Ita immo & taliter, quod connumeratus licet inter casus Episcopales exigat pro absolune sui specialem deputationem; seu deputatum specialiter: nec sufficiat generalis deputatio ad alios reservatos casus, si standum sit in verbis Bullae Gregorii ut bre-

breviter notavimus in Tom. I. Dub. X. Sect. III. n. 38. circa med. ad tradita item per Suarez *tom. 4. de Relig. in 3. part. disp. 29. sect. 3. a n. 6.* Fagundez in 2. Eccl. praecept. *lib.* 8. *cap.* 2. Barbos. de off. & potest. Ep. *alleg.* 51. *n.* 2. Ludovic. de Cruc. in expos. Bull. Cruc. *disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. quibus in hac parte intelligitur posterius derogatum; Concludendum itaque ad propositum non ita facile facultatem absolvendi Saeculares a casu & censura abortus cuilibet Confessario Regulari etiam virtute privilegiorum debere aot posse tribui eo fortius quia casus Episcopis respective locorum reservatos certum est nullibi posse per Regulares ipsos absolvi, juxta notissima Decreta sub Clemente & Urbano VIII. & Bullam signanter Clementis X. *Superna* annullantem privilegia nullo discrepante Doctore cui observationi in subiecta materia favet licet trepidans Lezana *tom. 3. tit. cit. Abortus n. 7. & 8. & tit. Casus reservati n. 4.* Litem autem dirimit reservatio hujusmet casus quae exponitur de facto in tabellis seu edictis propriis per Episcopos fere omnes *etiam effectu non sequuto*; cum alioquin ut innovantur poenae per Sixtum inflictae & relictae in suo robore per Gregorium simul cum asserta reservatione, requiratur effectus secutus ex eisdem Sixti & Gregorii Bullis & DD. Portell. Dubit. Regular. V. *Abortus n. 7.* Nald. in sum. V. *Item abortus n.* 5. cum communi. Coeterum tum respectu Saecularium ab Episcopo, tum Regularium a proprio Praelato reservari posse etiam effectu non secuto; ut pluries de facto contingit non est dubium, cum aliis Lezana Verb. cit. Abortus *n.* 9. *&c.* Cum addita semper cauthela quod si effectus abortus quoad animatum foetum fit secutus reqoiritur pro ejus absolutione respectu Saecularium specialis deputatio Confessarii ex vi Bullae Gregorianae.

30 Uniformiter ad dicta si de poenis huic crimini debitis distinctior habeatur sermo, ultra excommunicationem, procurans abortum foetus animati effectu secuto incurrit irregularitatem, quatenus sit vir, quae pariter est reservata Summo Pontifici; ex Bulla Sixtina relicta quoad hoc per Gregorium in suo vigore; sed est insuper reservata Papae ex alio capite utpote orta ex homicidio quod revera in perditione animati foetus committitur: Fagundez, Clericatus, Ant. a Spiritu Sancto, Felix Potestas *tom. 1. part. 4. n.* 3440. Et an possint in hujusmodi specialiter reservata irregularitate dispensari a Praelatis Regularibus cum subditis, videtur difficilis probationis affirmativa pars. Nihilominos ad dicta jam superius de casibus exceptis n. 11. & ad inferius dicenda de irregularitate in sect. subsequenti sensum meum refero. Videndus Lezana cit. n. 14. Passer. de elect. Canon. *Cap. 27. qu. 3. n. 28. usq. ad fin.* Ulterius a Clerico procurante abortum foetus animati effectu secuto incurritur privatio officiornm & inhabilitas; ut in Sixtina quae etiam quoad hanc partem in suo robore relinqnitur per Gregorium. Supponitque has quoque poenas reservatas Summo Pontifici per eumdem Sixtum Lezana, nitens tamen salvare facultatem dispensandi super ipsis in Praelatis Regularibus per privilegium concessum Ministrantibus infirmis communicatum coeteris a se allegatum loc. cit. n. 19. Ubi addit quod in dubio; an foetus fuerit animatus non incurrantur hujusmodi poenae sicut incurritur equidem irregularitas cujus speciale est incurri in dubio homicidii perpetrati *ex Cap. ad audientiam Cap. Significasti 2. Cap. penult. de homic.* Verum quoad privationem officiorum & inhabilitatem diligentius reflectit Portella has poenas in Bulla Sixti non cadere sub reservatione, sicuti reservatae ibi leguntur excommunicatio & irregularitas: propterea ex capite ejusdem Bullae Sixtinae *Effraenatam* non impediri Praelatos dictos quominus possint cum subditis dispensare super iisdem. V. *Abortus n.* 10. §. *Majus* Et de facto; ego ipse Bullam Sixti perpendens reservationem cadere super excommunicationem & irregularitatem clare collegi absque eo quod apponatur duabus aliis praefatis poenis &c. Quantum autem ad hunc casum apud Religionem nostram concludendum venit non aliter ac de coeteris Regularibus; tantummodo quia reservationem diximus mox n. 29. in fin. cadere super actum completum, videlicet super abortum foetus aoimati effectu secuto, ad tenorem Bullae signanter Gregorii XIV. *Sedes Apostolica*, non sublata tamen facultate Episcopis & Praelatis respective reservandi casum etiam non secuto effectu, addimus hic apud Reformatos Statutorum *Cap. 7. n.* 13. casum legi de facto reservatum ut sequitur lingua Italica *procurare ajutare consigliare aborto animato; ancorche non sia seguito l'effetto*. Unde apud ipsos Strictioris observantiae, esto effectus nequaquam sequatur patet non posse absolvi casum nisi ab habente facultatem super reservatos. Quantum ad ir-

ad irregularitatem aliaſque pœnas privationis & inhabilitatis inſervit doctrina tradita pro omnibus & ſignanter ſectione exactius diſcutienda.

31 Aliæ ſuperſunt cenſuræ ſpecialiter reſervatæ qualis eſt excommunicatio lata in jure ob contemptum clavium, quando quis videlicet non vult ſubdi poteſtati Eccleſiæ allegans injuſtitiam intollerabilem. Excommunicatio item contra peccantes in confidentiam privilegiorum & facultatis conceſſæ Confeſſariis abſolvendi; ſed ab his niſi expreſſa ſit in Bullis ſive Decretis derogatio privilegiorum etiam quoad Regulares, propter privilegia ipſamet ampla in communi conceſſa abſque limitatione & inde confirmata abſque reſtrictione, cum excluſione eorum tantum quæ Tridentino contraria ſunt, dicendum poſſe Prælatos propriis ſubditis abſolutionem impertiri: cum Suarez *tom.4.de Relig. tr.8.lib.2. Cap.21.n.* 8. Rodriguez *tom.1. qu.20. art.15.& 16.* Portel. *in dub. Regularibus* V. *Prælatus ad abſolvendum n.*30. *&* 31. Antonius a Spiritu Sancto *tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *n.* 52. Adeſt ſimiliter cenſura reſervationem ſecum ferens peculiarem contra ſimoniace promoventes & promotos ipſos ad Ordines, cum derogatione privilegiorum in hac parte quantum ad Regulares per Sixtum V. in Conſtitutione *Sanctam* 5. Januarii 1588. quam licet moderatus fuerit Clemens VIII. per aliam Conſtit. *Romanum Pontificem* 28. Februarii 1595. reducens ad normam Sacrorum Canonum Concilii Tridentini & alterius Conſtitutionis S. Pii V. *Cum ex Sacrorum Ordinum*; quoad male promoventes ob rationes diverſas, nempe per ſaltum, ſine titulo, furtive, & ante ætatem; attamen ratione præciſe ſimoniæ illam & pœnas in ea contentas in ſuo robore reliquit. Tenent nihilominus Doctores etiam ab hac cenſura poſſe per Prælatos Regulares proprios ſubditos abſolvere, attenta ampla confirmatione privilegiorum deinceps ex certa ſcientia cum clauſula *non obſtantibus*, veluti præmiſſum eſt de abortu num. 28. §. II. Fuſe Portella *loc.cit. n.* 29. *& V. Privilegium n.* 30. Felix Poteſtas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3442. *ſeq.* Ubi multo magis concludit idem de cenſura incurſa propter ſimoniam in collatione officii vel Beneficii poſt Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 2. *art.* 13. Portell. loc. mox cit. Hoc idem aſſeverat D. Rupertus Gueber de privileg. tract. III. diſp. I. Sect. II. n. 30. fuſius ampliſſimis confirmationibus privilegiorum. Quamvis ei obiiciat D. Euſebius Amort ejuſdem Congregationis Lateranen. in addit. ſub n. 31. pag. 553. confirmationem generalem privilegiorum non præjudicare exceptioni peculiari ab anterioribus Pontificibus factæ. At de his alibi Deo adiuvante, ubi etiam de Minoritis. Utrum vero a caſibus & cenſuris hujuſmodi ſpecialiter reſervatis, ſignanter propter abortum effectu ſecuto & ſimoniam in promoventibus & promotis ad Ordines poſſint abſolvere Pœnitentiarii inter Regulares vel ſoli Prælati, mox erit manifeſtum ex aſſignanda generaliter regula.

32 Examinanda eſt itaque tum in præfatis tum in ſubſequentibus adducendis caſibus quoad cenſuras, aliaſve pœnas qualitas reſervationis ſi hæc apponatur & inſit: nam quoties cenſura aliaque pœna eſſe taliter reſervata per Pontificium Decretum in Religione admiſſum, ut derogaretur etiam quoad ejus abſolutionem ipſius Religionis privilegiis, certum eſt, Sedem Apoſtolicam fore adeundam: ex jam data doctrina, quod quælibet Religio poſſit propter commune bonum privilegio abrenuntiare aut ejus uſum moderari ſupra *ſect.* 1. hujuſmet *dubit. n.* 3. Si autem in reſervatione abrogatio ſeu derogatio privilegiorum non teneatur tunc cenſetur quidem ſublata Confeſſariis ſimplicibus ejuſdem Ordinis poteſtas abſolvendi, cum ſimul inter Regulares & reſervatio atque prohibitio ipſos reſpective percutiat, ſed nil prohiberet poſſe & abſolutionem & diſpenſationem juxta qualitatem pœnæ a Prælatis Regularibus impertiri, quatenus ipſi interpretarentur excepti propter conceſſiones generales alibi citatas in Mari Magno cujuslibet Religionis Prælatis ipſis elargitas abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris, præter quatuor vel quinque & diſpenſandi in aliis reſpective pœnis, præterquam in expreſſis ſupra n. 11. apud Lezanam *tom.* 5. in Mari Magno ſingillatim Religionis Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Servitarum & Minimorum cum eruditis ibi adnotationibus. Unde in caſu paulo ante adducto de ſimoniace promotis ad Ordines, cum Bulla Sixtina derogans privilegiis Regularium quoad abſolutionem eius revera ſubſiſtat, difficulter ſalvatur, quod in nova confirmatione privilegiorum ex certa ſcientia contineatur hujuſmodi abſolutionis facultas; cum videatur Bulla derogatoria ſpecifice in hoc & in ſimilibus indigere ſpeciali mentione ad non obſtandum, niſi tamen Verba in nova Conſtitutione confirmante ſint adeo expreſſiva & prægnan-

gnantia ut censeantur clare & indubitanter cuicumque etiam speciali mentione dignæ Sanctioni in contrarium omnino itidē degorare, cum advertentia item quod ubi agatur de nullitate collationis non potest nisi Sedes Apostolica providere, cum nullus Prælatus Papa inferior possit quod est nullum revalidare, aut ei quod non est subsistentiam præbere: ex regulis satis notis in 6. Reg. *n.* 18. *&* 26. Suarez de Cens. *disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 34. Herinex *tom.* 2. *de excom. lib.* 3. *Cap.* 14. *n.* 2. *& seq.* Passerin. *Cap.* 29. *qu.* 8. *a n.* 64. *seq.* Quibus addo, quod si casus, qui per speciales Constitutiones Sedi soli Apostolicæ reservantur etiam inter Regulares in tabella & numero reservatorum aliorum recenseantur, a Pœnitentiariis ex vi sibi commissi muneris poterunt quidem absolvi: sed quoties inibi non contineantur aut alias commissa super absolutionem ipsorum facultas iisdem Pœnitentiariis non deprehendatur, necessæ his erit Prælatos quibus privilegium elargitum est adire & consulere, ex naturali ratione, quod nemo dat quod non habet ad tradita item superius in sect. antecedente *n.* 8. *&* 9.

33 Subsequenter ad præmissa occurrit casus in Regularibus, prohibiti recursus ad Seculares extra Ordinem, qui distinctas exigit considerationes præ excessibus quibus subjacet; variis quidem & notabilibus Religioni perniciosissimis. Etenim recursus ad Sæculares potest intelligi primo scilicet ad Tribunalia extra Religionem in causis ad Religionem eamdem spectantibus, pro quo perpendendæ sunt item prohibitiones vigentes in Ordinibus respective an per Decreta vel Bullas Summorum Pontificum sint confirmatæ, quasque pœnas contineant, & attendi quoque debet reservationis qualitas quatenus sit adnexa juxta mox dicta. Sanctorus autem ad propositum putat, prohibitiones recurrendi generaliter ad Tribunalia Sæcularia comprehendere recursum ad Episcopos in casibus, in quibus Episcopi super Regulares non præseferunt jurisdictionem, licet ipsi super prohibitione recursus hujusmodi ad Episcopum non haberent peculiare statutum, ea ratione motus quia cum Clerici in jure distinguantur in sæculares & Regulares, propterea nomine Tribunalis Sæcularis veniat etiam Episcopale, a quo Regulares sunt exempti de pœn. *Cap.* 14. *qu.* 3. Sed pace laudati Viri, non capio quomodo excommunicationes latæ contra sic recurrentes ad Sæcularia Tribunalia afficiant Regulares qui recurrant ad Tribunal Ecclesiasticum, quale est illud Episcopi cum simpliciter in pœnis sic latis supponatur pro Tribunali Sæculari laicale prout ab Ecclesiastico est distinctum quod non potest negari ab ipso Sanctor. loc. cit. V. *Respondeo tertio*, patetque in textibus *Cap. Noverit & Cap. Gravem* de sent. excom. *&* §. 15. *Bullæ Cœnæ*; Quoties equidem per Bullas speciales in aliqua Religione vel per Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas inhiberetur recursus, *non ad Tribunal. Sæculare* sed sub terminis generalioribus *extra Ordinem*, posse dici tunc comprehendi recursum ad Tribunal etiam Episcopale communiter conceditur, in iis tamen, quæ sui juris non sunt, vel quatenus Episcopus non sit specialiter a Sancta Sede delegatus in causis seu casibus ad Regulares spectantibus per Tridentinum signanter, qui casus ab eodemmet Sanctoro recensentur. V. *Primus est* & seq. loc. cit. usque ad quæst. 4. ubi non pauca immiscet impugnanda, quod non expedit ad præsens. In nullo casu, his non obstantibus posse prohiberi per legem aut statutum recursus etiam per saltum ad Apostolicam Sedem ut tactum est dubit. præced. sect. 1. sustinent Navarrus *lib.* 2. *consf.* 2. *de appell. n.* 1. *& consf.* 4. *n.* 3. Panv. in direct. *part.* 3. *com.* 31. Covarr. Sanchez, Portell. Emanuel Rodriguez, quos aliosque citatos sequuntur Hieronymus Rodriguez *resol.* 10. *n.* 2. necnon Peyrin. *tom.* 3. *in addit. ad Bullam* Leonis X. *Cap.* 4. n. 2. Verum salvari opportere jam cautum fuit Constitutiones & Decreta quæ aperte distinguunt inter appellationes ad suspensivum & devolutivum, juxta qualitatem causarum. Decreta nempe S. C. Episc. sub Clemente VIII. 16. *Octobris* 1600. & sub Urbano pariter VIII. *die* 5. *Septembris* 1626. confirmata & declarata per Benedictum piæ mem. XIII. in append. ad Conc. Rom. cum additionibus opportunis *n. XIII.* relatas quoque & confirmatas per Regnantem BENEDICTUM XIV. in sua Constitutione *Ad militantis de anno* 1742. 3. Cal. Aprilis. Sed de his casualiter & pro omnibus Religionibus in genere.

34 Verumtamen, ultra pœnas adversus improbatos recurrentes in municipalibus legibus & Bullis peculiaribus pro aliquo Ordine specialiter taxatas, ut per Julium II. pro Religione Prædicatorum, Gregorium XIII. pro illa Minorum. Clementem VIII. pro Eremitis S. Augustini & in genere per Bonifacium IX. Leonemque X. Apud Confectium in compendio fol. 21. & fol. 120. viget contra omnes pa-

pariter excommunicatio lata in Bulla *Cœnæ* contra recurrentes videlicet ſive appellantes quoſcumque in cauſis Eccleſiaſticis ad Sæculare Tribunal. §. 15. Pro cujus abſolutione ratiocinandum eſt conſequenter ad ea quæ dicta ſunt circa facultatem Prælatorum Regularium abſolvendi ſuos a caſibus in Bulla *Cœnæ* reſervatis ſuperius a *n.* 11. *& ſeq.* Felix Poteſt. *n.* 3372. Additur tamen neceſſaria replica quod eſto facultatem hanc in Prælatis Regularibus reſpectu ſubditorum reſidere quis tueretur, poſſit nihilominus in aliqua Religione uſque adeo reſervari iſte caſus, ut a ſolo Pontifice præterquam in mortis articulo ejus abſolutionem quis conſequi queat, cum privilegiorum uſum per municipalia ſtatuta ex paulo ante relatis valeat quæcumque Religio reſtringere. Donat. *in prax. part.* 1. *tr.* 7. *qu.* 11. Doctrina autem impræſentiarum Patris Sanctori. *Cap.* 18. *de pæn. qu.* 4. ℣. *Quoad autem* Excommunicationem nempe & alias pœnas latas in Conſtitutionibus & diplomatibus pro una Religione cum reſervatione ſpeciali, extendi ad ſubditos Religionum quarumcumque participantium in privilegiis, quia licet videatur eſſe ſermo de odioſis revera agitur de favorabilibus, cum Pontificiæ Sanctiones in caſu tendant ad bonum commune Religionum ipſarum. Doctrina inquam hæc nequaquam arridet: ea namque attenta nullum foret privilegium cuipiam Religioni collatum, quod poſſet dici odioſum & per conſequens non obligaret reliquas, cum quodlibet ejuſmodi ad bonum commune & obſervantiam Regularem ex ſe tendat; at manifeſtum eſt, plura conducere ad Regularem diſciplinam, conſequenter ad commune bonum unius Ordinis, quæ non ita congruunt profeſſioni & ſtatui alterius, ideoque quamdiu ſimus in pœnalibus longe verior cenſenda foret ſententia quod non valeat communicatio ſeu extenſio Sedis Apoſtolicæ Sanctionum atque decretorum ab una ad cœteras Religiones, ex communi regula juris in 6. *n.* 19. Portell. *dub. Regul. V. Communicatio n.* 10. Reinffeſtuel de Conſtit. *n.* 442. & in terminis tit. de privileg. §. 3. *n.* 66.

35 Et ſane contra ſubditos in Ordine Minorum ad Tribunalia Sæcularia recurrentes militat Conſtitutio Gregorii XIII. *Quoniam noſtro edita die* 8. *Octobris an.* 1575. a qua utpote nimis odioſa, nullam ex aliis Religionibus ſe teneri ligatam opinarer; prohibetur ſiquidem in ea: *ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, a qua non niſi a Romano Pontifice præter quam in mortis articulo abſolvi poſſint, nec non privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum,* ET INHABILITATIS AD ILLA, *& alio quæcumque dicti Ordinis Officia exercenda & vocis tam activæ, quam paſſivæ eo ipſo incurrendis pœnis: ne quis Provincialis, aut alius cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus & conditionis Ordinis hujuſmodi Religioſus, aut Religioſa ad ipſa Tribunalia Sæcularia, quovis prætextu aut quæſito colore, ut præ fertur appellare, vel illa propterea quoquo modo adire ſtudeant & præſumant*: extenduntur pœnæ ad quomodolibet directe vel indirecte fautores & conſultores, ut in dicta Conſtitutione extenſa in ſtatutis generalibus Sambuc. *Cap.* 7. §. 8. Inſuper reſervationem dictam competere taliter Summo Pontifici aſſerere tenemur ut a nullo Prælato ejuſdem Ordinis poſſit prætendi virtute privilegiorum facultas abſolvendi ab ea: cum id aſſeverent ſtatuta ipſa generalia præfatam Bullam in omnibus abſolute admittentia. *Cap.* 7. *Compil. Sambuc.* §. 5. *n.* 54. & Valliſolet. *Cap.* 7. *de recurrent.* ℣. *Final.* ibi -- *Quia vero nonnulli timore Dei poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores ad Tribunalia hujuſmodi quandoque appellant & ad ea temere confugiunt, eos admonemus id ſibi auctoritate Apoſtolica prohiberi ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, cujus abſolutio a nemine, niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo fieri poteſt, nec non privationis officiorum Ordinis & inhabilitatis perpetuæ ad illa & alia quæcumque exercenda vociſque tam activæ quam paſſivæ ipſo facto incurrendis pœnis.* Ex quo ſtatuto ſatis liquet quod eſto non adnumeretur hoc delictum inter illa quirque ſpecialiter excepta ſupra n. 11. & 12. & proinde virtute privilegiorum poſt Gregorium XIII. ab aliis Pontificibus confirmatorum & renovatorum per Superiores Generales Provinciales eorumque Vicarios in noſtro Ordine poſſet abſolvi; Jus tamen peculiare & municipale Gregorianam Conſtitutionem acceptans facultatem abſolvendi in caſu ab iiſdem Superioribus abdicavit, prout hujuſmodi renuntiationes & reſtrictiones privilegiorum poſſe fieri per Capitula Generalia Ordinum Regularium reſpective, dictum eſt non ſemel ſuperius n. 18. in fine. Unde ſtatuto generali in quo recenſentur delicta a quibus nequeunt Superiores Generales & Provinciales abſolvere *Cap.* 7. *Compilat. Sambuc.* §. 4. *& Cap. item* 7. *Statut. Reform. n.* 12. Addendus eſt ultra iſtum Ju-

lii II. ut insinuavimus supra n. cit. 18. casus etiam de quo in præsenti, scilicet recursus ad Tribunalia Sæcularia reservatus soli Sanctæ Sedi per Gregorium XIII. & insuper per Generalia Statuta districte id præscribentia; non enim invenitur unde possit colligi facultas hujusmodi Superioribus intra Religionem restituta; Rarissime tamen in Generalibus Statutis hæc restrictio deprehenditur, vix enim eam lego respectu sic confugientium ad Sæcularia Tribunalia; ut mox visum est *Cap. 7. §. 5. ex Vallisolet. &c.* Et respectu rebellantium contra Commissarios Visitatores a SuperioribusGeneralibus amandatos & ipsos acceptare renuentium, ita quod ab excommunicatione ipso facto incursa neque hi possint nisi per Romanum Pontificem extra mortis articulum absolvi, ex Constitutione ipsamet nunc allata Gregorii XIII. *Quoniam nostro*: acceptata similiter per Statutum expressum in eodem *Cap. 7. §. 1. n. 76.* Propterea hic idem casus cum illo recurrentium ad Sæcularia tamquam exceptus & inabsolvibilis intra Religionem debeat uniri. Interdicitur autem hic idem recursus ad Tribunalia Sæcularia Fratribus Minoribus de Observantia & aliis Reformatis quocumque nomine appellentur per Constitutionem novissimam Benedicti in Solio Petri sedentis XIV. quæ incipit *Sacrosancti* insertam in præcedenti Dubit. Sect. I. n. 28. & rememorandam inferius n. 39. verum licet omnia etiam contra recursum hunc execratum ad Tribunalia Sæcularia & Decreta antecedentia confirmet; attamen hanc ipsam Gregorii *Quoniam nostro* Bullam relevantis adeo in præsenti materia non citat, eo quia mens ejusdem sufficienter colligitur extitisse damnare principaliter recursum ad Sæculares pro favoribus obtinendis, simulque recursum per saltum ad Tribunalia Ecclesiastica licet, ad ipsumque Summum Pontificem in causis ad Religionem pertinentibus, sed nondum per Superiores & Tribunalia gradatim Religionis terminatas ut legenti patet.

36 Porro utcumque considerandum est in casu adducti præsertim recursus ad Tribunalia Sæcularia esse reservatam quidem Summo Pontifici excommunicationem, sed non reservari alias pœnas; super ipsas proinde dispensare nequeant allegati Superiores & delinquentes inhabiles reintegrare, patet legentibus Statuta perpendentibus immo ipsam originalem Sanctionem; in qua reservatio tantum super excommunicationem cadit non super pœnas cœteras nec odia in similibus debere extendi ultra expressa tradunt Regulæ juris *in 6. 15. & 28.* Fagnan. *in Cap. Cum ad nostram n. 29. de elect.* post Bartol. in *Extrav. Qui sint Rebelles §. transit. n. 3.* Quia item Constitutio Gregorii subiicit excommunicationi latæ reliquisque pœnis non tantum contrafacientes sed ut diximus fautores etiam & quomodolibet consulentes, ut ibi V. *Declarantes*, asserendum probabilius fautores & Religiosos consultores posse absolvi etiam extra mortis articulum per Superiores, nempe Generalem Provincialem &c. vel specialiter Delegatos, juxta facultatem generaliter iis impertitam super omnes casus quantumvis reservatos Papales exceptis iis quos specialiter adnotavimus n. 11. & 12. & numero præcedenti repetitis. Ratio est quia privatio hujus facultatis tamquam acceptata non habeatur in statutis quantum ad fautores & consultores, sicut expresse contra recurrentes & appellantes principales, proinde appareat quantum ad eamdem privilegium non restringi ex citatis iisdem & aliis regulis quod in odiosis lex est stricte interpretanda nec regulariter extendenda ultra casum & personas expressas *l. 42. ff. de pœn. Reg. jur. in 6. n. 49.* cum concordantiis. Nec reticendum venit quod recursus ad personam privatam præcipue pro auxilio & favore in causa &c. dummodo eadem Persona non erigat Tribunal, neque recursus sit ad eam ut personam Principis & Tribunal erigentis, pœnas in Gregorii Bulla taxatas nequaquam incurrat, cum ibidem manifeste adductis subiiciantur pœnis qui appellant *ad Tribunalia Sæcularia seu quoquo modo ea adiri præsumant*. Idemque sancit statutum numero præcedenti ab eadem Constitutione erutum, quamvis hujusmodi recurrentem ad personam privatam puniendum fore vi alterius Statuti: *Cap. item 7. n. 56.* compil. Sambucanæ infra examinandi ostendit Sanctorus *Cap. 18. pæn. sub quæst. 4. & qu. 5. ℣. Prima consideratio*. Pront etiam quoties appellatio & recursus revera fiat quamvis repellatur a Judice & Tribunali, pœnas incurri sustinet & merito Sanctorus idem *qu. 4. ℣. Secunda difficultas*, eo quia excommunicatio resultat non ex effectu recursus & appellationis, sed ex ipsa appellatione quæ est delictum in casu & ad verbum prohibita per statutum & Constitutionem Gregorii, cui tamquam opinioni probabili subscribit Pater quoque de Ameno de delict. & pœn. *tit. 2. §. 3. n. 43.* Quamvis hic

hic Auctor paulo ante n. 7. ejusdem S. 3. contrariam sententiam nimirum non incurri poenas, nisi provisiones a Judice laico contra Judicem Ecclesiasticum obtineantur censeat probabilem aeque; immo utpote magis benignam esse amplectendam, favente Monacello *part.* 3. *tit.* 3: *pag.* 175. *n.* 6. ubi pro se citat Cardinalem de Luca Miscell. disc. 17. n. 9. Nihilominus sententiam Sanctori praevalere concludendum est utpote canonizatam per Rotam Roman. apud Farinaccium in decis. crimin. decis. 179.

§. Un. Observandum est item per transitum qualiter statutum idem pro Minoritis n. praecedente citatum in eodem Cap. 7. §. 6. n. 58. subdit. ibi: *Et in easdem poenas & excommunicationem latae sententiae incidere volumus omnes fratres illos qui secreta Religionis gravia personis externis directe seu indirecte revelaverint tam voce quam signo*. Attamen ultra exceptiones multas quas patitur istud statuti complementum, certum est excommunicationem latae sententiae revelantibus inibi inflictam, nequaquam reservatam esse Pontifici vigore Gregorianae Bullae *Quoniam nostro*. Reservatio namque ibi percutit appellantes & confugientes ad Tribunalia Saecularia, absque eo quod de revelantibus secreta ulla fiat mentio: unde ex hoc Capite quicumque Confessarii approbati valerent ab eodem absolvere peccato. Emergit nihilominus reservatio ex alio capite quia nempe adnumeratur hujusmodi casus in tabella reservatorum pro Observantibus *n.* 3. & 4. & pro Reformatis n. 4. Videndus P. Sanctorus Constit. *Cap.* 7. *stat.* 5. *Casu* 3. & 4. Adde quod in textu practicae crimin. tit. *Applicatio* §. 4. habetur expresse ibi. *Revelans extra Ordinem Religionis secreta, quibus fama & candor ipsius Ordinis maculatur incidit in excommunicationem majorem Generali vel Provinciali reservatam & perpetuo est privatus actibus legitimis* ex Statut. Vallisolet. *Cap.* 7. repetitum in Sambuc. *Cap. eod.* 7. §. 6. *n.* 47. Unde dicendum non tantum esse reservatum casum sive peccatum revelantium secreta veluti alia censentur crimina reservari in tabella pro Observantibus & Reformatis descripta, sed ulterius adnexam esse casui excommunicationem pariter reservatam, a qua per textum allegatum practicae nequit nisi Generalis aut Provincialis absolvere; Nihilominus supposito quod Poenitentiarii absolvere valeant a casibus omnibus reservatis qui in tabella Ordinis tum pro Observantibus tum pro Reformatis recensiti leguntur, ex praosten. sis *num.* 8. ita etiam concludere debemus intelligi delegatam Poenitentiariis iisdem facultatem absolvendi ab hac eadem reservata excommunicatione, utpote non sit ex illis censuris quae indigent speciali commissione & deputatione: juxta datam doctrinam Sect. praecedente n. 9. attento communi principio, quod habens potestatem absolvendi a peccato sive crimine gravi reservato regulariter possit absolvere a censura illi adnexa in foro conscientiae; cum absolutio hujus debeat semper praecedere absolutionem ab illo, habito item respectu ad Decretum S. Cong. super Regul. 7. Julii 1717. quod pari passu procedere debeat apud Regulares reservatio casuum ac censurarum: Felix Potest. sub *num.* 3602. Nec fas est advertentiam omittere, quod iste casus recensitus peractae revelationis secretorum Religionis revera non adnumeratur inter praescriptos a Decreto Clementis VIII. pro reservatione facienda, sed numerum eorum quodammodo excedit; quia tamen adnumeratur inter reservata in statutis Ordinis, praesumendum quod servatum sit utcumque Clementis praescriptum, nempe crimen hoc reservatum fuisse a Capitulo generali ut alias Decretum allegatum permittit, sicuti per Generale Capitulum appositam fuisse eidem reservatam censuram. Reliqua quantum ad easum istum reservationis secretorum abunde tractantur apud Sanctorum de poen. *Cap.* 24. *quaest.* 1. ℣. *Respondeo de hoc*. Ac de constit. *Cap.* 7. *stat.* 5. *Cap.* 3. & 4. Necnon Patrem de Ameno de delict. & poen. *tit.* 5. §. 6. *n.* 43. *ad* 54.

37 Ut redeamus modo ad sermonem de recursu ad Tribunalia saecularia & extra Religionem in causis ad Religionem spectantibus, quia ultra ea quae dicta sunt de quibuscumque Regularibus obveniunt pro Minoritis alia duo statuta praeter mox declarata, eadem propterea absque necessario examine relinquere non est aequum, eo vel magis quod doctrina in similibus poterit pro Religionibus caeteris inservire. Habetur itaque Cap. eod. 7. Compil. Samb. §. 6. n. 56. ibi: *Qui sub praetextu injustitiae sibi factae ad Advocatos Procuratores aut Judices saeculares vel quomodocumque ad saeculare Tribunal recurrerit pro consilio aut auxilio petendo actibus legitimis privetur & gravius etiam Superioris arbitrio mulctetur*. Explicat autem hoc statutum P. Sanctorus quod afficiat recurrentes sub praetextu injustitiae sibi factae, videlicet quoties in re injustitia minime facta sit, sed tantummodo sub colore &

re & respectu illius Religiosus sive Reus pro consilio & auxilio recursum habeat; distinguit inde quod si damnum vel injustitia sit vere imminens tunc recursus pro consilio non sit prohibitus utpote de jure naturæ; in casu autem quod damnum sit jam allatum & injustitiam quis sit passus subdit Religiosum agere contra statutum, etiamsi non ad sæculares sed ad alios recurrat Regulares extra Ordinem, & in hoc ultimo casu puniendum fore veluti de revelatione secretorum Reum: sic *Cap. 18. de pæn. qu. 2. per tot.* Pater vero Lodovicus de Ameno sustinet recurrentem & pro consilio & pro auxilio ad quodcumque Tribunal sæculare non incurrere in pœnas statutarias, sed nec peccare quoties veram injustitiam pateretur & damnum non tantum imminens sed foret jam illatum, veluti si quis esset Officio destitutus per violentiam, quatenus alter recurrendi modus non se offerret, vel propter absentiam Superiorum majorum & periculum esset in mora, vel quia Superiores majores cum inferioribus essent colligati aut probabiliter deprehenderentur tales, quod sufficere in casu nititur probare & hoc de jure naturæ & propriæ defensionis non refragante statuto, quia tantum recursus inhibetur ibi prætextu injustitiæ non veræ sed coloratæ. Sic in *tom. de delict. & pæn. tit. 2. §. 3. a n. 12. & seq.*

38 Ego, ut meum aperiam sensum non approbando distinctionem Sanctori inter damnum passum & imminens; dummodo passum grave per recursum alias legitimum possit redintegrari, quantum ad reliqua, fateor equidem jus naturæ cuicumque positivo cæteris paribus prævalere.; *l. non putaret §. Si quis emancipatam ff. de contract. l. Si quis postbumus ff. de lib. & postb.* At doctrinam signanter P. de Ameno loc. cit. a num. 23. ad 26. quam nolo repetere, plene approbare non licet; etsi enim non sit casus omnino metaphysicus, quod quis Religiosus possit usque adeo gravari, quod non pateat aditus recurrendi nisi ad Sæculare Tribunal pro repellenda manifesta injustitia & violentia; nihilominus valde rarus nequit non reputari, taliter ut, omnes intra Religionem competentes Judices sint cum fundamento suspecti, Superioresque majores cum minoribus sint colligati contra manifeste oppressum atque indifferentiam paternam dimittentes, induant rationem partis seu collitigantis: non obstante quod laudatus Auctor innuat ibidem, se id in facto plories comperisse. Sed imprimis circa recursum ad Tribunalia Sæcularia in materia hujusmodi delicatissima violatæ immunitatis difficulter evitari posse noto prohibitionem Bullæ *Cænæ* casu 16. recurrendi ad *Curiam Sæcularem* ad impediendum Prælatos, ne sua jurisdictione utantur & eorum judicia eludenda. Nec salvat responsio, quod recursus ad Tribunal Laicale non præberet eidem motivum causam cognoscendi, sed tantum providendi contra gravamen irreparabile & injustitiam manifestam, proinde non essemus in casu appellationis revera prohibitæ; responsionem siquidem retundit Bulla jam citata Gregorii Decimitertii. *Quoniam nostra* pro Minoribus signanter, ubi pœnæ imponuntur contra *appellantes non tantum quovis prætextu & colore*, sed contra illos etiam, *qui quoquo modo eadem Tribunalia adire audeant & præsumant, necnon quomodolibet directe vel indirecte fautores & consultores*. Quapropter super hoc articulo fore corrigendum Patrem ipsum de Ameno habetur in rescripto S. C. Indicis, ubi contra citatum locum præfati Doctoris *tit. 2. §. iii. n. 3. 24. & 25.* statuitur, *quod nullo modo fas sit* REGULARIBUS. *recursus ad Brachium Sæculare, cum ex Constitutione Gregorii XIII. prohibeatur sub pæna excommunicationis latę sententię Papę reservatę, quę Constitutio comprehendit quemvis modum & casum etiam improprium*. Ex quo deducitur quod Bulla Gregorii in casu quæ Minoritas tantum afficiebat, utpote contra illos edita, quoad hunc articulum recursus ad Tribunalia laicalia, per allatam explicationem Congregationis Indicis ad Regulares omnes extendatur. Concludamus ergo, quod si sermo sit de consilio petendo, quando agatur de causa gravissima seu valde gravi, inter quas commemoratur periculum imminens carceris semestris, ut probat Pater idem de Ameno loc. mox citando, sed & minorem adnumerarem ego, quoties importaret jacturam famæ respectu Viri & Patris in Religione præstantis, tunc posse adiri doctos & peritos extra Religionem, sed juramento præstito iis dato prius, saltem securitate ab eis accepta de secreto servando ad hoc ut consulerent & dictarent de modo tenendi in causa, addita etiam alia præcautione, quod Viri æqualis aut saltem sufficientis peritiæ in proposito commode non inveniantur intra Religionem, & minime diffidentes, quem profecto recursum pro consilio habendo in similibus concedit legaliter praxis criminalis Religionis Fratribus Minoribus: *tit. Patronus* expli-

explicatque eam solide & erudite more fuo Pater citat. de Ameno in pract. ibi §. 3. *per totum*, praecipue quantum ad casum nostrum, *n.* 32. valetque pro Religionibus quibuslibet: attenta aequitate.

39 Si loquamur inde de recursu ad Tribunalia Saecularia pro petendo auxilio, nequaquam posse evitari excommunicationem reservatam tum in Bulla *Coenae* tum in Bulla Gregorii latae sententiae contra recurrentes signanter Minoritas inflictam, debemus asserere juxta explicationem datam *n.* 35. Quod si recursus contingat simplex & non in forma appellationis ad Principem vel alium potentiorem veluti personam privatam & non ut cognitorem causae, ad implorandam protectionem tantum & neque ut brachium pro defensione porrigat, Potestatis Ecclesiasticae impeditivum: tunc adhuc vigere statutum Bullis innixum contra quomodocumque recurrentes tenendum est, licet arbitrium Superioris in casu regulandum veniat ab aequitate quae est prima lex. Ad generaliter tradita per Angel. *Cons.* 353. *n.* 3. Socin. *Cons.* 159. *n.* 28. *lib.* 2. Card. Tusch. *tom.* 4. *lit.* I. *concl.* 530. *n.* 8. & *n.* 35. post Bald. *Cons.* 486. *circa fin. lib.* 2. Ampliaturque Bulla & statutum cohaerenter etiam ad casum injustitiae & oppressionis: nam in eadem Bulla assignatur in dicto casu licet per accidens recursus adhibendus ad Tribunalia Ecclesiastica, eo modo & ordine quo alibi explicatum est: prius quantum ad omnes, saltem plures Religiones extra Minoriticam *dubit.* 16. *sect.* 1. *n.* 9. 10. & *seq.* Et pro Fratribus Minoribus deinde a *n.* 25. *ad* 28. ejusdem sectionis, cum impossibile moraliter saltem non judicari non posset a quocumque Viro cordato, quod inter tot Tribunalia & Judices juxta gradus appellationis & recursus usque ad Summum Pontificem inclusive contra oppressionem & injustitiam passam vel imminentem Religiosus gravatus nullatenus inveniret provisionem opportunam, absque eo quod Judicem Saecularem interpellaret contra manifesta jura & Bullas, ultra allegatam Gregorii pro Minoribus, citatas pro aliis speciatim Ordinibus a Barbosa in Apostol. Constit. Collect. 325. *num.* 12. & ut per nos sufficienter insinuatum est item *dub. XVI. n.* 12. Quas tamen Sanctiones, utpote in materia odiosa afficere dumtaxat illos Ordines pro quibus sunt conditae dictitet item *n.* 10. *in eadem XVI. dubitat.* & replicabimus in hac *dubit. XIX. num.* 34. Excepta Bulla *Coenae* & qualibet alia quatenus pro Religionibus & Religiosis in genere fuerit emanata, vel prohibitio in eadem pro una Religione edita ad coeteras per Apostolicam auctoritatem perlegatur extensa. Quidquid reclamet P. Sanctorus de poen. *Cap.* 18. *qu.* 4. ℣. *Quod autem* P. item de Ameno de delict. & poen. *tit.* 2. §. 3. *n.* 33. quibus brevis adnectenda est adnotatio quod in causis civilibus etiam inter Religiosos ipsosmet Minoritas, quae absque Ordinis professi dedecore agitantur & quarum decisio ad Sedem Apostolicam saltem ultimate pertineat, vel declaratio habenda urgeat alicujus Pontificiae Constitutionis solimet Summo Pontifici reservata; dummodo secluso scandalo procedatur, probabilius non intret statutaria prohibitio de recursu pro consilio ad Procuratores & Advocatos aliosque peritos. Ratio est ultra continuam praxim, quia cessat finis seu motivum legis prohibitivae nempe scandalum, vel Religionis praejudicium ex recursibus relevans extra Religionem habitis: uniformiter ad communem regulam. *l. Adigere ff. Quamvis ff. de jurepatronatus* Barbos. axiom. 136. *n.* 9. Passerin. de elect. Can. *Cap.* 6. *n.* 4. *seq.*

40 Alter adhuc recursus invenitur prohibitus & specialiter Minoritis per leges ipsis proprias, recursus nempe ad Ecclesiasticos item extra Ordinem & signanter ad Episcopos, de quo promittebamus hic sermonem instituere in Dubit. praecedente 16. Sect. I. n. 2. §. I. Habetur siquidem *Cap.* 7. Compil. Sambuc. sequens statutum *Si quis ad locorum Ordinarios eisdem de causis* (scilicet spectantibus ad Religionem pro consilio & auxilio petendo) *recursum habuerit gravius etiam puniatur, Generalis vel Provincialis arbitrio n.* 57. Videlicet *Gravius* comparative ad recurrentes ad Tribunalia Saecularia, quibus infligitur poena privationis actuum legitimorum & alia arbitraria ibi *n.* 56. Quamvis advertat P. Ludovicus de Ameno de delict. & poen. *n. cit.* 12. Quod in statutis Vallisolet. a quo desumptum est praesens Sambucanum, vice hujus comparativi *Gravius* habeatur aliud simplex adverbium, nempe *Graviter*: Porro hoc additum statutum probat directe id, quod supra asserebamus *n.* 33. nimirum pro Tribunali Saeculari non accipi etiam Episcopale, cum alioquin superfluum foret addere contra recursum qui contingat ad Ordinarios alterum statutum; prohibitus namque sufficienter habetur recursus ad Tribunalia Saecularia per alia duo jam explicata statuta in Cap. eodem 7. §. 6. unum n. 56. aliud

aliud subsequens n. 58. Prout concordat textus practicæ criminalis distinguens inter unum & alium recursum scilicet ad Sæcularem Judicem aut ad Ordinarium loci; pro quo secundo relinquitur ibi punitio arbitrio Superiorum tit. *Appellatio* §.48. Prohibetur itaque recursus ad Episcopos signanter in Religione nostra in caussis intellige nullatenus spectantibus ad ipsos, sed privative ad Prælatos Ordinis & motivo fortasse; quia Fratres per hujusmodi recursus litigia inter locorum Ordinarios & Religionem foverent non sine dispendio probabili saltem, & amoris, quem erga Ordinem nostrum pro eorum pietate servant Antistites, & reverentiæ, quam erga Episcopos ipsos Ordo profitetur jactura non attêta ratione admodum diversa, quæ adducitur per Sanctorum de pœnis. *Cap. allegato* 18. *qu.* 3. ℣. *Respondeo secundo*: necnon per Patrem de Ameno §. 3. ubi supra *n.* 30. & 31. Absolutio deinde culpæ atque excommunicationis, quatenus in his omnibus recursibus intret reservatio Bullæ *Cœnæ*, aut expressa in repetita Bulla *Quoniam nostro* Gregorii XIII. cum derogatione privilegiorum: ad quos vel quem pertineat ex copiose antedictis facile potest resolvi, cæterum si Bulla *Cœnæ*, ut nequaquam militans contra adhibitos recursus excludatur, aut Bulla Gregorii quæ privilegia adimit Prælatis in Religione scilicet auctoritatem absolvendi in casu, ipsomet acceptante & consentiente universo Ordine per generalia statuta, recursus de quibus agitur manifeste includere non deprehendatur; nullus vel respective Prælatus vel Pœnitentiarius sive Confessarius alter debet facultate absolvendi sibi competente spoliari; præcipue si concordet praxis juxta doctrinam. Innocent. in *Cap. Audit. tis n.* 4. *de præscript.* cum communi.

41 Superest recursus detestabilis quidem, sed cæteris fortasse frequentior perpendendus, nimirum ad favores Potentium atque insignium personarum pro obtinendis dignitatibus gradibus & gratiis inter Religiosos & Claustrales, de quo recursu ad tractatum de electionibus posset disquisitio transferri; sed ad comperiendum sub cujus potestate cadat ejusdem absolutio, quatenus reatus emergat magis necessaria & utilia hic sub possibili brevitate restringemus. Militare ergo contra hujusmodi recurrentes in unaquaque fere Religione Constitutiones Pontificiæ peculiares gravibus cumulatæ pœnis, quæ ad feriendum triplex delictum ipsorummet recurrentium, quatenus scilicet ad obtinendas Prælaturas officia & gratias; favores procurent; eosque oblatos acceptent & eorum intuitu dent munera. Constitutiones porro diversæ pro variis Ordinibus & diversas continentes pœnas mox graviores, modo extensas magis usque ad complices & faventes mediate vel immediate, diligenter congeruntur a Doctissimo Passerino de elect. Canon. *Cap.* 6. *qu.* 2. *n.* 55. *seq.* sicuti cum diligenti citatione indicantur omnes & præcipue a D. Ursaya *tom.* 2. *part.* 1. *disp.* 137. *n.* 1. possuntque ibi perlegi, ne hic per trascriptionem inutilem paginas impleamus. Regulam tantum jam repetitam iterum opportune adverto; quod inhabilitates speciales transgressoribus unius Religionis inflictæ excommunicatio etiam latæ sententiæ aliis Ordinis diversi super addita, ipsique Pontifici præterquam in mortis articulo reservata: nequaquam communicantur in proposito Religionibus iis, quas expresse non afficiant, sed unaquæque Religio prohibitioni contra se latæ subjecta est & determinatis in ipsa pœnis, cum in odiosis & pœnalibus sicuti de casu ad casum sic de Ordine Regulari uno ad alium minime flet argumentum, nec leges pœnales cadere sub communicatione privilegiorum replicantes addunt Miranda in Manual. *tom.* 1. *qu.* 46. *art.* 16. Hieronymus Rodriguez *resol.* 126. *n.* 50. Donat. *p.* 1. *tr.* 7. *qu.* 12. Tamburinus de jur. Abbat. *disp.* 17. *qu.* 6. Sygism. de elect. *dub.* 53. *n.* 9. Potestas dehinc absolutiva tam perpetrati criminis inobedientiæ quam pœnarum quæ incurrantur, dispensativa pariter super privationibus & inhabilitatibus &c. de qua proprie in subsequenti Sectione, videtur in Prælatis respective residere, quia licet respectu Religionis alicujus excommunicatio signanter sit Summo Pontifici præterquam in mortis articulo reservata; nullibi tamen lego derogationem privilegii Prælatis ipsis in hac re collati juxta sæpius dicta & repetita; propterea censetur facultas eadem non obstante reservatione Pontifici adhuc vigere in Prælatis quibus respective per Bullas concessa habetur & confirmata. Verum cum simus intra Claustra & privilegium facultatis absolutivæ respiciat Prælatos in Bullis recensitis respectu subditorum, hoc idem nequaquam potest sustineri competere aliis quibus non conceditur, nimirum Pœnitentiariis nisi delegetur. Delegatio autem in proposito minime habetur, nisi in casibus reservatis apud Religionem respective hujusmodi recursus recenseatur, proinde super absolutionem a peccato &

& censurarum Pœnitentiarius legitime institutus facultatem possidere arbitratur. Cum aliter quoties eadem facultas absolvendi &c. Pœnitentiariis nequaquam cum fundamento legali collata deprehendatur, opporteat quod Prælato cui privilegium sive facultas absolvendi concessa est nec alteri legitime delegata in occurrentibus hisce casibus pro absolutione recursus prohibiti fiat petitio; prout etiam si reservatio proprie comperiatur, ut tetigimus censuræ vel alterius pœnæ cum expressa derogatione privilegiorum Sanctæ Sedi seu Summo Pontifici soli reservata probabilius arbitraremur quod pro absolutione præterquam in articulo mortis Sanctam Sedem adire vel consulere delinquens in casu teneatur, contra Passerinum fortasse *cap. 6. qu. 1. n. 45.* Agitur namque de valore absolutionis in Pœnitentiæ Sacramento, quam non debemus asserere impertiri posse ab illo cui non legitur concessa facultas, vel quatenus concessa inveniatur per derogationem privilegii prætensi sit revocata, nec potest sustineri sine difficultate in his casibus peculiaris derogationis per Bullas confirmantes in genere restituta, & hinc nequaquam apparet affirmativa opinio in his terminis reducibilis ad praxim omnino tute, in contrarium refragrante propositione n. 1. inter 65. proscriptas ab Innocentio S. M. XI. cui sane doctrinæ innumeros possem adducere subscribentes Doctores.

42 Casualiter non potest hic infimul evitari quæsitum quantum ad concedentes; non enim tantum prohibetur per Bullas Constitutiones & Decreta subditis vel privatis Religiosis pro obtinendis dignitatibus officiis & gratiis adhibere recursus ad favores potentium extra Ordinem, sive sint Laici sive Ecclesiastici speciali insigniti potestate, sed inhibentur simul Prælati ac Superiores Religionum Dignitates officia gratias intuitu instantiarum hujusmodi confirmare præbere concedere, necnon remissionem pœnarum sontibus eodem motivo & intuitu Potentium intercessionis dimittere aut diminuere ut quis potest se instruere Passerinum perlegens *Cap. d. 6. qu. 1. per tot.* Lezanam *tom. 1. signanter cap. XVIII. n. 82.* ubi in compendio Sanctiones ac prohibitiones adducuntur pro variis Religionibus variæ & diversa itidem dubia ab ambobus laudatis viris enucleantur, quinam sint nempe Prælati & Superiores quibus vetita est huiusmodi dignitatum officiorum & gratiarum respectiva collatio, & quid debet intelligi pro dignitate pro officio; sed quod magis controvertitur pro gratia, præcipue autem in hac parte D. Dominicus Ursaya diligentissimus loco cit. præter allegatas a se Constitutiones, quæsita sexaginta sex in eadem materia proponit & solvit utique consideranda, de quorum aliquibus saltem alibi prolixius instituemus examen. At quia hic specialiter de iis quæ cadunt sub absolutione seu absolutiva potestate Prælatorum addimus opportune plerumque Constitutiones Pontificias prohibere Prælatis Superioribusque respective in quorum potestate sit officia distribuere ad dignitates promovere & gratias conferre, ne intuitu præfato favorum &c. id omnino peragant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præmisso sanctæ obedientiæ præcepto, non sine proinde transgressorum culpa mortali: immo quod per Constitutionem Alexandri PP. VII. 49. pro Monachis Montis Virginis emanata eadem excommunicatio soli Summo Pontifici præterquam in mortis articulo pariter reservatur, ad instar tamen aliarum Constitutionum pro variis Religionibus prius editarum in quibus eadem et reservatio specificatur quoad Prælatos Superiores etiam concedentes aut conferentes gratias officia &c. intuitu favorum &c. Hinc quantum ad dispensationes rehabilitationes reintegrationes remisso ad subsequentem sectionem tractatu, circa absolutionem a censura in casu nequeo non repetere quæ superius pro absolutione recurrentium dicta sunt numero antecedente 41. Tantum reassumitur hic quoque quod unaquæque Religio Constitutionem in casu pro se editam servare teneatur, non communicans in cæteris pro diversa quacumque Religione emanatis, utpote non agatur de privilegiis, sicuti cum Doctoribus replicatur quidquid possunt Prælati & Superiores loquendo de potestate absolutiva in ordine ad subditos, idem in praxi exercere posse in favorem propriæ respectivæ personæ, ita quod valeant eligere in sibi specialiter reservatis Confessarium a quo & ipsi tanquam delegato absolvantur, cum nequaquam deterioris debeant fieri conditionis ac proprii sunt subditi. Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 81. tom. 4. V. Prælatus n. 19.* & cum communi: Nec prætereundum est itidem assignatæ jam regulæ repetitio, quod si per Summos Pontifices in sanctione ulla declarentur electiones collationes promotiones adhibitos ob recursus nullæ irritæ & invalidæ, non remaneat quæstioni locus quantum ad potestatem Superiorum & Regularium Prælatorum, quod nullate-

nus

nus per sacros Canones revalidare & robor deficiens conferre possint iis in casibus. De dispensationibus & restitutionibus in integrum videbimus in Sectione subsequenti.

43 Pro Fratribus Regularis atque Strictioris Observantiæ non desunt Constitutiones speciales ipsosmet adigentes, ne ullam gratiam subditis concedere audeant aut pœnas remittere debitas quatenus Superiores sint; nam gratias aut remissiones hujusmodi procurare mediis recursibus ad personas Sæculares & extra Religionem ullatenus tenteut quatenus sint subditi districte præcipitur, Constitutiones autem sunt ea s. m. Pii V. quæ incipit *Pastoralis officii* Gregorii XIII. *Consuevit* Paoli PP. V. incipien. *Admonemur*; sed præcipue & exacta magis relevat illa Urbani VIII. incipiens pariter *Admonemur 29. Junii anni* 1639. in qua mandatur primo Ministro Generali Commissario Generali ac cœteris tum Observantiæ tum Reformatorum Prælatis in virtute Obedientiæ & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ *ne ad instantiam personarum quacumque dignitate inter Ecclesiasticas etiam Cardinalatus & Saeculares etiam Imperiali fulgentium cuilibet ipsius Ordinis Religioso ullam gratiam concedere vel pœnas aliquas remittere seu gradus honores dignitates officia & administrationes functiones & Prælaturas ejusdem Ordinis concedere audeant*. Similiter Fratres & Religiosi dicti Ordinis qoi contra Decreta hac via & his mediis per conquisitos *favores & suffragia aliquid sibi procuraverint ad talia & similia ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declarantur*. Insuper Fratribus ejusdem Ordinis quibuscumque sub relatis pœnis præcipitur & expresse interdicitur, ut non solum in præmissis omnibus favores ejusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos & ab eis nequaqoam procoratos excipere, & similiter nec ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis *exhibere audeant seu præsumant non obstantibus &c.* ad normam prohibitionis quam fieri aliis Religiouibus per sanctiones ipsis proprias retulimus n.41. Quæ omnia & singula sub eisdem pœnis cohærenter ad Constitutionem hauc Urbani mandantur seu inhibentur in Stat. General. Sambuc. *cap.* 7. §. 6. *n.* 59. & Reformatorum *cap.* 8. *n.* 23.

5. Un. Verumtamen literaliter & de verbo ad verbum hæc ipsa tam quoad præcepta inhibitiones & pœnas expressa & contenta in dictis Bullis prædictorum Summorum Pontificum signanter in recensita Urbani VIII. 29. *Junii* 1639. contra concedentes aot procurautes gratias intuitu recursus habiti ad personas Sæculares eorumque favores confirmantur & replicantur a Benedicto Regnante XIV. in Sanctione sua edita de *anno* 1749. *die* 2. *Junii* inserta in retroacta Dubitatione XV. Sect. 1. n. 28. citata identidem in hac eadem Sect. n. 35. Triplicis namque generis prohibendo percutit hujusmodi Benedictina *Sacrosancti* recursus seu recurrentes. Agit contra recurrentes primo ad Tribunalia Sæcularia pro quacumque appellatione in causis ad Religionem & Prælatos in ea spectantibus hosque condemnat ac detestatur Doctus Pontifex pœnasque adversus eosdem alibi latas brevi declaratione confirmat. Insequitur item recursum habentes ad Tribunalia Ecclesiastica non equidem prohibitom ab uno ad alterum Tribunal prius Superiorum gradatim in Religione & ab his ultimo ad Sacras Congregationes & Sanctam Sedem; verumtamen non servantes in recursu sive appellatione quacumque debitum gradom qui ibi late præscribitur observandus ad normam Decreti Sixti PP. V. renovati & com omni adjuncto robore confirmati; itaut extra & præter assignatos gradus si recurrant Subditi pœnis inibi expressis & per alias citatas Bullas seu Constitutiones allegatis subiiciantur, ut ibi & nos fuse superius Dubit. relata XVI. Sect. I. Tertio contra recorrentes invehit Supremus Pastor ad quascumque personas extra Religionem ultro potentiores pro favoribus seu ad favores earum pro gratiis gradibus dignitatibus officiis quibuscomque intra Claustra & Ordinem ipsum consequendis aut pro remissione pœnarum alias debitarum patratis per eos criminibus & Constitutiones aliorum Pontificum prohibitivas; similiter pro eodem Ordine in specie citat confirmat pœnas in iis contentas & contra recurrentes eosdem latas renovat recensitas principaliter in repetita Urbani VIII. *Admonemur* ubi & per prius prohibentur gratias conferre punitiones debitas remittere Prælati & Superiores ipsi intuitu dictorum execrabilium recursuum sub pœnis ibidem expressis, in quibus equidem relevat tum ex parte concedentium tum recurrentium excommunicatio ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, sicoti recurrentibus subditis pro obtinendis gratiis aut remissione pœnarum superaddita legitur pœna incarcerationis & perpetuæ inhabilitatis ad officia. Nihil tamen

men aut in Constitutionibus præviis aliorum Pontificum aut in eadem Regnantis incipiens *Sacrosancti* cœteras confirmante & innovante aliquod reservatum contra Fratres ipsos Minores deprænhenditur prout reservatio expresse habetur in aliis Pontificiis Constitutionibus plurium Religionum propriis referente inter alios Ursaya loco supracitato. Nisi quod in Statutis Reformatorum adversus Superiores Provinciales concedentes gratias sive remissionem pœnarum indicta reperitur privatio actuum legitimorum ad arbitrium Capituli Provincialis; unde quidquid spectat ad absolutionem in foro conscientiæ tum recurrentium tum concedentium quatenus delinquentium in casu, non apparet quare denegetur & Prælatis respective & Confessariis in Religione approbatis. De delictis præcipue hujusmodi signanter de excommunicatione esto ipso facto incurrenda deberet præcedere sententia declaratoria saltem & ulterius scientia & deliberatio in delinquente advertunt generaliter Statuta *in Cap. cit.* 7. §. 6. *n.* 8. & Reformatorum pariter citata *cap.* 7. *n.* 6. & 7. attamen quantum ad scientiam & deliberationem non est dubium quod debeat in casu procedi quidem sicuti in aliis juxta leges, circa vero necessitatem sententiæ declaratoriæ tenemur resolvere non ad normam legis Statutariæ, sed Pontificiæ quæ in casu resistente statuto ea est supra statutum. Ubi enim statutum decrevit *neminem incidere in pœnam nisi post declarationem a Prælato factam* Supremus legifer Benedictus ex suo Pontificio Solio decernit & præcipit ad rem nostram sub excommunicationis pœna eo ipso absque ulla declaratione incurrenda in casu in d. Constitutione *Sacrosancti*, quod sane habet locum in foro conscientiæ, nec in utroque foro examen terminorum videlicet *audere præsumere* & similium possumus denegare: apud Sanctorum Constit. *Cap.* 8. *stat.* 71. a dicto 3. usque ad dictum quartum, ubi itidem vult quod si præcludatur conditio quæ legi dedit causam videlicet ambitio, minime incurrantur pœnæ; at talis videtur veluti protestatio contra factum; si etenim pro gratia & dignitate adminiftratione obtinenda recurrit subditus ad potentiorum favorem *quomodo potest interpretari gratias & dignitates non ambire*. Ultraquamquod Benedicti Regnantis Constitutio recurrentes concedentesque absolute condemnat pœnasque contra ipsos confirmat ex motivo providendi Regulari Observantiæ & perturbatæ disciplinæ, ibi initio Constitutionis *Sacrosancti* sed de recursibus satis.

44 Verum enim vero quamvis in præsenti dubitatione de potestate absolutiva Prælati Regularis primum ad quæ se extendat erga subditos examinaverimus, expendendo simul in sectione secunda hac casus de quibus possit urgere specialis difficultas propter annexam censuram soli Papæ reservatam; inter censuras tamen ad propositum speciali sermone dignas ea est excommunicationis quam sonant principaliter Constitutiones Pontificiæ Decreta & statuta, super quam quomodo in numeris præcedentibus visum est præcipue quomodo vigeat in Prælatis aut delegatis hujusmodi absolvendi potestas; quia nihilominus non una vice in jure Constitutionibus atque Decretis infligitur delictis & delinquentibus pœna quoque suspensionis & interdicti importantes item specificam reservationem Sanctæ Sedi, quantum ad ambas etiam censuras istas aliquale non debet omitti examen, inquirendo scilicet an & quomodo subinde potestatem absolutivam possideant Regulares respective Prælati in ordine ad proprios eorum subditos. Quantum itaque ad suspensionem resolvendum occurrit sicuti de excommunicatione n. superius 10. & 11. attendendum fore nimirum ad qualitatem suspensionis & reservationem ejus; an cum derogatione privilegiorum necne, vel privilegia abrogata iterum per subsequentes Pontifices possint censeri confirmata in casu & renovata, quantum etiam privilegia se extendant an ad forum fori vel limitentur ad forum conscientiæ; & in hoc pariter an comprænhendant suspensionem publicam vel restringantur ad occultam cum limitationibus supra & alibi adductis; item ut possit utcumque absolvi, constare debeat quod non sit lata per sententiam definitivam aut declarativam in foro externo, nec ad forum Judicis competentis vel alterius independenter jus habentis ad cognoscendum sit deducta, ut pluries repetitum est & docet indifferenter de censuris cum cœteris concocordantibus Doctoribus Lezana *tom.* 3. V. *Censura resp.* 12. & 13. Repeto nihilominus quod suspensio possit considerari ut censura, vel absolute ut pœna præscindendo a reliquis quæ rationem censuræ comitantur, ex præhabitis *Dubit. XV.* Si ut censura examinandum sit an suspendat ab officio vel beneficio vel ab utroque, ut loco citato fuit præ notatum & declarat Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 5. *n.* 4393. *seq.* Anacletus Reinffestuel *de sent. excom.* §. 6. *per tot.* & in quacumque acceptio-

ne

ne quod valeat absolvi a Prælatis Regularibus in suis subditis nisi afferatur sanctio vel Decretum specialiter reservans cum derogatione privilegiorum non confirmatorum deinde & innovatorum, prout de excommunicatione dictum fuit & de censuris simul in genere n. 52: & circa suspensionem signanter a Divinis esto publica sit dummodo non specialiter reservata quod potestas se extendat Prælatorum tenent D.D. Rodriguez, Portella Martinus a S. Josepho Bordonus La Cruz quibus subscribit Antonius a Spiritu Sancto in Direct. Regul. *tom.* 2. *disp.* 1. *sect.* 2. *n.* 54. Quod pariter affirmatur de suspensione lata a jure & non deducta ad forum contentiosum in hoc etenim litis casu agitationis scilicet in contentioso foro expectanda esset sententia competentis Judicis & deinde vel a ferente vel a declarante legitime eamdem suspensionis sententiam vel a Judice Superiore ejus sive a delegato sive a Superiore paris aoctoritatis posset subditus reus aut deberet absque dubio absolvi. Lezana *tom.* 3. V. *Censura n.* 12. Reinffestuel *de sent. excom.* §. 8. *n.* 249. & 250. Inflicta vero ab homine posset adhuc virtute privilegiorum absolvi per Regulares Prælatos si generaliter pronuntietur, non vero si individualiter contra delinquentem aliquem sententiaretur a Judice competente cum reservatione, puta si loquamur contra Regulares a Visitatore Apostolico, vel Delegato Papæ, ad tradita per Reinffestuel d. §. 8. *n.* 152. sive individuum esset determinatum sive vagum videlicet incognitum prout explicat laudatus Lezana ubi supra *n.* 12. post Peyrinum a se citatum; quod quidem currere de cœteris censuris & pœnis est indubitatum. Quoties deinde suspensio consideretur ut pœna vindicativa, eam tolli per dispensationem vel relaxationem ab illo, qui eam tulit, vel Superiore, vel Successore, vel ejus Delegato, a pari de excommunicatione concordant jura & Doctores apud Reinffestuel *d.* §. 8. *n.* 244. & *n.* 250. *seq.* Nisi fuerit hujusmodi pœna lata ad tempus; cessaret namque in hac suppositione eo tempore lapso absque alia absolutione; neque enim debet perdurare pœna ultra intentionem eam imponentis, dummodo conditiones impleantur si quæ sint adjectæ signanter in hoc cæterisque casibus necessaria satisfactio partis: Mastrius Theolog. mor. *disp.* 73. *a n.* 86. Lezana *tom.* 4. *V. Suspensio n.* 18. & Reiffenstuel cum juribus & Doctoribus a se citatis *de sent. excom.* §. 6. *n.* 177. & §. 8. n. 213. Reliqua de suspensione quæ non sit præsentis indaginis, respicientis Potestatem absolutivam Regularium Prælatorum præclare congerit P. Lezana *tom.* 4. *Verbo censura per tot.* ubi recenset suspensiones principaliores in jure expressas contra Regulares. *n.* 16.

45 De interdicto similiter resolvendum est, sicut de aliis censuris. Supposita namque notitia, quid sit interdictum & in quas dividatur species, certum est non posse Prælatos Regulares, de quibus est hic sermo, absolvere ab interdicto locali generali sive speciali lato ab habente auctoritatem sive is Pontifex sit sive Episcopus, quia resistit Tridentinum *sess.* 25 *Cap.* 12. & 22. cum concordantibus. Portell. dub. Regul. *V. Interdictum n.* 2. 6. *seq.* Ab interdicto etiam generali personali nec possunt absolvere licet subditos, in suppositione quod revera generaliter Regulares quoque percutiat, eo vel magis, quod tam locale quam generale personale in casu non posset non esse deductum ad forum contentiosum apud Judicem competentem, excepto tamen supposito, quod Prælatus Regularis possideret territorium vere separatum & Episcopalem jurisdictionem, tunc siquidem potestatem simul præseferret ligandi & solvendi subditos omnes in sibi concessis a jure: sic cum communi Lezana. *V. Interdictum n.* 41. Ab interdicto autem speciali personali esto reservatum sit in jure sed vage non magis scilicet unum quam alium afficiente, posse Prælatum Regularem absolvere sibi subditos in utroque foro propter privilegia absolvendi indefinite ab omnibus censuris etiam quomodocumque reservatis: juxta alibi dicta, sustinet cum aliis Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 36. Nisi tamen subditus foret specialiter inquisitus quatenus motivum interdicto præbuerit, aut causa apud forum contentiosum agitetur, vel interdictum latum fuerit cum reservatione ab Episcopo in iis, in quibus valet remedium censurarum adhibere contra Regulares; nam potest tolli in casu censura ab ipsomet, tantum qui legitime tulit, propter rationem incontroversam, quod ejusdem sit solvere, cujus est ligare. Rodriguez Busembaum'. La Croix. Felix Potestas & reliqui. Propter quod inter Prælatos debere dari respective locum majori, itaut inferior nequeat se ullatenus immiscere in absolutione interdicti impositi a Superiore Judice competente cum reservatione: omnes unanimiter concordant ex regula generali *Cap. Inferior dist.* 21. cum Gloss. addita advertentia, uti supra de suspensio-

ne,

ne, quod si interdictum latum sit ad tempus & cum aliqua conditione, tempore elapso & conditione adimpleta illud etiam ex se cessat. Ugolin. de interdicto *tabel.* 5. *Cap.* 23. Suarez de censur. *disp.* 38. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 4. *Cap.* 5. Lezana *tom.* 4. *tit. Interdictum* ubi plura scitu digna egregie congerit laudatus Doctor quamvis extra propositum de potestate Prælati Regularis quantum ad absolutionem; non reticendum autem quod Regulares ipsi Prælati, quamvis interdicere Capellas ex motivo queant, nequeant tamen interdicto supponere Ecclesiam propriam, quia non possunt punire populum non sibi subjectum, qui tali spirituali subsidio & commodo privaretur, ut per Decretum S. Cong. Episc. *datum die* 21. *Junii* 1697. probat Monacelli. *tom.* 1. *tit.* 6. *form.* 20. *n.* 34. & post ipsum Matteucci Offic. Cur. *Cap. ult. sub n.* 27. ℣. *Advertendum*: ubi serio admonet cavendum a Prælatis Regularibus, ne monitoria aut cædulares occasione inferendarum censurarum appendi aut affigi faciant ad fores exteriores aut muros respicientes vias extra clausuram, ne incidant in usurpationem jurisdictionis: ibi ℣. *Caveant*.

46 Pro majori explicatione prædictorum, quantum ad potestatem insitam Prælatis Regularibus absolvendi signanter proprios subditos opportunum duco regulas aliquas subdere, licet sparsim jam aliqualiter forte insinuatas, quibus attentis nequeant Superiores ipsi respective Regulares aliique in impertienda absolutione ullatenus errare. Quoties igitur aliquis casus seu melius censura aliqua, quæ semper adnexa relevat in Papalibus, uno vel altero exceptis, idemque dicendum de qualibet alia pœna, sit reservata Summo Pontifici absque derogatione privilegiorum super hoc Regularibus concessorum, afferendum venit posse Regulares respective propriis uti privilegiis in terminis, in quibus sunt concessa, tum respectu Religiosorum, tum Sæcularium. Si vero privilegiis derogetur absolute ita quod vel ex circumstantiis expressis vel ex subsequenti declaratione vel ex contextu sufficienter colligatur derogationem potestatis extendi etiam respectu subditorum Regularium, tunc nequaquam posse absolvi ipsosmet neque in foro fori neque in foro conscientiæ conveniunt Doctores apud Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 41. atque alios. Eo magis, si utrumque forum expresse excludatur; Quod si reservatio cum derogatione quoad forum externum tantum vel explicite vel implicite vigere deprehendatur: tunc habere locum absolutionem in foro conscientiæ docent cum reliquis Passerinus de elect. *Canon. Cap.* 26. *qu.* 9. *n.* 101. & 102. & *qu.* 10. *a n.* 112. *seq.* Lezana ubi supra. Hoc tamen debet intelligi quoties post derogationem expressam privilegii in casu non sit secuta nova concessio & revalidatio privilegiorum omnium verbis ita prægnantibus ut deprehendatur perspicue priorem derogationem esse sublatam juxta relata n. 28. §. II. post med. Dixi verbis prægnantibus ita ut non relinquatur locus opinandi quod derogatio expressa privilegii in casu proprio specialem exigeret mentionem ad hoc ut privilegium revivisceret in casu. Item quoties privilegia non revocata generaliter absque ulla clausula concedantur quantum ad absolutionem vel casus sint occulti vel publici sub concessa cadunt facultate, propter regulas generales juris allatas a Bordono *resol.* 78. *n.* 29. Lezana *d. n.* 41. Passerin. *Cap. cit.* 26. *qu.* 7. *n.* 68. &c. Secus, si in iis exprimatur absolutio ab occultis, etenim attendi debet forma concessionis, ut contingit in Tridentini *Cap. Liceat* sæpius citato. *Sess.* 24. *de reform.* Quomodo autem explicetur occultum in proposito, videatur Passerinus. *Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 18. & *seq.* & nos explicavimus superius *dub.* 14. *sect.* 4. *n.* 53. Nequit e converso Prælatus Regularis absolvere in foro fori subditum a censuris Papæ reservatis, licet absque derogatione privilegiorum, quoties a Sede Apostolica vel hujus Delegato prolata sit ejusdem censuræ sententia, tanto minus contra nominatum excommunicatum, nisi specialis super hoc habeatur permissio, vel mentio in privilegio ex reg. *juris* 81. *in* 6. Se habet enim hujusmodi Regularis Prælatus respectu Sedis Apostolicæ vel specialiter ab ea Delegati suum forum prævenientis veluti inferior; nequeat proinde judicium in casu latum infirmare, absque speciali licentia & permissione & per Reum præstita Apostolicæ Sedi debita submissione. Est communis hisce temporibus & a Passerino explicante quodcumque privilegium in contrarium adductum, plene probatur *d. Cap.* 26. *qu.* 8. *per tot.* consentiente Monacello *part.* 3. *in prælud.* §. 6. *n.* 72. Eadem ratio currit, quoad absolutionem in foro fori, si causa apud Sedem Apostolicam vel ejus Delegatum sit introducta circa ferendam censuram aut declarationem ejus; non enim potest inferior in causa coram Superio-

periore publice actitata se immiscere, aut illam impedire Arg. *Cap. pervenit* 11. *qu.* 1. Navarr. *Cap.* 27. *n.* 268. Covarr. *in Cap. Alma Mater part.* 1. §. *ii. n.* 16. *de sent. excom.* Lezana *tom.* 3. *V. Censura n.* 12. Et signanter id servandum fore in censuris quas ferre possunt Episcopi & locorum Ordinarii contra Regulares veluti Sanctæ Sedis specialiter delegati vigore Concilii Tridentini aut alterius Bullæ sive Decreti, ubi specificetur potissimum quod valeant ipsimet Ordinarii coercere Regulares sontes aut inobedientes per censuras atque remedia juris. Conveniunt Doctores apud Passerinum & Lezanam *tom.* 3. *V. Causæ judiciales Regularium n.* 14. *& V. Episcopus quoad Regulares per tot.* & nos plene defendimus *tom.* 1. *dub. X. sect. IV.* In iis itaque casibus nequeunt Prælati Regulares suos subditos ab censuris per Episcopos impositis absolvere in foro externo esto causa tantum introducta & agitata & nondum sententia inflictiva & declarativa censuræ ipso facto incurrendæ sit pronuntiata, eo quia per Concilium Pontifices & Decreta datur *jus cognoscendi* in dictis causis ipsismet Ordinariis, qui nequaquam possunt a Prælatis Regularibus perturbari. Pasqualig. in prax. *M. Jub. qu.* 268. *n.* 5. Lezana *loc. cit.* & Monacell. *part* 1. *tit.* 6. *form.* 20. *a n.* 9. cujus tamen dicta, quoad aliquid indigent speciali examine ut visum est *dub. cit.* X. *sect. IV. n.* 53. 54. Post latam autem aliquam censuram per sententiam aut inflictivam aut declarativam etiam ab homine sive Judice habente jus, in suppositione quod nequaquam sit reservata aut reservationem non admittat, posse absolvi in utroque foro signanter a Prælato Regulari respectu sui subditi non est dubium: Reinsfestuel de sent. excom. *n.* 246. sicuti in foro conscientiæ a quolibet Confessario ejusdem Ordinis ibi *n.* 247. *satisfacta tamen parte*, ut clarius infra.

§. I. Utrum vero in hismet casibus omnibus in quibus non potest se immiscere Prælatus Regularis: quoad forum fori valeat absolvere subditos in foro saltem conscientiæ a censuris etiam reservatis, distinguendum est; quod vel reservatio censurarum in jure sive Constitutionibus non habetur cum derogatione absoluta privilegiorum &c. Et tunc cum vigeant privilegia in eo, in quo possunt habere locum, quamvis ex alio capite careret vigore pro foro externo, probabilius est posse in foro conscientiæ adhiberi & poni in usu a dicto Prælato; sic enim jura juribus concordantur, quod fieri oportet quoties & inquantum sit possibile. Ad tradita per Navar. *Cap.* 27. *n.* 278. cum pluribus aliis: post quos Lezana *tom.* 3. *Verb. Bulla Cruciatæ n.* 27. Videturque favere Bulla *Urbani VIII. In specula de anno* 1630. quicquid reclamet in oppositum Passerinus, ea ratione pulsus; quia confunderentur judicia & perverterentur causæ; Nullam siquidem video in hoc confusionem, cum adhuc quilibet competens Judex in foro externo posset uti jure suo, perinde ac si Reus non esset absolutus; ad normam Bullæ Clementis X. *Superna* id clare statuentis §. 7. Vel censurarum reservatio in casu, legitur cum clausula non obstantibus privilegiis &c. aut cum dicta clausula tribuitur Ordinariis ferendi & reservandi censuras contra Regulares ampla facultas. Et tunc licet non desit opinio, posse adhuc Prælatum Regularem in foro conscientiæ impertiri subditis absolutionem a censuris dictis per Ordinarium aut alium legitimum Delegatum inflictis quoquomodo; ob rationem mox allatam, quia nulli fieret injuria nec jurisdictio legitimi Judicis perturbaretur. Sanchez *in decal. tom.* 2. *lib.* 6. *Cap.* 17. *n.* 43. Nihilominus quoties potestas ferendi censuras Ordinariis aut aliis Delegatis absolute tradita sit per Concilium & Apostolicas Sanctiones *Non obstantibus privilegiis &c.* nec ex alia parte legantur nova privilegia hanc facultatem absolvendi in foro conscientiæ saltem Prælatis Regularibus concedentia in ordine ad proprios subditos, certum duco, per eos tantummodo posse a reservatis censuris solvi, qui habent ligandi potestatem, tanto magis si in Conciliis Bullis & Decretis apponatur particula privativa. Est communis ex *Cap. Per tuas. Cap. sacr. de sent. excom.* Apud Lezanam V. Censura Ecclesiastica *n.* 12. Reinffestuel *tit. de sent. excom.* §. 8. *n.* 240.

§. II. Quod si P. Sanctorus supra statut. *Cap.* 2. *stat.* 14. §. 1. posse absolvi censet per Prælatos Regulares censuras ab homine quomodocumque latas & etiam subditos nominatim excommunicatos, loquens principaliter quantum ad Novitios Ordinem ingredientes, sed postea extendens privilegium ad omnes in Religione degentes, patet quod explicandus sit, quatenus censuræ non sint a sententiante Judice sibi specialiter reservatæ vel quatenus ostendantur privilegia quoad hoc post Tridentinum concessa aut renovata, videlicet quoad absolvendum saltem in foro conscientiæ, non obstantibus item Con-

Constitutionibus inter quas perpendenda signanter illa Urbani VIII. *Cum sicut* 5. *Novembris* 1631. citatam supra *num.* 16. Cum alioquin relevet incontrovertibilis veritas, quam relatis juribus & Doctoribus probat Reinffestuel de sent. excom. §. 8. Non posse censuram ab homine sive Judice competente latam tolli, nisi vel ab eodem ferente vel ab ejus Superiore, veluti esset Papa respectu Ordinarii non autem Metropolitanus, vel a Delegato vel ab ejusdem auctoritatis Successore: juxta explicationem ibi datam a doctissimo Patre num. 242. & seq. Nec omittendum reputo in proposito quoad omnes absolutiones per Prælatos Regulares impertiendas in hujusmodi reservatis casibus moneri ipsosmet a Pontificibus privilegia conferentibus, ne forum Ordinariorum eorumque auctoritas perturbetur. Ita siquidem in Mari magno Minorum per literas Clementis IV. inclusas & confirmatas per Sixtum pariter IV. ibi. *Cæterum vestra discretio caute provideat ut Apostolicæ Sedis aut Legatorum ejus aut ORDINARIORUM LOCORUM in absolutionibus ejusmodi scandalum evitetur.* Apud Lezanam *tom.* 5. §. 14. eisdem Maris magni; eadem verba habentur in Mari Magno Carmelitarum apud laudatum Auctorem §. 56. idemque repetitur pro Minimis in Mari magno Julii II. Ubi egregie Pater Lezana explicat scandalum hoc vitandum. Circa §. 9. n. 37. & licet hoc vim habeat principaliter pro absolvendis Novitiis vel volentibus habitum Religionum respective induere ut ibi, valere tamen in omnibus aliis casibus deducitur Arg. l. Cap. *Inter Corporalia de traslat.* Episc. & concordant Barbos. *ex.* 197. *n.* 3. *ad* 8. Quæ similiter apposita cautela, quamvis se habeat per modum monitionis & suasionis, ut mox tetigimus & Sanctorus supponit Constir. *Cap.* 2. *statut.* 14. *sub dicto septimo*; fundatur tamen in æquitate, quæ legibus cæteris præstat ad generaliter tradita per Anacletum Reinffestuel de Consit. §. 17. *n.* 415. *& seq.*

47 Eodem pacto juxta præmissa resolvendum venit de censuris latis per Prælatum aliquem Regularem: nempe quod neque in foro externo neque conscientiæ possint absolvi ab inferiore, qui super acta Superioris nullum habet jus, ut si censura fulminaretur a Generali non posset absolvere ab ea Provincialis, si a Provinciali nequeat absolutionem impertiri Superior localis, quatenus censura reservaretur in casu & nullatenus in foro fori, esto non supposita reservatione. Verum quoties a Superiore majore imponitur censura ipso facto incurrenda absque reservatione sibi uni; non est dubium posse hanc absolvi ab inferioribus etiam non Prælatis in foro conscientiæ, quia exercitium jurisdictionis collatæ simplici Confessario, non est unde impediatur in casu. Et probabilius etiamsi deducta esset causa ad forum externum coram Superiore Judice tenendum est, posse inferiorem immo simplicem Confessarium absolvere a censura non reservata in foro conscientiæ, quia in tali supposito nulli fit injuria, nec forum Superioris perturbatur, cum absolutio in foro pœnitentiali vel conscientiæ nequaquam impediat, quin delictum ad forum fori possit alioquin trahi, aut jam deductum immo actitari, & censura de facto infligi legaliter vel declarari & exigi exterius plene satisfactio partis læsæ. Ultra ea quæ præcedenter ostendimus quantum ad Ordinarios habetur clare ex Cap. *Nuper de sent. excom.* Navar. in Manu. *Cap.* 27. *n.* 39. Tolet. *lib.* 1. *Sum. Cap.* 16. *n.* 2. Suarez de Censur. *disp.* 7. *sect.* 1. *&* 4. *n.* 9. Passerin. *Cap.* 26. *qu.* 9. *n* 93. Reinffestuel *de sentent. excom. n.* 247. Idemque proportionaliter asseritur de censuris latis per statuta respective Religionum si etenim nulli reserventur, ab omnibus has posse absolvi, quia absolvere queunt a peccatis quibus adnectuntur merito docent Lezana *V. Censura num.* 13. Passerinus ubi supra *qu.* 1. *n.* 4. Quod si reserventur indeffinite Prælatis, quilibet ex his sive Generalis sive Provincialis sive localis poterit ab iis absolvere in utroque foro; uteretur enim jure proprio. Ita cum Suarez & Peyrin. Passerin. d. *Cap.* 26. *qu.* 3. *n.* 10. *& qu.* 12. *n.* 121. Secus si reservarentur Prælatis majoribus aut in aliqua Religione ob municipalia excludantur Locales, ex alibi probatis; in eo siquidem casu nullatenus valerent inferiores se immiscere quantum ad alterutrum forum. Portell. *V. Excommunicatio n.* 26. Passerin. cit. *n.* 113. cum communi. Delatis pariter causis ad forum Superioris majoris vel ante vel post pronuntiatam sententiam censurarum, esto per statuta non reservatarum, neque posse in foro fori per inferiorem Prælatum Superioris jurisdictionem impediri perspicuum est, quamvis in foro conscientiæ in eo casu nil prohiberet quin inferior valeret absolutionem impertiri: colligitur ex mox dictis: uteretur namque jure proprio & nulli faceret injuriam. Reinffestuel d. *n.* 247.

48 Dif-

48 Difficultas posset adhuc insurgere de æquali respectu æqualis & de Superiore majori respectu inferioris. Exemplum primi. Si reservata foret Provinciali alicujus Provinciæ per municipalia jura aut a Superiore ipso locali juxta facultatem sibi competentem in Religione propria censura, in quam incurreret quispiam Religiosus Reus vel lata & pronuntiata in foro externo ab eodem Superiore Provinciæ vel Conventus; etiam ab alio Provinciali vel locali Superiore distincto posset ea innodatus absolvi? Et respondetur probabilius in foro conscientiæ posse absolvi; quia Provincialis in propria ditione uteretur jure suo; dummodo non interveniret fraus & contemptus: videlicet ni censuratus dolose exiisset è proprio districtu ad hoc ut cum spretu Prælati, qui censuram inflixit absolutionem sibi procuraret; tunc etenim dimittendus foret & indispositus judicari; utpote ad obediendum nequaquam paratus. Suarez *disp.* 3. *de pæn. sect.* 1. *n.* 6. *& sect.* 2. *n.* 3. Et cum eo Portell. V. *Casus reservatus n.* 16. Reinffestuel ubi supra *n.* 247. Arg. l. Constit. Clementis X. *Superna* §. 6.; in foro fori deinde si quæsitum fiat etiam circa recurrentes non dolosos, dicendum est posse absolvi quidem per Superiores æqualis auctoritatis & jurisdictionis, ut valeret exercitia Religionis subire sicut & cœteri, sed ad reincidentiam; nempe cum juramento proprio Superiori se submittendi eique debitam obedientiam præstandi, atque parti satisfaciendi; quatenus ullus fuerit læsus ex pluries tactis & mox adducendis: Cap. *Ex parte* 23. de verb. signif. ubi Panormit. Sylvester *V. Absolutio* 3. *n.* 3. Suarez de censur. *disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 46. Surio in Bull. Cruc. disput. *dist.* 10. §. 8. *qu.* 27. *n.* 5. *&c.*

S. I. Quantum ad aliam partem de Prælatis Superioribus an possint absolvere subditos a censuris latis per inferiores? Dicendum non posse in casibus exceptis per leges vel per statuta si qui sint tales; quia tunc prævalet vel tota Religio vel Capitulum generale Religionem repræsentans auctoritati Superioris esto Generalis, Passerinus d. *Cap.* 26. *n.* 120. Lezana *tom.* 2. *Cap.* 13. *n.* 12. Aut. a Spir. Sancto Direct. Regul. *tract.* 4. *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 47. Consonatque pro Fratribus Minoribus Statutum eorum *Cap.* 8. §. 11. *n.* 11. sed de his Fratribus inferius. Quoties vero absit hujusmodi restrictio posse Superiores majores absolvere subditos innodatos censuris latis per inferiores in foro conscientiæ, nulli dubium est: ne subvertatur ordo dependentiæ. Quæ sane potestas extenditur ad absolvendum etiam in foro externo, quoties speciale emergat absolutionis impertiendæ motivum, videlicet vitæ emendatio exemplaris in subdito censuris irretito vel oblata occasio ipsummet ad aliquod munus in servitium Religionis deputandi; ratio est quia in hoc rationabiliter procederent & uterentur utcumque auctoritate sibi per Canones collata, nec impedirent jurisdictionem Prælati inferioris qui jam munere proprio supponeretur functus in lata censuræ sententia ex Doctrina D. Thomæ 2.2. *qu.* 63. *art.* 4. Sanctor. de pœn. *Cap.* 29 *qu.* 3. *&* 4. Passerin. *Cap.* 26. *qu.* 10. *n.* 108. &c. Quamvis prudentius acturos Superiores majores in casu si innodatum ad proprium Ordinarium Superiorem remitterent, a quo benigne quidem exciperetur servato ordine juris absolvendus, consulit cum aliis Passerinus d. *Cap.* 26. *qu.* 8. *n.* 89. Per viam autem appellationis & recursus posse Superiorem Prælatum iterum causam cognoscere, & quatenus opus sit de injustitia & nullitate censuræ inflictæ sententiare, immo subalternum Prælatum qui injuste processerit punire aut Reum imputatum absolvere ad tenorem jurium & rationum pro eo militantium; quatenus absolutio sub conditione saltem foret impertienda, neque ullus dubitat; Mirand. *tom.* 2. *qu.* 7. *art.* 6. Reinffestuel de sent. excom. *n.* 144. *&* 145. Quamvis si a Prælato inferiori foret censura absolute prolata vel etiam injusta interim ea percussum ligaret, juxta doctrinam ejusdem Reinffestuel de appellat. &c. n. 112. at in progressu causæ quantum ad censuram infligendam coram Prælato inferiore & subalterno quod Prælatus Superior nequeat impedire aut perturbare jurisdictionem illius usquedum sit prolata sententia, videtur militare Tridentinum *sess.* 13. *Cap.* 1. *& sess.* 24. *Cap.* 20. *de reform.* cum declarationibus pluribus apud Barbos. ad d. *Cap.* 1. *sess.* 13. *n.* 27. 28. *&* 29. quæ quidem decreta cum declarationibus extendi etiam ad Prælatos Regulares tenent Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 4. Paris. de resignat. benef. *lib.* 3. *qu.* 11. *n.* 19. & firmat Rota *dec.* 101. apud Farinac. *part.* 4. *prax. crim.* Aliter siquidem daretur ansa subditis proprium immediatum Prælatum parvipendendi & hierarchia Religionis confunderetur: ex animadversis item per Suarez *tom.* 4. *de Relig. n.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 2. *n.* 23. Sanctorus *de pœn. Cap.* 29. *qu.* 3. ℣. *Dico primo* Pasqualig. *dec.* 61. *n.* 1. *necnon dec.* 62. *&* 63. Bordon. *tom.* 2. *resol.* 88. *n.* 4. 8. *&* 9.

§. II. Hoc non obstante servata via juris per recusationem Judicis aut appellationem in censuris non adhuc absolute inflictis sed comminatis aut sub conditione tantum latis, aut alio rationabili recursu adhibito per Reum eo modo quo ad sufficientiam exposuimus *tom. 1. dub. 4. & in hoc 2. tom. dubit. 16. sect. 1.* Quod Prælatus Superior posset ad se causam advocare; immo quamvis subditus gravatus recursum non haberet quod posset id peragere Prælatus ipse Superior ex officio ad impediendum illius gravamen aut aliquod malum Religioni imminens ex continuatione causæ, non sine fundamento ducent Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 87;* Sanctor. *qu. 3. cit.* ℣. *Dixi sine causa* Auton. a Spiritu Sancto in Direct. Regul. *tr. 4. disp. 1. sect. 5. n. 143. & seq.* Interpretanda tunc enim rationabiliter lex non se extendere ad ea quæ excepisset pro certo si prævisa forent, juxta regulas æquitatis tritas apud Anacletum Reinffestuel de Constit. §. 16. *n.* 386. & 415. Hæc autem alibi discussa in materia judicil censurarum non abs re sunt breviter animadversa. Observanda pariter cavetur quoad casus exceptos in hujusmodi appellationibus a censuris etiam comminatis & causis in prima instantia pertinentibus ad Ordinarios, Constitutio Summi Pontificis Benedicti XIV. feliciter Ecclesiam gubernantis incipien. *Ad militantis de anno* 1742. Licet proprie hæc afficiat Curias non Regulares.

49 In facultate etiam impertita Prælatis Regularibus sicut cuilibet alteri absolvendi a censuris, quod per transitum pluries fuit adnotatum, subintelligenda obvenit semper conditio *satisfacta parte* quatenus pars aliqua fuerit offensa, cum efficaci saltem proposito & jurata promissione in foro conscientiæ satisfactionem dictam debitam adimplendi. Leander de Sanctissimo Sacr. *tr. 2. de excom. disp. 17. qu. 92.* Lezana *V. Absolutio n. 9.* cum communi, vel satisfactione exhibita in re quantum sit possibile si loquamur de foro externo, ut infra. Hæc conditio non minus est necessaria pro absolutione a censuris in hujusmodi casibus inter Regulares, quam loquendo de quibuscumque aliis personis extra illus. Quod si clausula eadem nempe *satisfacta parte* in lege addita, vel sententia in Religiosorum causis minime exprimeretur, Prælatum seu alium cum facultate absolvendi deputatum qui absque dicta satisfactione imposita absolutionem impertiret valide nihilominus usurum jurisdictione sibi competente sustinent Cajetan. *V. Absolutio Cap. 4.* Silvester verbo item *absolutia 3. n. 3.* Barbos. ad *Caput ex parte de Verb. sign. n. 2.* Bassæus Verbo *Absolutio n. 25.* Filliuccius *tr. de cens. Cap. 9. n. 225.* Lezan. loc. supra cit. peccaturum tamen mortaliter, quia illicite & cum præjudicio alterius eademmet facultate uteretur in destructionem videlicet & non in ædificationem, & fortasse obligari ad reparanda damna, præsertim si dando absolutionem absque onere imposito esset ipse vere causa Religioso pœnitenti illud non adimplendi, subdit merito Passerinus *Cap. supra cit. 26. qu. 7. n. 79.* Quatenus vero clausula hujusmodi: *satisfacta tamen parte* aut similis facultati absolvendi per jura mandata aut privilegium collatæ adnecteretur: quod invalide absolveret sine tali onere satisfaciendi imposito Prælatus vel quilibet alter probabilius est asserendum; dependeret siquidem ab hujusmodi conditione adimplenda robur privilegii quod aliter interpetraretur rationabiliter non fore ut fuisset concedendum. Cajet. *Cap. 4. mox cit.* Rodriguez in Bull. Cruc. §. 9. *n.* 52. Suarez de censur. *disp. 7. sect. 5. n. 44. & lib. 5. de leg. Cap.* 31. Singra *lib. 1. de censur. Cap.* 18. *n.* 10. Leander aliique per eum congesti, de Sanctissimo Sacramento *tr. 2. de excom. qu.* 90. *disp. 17.* Conink. *disp. 10. n. 211.* Anacletus Reinffestuel videndus de sent. excom. §. 8. n. 269.

§. III. Porro nomine partis quod non veniat Judex seu Prælatus qui censuram tulit, sed ille qui in honore persona aut aliis bonis fuit offensus cujus offensæ intuitu fuit subinde lædens excommunicatus, conveniunt Doctores, ideoque faciendam ipsimet læso restitutionem antequam absolutio impendatur, saltem dandam esse cautionem cum præstito juramento de satisfaciendo quamprimum poterit ab eo qui moraliter nequeat satisfacere de præsenti, repetunt Barbosa cum aliis pluribus ad Cap. *Ex parte de Verb. signif. n.* 52. Passerin. *d. Cap. 26. qu. 7. n. 72. ad* 75. Attamen, debere insimul censuratum Religiosum satisfacere pro consequenda absolutione Communitati, & Prælato in quem fuit contumax, obediendo de præsenti, vel si hoc possideata subsequenti effectu, dando juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ & Religionis, habetur generaliter *ex d. Cap. Ex parte 23. de verb. signif.* Panorm. *ibi* Sylvestr. *V. Absolutio 3. n. 3.* Suarez de censur. *disp. 7. sect. 5. n. 46. & 47.* Quia pariter superius resolutum fuit, Prælatos Regulares, nisi expressa re-

sa resistat lex posse absolvere proprios subditos a censuris respective deductis ad forum contentiosum, sed in foro tantum conscientiæ : juxta privilegia indeffinite concessa & nequaquam absolute revocata. Addendum hic posse tunc absolutum se gerere tamquam censura non irretitum privatim & secluso scandalo, non autem in foro externo a quo dependeret quoad absolutionem publice sibi dandam ; immo absolutum sic in foro dumtaxat conscientiæ posse accusari & publice excommunicatum declarari & veluti talem a Judice competente & legitime puniri, esse replicamus sententiam communem hisce temporibus post Bullam editam a Clemente X. *Superna* §. 6. aliaque Decreta, quæ lex comprehendit omnes cujusque generis reos in suppositione quod circumstantiæ in reliquis necessariæ concurrant. Nihilominus satisfacta parte nec ullo accusante aut reclamante, quod posset Judex competens absolutionem in foro conscientiæ delinquenti, præsertim Religioso impertitam comprobare, nec teneretur contra ipsum per instantiam soliux Procuratoris Fiscalis procedere in foro contentioso, concedunt utique Auctores ; & semper, esto ad exemplum propter contumaciam priorem foret juste puniendus, mitius cum eo quod deberet se gerere Judex, insinuat P. Suarez *tom. 4. de Relig. tr.* 10. *lib.* 9. *Cap.* 11. *n.* 36. Videndus Passerinus *d. Cap.* 26. *qu.* 9. *per tot.*

50 Nonnulla addenda hic occurrunt magis explicite pro Minoritis, quamvis plura jam tetigerimus ad propositum eorum quæ pro omnibus Regularibus sunt enucleata. De censuris videlicet latis vel ferendis per Superiores majores, quod nullo modo possit cognoscere inferior vel ab iis absolvere, mandat statutum generale Sambuc- *Cap.* 7. §. 6. *n.* 77. ibi. *Nullus inferior pœnas a Superioribus impositas alterare, vel remittere valeat sub iisdem, & gravioribus pœnis Superioris arbitrio.* Pœnæ autem hic signanter imponebantur in antecedente statuto n. 76. contra inobedientes Commissario visitaturi nimirum *privationis perpetuæ Officiorum & vocis activæ & passivæ incurrendæ ipso facto.* Hemet igitur comminantur cuicumque inferiori remittenti pœnas a Superioribus impositas per consequens absolventi ab excommunicatione quæ a Superiore altioris Ordinis lata sit loquendo in foro fori, & attentis aliis prænotatis supra n. 43. cum hoc tamen discrimine quod privationes contra inobedientes taxatæ incurrantur ipso facto ibi *n.* 76. at contra alterantes & remittentes pœnas a Superioribus impositas sunt tantum sententiæ ferendæ, exponuntur enim ibi *Superioris arbitrio &c.* Aliud item emergit statutum eodem Cap. & §. quantum ad Superiores respectu pœnarum per consequens censurarum quæ ab inferioribus judicibus infliguntur n. 78. ibi. *Pœnas vero ab inferioribus impositas Superiores non remittant, nisi causa publicæ utilitatis, vel alia rationabili & tunc matura consideratione adhibito causis cognitis & mature discussis.* Quod profecto statutum easdem admittit adnotationes quas pro Superioribus cujuscumque Religionis retulimus hac n. præcedente 44. §. 1. & a Sanctor. signanter *Cap.* 29. *de pœn. qu.* 3. usque ad finem Capituli interpretantur, quod Generalis nequaquam possit causas jam cœptas a Provinciali interrumpere & ad se advocare absque motivo urgenti, quod videlicet sit vel inimicitia nota Provincialis contra reum, hujus evidens oppressio : Provincialis aut alterius Judicis nota ignorantia, vel scandalum probabilissime secuturum. Sicuti pœnas a Provinciali vel aliis Superioribus minoris notæ illatas subditis errantibus, nequeat absolute Generalis vel alter Superior altioris Ordinis respective remittere absque causa, quæ esset quæcumque utilitas Religionis, meritum eximium Rei pœnitentis, evitatio maximi scandali & quid simile. Ubi etiam quod regulariter hujusmodi motiva vel advocandi ad se cœptam causam vel pœnas latas remittendi teneatur Superior altioris ordinis mature & serio examinare, cum alioquin, licet Superior idem præcipue Generalis ageret de plenitudine potestatis, ejus acta tamen in casu Syndicatui, vel novo examini Discretorii generalis, vel Successoris præcipue, si recursum haberent præjudicium passi, pro certo subjacerent ; sic suadentibus juribus & æquitate. Quoties immo de subreptione & obreptione ex parte Rei in obtinenda aliqua ejusmodi gratia a Superiore generali caderet fundata suspicio quod deberet per Patrem Provincialem una & Deffinitorum examinari modus & ratio, quibus Reus usus fuerit pro gratia eadem evincenda, atque interim suspendi executio quoad usque gratiosus Superior plene de veritate certior redderetur, provident identidem Statutum *Cap.* 7. §. 6. *n.* 79. & discutit P. Sanctorus citatus *qu.* 3. usque ad septimam ejusdem *Cap.* 29. *de pœn.* quibus aliquid addere foret superfluum, cum omnes inibi difficultates adamussim tractentur & solide

per jura & rationes resolvantur.

§. Un. Circa absolutionem censurarum in foro tantum conscientiæ, quod ipsa non impediat introductionem & prosecutionem causæ in foro fori ultra præmissa de omnibus Regularibus *n.* 45. §. *un.* habetur pro Minoribus expressum statutum *Cap.* 7. §. 2. *n.* 5. ibi. *Absolutio in foro conscientiæ obtenta correctionem judicialis fori si crimen legitime probatum fuerit impedire non debet*. Quod si Prælatus Superioris auctoritatis ad absolvendum etiam in foro fori se extendere prætenderit, redit in casu doctrina super hoc tradita paulo ante *n.* 45. §. *un. in fin.* Reinffestuel. de sent. excom. *n.* 240. *ad* 245. *& seq.* Satisfactio item partis læsæ, quod debeat præcedere absolutionem a censuris &c. prout dictum est de Regularibus cœteris imponitur specialiter nobis Minoritis per statutum *d. Cap.* 7. §. 2. *n.* 4. ibi: *Provinciales autem aut eorum Commissarii neminem absolvent, nisi antea satisfecerit si quempiam contra justitiam offenderit*. Ex quo apparet, quod si obligatio in casu cogendi censuratum ante absolutionem ad satisfaciendum pro datis offensis viget in Provincialibus, adigat a fortiori alios Superiores inferioris conditionis, immo Confessarios simplices Superioritate carentes. Verumtamen satisfactionem præbendam non tantum parti quæ fuerit læsa, sed etiam Judici, qui excommunicationem, vel censuram aliam quoquo modo tulit opportune repetere duco in censuris præcipue ab homine latis, esto Superior vel præstantioris tituli vel privilegiatus, prætenderet utcumque jus absolvendi ab eis subditos proprios: ad hoc, ut Judex vel intra vel extra Religionem signanter attenta submissione præcedente censurati Rei, & protestatione saltem per Epistolas obedientiæ sibi & Ecclesiæ præstitæ, non posset reputari de impertienda absolutione rationabiliter invitus. Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 25. *n.* 7. Peyrin. *tom.* 1. privil. ad Constit. 2. Julii II. *n.* 28. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 2. *disp.* 14. *qu.* 8. *n.* 4. *&* 5. Quos sequitur Lezana *tom.* 5. *ad Mare Magnum Minorum n.* 37. Cœterum recolendus est quoad hoc laudatus Reinffestuel. de sent. excom. *n.* 282. *& seq.*

51 Antequam Sectio hæc de potestate absolutiva præcipue in Prælatis Ordinis Minorum vigente omnino claudatur, aliquod de Guardianis in eo Ordine sive Superioribus localibus nequeo non replicare. Propter concessionem siquidem incontroversam, per Summos Pontifices factam aliquarum Religionum Prælatis præterquam Generalibus & Provincialibus etiam localibus absolvendi revera a casibus quibuscumque reservatis proprios subditos; nec non dispensandi in irregularitatibus, ut infra, hanc eamdem facultatem jure prætendere cæteros Superiores locales Ordinum quorumcumque attenta communicatione in Privilegiis, constat ex Pontificiis Bullis & probat Passerinus alios allegans *Cap.* 25. *qu.* 5. *n.* 40. *&* 42. Nihilominus; quia ex pluries dictis statuta Ordinis Minorum hanc eamdem facultatem Guardianis & cæteris Superioribus localibus expresse vetant, nisi iis a Superioribus vel Generalibus vel Provincialibus impertiatur; præterea non est dubium prævalere legem municipalem ipsos manifeste ab hujusmodi jure excludentem *Cap.* 7. *Stat. gener.* §. 2. *n.* 1. *&* 2. ibi. *Decernimus & sancimus, ut in illis casibus, quos per Statuta generalia aut Constitutiones Apostolicas reservatos esse, aut reservari contigerit, nemo absolvere quemque præsumat: nisi a Generali vel Provinciali Prælato absolvendi facultatem accipiat*. Et opportune subditur. *Ut saluti animarum consulatur Ministri Provinciales in quolibet Conventu unum vel duos Confessarios deputent, quibus a casibus reservatis occultis in foro conscientiæ absolvendi facultatem concedant n.* 3. Quod idem præcipitur per Statutum Reformatorum Cap. item 7. n. 2. Sic igitur constat Guardianos aliosque Superiores locales in capite, licet Ordinarios Prælatos in reliquis facultatem absolvendi a casibus minime possidere; nisi a Generali vel Provinciali accipiant, ab ipsisque Pœnitentiarii instituantur. Diximus nos tamen alibi, tales institui congruum esse: immo Guardianos Vicariosque Pœnitentiarios institui opportere præcœteris ordinat signanter statutum Reformatorum *Cap. cit.* 7. *n.* 2. ibi - *Sia tenuto il Ministro in Capitolo o Congregazione o nella visita o in altra occasione constituire uno o più penitenzieri, secondo la grandezza de Conventi, oltre gli Superiori Locali e Vicarj ed abbino facoltà di assolvere da tutti li casi*. Idemque probat Sanctorus. *Cap.* 7. *stat.* 2. *&* 3. At hoc supposito & hic iterum explicato, nempe quod Guardiani & cœteri Superiores locales apud Observantes & Reformatos a jure facultatem super casus reservatos non habeant, sed tantum ab homine, videlicet communicatam sibi a Ministro Provinciali, cadit ultimo opportune quæsitum nondum resolutum. An possint dicti Guardiani &c. hoc non obstante facultatem eamdem

absol.

absolvendi nimirum a reservatis aliis simplicibus Confessariis subdelegare; quod potest moveri pariter de Pœnitentiariis a Patre Provinciali absolute deputatis. Respondet autem sed non plene ad propositum Portella. Posse Superiorem Ordinarium delegare facultatem absolvendi a casibus reservatis cum potestate eam subdelegandi, & tunc delegatum posse identidem eam subdelegare in aliquo casu non nomine proprio, sed principalis delegantis: Ex Sanchez *lib. 3. de Matrim. disput.* 31. *n.* 6. De Guardianis pariter asserit, esse quidem ipsosmet Superiores Ordinarios sed per consuetudinem, utpote habentes minorem auctoritatem quam Provinciales, restringi ut possint delegare facultatem absolvendi a casibus in Religione reservatis secundum emergentes necessitates, non vero absolute. Ita in dub. Regul. Verbo *Casus reservati in addition. ad addit.* Verum hæc responsio dixi, extra propositum est quantum præcipue ad primam partem, additque falsum quantum ad secundam; de Guardianis namque aliisque Superioribus localibus in capite Ordinis Minoritici asserit quod possideant auctoritatem ordinariam a jure absolvendi a casibus reservatis, cujus oppositum mox ostendimus absque eo quod in dicta secunda parte demoremur. Quoad aliam primam vero partem responsio, repeto non est ad rem. Nullus namque negaret, quod Delegatus habens facultatem absolvendi a reservatis & simul subdelegandi, valeret eam nomine principalis in aliquo casu alteri subdelegare de facto, sed ita non servari in praxi debemus advertere & supponere non enim Guardianis &c. facultas hujusmodi cum potestate subdelegandi nomine Provincialis delegatur. Unde ad propositum respondere teneretur quis quæsito directe sciscitanti. An Guardiani aliique Pœnitentiarii ad absolvendum a casibus deputati ex vi statuti valeant ex se, absque eo quod expresse facultas subdelegandi a Principali sibi concedatur, eamdem communicare simplicibus Confessariis, videlicet absolvendi ab hoc & illo casu juxta eorum petitiones. Et dico Guardianos quidem posse, licet delegatos eo quia veluti Superioribus alias ordinariis quantum ad reliqua facultas eadem sibi videtur concedi ab æquitate: juxta regulas apud Baldum *in l. Omnes populi n.* 19. *ff. de just. & jur.* Dacian. *Consil.* 36. *n.* 42. *lib.* 1. Reinffestnel *de Constit.* §. 16. *n.* 415. *ad fin.* Nam præ aliis Pœnitentiariis debet considerari gradus semper excellentior Superioris localis in capite, & ultro erubescunt subditi conscientiam detegere propriam Superiori præcipue in hisce reservatis casibus, quam proinde auctoritatem alios deputandi præferre equum est solente & permittente Religione, ne suspicionem ingerat in occasionibus se notitia uti in Confessione habita, ex notatis item per P. Sanctorum Constit. *Cap.* 7. *stat.* 3. sub quæsito pr. ℣. *Hoc autem*. Ultra quamquod aperte id insinuare videtur Decretum S. Cong. relatum a P. Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 38. *n.* 40. nimirum, quod quoties per reliquos Confessarios facultas absolvendi ab aliquo reservato petatur. *Superiores etiam delegati* qui non possunt esse nisi Superiores locales in casu, *prompte eamdem concedant*.

§. Un. Reliquos deinde Pœnitentiarios, qui non sunt Superiores locales non desunt qui affirment, posse etiam in aliquo casu subdelegare quando adsit rationabilis causa. Portella. *V. Casus reservati n.* 19. Nam tunc principalis delegans interpretaretur facultatem hujusmodi permittere, itaut ad normam Decreti S. C. C. sub Urbano VIII. citati in dubitat. præcedente *sect.* 2. *n.* 11. nequiret Pœnitentiarius illam denegare perinde ac si eidem Superiori Prælato instantia hujusmodi præsentaretur; eo vel magis quod delegatus ad causas universales veluti asseritur Pœnitentiarius in Conventu suæ residentiæ ad omnes casus reservatos in tabella, secundum jura & Doctores potest in parte juxta opportunitatem subdelegare. Gloss. *in Cap. super quæst.* §. *Si vero de Off. & potest. deleg.* Abb. *in Cap.* cum Bartoldus *n.* 20. *de sent. & re judic. & in Cap. Qualiter & quando il* 2. *de accus. n.* 3. de Ameno pract. crim. *tit.* 1. §. 3. *n.* 29. *&c.* Nihilominus rationabilitas quam allegabamus mox de Superiori locali, videtur cessare quoad Pœnitentiarios, quoties præcipue sint plures in Conventu, tanto magis quod in defectu unius succedit antiquior Confessarius, vigore statuti signanter Reformat. *Cap. eod.* 7. *n.* 2. Unde impossibile moraliter foret quod Pœnitarius unusquisque evaderet delinquenti rationabiliter suspectus; nec obstat quod delegatus universaliter valeat, quia licet delegatus ad absolvendos Reos in genere a reservatis expositis in tabella, pro quocumque casu quasi specialem recipit commissionem Pœnitentiarius ipse, in quo consideranda est item habilitas proportionaliter personæ. Quamvis non negetur posse alteri Confessario ap-

pro-

probato committere facultatem propriam respectu sui ipsius quatenus in reservatum laberetur, ne fiat ipse deterioris conditionis ac sint subditi pœnitentes: Quapropter ut clare colligitur ex Decreto Clementis VIII. alibi citato 26. Maii 1593. ibi: *Superiores deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori vel minori qui a non reservatis eos absolvant & quibus etiam reservatorum absolutio committatur* QUANDO CASUS OCCURRERIT. Quapropter in suppositione quod Superior localis cum uno Pœnitentiario dumtaxat in Familia Conventus alicuius demoraretur & Religiosus casui reservato obnoxius utrumque haberet suspectum, tutius, immo necesse foret, quod Confessarius simplex pro absolvendo Reo Guardianum adiret uti paulo ante insinuatum est, a quo facultatem exposcat; nam quamvis in nostro Ordine Guardianus facultatem suppositam non haberet destricto jure, tamen non desineret esse semper Superior, qui juxta Decretum Urbani VIII. 21. *Septembris* 1624. assignatur pro concedenda requisitus eademmet facultate: ad normam præmissorum. Dubit. præced. 18. Sect. 2. cit. n. 11. Nec contra Guardianos aliosve Superiores locales in capite, qui in Religione Minorum quantum ad hujusmodi facultatem absolvendi a reservatis habentur ut repetitum est tamquam Delegati potest facere vim *Caput Quoniam §. fin. de Offic. & potest. Jud. Deleg.* nempe quod Delegatus ad absolvendum dispensandum & similia nequeat subdelegare, ibi siquidem est sermo evidens de Delegatis ad nudum ministerium, nimirum ad meram executionem in foro fori signanter; veluti legenti est evidens. Executor autem proprie dicitur, qui rem judicatam ducit ad effectum & non habet aliquam cognitionem causæ, nec jurisdictionem exercet *Gloss. jam cit. in Cap. Super quæstionem de Off. & pot. Deleg.* cum concordant.

SECTIO III.

De Potestate Prælati Regularis dispensativa.

SUMMARIUM.

52 *Explicatur potestas dispensativa quæ primo consideratur in ordine ad pœnas signanter irregularitates; cum brevi doctrina circa Novitios.*

53 *Super irregularitates exteras præter communiter exceptas posse dispensare Prælatos Regulares cum subditis Doctores autumant & primo super provenientes ex delicto; sed ipsæmet exceptæ examinantur. Dantur Regulæ circa hujusmodi dispensationes: & respondetur ad exortas difficultates per plures paragraphos.*

54 *Quomodo possint dispensare dicti Prælati super irregularitatibus ortis ex defectu: signanter super orta ex defectu natalium; etiam per se solos, ex defectu ætatis in suscipiendis Ordinibus aut Ordinum mala susceptione; Itemque ex bigamia §. I. II. III. & IV. ubi omnes & singuli isti defectus diligenter examinantur.*

55 *Examinatur facultas dispensandi super irregularitates ortas ex infamia & super infamiam ipsam quæ dividitur in infamiam juris & infamiam facti & plura ad propositum enucleantur in §. I. & II.*

56 *Quinam sint hi Prælati quibus competit in dictis casibus facultas dispensandi? Et an extendatur ad Novitios & alios? Cautela iterum insinuatur pro usu ejusmodi facultatis.*

57 *Expenditur potestas Prælatorum Regularium dispensandi cum suis super inhabilitatibus & privationibus tum attento jure ordinario, tum ratione privilegii §. un.*

58 *Pro Fratribus Minoribus potestas dispensandi super irregularitate ob infamiam deducitur ex statuto: sed clarius ex Mari Magno Sixti IV. ubi excipitur pro ipsis irregularitas triplex dumtaxat. Non admittitur placitum Patris Sanctori.*

59 *Prælatis Ordinis Minorum non potest negari privilegium dispensandi cum subditis super privationibus & inhabilitatibus contra Patrem de Ameno; tamen cum limitationibus hic assignatis. Hujusmodi item dispensatio cum causa solit competit Generalibus regulariter § un.*

60 *Nequeunt Prælati Religionum dispensare super votis essentialibus Regulæ: bene quidem super Constitutionibus & statutis serv. Et quomodo super præceptis in Regula contentis?*

61 *Differitur signanter; an Prælati in Ordine Minoritico possint super præceptis Regulæ dispensare. Et resolvitur in casu; quod foret declaratio & interpretatio potius quam dispensatio.*

62 *Habent Prælati Regulares facultatem dispensandi super Constitutionibus & Statutis Ordinis præterquam in iis in quibus lex specialis dispensationem interdicit §. I. Et utrum possint dispensare super statutis a Sede Apostolica confirmatis? §. II.*

63 *An dicta potestas dispensandi in Statutis & Con-*

Constitutionibus competat quibuscumque Prælatis Provincialibus etiam atque localibus ?

64 *Quomodo competat Ministro Generali signanter Ordinis Minorum dispensandi facultas super statuta ? Et an revera habeat jurisdictionem a Capitulo generali. Ubi de clausulis appositis cuipiam Statuto. §. I. Et de potestate interpretandi in dicto Ordine & declarandi §. II.*

65 *De potestate Prælatorum Regularium super irritationem & dispensationem interpretationem declarationem votorum simplicium cum propriis subditis & explicantur termini. Ubi de differentia præcipua inter irritationem & dispensationem.*

66 *Quæ vota irritare & super quibus dispensare queant dicti Prælati & §. I. de votis Novitiorum Donatorum & oblatorum §. II.*

67 *Extenditur quæsitum & datur doctrina quantum ad juramenta subditorum : an valeant Prælati dispensare atque in iis irritare ? Velati etiam in præceptis Ecclesiasticis §. I. & specialiter examinatur potestas dispensandi & obligatio recitandi officium Divinum §. II. Cum Doctrina ibi perpendenda.*

68 *In Votis juramentis præceptis potestatem habent quoad dispensandum & commutandum Prælati quicumque quibus competit jurisdictio proportionaliter erga subditos & examinatur hujusmodi dispensatio & commutatio peculiariter quoad Superiores locales. Aliaque enucleantur circa hujusmodi potestatem cum opportuna doctrina §. I. & II. reliqua remissive.*

69 *Prælati Regulares non habent a jure quod possint dispensare super votis Sæcularium Et quatenus adsit privilegium ; hoc tangit ultra Prælatos Confessarios Regulares omnes.*

70 *Sed nequaquam constat de clara privilegio Prælatis & aliis Confessariis Regularibus concesso dispensandi super Votis Sæcularium etiam Papæ non reservatis & privilegia adaucta singillatim examinantur; unde commutatio potius quam dispensatio suadetur : solvuntur objectiones & additæ difficultates §. I. & II. & quantum ad vota jurata §. III.*

71 *An competat Confessariis Regularibus facultas dispensandi super jus deperditum a conjugibus ad petendum debitum ? Afferuntur sententiæ satis implexæ Doctorum, nec non privilegia super hoc dubia atque varia.*

72 *Admittuntur adnotationes Patris Lezanæ super privilegium assertum Julii II. & consideratur oraculum Sancti Pii V. adducitur placitum Doctoris Gueber distinguentis impedimenta petendi debitum scilicet vel ratione emissi voti vel propter incestum & in utroque sustinentis posse dispensare Regulares cui tamen respondent contrariæ Sententiæ Sectatores §. I. Doctrina pariter affertur Patris Aragonien. cum adnotationibus §. II.*

73 *Plures deducuntur resolutiones ex prædictis &c. Nec posse extendi privilegium ultra significationem verborum neque ejusdem posse variari formam opportunam in casu replicatur.*

74 *Examinantur privilegia singillatim adducta pro eorum legitimatione comperienda. Ubi de revocatione Oraculorum & moderante Bulla Urbani* VIII. *quæ nequaquam Oraculis S. Pii V. videtur posse applicari in casu. Affertur & impugnatur simul effugium quod Oracula per confirmationem Summorum Pontificum motu proprio evadant privilegia Bullata §. I. Quomodo interpretanda sint verba Gregorii XV. quod non subjaceant revocationi* Oracula *quæ suum fuerint sortita effectum §. II. examinatur item privilegium assertum in Regularibus dispensandi in foro conscientiæ super impedimento dirimente affinitatis etiam in primo gradu supposito ante contractum Matrimonium.* §. III.

75 *Plura ex præfatis advertenda deducuntur : & plura recolliguntur corollaria tum quantum ad dispensationem super impedimento ad petendum debitum orta ratione incestus tum super resultante ratione emissi Voti.*

76 *Proponuntur distinctius itidem duo resolvenda quæsita, nondum diligenti examini exposita & expenditur primum quomodo participantur privilegia ?*

77 *Alterum resolvitur quæsitum quoad cessationem privilegiorum in communicantibus, quatenus in principalibus cessent & refellitur adagium, quod valeant erga Sæculares Prælati & Confessarii Regularium totum id quod possunt Episcopi. §. un.*

52 POtestatem dispensativam Auctores non pauci in Prælato Regulari simul cum absolutione sub unico titulo tractant; & nos ipsi de facto in præcedente secunda sectione pluries, licet casualiter de absolutione loquentes, nequivimus non tangere attentis Constitutionibus & sacris Canonibus simul & dispensationem. Revera tamen, sicut absolutio cadit proprie super crimina & censuras, ita dispensatio respicit proprie irregularitates, quatenus & ipsa cadit super poenas a jure taxatas: quamvis ad inhabilitationes privationesque

que

que a Doctoribus extendatur. Cœterum negare nequimus, quod dispensatio in toto suo genere, ultra pœnas a jure principaliter vel ab homine latas, respiciat etiam leges Constitutiones præcepta, super quibus passim juxta necessitatem & opportunitates petitur & ab habentibus respective auctoritatem adhibetur. Hinc in sua communi acceptione ex Hostiensi Sylvestro, & aliis describitur, quod sit: *Relaxatio misericors rigoris juris canonice facta per eum ad quem spectat*. Propterea que in Prælato ipso Regulari dispensativam potentiam in ordine ad omnia hujusmodi exercitia debere comparari & considerari concludimus equidem, videlicet circa Regulam Constitutiones statuta proprii cujusque Ordinis respective: ulteriusque extendi ad leges universaliter & præcepta Ecclesiæ & insuper ad interstitia servari solita in receptione Ordinum præcipue Sacrorum: ac etiam ad alios occurrentes casus, qui semper in numero excedunt leges atque regulas generales. At quia jam cœpimus in ante acta sectione potestatem ipsammet dispensativam simul cum absolutiva non una vice comparare ad pœnas in jure taxatas, quæ respectu absolutivæ sunt principalius censuræ & signanter quæ cadunt sub dispensativa non possunt negari, ut præmissimus, irregularitates: idcirco de iis primario & principalius item agemus impræsentiarum & de hinc compendiosius de aliis canonicis pœnis. Sicut & de dispensatione postmodum quam adhibere queant Regulares Prælati super reliquis erga subditos. Unum tantummodo advertimus sectionis initio, quod quatenus absolutionis beneficium atque ad propositum dispensationis favor impertiri queat a Prælatis per privilegia Novitiis etiam, ante horum ingressum in Ordinem vel professionem in ipso, limitatur opportune hæc eadem illorum potestas per conditiones adjectas, quod debeant nempe omnino Novitii satisfacere prius debitis & obligationibus, quæ fuerint causa incursarum pœnarum in casu, & insuper quoties ad sæculum ante professionem redeant, in easdem reincidant pœnas, ut in Mari Magno Prædicatorum & Minorum apud laudatum Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 41. *& tom.* 5. in relatis respective Bullis per extensum necnon expresse per Gregorium XIV. in privilegio posthæc collato Ministris infirmorum *tom.* 2. Bollar. Cherub. fol. 706.

53 Sistendo itaque principaliter in irregularitatibus sentiunt communiter Doctores, inesse Prælatis respective Regularibus facultatem amplissimam dispensandi in iis cum propriis subditis: excepta irregularitate triplici, nempe orta *ex homicidio voluntario bigamia & mutilatione*, de quibus etiam erit pecularis infra discussio, si inspiciantur Bullæ que Mare Magnum appellantur, Prædicatorum Minorum & cæterorum apud Lezanam locis mox citatis; sicut & Prælatis eisdem conceditur, quatenus in censuras reservatas, de quibus in præcedenti sectione, necnon in irregularitates, de quibus agitur nunc inciderent & ipsi, quod per Confessarios a se electos possint absolvi & dispensari ut in Mari Magno item cujuslibet Ordinis apud laudatum Lezanam *tom.* 5. eod. & Passerin. de elect. Canon. *Cap.* 27. *qu.* 6. *n.* 89. Et profecto supposita necessaria notitia irregularitatis, quod nullatenus incurratur, nisi sit in jure expressa: ex Cap. *Is qui de sent. excom. in* 6. cum communi: necnon genericæ divisionis ipsius in illam quæ provenit ex delicto, aliamque ortam ex defectu: probant in Prælatis respective Regularibus hujusmodi potestatem Auctores dispensandi primum super irregularitates ex delicto (præscindendo a relatis privilegiis) per idem principium, quo probatur facultas absolvendi: ex Tridentino nempe *sess.* 24. *Cap.* 6. *de reform.* Ubi facultas dispensandi super irregularitates omnes ex delicto occulto, excepta orta ex homicidio etsi occulto voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, tribuitur item Episcopis quibus Prælati ipsi Regulares succedunt in jurisdictione erga subditos: ex jure communi confirmato & declarato per Constitutionem præcipue non una vice repetitam Sancti Pii V. *n.* 132. Per idem namque principium ut alibi adnotatum fuit, autumant Auctores deducere, tam in præsenti quam aliis occurrentibus casibus, nisi specialiter excipiantur quicquid possunt Episcopi super subditos proprios, posse Prælatos Regulares quosque super sibi subditos Religiosos. Sanchez. *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 86. *n.* 23. Vecch. in prax. *disput.* 9. *dub.* 15. *n.* 3. Tamburin. *tom.* 2. *disp.* 17. *qu.* 3. *n.* 3. Dian. *part.* 7. *tr.* 2. *resol.* 4. Salmanticen. sive Andræas a Matre Dei *tom.* 2. *tr.* 10. *Cap.* 2. *punct.* 6. *n.* 71. Barbos. cum aliis alleg. 49. *n.* 27. necnon Anacletus Reinffestuel de hæret. *n.* 419. *& seq.* Gueber de privileg. *tr. iii. dub.* 2. *per tot. signanter ad propositum n.* 7. 8. *pag.* 515. Didac. ab Aragon. in Dilucid. *tr.* 2. *Cap.* 7. *n.* 2. Juxta etiam superius dicta per nos *sect.* 1. hujusmet dubit. & sæ-

pe

pe quantum ad potestatem absolvendi, ubi promiscue nequibat non tangi hæc etiam dispensandi potestas -- Quamvis autem videatur dissentire P. Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 35. §. *un. n.* 43. ubi facultatem datam Episcopis per dictum Caput *Liceat* Concilii pro dispensando in irregularitatibus &c. minime transire in Prælatos Regulares advertit, quod quidem dicit sed non probat, intelligendus sane est respectu Sæcularium subditorum Episcopis, & nullatenus respectu Religiosorum, super quos in jurisdictione Episcopali ut mox præmisimus illi succedunt; cum alioquin, ultra quam torrens Doctorum, resisteret in terminis Bulla nunc adducta S. Pii V. *Romani Pontificis* 21. *Junii* 1571. quæ nullibi invenitur revocata, literaliter item apud Gueber loc. cit. *n.* 8. Passer. *Cap.* 27. de elect. Can. *n.* 34. Lezan. *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 4. cum communi.

§. I. Verum etiam Capite *Liceat* Tridentini non considerato, quatenus ad privilegia redeamus, quod virtute eorum hæc eadem Prælatorum Regularium dispensativa potestas extendatur ad alios ultro casus & irregularitates alias respectu subditorum, in quibus Episcopus nequit dispensare cum suis pro certo sentiendum est. Videlicet non solum quoties delictum sit occultum, sed esto foret publicum, eo quia in privilegiis dictis amplissimis non excludatur delicti publicitas nec legatur limitatio quoad occulta, ut in Constitutionibus Pontificiis apud Lezanam *tom.* 5. in Mari magno nempe Prædicatorum, Minorum Eremitarum Sancti Augustini & Servitarum; cum distinctione tamen quod privilegium dispensandi PP. Minoribus & Augustinianis conceditur Generali, Provincialibus & eorum Vicariis. Prædicatoribus autem tribuitur extensive ad Priores Conventuales horumque Vicarios, per consequens ad Superiores etiam locales aliarum Religionum per communicationem, nisi statuta municipalia resistant: ex pluries prænotatis, signanter superius *n.* 51. quoad absolutionem &c. Lezana *d. tom.* 5. *per plures §§.* in Mari magno Religionum respective. Passerin. loc. cit. *de elect. Can. Cap.* 27. *qu.* 2. ubi affert etiam privilegium peculiare collatum Cassinensibus a S. Pio V. jam citatum & pluries citandum per extensum de quo mox distinctius infra & aliud Chartusianis, quorum ultimum tamen, nec quoad substantiam, neque quoad modum esse amplius in usu fatetur laudatus Auctor *eod. cap.* 27. *n.* 61. Porro si sermo sit specialis de irregularitatibus ex delicto excipitur in ipsis Bullis Mare Magnum etiam appellatis orta ex homicidio voluntario ut præmissum est, quamvis sit dispensabilis ex homicidio involuntario casuali & ad defensam etiam publico, necnon in dubio an revera servatum sit moderamen inculpatæ tutelæ: immo ad defensam vitæ Patris, prout decisum refert item Barbosa *ad caput* 6. *Tridentini sess.* 24. *de reform. n.* 15. & laudatus Passerinus legendus *Cap.* 27. *qu.* 3. *per tot. n. signanter* 59. post Suarez de censur. *disput.* 44. *sect.* 4. *n.* 35. Sayr. *lib.* 7. *de censur. Cap.* 7. *n.* 19. ad Constit. 2. Julii II. *n.* 101. Censet insuper quantum ad istam irregularitatem P. Reinfestuel tit. de homic. volunt., posse Prælatos Regulares adhuc dispensare in ea esto oriatur ex homicidio etiam voluntario, dummodo sit occultum: ibi cum pluribus a se citatis *n.* 278. Et quodnam dicatur homicidium occultum, aut deductum ad forum contentiosum explicat diligens Auctor *n. seq.* 279. At progreditur ultro D. Rupertus Gueber Canon. Regul. Lateranen. de privileg. Religios. *tract. iii. disp. ii. sect. iii. n.* 40. *& seq.* asserendo nimirum, quod valeant Prælati Regulares dispensare cum subditis in irregularitate proveniente ex homicidio injusto voluntario etiam publico ob privilegia per se adducta Martini V. & Pauli III. collata Congregationi Sancti Benedicti Vallisoleti, Abbatibus scilicet Prioribus & Præsidentibus in ea ut *n.* ibi 40. *&* 41. Chartusianis itidem de quo privilegio paulo ante apud Passerinum a Sixto IV. *in Bulla Ad Uberes n.* 42. sive homicidium patratum fuerit ante ingressum in Religionem sive post professionem, de quo major viget difficultas: sed præcipue per Constitutionem quam literaliter refert S. Pii V. incipien. *Dum ad Congregationem* 13. *Junii* 1571. paulo ante relatam, in qua Congregationi Cassinensium concedit idem Pius motu proprio &c. Abbatibus nimirum ac Prælatis in ea inter alias facultates illam dispensandi super irregularitate exorta ex homicidio voluntario & mutilatione, sive delictum sit occultum sive etiam publicum *ut legenti patet* apud d. Auctorem *n.* 43. & quamvis limitet Sanctus Pontifex privilegium ad homicidium voluntarie patratum ante ingressum duntaxat in Religionem, tamen ampliationem ejus etiam post professionem haberi ut mox dictum est ex privilegiis præcedentibus, non desinit advertere doctus ipse Gueber sicuti senten-

tiam confirmat per prolixam seriem celebrium & classicorum Doctorum antiquorum & recentiorum *n.* 45. quos omnes hic repetere inanis labor.

§. II. Porro ego hanc sententiam in sua probalitate relinquo si quam habet, quatenus vero rejiciatur in praxi nequaquam evincitur ejus falsitas vigore rationis, quam affert P. Didacus Aragonien. *in tract.* 2. *Cap.* 7. *n.* 13. Eo quia nempe in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. potestas dispensandi super hujusmodi irregularitate Episcopis aufertur, propterea Prælatis etiam Regularibus, qui per Bullam Sancti Pii *Romani Pontificis* super subditos proprios eamdem potestatem servant, ac Episcopi erga suos, debet vigore Tridentini pariter censeri sublata & sic privilegium perperam prætendi Tridentino contrarium & ab eo revocatum. Ista inquam ratio minime evincit in casu: nam etsi nequeant Episcopi dispensare super irregularitatem ortam ex homicidio voluntario vigore Tridentini, per consequens ex eodem *Cap.* 6. Concilii neque habeant Regulares Prælati ad instar Episcoporum facultatem hujusmodi dispensationis cum subditis Religiosis, nequit tamen his ultimis denegari prætensa potestas quoties sibi concessa per Bullas Summorum Pontificum ante & post Concilium ostendatur, cum necessariis derogationibus & absque eo quod reperiatur in Concilio de Regularibus loquente aliqua in casu revocatio: prout in similibus magis amplam competere quandoque potestatem Prælatis ipsis Regularibus erga Religiosos, quam Episcopis erga subditos Sæculares, ob peculiares rationes §. 1. *mox dictum est*. Et Aragonensis ipse, quantum ad potestatem absolvendi ab hæresi etiam cum relapsu & a casibus non occultis præfert de facto Regulares Prælatos erga subditos proprios Episcopis ea potestate carentibus erga Sæculares non obstante allegato cap. *Liceat Tridentini*, attentis privilegiis elargitis a Summis Pontificibus aliquibus Ordinibus & eorum Prælatis ob rationes dixi speciales, ne videlicet Religiosi cum scandalo vagentur & ut citius ad debitum servitium Deo præstandum revocentur, in quibus privilegiis participant sine dubio Ordines reliqui, sic ipse laudatus Didacus *tract.* 2. *Cap.* 5. *num.* 16. *signanter* 19. Ad propositum ergo legendus repeto Passerinus de electione Canon. *cap.* 27. *quæst.* 3. *a numero signanter* 48. ubi omnia & singula privilegia, quæ diligenter a D. Gueber in probationem sui illimitati afferti afferuntur, diligenter & ipse præostendit concludens, quod nequaquam absolutam tribuant potestatem Prælatis Regularibus dispensandi cum subditis super irregularitatem provenientem ex homicidio injusto & voluntario patrato ante vel post ingressum in Religionem, sive occulto sive publico & notorio: & oportet, quod supponat in utroque foro, ut legenti ipsum liquet. Si vis fiat nihilominus in privilegio memorato celebri Sancti Pii incipien. *Dum ad Congregationem* Cassinensibus elargito convenit & ipse Passerinus ob clarissimam dispositionem Bullæ, posse hujusmodi Abbates ac Prælatos reliquos dispensare cum subditis in irregularitate proveniente ex homicidio adhuc voluntario & injusto *in foro conscientiæ dumtaxat & ante ingressum in Religionem patrato; non ant. m post* sive homicidium fuerit *occultum* sive *publicum* post professionem in ipsa Religione commissum, ut sonant verba perspicua Bullæ ejusdem per Auctorem rescriptæ *qu. d.* 3. *n.* 60. & apud Lezanam loc. cit. inquo privilegio communicare Regulares alios, Prælatos videlicet & Superiores reliquos etiam locales constat ex præmissis per nos supra *Sect.* 1. *n.* 10. cum limitationibus assignatis ibi §. I. cui sententiæ demum potest conciliari saltem in parte doctus Gueber: quamvis etenim hic sustineat potestatem dispensandi in casu extensive ad homicidium patratum post professionem etiam in respectiva Religione & quamtumvis publicum & notorium: numquam tamen affirmat dispensationem egredi & posse ad praxim deduci extra forum conscientiæ. Ita etiam Doctores per ipsum relati num. 45. nimirum non valere dispensationem quatenus crimen ad forum deducatur contentiosum. Irregularitatem de hinc ortam ex abortu fœtus animati currere pari passu cum proveniente ex homicidio voluntario est communis sensus; ut tactum est superius n. 30. At quod possit a Prælatis Regularibus dispensari in subditis, militat specialis difficultas, quia per Bullam Syxti V. *Effrænatam* apposita est reservatio dictæ irregularitati; *non obstantibus privilegiis Regularium erga subditos, &c.* quæ in suo robore relicta est per Gregorium XIV. in Bulla moderante ex *præfatis n.* 28. ante §. I. *&* n. 30. & apud Lezanam *V. Abortus n.* 30. Nisi sustineatur privilegium antiquum post Bullam Sixti renovatum & quasi iterum concessum per Constitutiones Summorum Pontificum signanter Clementis VIII. excludentis solummodo in generali & ampla confir-

ma-

matione privilegiorum ex certa scientia, *ea quæ Tridentino adversantur*: juxta adnotata in hac eadem Dubitatione *n.* 11. *& n.* 28. §. II. prope finem & *n.*46. prope init. De irregularitate pariter provenien- te ex mutilatione membrorum; quamquam Doctores passim idem resolvendum fore affirment ac de relevante ex homicidio: attamen dummodo occulta sit esto voluntaria, posse Episcopos absolute in ea dispensare, consequenter etiam Prælatos Regulares cum subditis propriis, tenent non pauci apud Lezanam *V. Irregularitas n.* 76. Rinsfestuel de privil. *n.* 228. quia in cap. *Liceat* expresse hæc non excipitur sicut proveniens ex homicidio voluntario, & odia non sint amplianda. Cœterum in privilegiis mutilatio quæ vere sit talis alicujus membri habentis distinctam operationem ab aliis una cum homicidio æquale semper judicium sortitur; prout una cum homicidio excipitur de facto in Mari Magno *n.sup.* 53. Ideoque de una, sicuti & de altera debemus nos juxta datam doctrinam parem regulare sententiam. Videatur diligens Gueber locis citatis, præcipue in relato per se privilegio S. Pii V. pro Monachis Cassinensibus num. 43.

§. III. Regula item datur Ordinum Prælatis ab Auctoribus plurimis circa irregularitates hasce ex delicto provenientes; quod si nequeant iidem absolvere a delictis & peccatis in foro conscientiæ, neque valeant per consequens absolvere a pœnis censurarum; tanto minus in irregularitatibus, siquæ oriantur dispensare; cum major requiratur facultas ad dispensandum, utpote in casu derogetur juri vel jus ipsum relaxetur, quam ad absolvendum quando jus ipsum potius adimpletur. Ad textum in cap. *Cum illorum* 32. *de sent. Excom.* qui textus erudite explicatur quantum ad Episcopos per Passerinum *Cap.* 27. *n.* 13. *seq.* & prius quoad Regulares *Cap.*25. *n.*12. licet ipse Doctor concedat è converso, quod ubi Regulares Prælati possint absolvere in foro conscientiæ a delicto, possint etiam sed in solo foro conscientiæ dispensare super irregularitate ex eo delicto insurgente: in eod. *cap.* 27. *qu.* 5. *n.*82. contra ea quæ videtur scripsisse *Cap.* 25. *n.* 16. His non obstantibus adhuc controversia viget: an in suppositione, quod nequirent Prælati Regulares absolvere sibi subditos a casibus & censuris in Bulla *Cœnæ* contentis signanter ab hæresi eo modo, quo nequit Episcopus absolvere Sæculares, valerent nihilominus dispensare in irregularitate ex hæresi occulta relevante? Et communior datur resolutio: *Affirmative*: Quippe cum irregularitas excipiatur ea dumtaxat quæ exoritur ex homicidio voluntario; in Cap. *Liceat* pro Episcopis; hinc relinquatur facultas iisdem dispensandi super irregularitatibus occultis aliis, absque eo quod negatio facultatis absolvendi ad propositum inferat negationem dispensandi quæ est quid separabile diversum, cujus in vetante Concilio nulla fit mentio. Felix Potestas de Sacr. Pœnit. *n.* 3336. *& seq.* præcipue *n.* 3338. cum aliis a se citatis. Ita agitur etiam de Prælatis Regularibus respectu sibi subditorum, tanto magis quod inter irregularitates exceptas in Bullis Mare magnum vocatis nullatenus connumeratur ista de qua controvertitur. In qua equidem quæstione sicut non debet tribui Prælatis quibuslibet potestas quæ sit manifeste contra jura, sic censerem non posse denegari ipsis id quod in concessione generali a jure & Constitutionibus non notatur excipiendum, nisi specialis ratio perurgeat. *l. Papinian. Exul. ff. de Minor. In l. Venia* ℣. *Liberis C. de in jus vocand.* Ubi Bart. Bald. Jason. *n.* 4. Covarr. in *l. Var. resol.* 10. *n.* 5. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 3. *n.* 5. cum aliis. Additur pariter tamquam communiter notum, quod licet aliquando valeant Prælati Regulares absolvere a censuris & dispensare super ortis irregularitatibus ultra absolutionem delictorum in foro conscientiæ, tamen in foro fori nullatenus queunt se immiscere, ut in pluribus criminibus spectantibus ad Sancti Officii Tribunal, cui debent modum procedendi judicialem prorsus relinquere ex publicis constitutionibus. Felix Potestas *n.* 3420. Passerino *d. Cap.* 27. *qu.* 5. *n.* 82. Lezana *V. Irregularitas n.* 62. Quoties insuper causa sit deducta ad forum contentiosum alterius legitimi Judicis, vel sententia sit lata nominatim contra Religiosum sive nominatus sit vagus, puta si pronuntietur sententia irregularitatis contra eum qui interdictus aut suspensus nihilominus celebravit, sive sit determinatus & certus a fortiori, ut si declaretur irregularis Religiosus talis v. g. *P. Simon*; quia publice excommunicatus Missam celebrare sit ausus: tunc super aut contra sententiam latam a Judice legitimo, patet quod nil possit alter in casu non competens & generaliter inferior super sententiam sibi Superioris. Passerin. *qu. cit.* 5. *n.* 83. *& ex dictis sect. prac. n.* 47. Quod si Judex ipse inferior servato ordine juris sententiam tu-

tulerit, neque Superior valebit diſpenſare aut latam annullare ſententiam: niſi per viam appellationis & recurſus ſer. ſerv. ut præmiſſum quoque fuit, quantum ad cenſuras *n.* 48. §. 1. Quamvis poſtquam inferior munere ſuo ſit functus, quod poſſint Superiores, *cum cauſa tamen ſemper* ſignanter ob bonum publicum, ſubditum reſtituere quoad irregularitates non reſervatas Papæ ex delicto ſignanter provenientes & ſine irrogata cenſura ſententiæ jam latæ, concedant utique Doctores; uterentur ſiquidem eo tunc Prælati Superiores jure proprio nullibi eis prohibito; immo competente per conceſſiones ampliſſimas apud Paſſerinum cit. *Cap.* 27. *qu.* 2. & *qu.* 5. *n.* 86. Felicem Poteſtatem *tom.* 1. *n.* 4480. *ſeq.* & plures alios.

§. IV. Videtur nihilominus excipi caſus in quo quis irregularis declararetur a proprio legitimo Prælato interdicto ſibi & impedito aſcenſu ad Sacros Ordines ex quacumque cauſa, ob crimen, quamvis occultum, & quomodocumque etiam extrajudicialiter procedatur, aut a Sacris Ordinibus gradibus dignitatibuſve Eccleſiaſticis fuerit quis depoſitus ſive ſuſpenſus, eorum exercitio ſibi prohibito. Per Concilium namque Sect. 14. Cap. 1. de Reform. diſponitur, ibi. *Quod nulla contra ipſius Prælatis voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & Dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur.* Ubi *ly reſtitutio nulla*, videtur excludere abſolute quamcumque a Prælato Superiore exequibilem, quod quidem Decretum afficere etiam Regulares ex declaratione S. Congregationis tradit Barboſa ad *d. Caput Conc. n.* 1. 2. & 3. = Verumtamen ne hæc exceptio admodum univerſalis & quæ juris poteſtatem Superiorum Prælatorum limitaret deterreat quemquam ultra fas, recolenda ſunt quæ diximus de non impertienda abſolutione a cenſuris niſi ſatisfacta parte & exhibita ſimul Prælatis quibuslibet cenſuras ferentibus debita reverentia & obedientia num. 49. & 50. in hac ead. Dubit. ſuppoſito quod juſte proceſſerint &c. Eademque proinde quoad diſpenſationem irregularitatis ſive impedimenti contracti in caſu a crimino ſis ſint obſervanda; ita quod ſupponatur prius Prælatus reſpective legitimus juſte & rationabiliter in ſuis inhibitionibus & latis pœnis proceſſiſſe, cum alias neque Concilium neque lex ulla ad favendum irrationabiliter & injuſte peractis extendi præſumatur. *Cap. Conſuetudo diſt.* 1. *cum Gloſſ.* D. Iſidor. *lib.* 5. ethimol. *Cap.* 3. & 21. D. Th. 1. 2. *qu.* 90. *art.* 4. *qu.* 95. *art.* 3. & *qu.* 96. item *art.* 4. Donat. *part.* 3. *tr.* 11. *qu.* 5. cum reliquis. Et dehinc in ſuppoſitione etiam actionis juſtę ſufficiat, quod debita ſatisfactio & reverentia Prælato, qui prohibuit aſcenſum ad Ordines aut Ordinum graduum dignitatum ſive honorum exercitium quomodocumque præcipiendo impedivit ſive perſonaliter ſive per literas, a delinquente prætenſo exhibeatur: ſatis ſit immo quod Prælatus ipſe inferior poſitive non reſiſtat, taliter ut licentia & reſtitutio præſtita per Superiorem in caſu, contingere non deducatur aut interpretetur *contra ipſius Pælati inferioris voluntatem*; eo modo quo literaliter præſcribitur in allato Concilii Decreto ex ſæpius animadverſis, quod nullatenus debeant verba legis ultra ſignificatum literale proprium protrahi ſignanter in odioſis: ex l. Non aliter ff. de legibus 3. &c. Abb. in Cap. Ad audientiam num. 2. de decim. Navar. in Cap. *Inter verba diſt.* 1. *de pœn. n.* 10. Suarez *lib.* 6. *de leg. Cap.* 1. *n.* 7. & *Cap.* 2. Lezanam *lib.* 1. *tr.* 4. *Cap.* 18. *num.* 8.

§. V. De duabus aliis irregularitatibus ex delicto provenientibus ſolent ultro inquirere DD. an ſuper ipſis diſpenſare queat Regularis Prælatus cum ſuis: quæ oriuntur nempe ex reiteratione Baptiſmatis & violatione cenſurarum. De prima quæ incurritur tum a rebaptizato ſolemniter tamen & publice, tum a ſic rebaptizante & utroque habente intentionem ſive recipiendi ſive conferendi baptiſmum, concors eſt ſententia quod poſſit diſpenſari in ſuis ſubditis a Prælato Regulari, quia in ampliſſimis privilegiis non excluditur, & licet P. Aragonienſis afferat rebaptizandi caſum debere eſſe occultum ad hoc ut diſpenſatio valere & exequi queat *tract.* 11. *cap.* 7. *n.* 17. *in fine* hoc falſum deprehenditur Cap. *Ex literarum* 2. *de Apoſtatis* ubi ad hoc ut irregularitas hujuſmodi incurratur requiritur ut dictum eſt *quod rebaptizatio ſit publica & ſolemniter facta*. Gueber loc. cit. *n.* 48. *pag.* 670. ſi foret idcirco occulta evaderet diſpenſatio inanis & de ſubjecto non ſupponente; caſus vero rariſſimus poteſt contingere & fere metaphiſicus eſt inter Regulares. Quantum ad alteram *violationis cenſurarum*: videlicet quæ incurratur a cenſuris irretito, nimirum a firmiter & vere excommunicato excommunicatione majori, ſuſpenſo ſuſpenſione quæ ſit vere cenſura & perſonaliter interdicto ob actum Ordinis vel ipſi Ordini adnexum

nexum temere exercitum, quod in ea dispensare itidem valeant Praelati Regulares cum subditis, ita ut Ordines susceptos hi possint deinceps legitime exercere & ad majores quatenus non adhuc eos receperint promoveri non obstante irregularitate contracta: tenent Doctores ob privilegia indubitanter collata quae ab unaquaque Religione in specie non tantum per communicationem acquisita afferuntur, & laudatus Gueber pro Canonicis suis Regularibus indulta clara & specifica refert Eugenii IV. Sixti IV. Julii II. signanter quorum vigore dispensationis beneficium possint impertiri Praelati inter eos propriis subditis = *in casibus pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis sententias a jure vel ab homine generaliter promulgatas incurrerent; & hujusmodi sententiis innodati; aut in locis generali vel speciali Ecclesiastico suppositis interdicto celebrantes sic ligati notam irregularitatis similiter incurrissent*, ibi *n.* 49.& *seq. pag.* 672. At ego relata non obstante doctrina quoties sententia irregularitatis incursae a Iudice competente prodierit in casibus ei permissis, ut ab Episcopo tamquam specialiter a Sancta Sede Delegato, aut causa propterquam contumax in exercitio Ordinum praetenderetur irregularitatem publice contraxisse ad forum deducta sit contentiosum, minime assentiri possum quod Praelatus cum Religioso subdito potestatem sic absolute dispensandi possideat resistentibus aliis juribus; ex mox §. III. praenotatis Ultraquamquod in casibus in quibus nequiret Praelatus absolvere a censuris difficultas implexa rediret, an valeret super irregularitatibus ex censurarum violatione contractis dispensare, quae affirmative quamvis a pluribus resolvatur ob probabilem rationem datam dicto §. III. circa medium: nihilominus quod deberet supponi delinquens Religiosus a censura absolutus ut beneficium consequeretur dispensationis, ratio videtur naturalis dictare; ne videlicet dispensatio caderet super adhuc contumacem; super hoc autem intelligenti simul & prudenti Lectori rem dimitto: nec despicienda doctrina Patris Mastrii in Theol. Mor. *disp.* 13. *n.* 187.

54 Quatenus hinc transeamus ad irregularitates provenientes ex defectu, posse super ipsis omnibus dispensare Regulares Praelatos cum propriis subditis conveniunt Doctores exceptis tamen iis primo quae relevant ex defectu animae & defectu corporis quamdiu ipse defectus perdurat: juxta doctrinam egregiam Lezanae inter alios tit. *Irregularitas n.* 12. 13. & 14. Quae quidem irregularitates ex utroque capite legi item distincte queunt apud Matteueci Offic. Cur. *Cap.* 35. §. 1. *per tot.* Felicem Potestatem *tom.* 1. *n.* 4427. *seq.* & P. Didacum Aragonien. *dicto Cap.* 7. *n.* 5. Ut de notabiliter deformibus morbo gallico publice male effectos vel epileptico laborantibus omnino illiteratis mentecaptis &c. Ratio unica est; quia sicuti irregularitas non incurritur nisi sit in jure expressa, ita ab expressione juris pendet ejus reservatio; cum ergo relatae tantum excipiantur in concessione generali dispensandi in aliis; consequenter esto deficiat circa exceptas potestas dispensandi in coeteris semper vigere concluditur in Religionum Praelatis. Ita Passerinus *d. cap.* 27. *qu.* 2. *n.* 5. Felix Potestas *n.* 4480. cum communi. Quomodo autem quoties defectus non sit adeo notabilis tanto plus si Ecclesiasticus Ordo privatim dumtaxat exerceretur a subdito defectuoso, eo tunc irregularitas foret cum ipso dispensabilis per Praelatum: ostendunt Ant. a Spir. Sancto in Direct. Reg. *tr.* 2. *sect.* 2. *n.*60. Andreas a Matre Dei *tr.*10. *cap.* 7. *punct.* 4. *n.* 59. & *cap.* 9. *punct.* 6. *n.* 75. post Palao Dianam Layman & plures ob potestatem amplam traditam a Summis Pontificibus Praelatis ipsis in casu. Valebunt itaque simul dispensare super irregularitate orta ex defectu levitatis propter eamdem amplissimam potestatem in non exceptis juxta Doctores quorum seriem recensere labor foret inanis: & explicatur levitatis defectus relevare ex occisione hominis *in judicio legitimo & bello justo dumtaxat* quae sane occisio posset appellari homicidium attento jure vel mutilatione ejusdem in talibus circumstantiis. Et advertendum quod saepe citatus Gueber de privileg. Religiosor. pag. 648. n. 29. 30. & 31. vult ab hac irregularitate absque fundamento tamen eximere nonnullos qui realiter in mortem sive occisionem rei per sententiam vel moralem cooperationem influunt, sed sine culpa vel quatenus praecepto sint adacti cum nequaquam ad eamdem incurrendam culpa supponi debeat sicut Milites pugnantes in bello justo, ipse excipit dummodo propriis manibus non occidant nec mutilent; quod inquam non subsistit; nam in quocumque bello sive justo sive injusto censentur omnes actu pugnantes una causa moralis homicidii vel mutilationis a quocumque infligatur, ideoque omnes & quicumque irregularitati subsunt nec Caput: *petitio tua de homic.* sive Canon.

non. *ſi quis* 4. *deſt.* 51. favent non occidentibus manu propria ut perpendenti conſtabit: eo fortius quod praxis contrarium dictat, cum pro Medicis Chirurgis militantibus in quocumque bello in Romana Curia expeditur generaliter diſpenſatio, ut ad Ordines aſcendant vel ſuſceptos exerceant &c. Abſque dubio etiam poterunt Prælati in caſu diſpenſare ut poſt tempus bene viſum & congruum ordinentur vel ad officia & dignitates promoveantur Neophiti, videlicet ad Fidem noviter converſi, dummodo humilitate polleant ut exprimit Canon. *Neophitus deſt.* 61. ſive cadat proprie ſuper ipſos diſpenſatio, ſive potius debeat dici declaratio quod conſideratis circumſtantiis irregularitati minime ſubjaceant, ex animadverſis per Patrem Didaeum Aragon. *d. Cap. VII. n.* 10.

§. I. Ex his deducunt Doctores pariter quod valeant Regulares Prælati diſpenſare cum ſuis ſuper irregularitate de qua ſolet principalis inſtitui ſermo, orta nimirum ex defectu natalium, adulterio inceſtuoſo & quovis alio nefario & illicito coitu: adeo ut hujuſmodi notis maculati ad Sacros promoveri Ordines & in ſuſceptis miniſtrare, ſed etiam ad quaſcumque Prælaturas in reſpectivo Ordine promoveri queant: Baſſæus *V. Irregularitas* 3. *n.* 7. ℣. *Ex variis* Sigiſmundo a Bonon. *dub.* 73. *n.* 67. Tambur. *tom.* 1. *diſput.* 5. *quæſt.* 14. *n.* 10. Portell. in dub. Regul. *V. Illegitimus n.* 10. Andræas a Matre Dei *tr.* 10. *cap.* 9. *punct.* 4. *n.* 57. Murga de privileg. ad Conſt. 2. Alexandri IV. n. 812. ſeq. Et quamvis advertat P. Felix Poteſtas quod in ordine ad Prælaturas nequeat diſpenſare ſuper defectu natalium Generalis aut Provincialis, niſi una cum Capitulo ipſo generali vel Provinciali ſive Congregatione Provinciæ intermedia ad tenorem Bullæ Gregorii XIV. *Circumſpecto* per ſe citatam ibi *n.* 4489. Nihilominus aſſerendum, etiam extra Capitulum Congregatinnemque ſed ex ſe ſolis poſſe Superiores Regulares habilitare illegitimos ſubditos uti ſupra ad Ordines atque Prælaturas; quippe cum poſt Conſtitutionem illam *Circumſpecta* editam de anno 1590. Gregorius idem XIV. conceſſit hanc poteſtatem Patribus Societatis ſine tali limitatione per Bullam *Exponi Nobis datam* 30. *Auguſti* 1591. & Clericis Miniſtrantibus infirmis per *Bullam Illius qui ſub die* 21. *Septembris anni ejuſdem* 1591. in Bullar. *tom.* 2. *la* 17. prout aliam citat ſimilem emanatam pro Clericis de Somaſca incipien. *Decet* 16. Aprilis 1593. Paſſerinus *Cop.* 25. *qu.* 20. *n.* 215. Idcirco cum hæc eadem privilegia ſint aliis Regularibus per participationem communia poterunt Superiores reſpective ſine dubio per ſe ipſos dumtaxat habilitare abſolute ſubditos ad Sacros Ordines & Prælaturas Sigiſmund. a Bonon. *d. dubit.* 73. *n.* 19. Donatus Peyrin. aliique citati a Lezana *part.* 1. *Cap.* 18. *n.* 60. & Paſſerino de elect. *Cap.* 25. *qu.* 20. *n. dicto* 215. Cum repetita tamen adverténtia ſubdo ego quod privilegia Societati Jeſu elargita ad Præpoſitum ibi generalem reſtringuntur, qui deinde ſibi detraditam poteſtatem ſubalternis diſtribuit ad placitum. Et quantum ad Clericos Miniſtrantes infirmis in hoc eodem caſu, poteſtas per Bullam citatam *Illius qui* indulgetur Præfecto Generali Congregationis ejuſdem & illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum ſeu Provincialibus & illorum Vicariis ut perlegenti liquet ac locotenentibus, ſic in Conſtit. attenta *Decet* pro Patribus de Somaſcha exprimitur ad literam, quod diſpenſatio de qua in caſu cum illegitimis, ut ad majores Ordines & dignitates promoveantur poſſit fieri a ſolo Præpoſito Generali cum voto conſiliariorum a Capitulo Generali deputatorum: ibi. §. 3. apud Cherub. *tom.* 2. *Conſt.* 22. unde hæc eadem methodus a communicantibus in privilegio videtur eſſe ſervanda: juxta alibi dicta & repetenda inferius *n.* 76. §. 1. Pater autem Didacus ab Aragonia in pluries citata Dilucidatione *tr.* 2. *Cap.* 7. *n.* 4. ſcribit Patres Reformatos Strictioris Obſervantiæ non uti hoc privilegio, utpote obſervare proteſtentur Bullam Sixti V. in Statutis eorum *Cap.* 2. *n.* 1. *ſeq.* Attamen in dicto ſtatuto præciſe lego & legere quis alter poteſt, *quod non recipiantur ad Religionem Novitii, niſi fulciantur conditionibus requiſitis per* Sixtum V. inter quas breviter ibi recenſitas relevat *quod nati ſint ex legitimo Matrimonio*, nec verbum ſit de aſcenſu ad Ordines aut dignitates, de quo improprius foret ibidem tractatus: quapropter non video, quare vigore ejuſdem Statuti ſit prohibitum Superiori Generali aliis attentis Conſtitutionibus & privilegiis Pontificiis ſibi conceſſis diſpenſare cum ſubditis etiam Reformatis ſuppoſita horum receptione ad Religionem, ſuper impedimento illegitimitatis pro aſſumendis Sacris Ordinibus & Dignitatibus conſequendis: cum lex pœnalis ſecundum commune adagium nullatenus poſſit extendi ad alia præter expreſſa ex notiſſimis regulis, pro quo facit doctrina Paſſe-

Passerini. *Cap.* 25. *de elect. qu.* 43. *n.* 516. Sed propter eamdem rationem, lex quae praescribit Provinciali & Deffinitoribus ad quos Regulariter haec spectat, receptionem ipsam Novitiorum cum conditione adjecta, quod nati sint ex legitimo Matrimonio ut in d. *Cap.* 2. *num.* 7. non potest nec debet trahi ad Generales qui per Constitutiones distinctas possident privilegium dispensandi super eamdem conditionem: attento immo ipsissimo statuto *n.* 8. ibi *Ingredientes Religionem possint per Superiorem Generalem Provinciales, eorumq. Vicarios* absolvi ab omni censura; & dispensari *SUPER OMNI IRREGULARITATE*. Firmis alias remanentibus conditionibus caeteris: ac etiam supposita exceptione cujuspiam irregularitatis in ipsis privilegiis expressae &c. Sed numquid non urget de facto Constitutio Sixti V. *Cum de omnibus* 26. *Novembris* 1587. confirmata a se & declarata per aliam incipien. *Ad Romanum* 12. *Cal. Novemb.* 1588. ubi scilicet in una & altera solers Pontifex districte prohibet ne imposterum illegitimi, praesertim ex incestu & sacrilegio procreati, non solum in Religiosum Ordinem recipi & in eo professionem emittere, sed expresse item ad Ordines promoveri, multo minus ad ullam dignitatem assumi queant. Minime equidem urgere respondetur utramque Bullam quae redacta fuit ad terminos juris perinde ac si non emanasset per Pontifices subsequentes, Gregorium sane XIV. in allegata paulo ante Constitutione *Circumspecta*. Et per Clementem deinceps VIII. in Constitut. item incipien. *In suprema* 2. *Aprilis* 1602. la 87. tom. 3. Cherub. Legendus est P. Sanctorus Constit. *Cap.* 2. §. 11. ubi receptionem illegitimorum in Religione Minoritica non refutat ob rationes usque nunc datas; sed considerationes a Diffinitoribus adhibendas ante receptionem insinuat, Bullasque tum Gregorii XIV. tum Clementis VIII. sapienter expendit. Verum circa Novitiorum admissionem non parum distracti sumus; ad dispensationem itaque pro consequendis dignitatibus necessariam utique in illegitimis revertentes, non posse cum istis dispensari in Religione ulla ad consequendum Generalatum cum communi Doctorum advertit Felix Potestas *num.* 4490. sed necessariam fore dispensationem Apostolicam allegans item id colligi ex Constitutione clar. mem. Innocentii XII. incipien. *Romanus Pontifex*; teste Matteuccio apud quem tamen invenire nequivi ubi Bullam citet; quamvis revera reperiatur haec inter Constitutiones laudati Pontificis in ea quae est de facultatibus *Majoris Poenitentiarii &c.* Idque etiam comprobatur ex usu & maxima congruentia; Passerin. de Elect. Cau. *Cap.* 20. *n.* 221. post Barbos. in collect. Bullar. *Verbo Regulares &c.*

§. II. Nec reticere dignum est opinionem a paucis defensam quod Religiosi illegitimi post professionem indigent quidem dispensatione ad hoc ut promoveantur ad dignitates & officia quae jurisdictionem secum ferunt, nequaquam autem prosuscipiendis Ordinibus etiam Sacris, utpote per professionem ipsam irregularitas sive impedimentum ad susceptionem illorum & exercitium jam susceptorum tollatur, secundum Doctores in prolixa serie relatos a Passerino *Cap.* 25. *qu.* 16. *n.* 145. *& seq.* Ex Cap. *ut filii* de fil. Presbyter: quibus consentit Anacletus Reinffest; *dict. tit. n.* 7. Nihilominus, quicquid sit de jure antiquo; juxta Summorum Pontificum Constitutiones deinde editas in Regularibus adhuc Professis impedimentum ad Ordines praecipue Sacros suscipiendos revera supponitur, dum expresse conceditur respective Praelatis potestas super ipsum dispensandi in patentibus Bullis & non solum in allegata Sixti V. *Cum de omnibus*, cui laudatus Passerinus respondet fuisse redactam ad terminos juris *Cap. d.* 25. *n.* 146. Sed aperte in aliis adductis per Dominicum Gueber Lateranensem Canonicum *tr. III. de irregularit. ex defect. pag.* 632. *n.* 15. Sixti IV, nempe Innocentii VIII. & Julii II. in unaquaque quarum distinctiut. Canonicorum Lateranensium Congregationibus, sive earum Praelatis potestas impertitur, ut cum quibusvis personis defectum natalium ex adulterio, incestuoso & quovis alio illicito coitu provenientem patientibus, postquam Congregationem ipsam ingressi *& illam* EXPRESSE PROFESSI FUERINT, perpetuo dispensare valeant, *ut defectu & irregularitatibus hujusmodi non obstantibus ad quoscumque etiam Sacros & Praesbyteratus Ordines promoveri & in illis etiam in Altaris Ministerio ministrare possint*. Atque in hujusmodi dumtaxat dispensatione respiciente promotionem ad Ordines sistunt praefatae Bullae de alia dispensatione in ordine ad dignitates, nullam facientes mentionem, apud eumdem Gueber loc. cit. In alia autem recentius post Sixtum V. a Gregorio XIV. uti supra 21. *Septembris* 1591. pro Congregatione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis emanata Praefato Generali & aliis Superioribus

sibal-

subalternis de horum licentia, concessa habetur facultas dispensandi cum personis ejusdem Congregationis defectum natalium ex adulterio, incestu sacrilegio & quovis alio nefario & damnato coitu patientibus, ut defectu hujusmodi non obstante *possint ad Ordines etiam Sacros promoveri & in illis ministrare*. Atque ulterius exprimitur ibi potestas altera, nimirum dispensandi ut iidem ad quascumque administrationes & officia eligi & valeant assumi. Unde ne imputetur Summis Pontificibus in hac re falsa suppositio & error: securius videbitur in exposito casu quaerere dispensationem; prorsus nihilominus non reprobo opinionem fundatam in Canone. Utrum deinde in dispensatione petenda debeat significari illegitimitatis gradus nimirum si ex adulterio incestu vel Sacrilegio, probabilius cum pluralitate Doctorum dicerem quod sic: nam gradus isti quatenus improbiores variant judicium dispensantis nec superflue cum distinctione specificantur in privilegio dispensandi: Passerinus cum reliquis a se adductis *Cap. d.* 25. *qu.* 24. *n.* 288. *&* 297. Morga de privileg. *ad Const.* 2. *Alex. IV. n.* 831. *&c.*

§. III. Duae supersunt irregularitates ex defectu magis quam ex delicto ortae quas placet hic sub eodem numero complectente irregularitates ex defectu provenientes per distinctos §§. examinare, an videlicet & ipsae quoad dispensationem sub potestate cadant Praelati respective Regularis. Una est quae provenit ex defectu aetatis in suscipiendis Ordinibus aut aliis casibus quoad male suscipientes Ordines eosdem aut ministrantes in male susceptis. Et super hanc constans est opinio Doctorum posse dispensare cum Subditis Regulares Praelatos propter illam communem rationem primo; quia nimirum in quacumque irregularitate ex istis possunt dispensare Episcopi cum suis; dummodo sit occulta ex famoso Cap. *Liceat* Sayr. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 76. Ugolin. de potest. Episcop. *Cap.* 37. §. 7. Garz. *part.* 3. *cap.* 5. *n.* 5. Barbos. de offic. & pot. Episc. *alleg.* 39. *n.* 36. *& seq. & ad Cap.* 6. *sess.* 24. *Trident. de Refor. n.* 10. *& seq.* Proinde eadem facultas non sit deneganda in casu Praelatis Regularibus, quibus respectu subditorum tribuitur quaecumque collata Episcopis in occultis juxta repetitam saepius Constitutionem Sancti Pii V. *la* 132. in Bullar. Et ultro; adhuc non considerata potestate ad instar Episcoporum in hujusmodi irregularitatibus posse Praelatos Regulares dispensare cum sibi subditis Doctores probant ex privilegiis propriis, per quae facultas sibi generalis & ampla dispensandi super omnibus & quibuscumque irregularitatibus exceptis tribus quas memorati sumus in hac sectione n. 52. cum observationibus tamen subsequenter additis, ut videre est apud Passerinum de elect. *Cap.* 27. *qu.* 2. ubi affert inter alia privilegium speciale concessum Chartusianis n. 39. sed prudenter repetit privilegium idem per non usum fuisse amissum hinc aliis Ordinibus minime communicatum, immo parum adaptabile ut legenti liquet & perpendenti *qu. ibi* 3. *n.* 61. & nos item praenotavimus paulo ante n. 53. circa med. Rupertus autem Gueber de privileg. *tr.* 3. *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 52. *pag.* 674. alias adducit Constitutiones Summorum Pontificum in favorem Canonicorum Regularium editas, describitque ibi n. 53. male suscipientes Ordines quot modis scilicet contingat indebita susceptio vel sine approbatione & examine Episcopi. Cap. *Veniens de his qui furtive cum gloss.* vel ex furtiva admixtione inter Ordinatos ipso Episcopo ignorante Can. *Quando* 5. *dist.* 24. *& Can. extra* 5. *dist.* 64. vel ex receptione dolosa Ordinum Minorum & Subdiaconatus sive duorum Sacrorum Ordinum eodem die *Cap.* 3. *tit. de eo qui furtive & Cap. fin. tit. eod.* ex susceptione Ordinis Sacri post initum sed minime consumatum matrimonium invita uxore *In Extrav. Antiquae concertationis de voto.* Male exercentes Ordinem perhibentur ii qui solemniter exercent Ordinem vel numquam susceptum vel susceptum furtive & dolose aut per saltum. *Cap.* 1. *&* 2. *de Cler. non Ord. & Cap.* 1. *de ordin. per salt.* Concluditque cum aliis quod facultas Praelatis Regularibus insit dispensandi cum subditis in irregularitatibus ex quocumque capite inter recensita exortas ob privilegia dicta numquam revocata. Verumtamen advertendum, aliud impertire dispensationem irregularitatis ortae ex mala susceptione & exercitio Ordinis male suscepti, & aliud dispensationem super irregularitatis causam Ex. gr. Si quis inter Regulares ante legitimam aetatem reciperet Ordinem Sacrum & in eo ministraret fieret absque dubio irregularis; & super irregularitatem eamdem posse dispensare Praelatum; itaut cum subditus ad etatem requisitam pervenerit valeat Ordinem susceptum exercere & ad Ordinem majorem Sacrum ascendere a Subdiaconatu puta ad Diaconatum asseverant cum aliis Doctores citati; super defectum vero aetatis ad Sacrum suscipiendum

dum Ordinem necessariæ, quod nullatenus dispensare queant cum subditis Prælati iidem, firma stat sententia omnium resistente alioquin expresse Tridentino *sess.* 23. *Cap.* 12. absque eo quod privilegium ullum aut scripto aut oraculo collatum adhuc vigeat, ut cum Augustin. a Virg. Mariæ *V. Ordinatio Clericorum* & Andræa a Matre Dei tr. 8. cap. 5. ostendit laudatus Gueber *sectione dicta* 2. *n.* 21. & 22. *pag.* 639. Eademque applicatur declaratio quantum ad promotos quomodocumque dolose & furtive, ita ut sit indispensabilis furtivus ipse modus ex se & intrinsece malus; sed ipso utcumque perperam adhibito, quod possit dispensari super irregularitate quatenus inde oriatur juxta relatos assertores. Advertendum ulterius pro vera & pleniori notitia quod male promoti ad Ordines vel ante legitimam ætatem vel quomodocumque furtive aut per saltum, proprie & immediate incurrunt suspensionem, & dehinc quatenus sic suspensi Ordinem male susceptum exerceant irregularitatem respective contrahant; ita enim sonant & communiter explicantur Canones prohibentes sub taxatis pœnis *susceptionem & Ordinum susceptorum exercitium* exponit item laudatus Gueber *sect.d.* 2. *n.*22. A suspensionibus autem in casu male suscipientes & promotos posse absolvi per proprios respective Prælatos, sustinent Emanuel Rodriguez Portella Bordonus relati a P. Didaco Aragonien. *tr.* 2. *Cap.* 7. *n.* 6. Itemque ex privilegiis absolvendi ab omnibus casibus sententiis excommunicationis suspensionis & interdicti quomodolibet Summo Pontifici reservatis subditos proprios Prælatis respective Regularibus in amplissima forma elargitis, firmat ejusmodi facultatem ipse Gueber *tr.* 3. *disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 32. *pag.* 554. Hinc igitur quatenus a suspensionibus absolverentur male promoti non remaneret unde dispensatione indigerent: deficeret namque irregularitatis fundamentum & ratio, scilicet ministerium Ordinum in suspensis seu suspensione supposita: servatis alias servandis. Nihilominus adhuc in suppositione quod male sic promoti &c. absque absolutione incursæ suspensionis nec servatis alias servandis, scilicet non expectato ex. gr. complemento legitimæ ætatis in prematurе ordinatis, & ita quoad explendas obligationes si quæ emergerent in cœteris præsumerent ultro male susceptos Ordines exercere, & sic irregularitatem merito contraherent a iure taxatam, quod valerent super ea dispensari a Prælatis propriis respective ostendit præfatus Auctor ibidem & ad instar Episcoporum qui super irregularitate eadem valent dispensare cum Clericis Sæcularibus & ulterius propter privilegia relata amplissima absolvendi & dispensandi in Prælatis ipsis Regularibus nullatenus revocata: ibidem *pag.* 554. *n.* 32. & *iterum disput.* 2. *ejusdem tract. iii. n.* 22. *pag.* 639. *seq.* Immo si privilegia inspiciantur, non solum posse Prælatos absolvere & dispensare ad instar Episcoporum in casibus occultis verum etiam publicis, addit cum Henriquez & Tamburino idem Gueber, quia privilegia casus occultos a publicis non distinguunt & ubi lex non distinguit maxime in favorabilibus nullatenus est in nostra potestate ad libitum distinguere & limitare ubi supra *pag.* 554. *n.* 32. circa med. -- At contra præfata usque nunc de male promotis aperte militat Bulla Sixti V. *Sanctum & salutare*, *nonis Januarii* 1588. Ubi pœnæ & censuræ contra ipsosmet sic promotos latæ, summo ipsi Pontifici reservantur, taliter ut nullus quavis auctoritate aut dignitate fungens possit ab iis absolvere tam male promotos eosdem quam Antistites aut Abbates promoventes cum derogatione in hac parte privilegiorum cuilibet Religioni etiam per Bullas appellatas *Mare Magnum* concessorum, sicut & in irregularitatibus pariformiter reservatis, nequeat quisquam qualibet dignitate præfulgens cum prædictis ullatenus dispensare, non obstantibus tum privilegiis in favorem Regularium, tum *Capite Liceat* pro Episcopis respectu subditorum *in occultis*. Quæ profecto Bulla prægnantibus verbis & clausulis concepta omnem facultatem Prælatis quibuslibet tum absolvendi tum dispensandi in hujusmodi casibus auferret, nisi revocasset illam Clemens postea VIII. per aliam Constitutionem incipien. *Romanum Pontificem pridie Cal. Mart. an.* 1595. reducens ad terminos Conc. Tridentini & Constitutionis Pii II. *Cum in Sacrorum dat.* 15. *Cal. Decemb. de an.* 1461. censuras & pœnas cum reservatione tollens & abolens, præterquam contra *promoventes & promotos simoniace* ut ibi.

§. IV. Altera irregularitas inter provenientes ex defectu connumerata quæ examinanda superest est famosa illa quæ oritur ex bigamia, seu ut communi appellatur vocabulo ex defectu Sacramenti. Et super hanc movetur breviter quæsitum. An dispensare valeant Prælati Regulares cum suis sive Novitiis ut ad professionem admittantur sive professis ut ad Ordines be-

beneficia dignitates promoveantur ? Respondentque pro majori parte DD. Posse revera si bigamia sit similitudinaria tantum, puta si quis post votum solemne castitatis contraxit consumavitque Matrimonium, ex concessione Tridentini pro Episcopis in celebri *Cap. Liceat sess.* 24. ad Prælatos ipsos Regulares per consequens extensa in suppositione tamen semper casus occulti . Vel melius dicatur, quod valeat Episcopus secundum DD. dispensare super hac irregularitate similitudinaria cum suis Clericis absolute in omni casu etiam publico virtute *Cap. De Diacono* 1. *tit. qui Clerici &c.* Et ita valeant absolute etiam Regulares Prælati ex pluries dictis : ultra quamquod similitudinaria non habetur in jure neque per Doctores ipsos pro bigamia propria super quam cadat exceptio : idque non contradicitur . Gueber cum reliquis *pag.* 642. *n.* 25. Super bigamiam autem veram quæ contingit cum quis duas revera successive duxit uxores & cum utraque consumavit , negant Doctores dicti pro majori parte , posse aut Episcopos cum clericis Sæcularibus aut cum Regularibus Prælatum proprium dispensare . Prout hanc potestatem denegant dispensandi super ortam ex bigamia interpretativa quæ quatuor modis incurritur secundum Sacros Canones : primo si quis Viduam duxerit vel a lias corruptam . 2. Si duplex contraxerit matrimonium unum validum & aliud invalidum . 3. Si plura contraxerit Matrimonia utcumque invalida . 4. Si propriam Uxorem licet Virginem duxerit & post hujus lapsum in adulterium scienter cognoverit . Sic apud Passerinum inter cœteros luculenter disserentem de elect. Can. *Cap.* 27. *qu.* 4. *n.* 62. *& seq.* & compendiosius apud Felicem Potestatem *n.* 3376. *&* 4431. Hisque addo P. Didacum ab Aragonia in cit. *tr.* 2. *Cap.* 7. *n.* 7. ubi cum allegatis per se Doctoribus rite advertit , non indigere dispensatione bigamos ingredientes Religionem aut profitentes in ea , quia nullo jure prohibeatur his talis ingressus aut professio , per quod resoluta manet pars prima quæsiti de Novitiis ad professionem admittendis . Posse deinde probabiliter censet Prælatos dispensare cum subditis super bigamia vera & interpretativa in foro conscientiæ & casu occulto ob privilegium Martini V. Benedictinis concessum . Pace ipsius tamen non est unde hoc addat , quia in bigamia vera & interpretativa signanter ex puro defectu casus nequit esse occultus , puta si aliquis duas successive accipiat uxores , aut Viduam duxerit in faciem Ecclesiæ , cum matrimonia supponantur publice celebrata cum requisitis ad hoc ut sint valida & quamvis foret vir ignotus in una regione , tamen quatenus Matrimonium verum & validum contraxisset alibi , non posset non haberi publicum in radice . Atque ita plene non capio quomodo in bigamia vera & interpretativa ex puro legali defectu , possint verificari hujusmodi termini ab Aragonia Patre absoluto calamo una simul & copulative expositi . *In casu occulto in foro conscientiæ, ad evitandum scandalum*, quos intelligenti perpendendos relinquo . Bene quidem in bigamia præcise interpretativa posse relevare admitto quandoque irregularitatem etiam ex delicto ut liquet consideranti modos paulo ante declaratos , ut ex. gr. Si duo quis inierit & consumaverit matrimonia , validum unum & alterum nullum , vel propriam cognoverit uxorem se sciente & consentiente cum alieno viro adulteram & in eo casu , quatenus sit occultus novi non deesse opinionem constanter sustinentem posse Prælatos Regulares dispensare super irregularitate oborta , eo quia ajunt opinantes , tributum sit Episcopis super omnibus irregularitatibus dispensare quæ ex delicto occulto proveniunt excepto unico homicidio , ideoque ad instar cum propriis subditis quod possint æque Regulares Prælati , ut sæpius fuit ostensum in casu dispensare & ipsi : Barbos. *de Jur. lib.* 1. *Cap.* II. *n.* 156. Avila de cens. *part.* 7. *disp.* 3. *dubit.* 7. Engel. *de fil. Presbyt. n.* 9. *& de major n.* 50. Pichier. de bigam. *n.* 5. Andræas a Matre Dei *tr. ii. Cap.* 9. *punct.* 4. *n.* 53. *& alii* . Cœterum super irregularitate exoriente ex bigamia vera & interpretativa ex puro legali defectu negant passim absolute jura & Doctores posse dispensare Episcopos cum Clericis subditis , ut ad Majores Ordines ascendant , aut beneficia dignitatesque consequantur , & quare ? Quia hujusmodi irregularitates non in occulto , sed in revera publico fundantur defectu *ut in dist.*34. per plures ibi Canones & per plura Cap. item in *tit. delegamus* ; ubi specialis etiam super hoc relevat facta Episcopis inhibitio . Loquendo nihilominus de Regularibus Prælatis pergit ultro D. Canonicus Regularis Rupertus Gueber , asseverans quod valeant iidem dispensare cum propriis subditis in bigamia similitudinaria *non tantum* , sed & in vera atque interpretativa ex solo legali defectu provenien te ad hoc ut Ordines suscipiant & Beneficia obtineant atque Dignitates : sic *tract.*

3.

3. *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 24. *seq.* Et quatenus obiiciantur auctoritates Summorum Pontificum, qui in ipsis privilegiis *Mare magnum* nuncupatis bigamiam semper excipiunt soli Sanctae Sedi reservatam, ita ut pro obtinenda dispensatione super irregularitatem ex ea ortam sit necesse ad eamdem Sedem Apostolicam immediatum habere recursum;ut in Bulla Sixti IV. inter caeteras pro Minoribus incipien. *Regimini*, apud Lezanam tom. 5. & alias passim adducit ipse Constitutiones Summorum Pontificum etiam posteriores in quibus potestas dispensandi confertur Regularibus Praelatis cum eorum subditis in omni irregularitate,praeterquam proveniente ex homicidio voluntario, atque hinc exclusio unius sit inclusio omnium non exceptorum per cōmunes regulas. Ideq. affert in his terminis datam per Leonem X. pro Abbatibus Camaldulensibus incipien. *Exponi Nobis* 27. *Aprilis an.* 1514. apud Pittonum. Aut ampliatur potestas dispensandi cum subditis super irregularitatibus quibusvis pro tempore quavis occasione & causa contractis absque exceptione ut in illa signanter Pauli III. incipien. *Dilecti filii* 12. *Martii an.* 1545. pro Abbatibus, Prioribus ac Praesidentibus Congregationis Sancti Benedicti Vallisoleti. Proinde cum privilegium possit hujusmodi a Summis Pontificibus concedi & elargitum de facto inveniatur nec postea revocatum, nil ad ejus valorem desiderari concludit catervamque Doctorum idem sentientes congerit; ibi num. 26. Et ad instantiam quod in generali concessione non veniant ea quae Princeps non esset concessurus in specie ut in casu de bigamia; replicat quod sicut in specie Pontifices exceperunt homicidium, sic excepissent bigamiam si voluissent, & ulterius in Bullis nullam irregularitatem excludentibus vim faciunt in casu termini praegnantes. *Quavis causa; quavis occasione irregularitates sint contractae pag.* 644. *seq.* Hanc profecto sententiam, aut quamlibet similem a laudato Auctore calamo non haesitante expositam, sapienti Lectori considerandam remitto libenter; unum addens, quod casus dispensationis hujusmodi possit occurrere in Religionibus rarissimus; ita quod tali notati irregularitate ex bigamia scilicet vera interpretativa atque etiam similitudinaria inveniantur in Ordine jam admissi atque professi, non omissa etiam animadversione ipsiusmet Gueber in fin. numeri 27. loc. cit. Quod, licet revera hujusmodi privilegio effraeni Religiosorum Praelati potirentur non esset fas illo in casibus rarissimis uti. P. Emanuel Rodericus super hunc articulum de Potestate Praelati Regularis dispensandi super bigamiam veram & interpretativam cum subditis valde intricatum se gerit; ut fatetur item P. Sanctorus super Constit. Cap. 2. Stat. 14. quaest. VI. per tot. Qui tamen & ipse eod. loc. non minus ambiguus, implexusque apparet, quod enim in principio negat, deinde affirmat & quod affirmando docet, negando concludit: sed quantum ad Fratres Minores aliquid superaddetur *n. infra* 56. *in fin.*

55 Peculiare adhuc promeretur examen apud Auctores irregularitas illa, quae dicitur ex infamia relevare; propterea que dat locum item peculiari quaesito utrum valeant Praelati Regulares super hanc cum subditis dispensare supposita itaque communi divisione infamiae in illam quae dicitur juris & infamiam facti; facti hanc secundam, quae item supponitur fundari in completa patratione seu commissione atque publica & notoria criminis sive delicti specialiter enormis independenter etiam a Judicis sententia, conveniunt Doctores, quod neque ipsa, neque irregularitas ex ea exorta, sive ipsam concomitans per dispensationem tolli queat; sed per poenitentiam dumtaxat regulariter triennalem. Ex Can. *Si duo* 35. *qu.* 7. cum Gloss. Panormit. *in Cap. Cum te* 23. *de sent. & re judic. n.* 9. Navarr. in Manuali *Cap.* 27. *n.* 207. Clar. §. *fin. qu.* 21. *n.* 1. Suarez *disp.* 28. *sect.* 2. *n.* 6. Garzias *part.* 7. *de benef. Cap.* 8. *n.* 64. Castro Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *punct.* 20. *n.* 14. Antonell. de Regim. Eccl. *Cap.* 6. *n.* 17. Pirring. de temp. Ordin. *n.* 19. Salmantic. sive Andraeas a Matre Dei *tract.* 10. de cens. *Cap.* 9. *punct.* 8. *n.* 85. pluresq; alii: Pontifex autem solus dispensare potest super infamiam ipso facto irregularitatemq: consequentem delictis non purgatis, utpote super jura habens solus potestatem; quamvis Praelatis etiam non prohibitum sit declarare aliquoties ex motivo, an poenitentia non adhuc triennalis sufficiat ad delictum purgandum, atque infamiam consequenter delendam: Passerin. de elect. Can. *Cap.* 28. *q.* 1. *n.* 3. Quantum deinde ad infamiam juris; videtur posse breviter deduci; quod Praelati Regulares valeant utique dispensare cum suis super irregularitatibus a tali infamia ortis & simul & semel in illis infamiae ipsius maculam abstergere, & equidem ex usque modo traditis, per quae ostensum est posse Praelatos dictos dispensare in irregularitatibus multis quae ut quis

quis perpendere valet, infamiam supponunt vel crimen, cui infamia indeclinabilis sit adnexa, praecipue si in casibus Bullae *Coenae*, substineatur potestas inesse Praelatis iisdem absolvendi & dispensandi ut in casu haeresis Apostasiae a fide & Religione &c. in casu etiam bigamiae vel interpretativae ex delicto vel isto similitudinariae dumtaxat. Itemque quatenus infamia sequatur ad adulterium a Clericis patratum vel ad crimina quaelibet adulterio minora: posse super ipsam & irregularitatem concomitantem Episcopum dispensare nulli est dubium; ad textum in *Cap. Et si Clerici IV. de Judic.* Ideoque similem potestatem non deesse Praelatis respectu subditorum Regularium ex toties probatis concludendum venit prout paulo inferius distinctius dilucidabimus n. 57. §. II. Verum si stemus in privilegiis potestatem hujusmodi apparet quod amplient Doctores ad quemcumque ultro casum, ob Constitutionem signanter alias citatam S. Pii V. incipien. *Dum ad Congregationem* 13. *Junii* 1571. *la* 129. edita pro Monachis Cassinensibus, in qua expresse & rotundis verbis concedit Sanctus Pontifex eorum Abbatibus & Praelatis facultatem absolvendi suos subditos &c. a quibusvis criminibus reatibus culpis & censuris & poenis ante vel post ingressum in Religionem ob delictum vel privatum vel publicum quavis ex causa, casu vel data opera, incursis vel incurrendis, esto reservatis Sedi Apostolicae vel comprehensis in *Bulla Coena &c.* & simul liberandi eos a quacumque infamia ibi = *Omnemque infamiae maculam sive notam inde quomodolibet insurgentem ab eis & eorum quolibet abolendi*, ad hoc ut ad Ordines Sacros etiam Praesbyteratus promoveri, atque in Abbates Priores & Praelatos praefici, necnon ad quascumque dictae Congregationis Praelaturas eligi & assumi, omnesque benedictiones suscipere queant. Et quatenus male promoti Ordines exercuerint, aut ad Praelaturas &c. indigne electi & assumpti in iis ministraverint, irregularitatibus inhabilitatibus censuris poenis quibuscumque licet irretiti, & innodati valeant in Altaris Ministerio ministrare &c. & quascumque Praelaturas & Officia retinere & libere exercere, dictis Praelatis addidit auctoritatem absolutam dispensandi & eosmet in pristinum restituendi: ibi apud Passerinum inter alios *Cap. dicto* 27. *qu.* 2. *n.* 38. Addocent pariter Constitutionem Gregorii XIV. incipien. *Illius qui* 21. *Septembr.* 1591. ubi conceditur Generalibus Clericorum Ministrantium infirmis dispensare super irregularitatibus cum subditis atque per se vel alios deputatos abstergere in eis omnem infamiae maculam cum rehabilitatione ad Ordines & gradus pristinos, praecise tamen in foro conscientiae teste Sigismundo de Bon. *dubit.* 84. *n.* 4. Peregrin. in Compend. privilegiorum Theatin. ℣. *Dispensatio* cum aliis pluribus.

§. I. Huic sententiae & coeteris quantum ad infamiam hic praemissis consentit & subscribit D. Rupertus Gueber de privileg. Religios. *tr.* 3. *disp.* 2. *sect.* 4. *per tot.* ubi n. signanter 61. affert privilegium specificum Eugenii IV. in Bulla incipien; *Injunctum nobis de ann.* 1434. sed praecipuum privilegium appellat & ipse illud S. Pii V. Cassinensibus elargitum in Bulla *Dum ad Congregationem* paulo ante memoratam quam ad literam ibi extendit; sicut & privilegium superadditum Gregorii XIV. pro Ministris infirmorum in Constitut. ejusdem Pontificis 27. Attamen hic Doctor infamiam facti semper coniungit cum infamia juris ibi init. *sect. n.* 54. ita quod infamis in facto quis nequeat dici, nisi delinquat in crimine cui infamia sit irrogata in jure: & sic irregularitatem possit inferre quae in jure necessario debet exprimi *ex Cap. bis cui de sent. excom. in* 6. ideoque merito impediat exercitium Ordinum obtentorum & ascensum ad Ordines altioris gradus, ac etiam ad dignitates & beneficia Ecclesiastica quae non nisi a probatis & integrae famae viris exigunt administrari: concluditque juxta dicta quod sicut infamia facti potest non nisi per constantem poenitentiam deleri, ita super infamiam juris atque irregularitatem concomitantem quae dispensationem omnino exigit, valeant cum propriis subditis Regulares in casu Praelati dispensare *loc. cit. n.* 61. *&* 62. Pater e contra Didacus ab Aragonia non vult absolute esse audiendos eos qui Praelatis Regularibus ejusmodi tribuunt potestatem, scilicet dispensandi cum subditis antea vel post ingressum in Religionem super infamiam sive irregularitatem ortam ex infamia juris, propter oriturum inde scandalum, & allegatas ab aliis Summorum Pontificum Constitutiones nequaquam se invenisse asseverat *tr.* 2. *cap.* 7. *n.* 8. Coeterum Pontificia diplomata hujusmodi privilegium claris & perspicuis verbis concedentia Praelatis perlegi nequeunt apud Passerinum literaliter afferentem sicut & apud laudatum Gueber qui super iis literaliter etiam & ad verbum allatis fundata

dare ait intentionem propriam Prælatos dictos, cum ex una parte potuerint Summi Pontifices hanc potestatem ipsis concedere, ex alia parte eamdem reipsa juxta demonstrata concesserint, nec ullibi eam revocasse constet ibi n. 61. in fin. Signanter Constitutiones citatas S. Pii V. pro Cassinensibus n. 129. Et aliam pro Clericis Ministrantibus infirmis Gregorii XIV. n. 17. satis celebres ego ipse consideravi apud Cherubinum in Bullar. tom. 2. & pluries in hac dubitatione recitantur tanquam notissimæ. Aptius ergo dicendum autumarem, quod cum alibi probaverimus & confirmabimus infra n: 56. circa fin. dispensationem debere indeclinabiliter fundari ; non loquendo de Pontifice Summo, super motiva ad eam impellentia, in casu fas sit esse urgentia & urgentia magis, quanto crimina inducentia infamiam sint atrociora : Et quia inter hujusmodi crimina exemplariter relata ab ipso Aragoniensi loc. cit. necnon Domino Gueber *n.* 55. *pag.* 657. nonnulla relevent atrocissima in jure etiam civili per jus canonicum approbatum, ut crimen Divinæ humanæque læsæ Majestatis bina sponsalia binasque nuptias eodem tempore perficientes S. R. E. Cardinales hostiliter invadentes lenocinia exercentes &c.; super his signanter & similibus abstinendum esse Prælatis a dispensatione non est dubium, quamvis privilegium effræne S. Pii signanter pro Cassinensibus nulla excludat scelera quamcumque maculam quomodolibet at. que irregularitatem inferentia : veluti concedit demum Doctus Gueber, non decere videlicet & vix unquam expedire quod ad hujusmodi dispensationem Prælatus Regularis cum propriis licet subditis deveniat ibi *n.* 62. ℣. *Verum pag.* 686. atque ostendit in notationibus ibidem ingeniose additis præstantissimus D. Eusebius Amort ejusdem venerabilis Congregationis Canonicus Regularis. Casus autem contractæ infamiæ in delictis præsertim nefandis magis & atrocibus reputo fore metaphisycos apud Regulares, cum hujusmodi criminum rei ob Pontificias sanctiones & Religionem rigorosa statuta vix sit possibile quod ad Religionem admittantur, & post ingressum in Religionem impossibile omnino dicam, quod crimina eadem publice perpetrentur, & delinquentes publici qui sunt improbissimæ hujusmodi infamiæ compotes ad Ordines Dignitates ultro media dispensatione promoveantur.

§. II. Verum enim vero aliqua ulterius super his nequeo non adnotare. Quatenus etenim infamia facti semper infamiam juris supponat, vide licet crimen publice & notorie patratum habeat adnexam irregularitatem atque infamiam juris; ne alias irregularitas contrahatur in facto quæ non sit in jure expressa contra communem sensum: hinc ruit primo dictum Patris Aragoniensis ibidem *Cap.* 7. *n.* 8. *cit.* quod valeant Prælati Regulares dispensare post peractam pœnitentiam cum reis in infamia facti & irregularitate inde contracta, quamvis nullatenus dispensare possint super infamia juris. Ulterius cum nequaquam infamia facti indigeat dispensatione, sed intelligatur deleta post pœnitentiam peractam atque vitæ emendationem constantem, ut cum Doctorum caterva quorum plures nos etiam supra citavimus ostendit Gueber idem *n.* 59. *pag.* 680. Quæro, an emendatione vitæ comperta per consequens infamia facti deleta, infamia illa juris quæ notorio crimini indeclinabiliter est adnexa remaneat etiam sublata & media emendatione deleta prorsus? Nequaquam respondet Doctus Gueber; sed quod infamia juris atque irregularitas exorta per solam dispensationem aboleri possit, sustinet ibi additque sentire idem Auctores communissime & egregie declarat n. 60. pag. 681. Sic igitur quæcumque infamia licet vocetur facti & irregularitas ei connexa dispensatione semper indigebit. Quia pariter contendunt Doctores plerique quod super infamiam a criminosis contractam possint dispensare Prælati in foro conscientiæ quamvis non in foro externo; ad hoc ut valeant ii cum quibus dispensatur Ordines suscipere & exercere atque consequi officia & dignitates, fateor hanc distinctionem mihi videri impropriam; nam infamia est *nota* publice a jure inflicta propter delictum publicum: importat siquidem diminutionem famæ & boni nominis apud publicam hominum existiminationem ex L. cognitionum 5. §. *Existimatio* 1. *ff. de extraord. cogn. Capit. Ex tenore* 4. *& Cap. Quæsitum* 17. *de tempore Ordinationis*. Unde quoties Bulla sive sanctio aliqua dispensationem ad forum conscientiæ occultum limitet, intelligenda sane venit de irregularitate adhuc occulta quæ crimini adnectatur in jure, sed neutiquam de infamia non adhuc exorta, quæ ex delicto publico dumtaxat potest emergere: ideoque publicam exigit dispensationem atque in integrum restitutionem, ut notat pariter Gueber. *loc. cit.* n. 60. Privilegium

gium autem Miniſtris infirmorum conceſſum exprimit ſane abſolutionem a criminibus & cenſuris in foro conſcientiæ ſed diſpenſationem ſuper infamiam & abſterſionem maculæ *abſolute* ſubdit, ut conſideranti conſtabit, nec quoad hanc diſtinguit forum. Notandum obvenit item, quod infamia juris infici ſolent etiam quandoque non criminoſi perſonaliter, ſed ratione criminis ſive delicti alieni ſcilicet ab alio perpetrati & quidem enormiſſimi cujuſmodi infamia maculantur filii, aut nepotes eorum qui violentas manus injecerunt in S. R. E. Cardinalem *Cap. Felicis* 5. ℣. *Quod ſi quis de pæn. in* 6. Filii ſimiliter perduellium & proditorum qui commiſerunt crimen læſæ Majeſtatis *L. Quis quis* 5. *ad l. Jul. Majeſt.* prout etiam illegitime procreati *Cap. ut filii & ſeq.* de fil. Præsbyt. 1. Iſti proinde contra quos nulla militat ſive in quibus nulla viget infamia facti ſibi diſpenſatione indeclinabiliter indigent ab habente poteſtatem. Repetam inſuper ad propoſitum, quod in hac poteſtate diſpenſandi ab irregularitate ex infamia vel delendi infamiam contractam ob juris diſpoſitionem adduci queunt ex parte Regularium Prælatorum limitationes. Videlicet, quod non valeat probabilius privilegium ubi Papa reſervat ſibi diſpenſationem cum ipſius privilegii derogativa; juxta alibi dicta & dicenda inferius *Dubit.* 21. *n.* 41. *in fin.* Nec in caſibus in quibus nequeunt Prælati abſolvere ſubditos a culpa ſive delicto cui eſt adnexa infamiæ pœna, ſuper quod conſulere quis poteſt præfata in hac ipſa ſectione *n.* 53. §. *iii.* ubi major facultas aſſerebatur pro diſpenſando quam pro ſimpliciter abſolvendo; ſed quamvis præferenda foret opinio contraria de majori ſcilicet neceſſaria auctoritate pro abſolutione quam pro diſpenſatione quam ſequitur D. Gueber loc. cit. *ſub n.* 60. Attenta pariter ratione quod abſolutio & diſpenſatio ſint actus ſeparabiles, nec prohibito uno cenſeatur alter prohibitus; in præſenti tamen caſu de infamia non poteſt negari quod diſpenſatio aliquid relevantius importet quam abſolutio, utpote pertinens ad externum forum ob maculam publicam delendam in promotis aut promovendis ad Ordines ſive ad dignitates inſpecta etiam veneratione debita Sacro Altari, in quo infamis antea publicus deberet deinde diſpenſatus miniſtrare & Religioni propriæ in qua Dignitates & officia publica item deberet exercere, ſicuti neque valebunt Prælati in caſu diſpenſare ſuper infamia, quæ ſit deducta ad forum Judicis competentis, niſi in tali conſtituti ſint gradu quod poſſint cauſam ad ſe advocare; tantominus quoties infamiæ & irregularitatis ſimul incurſæ fuerit jam lata ſententia; ille enim ſolus poteſt ſententiam revocare aut infirmare qui eam tulit vel ejus Superior, præcipue ſi poſt ſententiam Judicis inferioris ad Superiorem interponatur appellatio ſive recurſus quatenus hic juris Ordine ſervato ſententiam caſſaret & infamiam gravati ſubditi deleret titulo injuſtitiæ vel legitime quolibet alio, ex prænotatis item *n.* 53. §. *dicto iii. poſt med.* Ubi etiam tactum fuit quomodo poſſit ipſe Superior poſtquam inferior Judex functus ſit munere ſuo, ex motivo præſertim comperta rei judicati emendatione, ipſum in integrum reſtituere, alias non reſiſtente lege *L.* 1. §. *penult. ff. de poſtul.* Sayr. *lib.* 7. *de cenſur. Cap.* 11. *num.* 14. Rot. *deciſion.* 21. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Attenta tunc ſignanter facultate in amplis terminis tradita per S. Pium in repetita Bulla pro Caſſinenſibus *Dum ad Congregationem*.

56 Qui nam deinde ſint Prçlati ii, qui diſpenſare queant ſuper prædictis & quinam ſubditi diſpenſatione hujuſmodi paſſiva gaudentes? Quoad Prælatos dicuntur eſſe omnes reſpective officio & præeminentia Prælaturæ potiti in Religionibus: Generales nimirum, Provinciales eorumque Vicarii, necnon Superiores locales in Religionibus iis, in quibus ſtatuta municipalia hos Superiores minime excludunt. Cum enim Prioribus Dominicanorum & Vicariis eorum conceſſum legatur una cum aliis privilegium hujuſmodi diſpenſandi per Sixtum IV. in Mari Magno incipien. *Regimini*, ut videre eſt apud Lezanam *tom.* 5. ad alias Religiones etiam extenditur, quatenus jure velint communicare, ſecundum quod præſcribitur in ſtatutis & legibus cujuslibet Ordinis attentis etiam Conſtitutionibus Pontificiis limitantibus privilegia & poteſtates reſpective conceſſas vel ad ſolos Generales & alios ſubalternos ad Generalium placitum relatas & diſtributas, ut quantum ad Societatem Jeſu ſancivit Gregorius XIV. & quoad miniſtrantes infirmis idem Pontifex vel ad Generales una cum Conſultoribus ut ſuperius *n.* 54. §. I. & non una vice adnotavimus quoad poteſtatem abſolutivam in Sectione II. præcedenti & de Superioribus localibus ſignanter Ordinis Minorum ibi *n.* 51. -- Quantum ad ſecundam quæſiti partem nimirum quinam poſſint in prædictis aut ſuper prædictis diſpen-

pensari? Respondetur, juxta communiorem sententiam & attentis Bullis quae Mare magnum appellantur quorumlibet Mendicantium dispensationem in casibus allatis posse cadere dumtaxat super Ordinum Regularium respective professos sed justa privilegium peculiare Gregorii XI. in sua Constitutione *n.* 7. 11. 12. & 13. elargitom Praedicatoribus videtur extendi facultas dispensativa Praelatorum etiam ad Novitios & recipiendos ad Religionem, licet non in omnibus irregularitatibus sed cum limitatione ad exortas ex determinato delicto: ex eo quod nempe innodati censuris a jure, vel ab homine celebraverint Divina Officia aut Ordines susceperint vel celebraverint eadem Officia Divina in loco interdicto. Pater etiam Sanctorus allegat sed in confuso pro Minoribus Bullam Clementis IV. quod valeant dispensare cum Saecularibus qui eorum Ordini voluerint aggregari *Cap.* 2. *Constit. stat.* 4. §. *V. qu.* 4. ℣. *At dices*. Sed non deest privilegium distinctum S. Pii V. in saepe memorata Bulla pro Cassinensibus vigore cujus dispensare eorum Praelati queunt sicuti cum professis ita & cum oblatis & cum Novitiis in Ordine tamen perseverantibus, eo modo quo cautum fuit supra initio sectionis *n.* 52. Insuper hoc privilegium in casu respicit irregularitates solas ex delicto provenientes, & quatenus homicidium voluntarium sit commissum ante ingressum in Religionem dispensationem cum Novitiis permittat in solo foro conscientiae. Ita in repetita Constitut. 129. §. 1. & nos tetigimus paulo superius *n.* 53. §. 1. *in fin.* Plura circa irregularitates scripserunt diligentissimus praecipue Lezana. V. *Irregularitas* post Rodericum & Suarez & quoad potestatem dispensandi erudite disserit P. Sanctorus de poen. *Cap.* X. *sub quaest.* 7. & Constit. *Cap. suprac.* 2. *stat.* 14. §. *V.* Sed prae coeteris sufficientissime ad propositum Passerinus de elect. Canon. *Cap.* 25. *qu.* 20. & *Cap.* 27. *per tot.* Pater quoque Didacus ab Aragonia distinctius agit de potestate quae competit prius Generalibus *tract.* ibi 11. deinde de competente Provincialibus *in tractatu iii.* & demum de illa qua pollent Superiores locales *tract. iv.* sicut in absolvendo ita in dispensando super irregularitatibus & aliis materiis dispensationi subjectis; & enm omnibus similis per privilegia eadem confeatur fere potestas, claritatis majoris gratia eamdem doctrinam pluries quasi ex integro repetit. Quia autem nos ad alia fortasse graviora properamus compendiosius triplicis generis Praelatorum jura hic in unum redigimus, nimirum potestatem hanc concessã Generalibus Provincialibus necnon Superioribus localibus eo modo quo supra. Necessariam cautelam tantummodo replicabimus ad rem nostram quomodo dispensatio sit stricti juris nec debeat a Praelatis, quamvis potestatem habentibus tam faciliter adhiberi, immo quoties sine motivo justo adimpleatur non modo illicita, ita quod peccet mortaliter dispensans, verum etiam secundum jura & communem sensum Doctorum censeatur invalida, quod jam tradidimus *tom.* 1. *dubit. V. proem. n.* 19. *in fin.* & serio probant Sanctorus super Constit. *Cap.* 2. *stat.* 14. *qu.* 1. *seq.* Passerin. *de elect. Cap.* 25. *qu.* 24. *per tot.* & Lezana *V. dispensare n.* 2. & prius *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 42. Ubi doctrinam vere egregiam sparsim per aliorum opera diffusam laudatus auctor recolligit. Repetendum pariter ducimus in hac materia: quod quamvis privilegia aliqua amplissima dispensandi super irregularitate quacumque alicui Religioni peculiari collata asserantur; ut est illud quod refert Passerinus a Portella desumptum concessum olim Canonicis S. Georgii in Alga *Cap.* 27. *qu.* 6. *n.* 90. Aliudque per integrum a Lezana exaratum sub tit. *Irregularitas n.* 72. quod excerpsisse a Roderico fatetur collatum Generali & aliis Praelatis Ordinis Sancti Benedicti Vallisoleti: non per hoc debent absolute ad coeteros Regularium Ordines extendi per communicationem, quatenus nimis exorbitantia apparerent in jure & difficillimae concessionis, quod item sustinetur ab Auctoribus discretis quoad privilegia exorbitantia quaecumque in omni genere & decisum referunt pluries a Sacra Rota Tambur. *tom.* 1. *disp.* 17. *quaest.* 2. *n.* 6. Donatus *tom.* I. *tract.* 7. *quaest.* 14. & Emin. Petra *ad Constit.* 5. *Innocent.* IV. *n.* 45. Idque asserendum quoties privilegium consideretur concessum alicui peculiari Monasterio vel integrae Congregationi propter aliquam specialem expressam rationem ad hoc ex.gr. & quatenus in observantia primaeva perseveret; non enim communicari aliis Ordinibus in genere dicendum foret absolute vel non nisi verificata atque adimpleta in communicantibus eadem ratione, ut inferius dilucidabitur magis *n.* 76. Prout etiam privilegia uni cuicumque Ordini Regulari elargita, illis Religionibus communicari negandum est quorum modo vivendi & statutis minime accomodentur, aut quoties apud aliquam specialem abierint

rint in non uſum ob expreſſam ſive etiam tacitam abrenuntiationem; præcipue ſi poteſtas in Prælatis abſolvendi & diſpenſandi ad propoſitum præſcribatur & firmetur per proprias leges. Velnti de facto juxta praxim in Ordine Minorum ſiſtitur in ampla conceſſione *Maris Magni* per Sixtum IV. ſcilicet in hac ſignanter materia diſpenſationis poſſe Prælatos Provinciales nempe & Cuſtodes eorumque Vicarios eam adhibere cum ſubditis in irregularitatibus omnibus, præterquam in tribus famoſis *bigamiæ homicidii & mutilationis*. Et licet pro Reformatis in horum peculiaribus Statutis *Cap.* 7. *n.* 12. Inſtet R. Didacus ab Aragonia quod excipiatur bigamia ac homicidium & mentio fiat nequaquam de mutilatione *tract.* II. *cap.* 7. *n.* 3. quod idem poterat advertere in ſtatutis generalibus Ord. *Cap.* 7. §. 4. ubi neque mutilatio nominatur; hanc tamen currere pari paſſu cum homicidio viſum eſt ſupra *n.* 53. in princip. & revera una cum homicidio exceptam expreſſe legimus in citato Mari Magno Sixti IV. *n.* 49. relato per Lezanam *tom.* 5. *pag.* 161. Quod item habetur expreſſe in aliis Bullis Mare Magnum nuncupatis pro Ordinibus Mendicantium ſingillatim ubi excipitur irregularitas proveniens ex vera mutilatione membrorum una ſimul cum proveniente ex bigamia & voluntario homicidio, quæ præterea tres non minus una ac altera in generalibus conceſſionibus intelliguntur excluſæ ſecundum Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 2. & laudatum Lezanam *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 40. *& ſeq. ſignanter n.* 42. Videnda quoque ſunt quæ circa initium Tomi hujus II. præmiſimus *dub.* 14. *ſect.* 1. *n.* 184. Quavis his non obſtantibus ut verum fatear ſi concedatur Epiſcopis diſpenſare ſuper irregularitate occulta proveniente ex mutilatione utpote non excepta in Cap. *Liceat*, non carere videatur ſua probabilitate ſententia quod valeant id peragere eodem pacto Prælati Regulares cum ſubditis vigore Bullæ toties allegatæ S. Pii *Romani Pontificis circumſpecta*, in ſuppoſitione ſpecialiter quod non obſtent municipalia Statuta.

57 Non poteſt inſuper omitti quæſitum quod etiam a Doctoribus ultro proponitur. An Prælati Regulares videlicet poſſint diſpenſare cum ſuis ſuper inhabilitate ad officia & privatione vocis? Pro quo ſolvendo quæſito prænotandum eſt pariter, quod etſi lato modo & per generale vocabulum inhabiles ad officia appellentur cenſurati quicumque & fortius irregulares propterea per diſpenſationem hi ſpecialiter ſi irregularitatem comitetur infamia dicantur in priſtinum reſtitui, tamen in rigore ſermonis & ſecundum propriam acceptionem inhabilitas & privatio vocis ſuper cenſuram & irregularitatem aliquid addit. Cenſura ſiquidem eſt pœna medicinalis lata pro contumacia compeſcenda; unde quoties contumax reſipiſcat ſer. ſer. cenſura ceſſat & per abſolutionem regulariter deletur; inhabilitas autem & privatio utriuſque vocis, paſſivæ ſignanter ſunt pœnæ de ſe perpetuæ; per conſequens licet abſolvatur a cenſuris factus obediens contumax inhabilis adhuc remanet in ſuppoſitione & voce privatus. Suarez de *Relig. tom.* 1, *tr.* 3. *lib.* 4. *Cap.* 61. *n.* 3. Sigiſm. *dub.* 93. *n.* 8. Irregularitas item eſt impedimentum Canonicum exercendi & ſuſcipiendi Ordines aut Officium Eccleſiaſticum, at inhabilitas atque privatio quatenus in terminis exprimatur ſuperaddit novam & diſtinctam pœnam ultra irregularitatem, ita quod diſpenſatus in hac nequaquam cenſeatur ab inhabilitate & privatione eo modo quo inflicta ſupponitur diſpenſari & liberari, neque ex vi conceſſionis abſolvendi a cenſuris & diſpenſandi ſuper irregularitatibus deberent aſſeri Prælati quilibet gaudere poteſtate etiam liberandi reos ſubditos a contracta inhabilitate & privatione reſpective, niſi talis poteſtas in terminis diſtinctis conferretur, vel legitime interpretaretur collata. Suarez ubi ſupra *Cap.* 61. *n.* 11. Garz. de benef. *part.* 8. *Cap.* 1. *n.* 71. cum aliis. Præſupponimus item privationem vocis utriuſque ſignanter paſſivæ confundi cum inhabilitate, ſaltem eſſe eius partem ſecundum quid & ad quam magis vel minus extenditur privatio; privatus namque abſolute voce non poteſt non cenſeri ad officia vel beneficia ad quæ vocem paſſivam non habet neque habere capacitatem aut habilitatem ex Paſſerin. *Cap.* 28. *qu.* 2. *n.* 17. niſi lis inſtituatur de nomine. Et quia ut tetigimus mox poteſtas hujuſmodi Prælatorum reſpectu inhabilitatum & privationum quibus ſubiiciuntur ſubditi vario vagatur ſub nomine, poteſtas ſiquidem vocatur liberandi a dictis pœnis, tollendi impedimenta, & etiam abſolvendi ab iis ſubditos ipſos; nos hic ſub nomine uſitatiore & in quantum ad præſens pertinet proprie magis eam accipimus: nempe poteſtatis diſpenſandi quæ veluti poteſtatis diſpenſativæ in genere diſtinctam conſtituit ſpeciem: ſicuti etiam privationem vocis activæ & paſſivæ principaliter quidem conſideratam ad quamcumque aliam Of-

ficio-

ficiorum beneficiorum atque dignitatum &c. extendimus. His acceptis respondemus valere utique Prælatos Regulares dispensare super hujusmodi inhabilitatibus & privationibus sive pœnis cum propriis subditis non secus ac possint dispensare Episcopi cum suis, ut sæpius asseruimus & probatum supponit item Passerinus *Cap.* 28. *qu.* 2. *n.* 20. & 27. consentitque Lezan. innitens privilegio Sancti Pii in Bulla pluries allegata. *Romani Pontificis circumspectio* scilicet, posse Prælatos Religionum *per se ipsos* facere idem in suos subditos quod Episcopi in suos tom. 1. *Cap.* 18. *n.* 46.

§. I. Pater item Didacus ab Aragonia subscribit quoad hoc Lezanæ & aliis per se allegatis Auctoribus, quatenus tales pœnæ non sint Papæ reservatæ & etiamsi sint reservatæ dummodo sint occultæ, eo modo quo Episcopi in occultis dumtaxat valent dispensare vigore *Cap. 6. Liceat sess.* 24. Tridentini asserens id prius de Generalibus Religionum *tract. II. Cap. 6. n.* 9. Et repetens deinde de Provincialibus *tract. III. Cap. 6. n. 6.* Sed de Superioribus localibus ultimo differens concludit, nequaquam posse hosmet dispensare cum suis subditis in pœnis Canonicis & inhabilitatibus ad Officia & Dignitates ac privationibus vocis activæ & passivæ ab iisdem contractis &c. ob delicta in Bullis Apostolicis contenta vel in iis, quæ a Superioribus sunt inflictæ, nullibi enim subdit id Superioribus localibus respective concessum, sed solis Generalibus & Provincialibus hujusmodi facultatem competere ibi *tract. IV. Cap. V. n.* 5. Verum hoc ultimum de Superioribus localibus superadditum nullatenus regit: falsum est etenim quod nullibi reperiatur hujusmodi facultas eis concessa, cum loquamur de facultate eadem qua competit Generalibus ac Provincialibus perinde ac Episcopis, quam deducit ipse Pater Didacus ex capit. *liceat* extendendo cum aliis plerisque potestatem dispensativam ad omnes pœnas, dummodo delictum cui debentur sit occultum, eitatque pro Generalibus & Provincialibus Bullam notam S. Pii quam modo adduximus incipient. *Romani Pontificis circumspectio* ut quis apud ipsum legere *in d. tr. II. Cap. 6. n. 9. & tr. III. Cap. 6. n. 6.* At Bulla hæc eadem aperte concedit facultatem Episcoporum absolvendi & dispensandi de qua in casu Superioribus etiam localibus ibi = *Priori Conventuali & Superioribus Prælatis ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres & Moniales dictis Ordinis sibi subditas quod possunt Episcopi in Clericos & Laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi & dispensandi hujusmodi quam alias quascumque facultates*, in quibus generalibus terminis potestas super inhabilitates & privationes evidenter includitur. Unde non apparet ratio quare velit illam ad solos Generales & Provinciales limitare; privilegium namque Prioribus Conventualibus Dominicanæ Familiæ collatum per communicationem extendi ad quoscumque aliorum Ordinum Superiores locales, Doctores admittunt passim quorum caterva recensetur a Passerino præsertim *Cap.* 26. *qu.* 4. *n.* 16. nisi tamen resistant in peculiaribus Religionibus municipalia statuta, ut non semel cautum fuit. Immo totum id concedit laudatus Didacus paulo ante in eodem Capitulo V. Legitur quæst. ibi n. 3. ubi Bullam allegat & ipse Pianam. Ex cujus pariter verbis Bullæ evidenter constat non habere locum animadversionem Aragoniensis; *si inhabilitates & privationes contrahantur ob delicta in Bullis Apostolicis contenta*, quia sermo est immo de iisdem delictis & pœnis, non solum contentis in Bullis Apostolicis, sed ibidem reservatis, eo modo quo de Generalibus & Provincialibus agitur & disponitur; dummodo stemus in occultis ad instar Episcoporum, qua conditione etiam inspecta scilicet stando *in occultis* excluditur animadversio altera Aragoniensis *vel in his quæ a Superioribus sunt inflicta*, in his namque quæ a superioribus infliguntur cessat ratio occulti, quia proceditur per sententiam. Notat nihilominus diligens Lezana quoad hoc privilegium competens quibuscumque etiam localibus Ordinum Regularium Prælatis absolvendi scilicet & dispensandi in occultis ad instar Episcoporum debere observari appositam conditionem: nimirum quod Regulares utantur sibi tributa facultate personaliter, *per se ipsos* ut inibi in Bulla cum alias Episcopis sit permissum adhibere Vicarium ad id specialiter deputandum *tom.* 1. *Cap. d.* 18. *n.* 47. Attenta ut diximus Bulla Piana concedente Prælatis Regularibus potestatem ad instar Episcoporum absque eo quod privilegia reliqua (de quibus mox infra) ultro consideremus.

§. II. Et quia Bulla eadem toties repetita *Romani Pontificis circumspectio*, indeffinite disponit; quod nempe possint Regulares Prælati cum subditis propriis totum id quod possunt Episcopi in Clericos & laicos sibi subjectos tum absolvendo tum dispensando;

tum in cœteris facultatibus, etiam egrediendo a limitibus Capitis *liceat* Sessionis 24. Tridentini pergant idcirco Doctores inquirentes ad rem nostram quid possint Episcopi a quocumque alio jure quantum ad facultatem signanter dispensandi, ut eam applicent *ad instar* Regularibus de facto Prælatis vigore citatæ Bullæ. Et occurrit responsio ex Cap. *At si Clerici* §. *de adulter. de judic.* Quod valeant hi scilicet Episcopi dispensare cum Clericis pro adulteriis & aliis minoribus criminibus, ut innuimus jam supra num. 55. ante §. I. quæ sane dispensatio non cadit super crimina qua talia, quia hæc tolluntur per absolutionem, respicit proinde irregularitates & omnes alias pœnas, inter quas secundum Doctores inhabilitationes & privationes comprehenduntur, super quibus dispensare proprie dicuntur competentes Prælati quoties adulteriis aut minoribus criminibus adnectantur. Panormit. *in d. Cap. n.* 6. Decius *n.* 37. Felin. *n.* 11. Marsil. n. 63. *&* 68. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 14. *art. ult.* Barbos. ad idem *Cap. n.* 10. Azor. *p.* 12. *lib.* 2. *Cap.* 50. Passerin. *Cap.* 28. *qu.* 2. *n.* 23. *seq.* Ex quo etiam deducitur limitata ejusmodi potestas ad adulterium & minora crimina, itaut ex vi citati capitis ad delicta graviora nequeat protendi; quamvis in contrarium non desit opinio a Passerino ibidem merito confutata, nisi tamen quoad graviora delicta facultas dispensandi inveniatur vel arguatur Episcopis specialiter indulta; prout contingeret in casu magnæ necessitatis quando adesset periculum in mora vel difficultas grandis adeundi Sedem Apostolicam pro dispensatione. Barbos. citans alios *de Offic. Episc. alleg.* 33. *n.* 23. Ulterius additur in ipsomet Capite conditio *post peractam pœnitentiam* at hæc relinquitur arbitrio dispensantis, cum ibi nullatenus præscribatur. Quænam dehinc censenda sint delicta minora adulterio, variant Doctores: verumtamen communior prævalet sensus, quod judicium circa hujusmodi delictorum gravitatem remittatur item Superiori, videlicet Episcopo respective vel Prælato Regulari ad instar efformandum attenta ratione & specie criminis de quo in casu cum circumstantiis & ejusdem consequentiis. Panorm. ubi supra. Barbos. *d. alleg.* 33. Atque simul advertendum, quod super his pœnis appositis delicto minus gravi respectu adulterii vel adulterio ipsi valeant Prælati dicti Ecclesiastici scilicet Episcopi consequenter & Regulares a jure dispensare, etiam post quam in foro externo data sit contra Reos sententia; his videlicet media salutari imposita pœnitentia rehabilitando & in pristinum restituendo, cum absolute absque limitatione collata legatur Episcopis potestas per sacros Canones, præcipue mox citatum: dummodo interveniat semper dispensandi causa inter eas quas alibi assignavimus, reducibilis nempe ad necessitatem & magnam utilitatem nec non enumerat P. Sanctorus constit. Cap. VIII. stat. 18. in fin. Hæc quantum ad potestatem competentem Episcopis a jure & ad Prælatos Regulares virtute Bullæ S. Pii *Romani Pontificis &c.* ampliatam.

§. III. Porro si aliis privilegiis concessis in specie cui piam Regularium Ordini attendamus, inveniemus utique posse ulterius Regulares ipsos Prælatos virtute illorum dispensare cum subditis super hujusmodi pœnis, quamvis sint adnexæ delictis adulterio fortasse gravioribus, nisi reservetur specialiter dispensatio Pontifici Summo aut Apostolicæ Sedi cum derogatione explicita vel æquivalentibus terminis addita privilegiorum in casu, etiam respectu Religiosorum intra Claustra, vel nisi in concessione ampla ipsorummet privilegiorum fuerit dispensatio aliqua præventive excepta, sicuti exceptam diximus super irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario bigamia & mutilatione, initio Sectionis *n.* 53. & probabilius ex abortu animato completo ut eod. *n.* 53. §. II. prope fin. Privilegia autem dispensandi in inhabilitatibus privationibus &c. generaliter etiam extra & ultra expressa in jure pro Episcopis colliguntur prius ex Mari Magno cujuscumque fere Religionis, ubi facultas impartitur respective Prælatis dispensandi in omnibus pœnis &c. quamvis namque inhabilitates privationesque neque cum censuris neque irregularitatibus debeant confundi, juxta Passerinũ inter cœteros ubi supra cui adhæreo; tamen venire & comprehendi eas nomine pœnarum passim admittitur. Sed clarius ad rem nostram relevant ex Constitutione supradicta Gregorii XIV. n. 17. pro Clericis Ministrantibus infirmis & adhuc distinctius ex famosa S. Pii V. *Dum ad Congregationem* emanata prius pro Cassinensibus, ubi nominatim datur ampla facultas Abbatibus liberandi proprios subditos ab infamia *&* *inhabilitate* quacumque absolvendi ab omnibus censuris & pœnis per consequens rehabilitandi eos ad Officia & Prælaturas, ut ostendunt præ cœteris Peyrinus ad Constitutionem 6. Julii II. *n.* 24. & Passerinus

d. Cap.

d. Cap. 28. *qu.* 3. *n.* 30. Vult autem Passerinus ibi hanc facultatem valere etiam pro foro contentioso præventive ; ita ut Prælati ipsi Regulares virtute privilegii absolute & sine limitatione elargiti in quo communicant omnes possint delinquentes subditos non adhuc inquisitos absolvere & imposita salubri pœnitentia cum eis super privatione vocis & inhabilitate dispensare, tamen semper cum causa, quatenus deinde in foro contentioso non possint amplius molestari . Verum super hoc ultimum additum difficultates non desunt attentis legibus & sanctionibus etiam posterioribus generaliter disponentibus absolutiones & dispensationes in foro conscientiæ & secreto nullatenus impedire quin per accusationes & inquisitiones possint introduci & promoveri causæ in foro fori : ex Bulla signanter Clementis X. *Superna* §. 6. indeffinite id præscribente : ut nos prænotavimus supra quoad censuras sect. præcedente n. 49. §. Un. circa med. & pro Ordine Minoritico n. 50. §. item Un. Quod si delictum fuerit deductum jampridem ad forum ipsum contentiosum debere servari ordinem juris usque ad sententiam legitimi Judicis permissa appellatione ubi habeat locum, sicuti postquam deffinitum fuerit per sententiam patratum crimen cui adnectatur per legem Papalem privatio aut inhabilitas &c. non posse impertiri dispensationem per Prælatos in casu virtute privilegiorum, conveniunt omnes cum laudato ipso Passerino n. 32. nec non Peyrino ubi supra n. 25. Quinam postmodum sint Prælati quibus tum jure ordinario per Tridentinum ad instar Episcoporum aut virtute privilegiorum potestas hujusmodi dispensandi competat, colligitur ex præhabitis pluries præsertim in hac ipsa dubitatione *sect.* 1. *num.* 10. *Consil.* 1. Et satis quantum ad Ordinem nostrum ex n. 51. Sectionis præcedentis secundæ necnon ex repetitis paulo ante §. I. Hæc breviter de potestate Prælatorum Regularium dispensandi super irregularitatibus aliisque pœnis quorum aliqua fortasse exactius reassumentur in tractatu meditato de electione Prælatorum .

58 Allata usque modo doctrina etiam Minoritas absque dubio tangit de quibus immo specialem non una vice fecimus mentionem : nihilominus nonnulla supersunt quantum ad hanc ipsam potestatem dispensandi eorum Prælatis competentem distinctius consideranda . Primo enim si examinemus statutum super quod privilegia dispensandi fundantur , sicut diximus de potestate absolvendi in ordine ad censuras , nempe extensum in statutis generalibus Cap. VII. §. 4. satis clare constat tribui inibi potestatem Superioribus generalibus in hac Religione Provincialibus eorumque Vicariis necnon Custodibus dispensandi ad propositum cum subditis in omnibus irregularitatibus præterquam ortis ex bigamia dumtaxat & homicidio voluntario injusto , ut observavimus jam superius n. 56. in fin. quod itidem manifeste patet in Statuto Reformatorum *Cap. ibi* 7. *n.* 12. Proinde videtur quod possint dispensare vigore relati statuti super reliquis non exclusa mutilatione: sed utrumque statutum non fuisse cum omni diligentia & fidelitate expositum debemus hic superaddere , utpote a concessionibus ipsis Apostolicis in fonte discordans . In Mari Magno siquidem Sixti IV. incipien. *Regimini* latum pro Fratribus Minoribus clarus est textus tribuens facultatem dictis Superioribus dispensandi cum his *qui ex quavis causa præterquam homicidii voluntarii bigamiæ & mutilationis membrorum irregulares forent* ; apud Lezanam *tom.* 5. in d. Mari Magno . Et Felicem Potestatem de irregularitatibus n. 4481. ex quo sane textu non potest e contra non deduci quod valeant Prælati dicti Ordinis dispensare cum subditis super irregularitate ab aliquibus controversa quæ oriatur ex infamia utpote comprehendatur in terminis generalibus *Ex quacumque causa* nec inibi cum aliis tribus legatur excepta ; attento principio notissimo sæpius repetito in hoc Opere , quod exceptio firmet contrariam regulam in reliquis non exclusis . Et quamvis P. Sanctorus signanter velit distinguere inter infamiam & irregularitatem tamquam causam & effectum in proposito , ita ut dispensatio in irregularitate non inducat abolitionem infamiæ ipsius quæ irregularitatis sit causa in delictis infamiam secum ferentibus; nihilominus præcisio hæc non potest non reputari mere metaphysica quæ alias nimis probaret quoad irregularitates provenientes ex quocumque alio defectu ; posset namque asseri quod per dispensationem irregularitas tolleretur quidem sed defectus ex quo comperiatur exorta integer permaneret & macula præsupposita in suo adhuc esse relinqueretur , quod est contrarium communi sensui & praxi : non potest namque negari equidem quod adhibita dispensatione defectus & macula quasi signetur præcessisse , sed simul in actu exercito una cum irregularitate deleatur ; & ita quoties infamia præcesserit in casu qui

erat infamis & defectuosus censeatur per dispensationem ad esse integrum restitutus ob irregularitatem infamiamque plene aboletam & sublatam. Passerin. *Cap.* 28. *qu.* 1. *n.* 8. *&* 9. Ultraquamquod satis indicat dispensationem non dimidiatam sed completam tum irregularitatis tum defectus ex quo ista proveniat in privilegio Maris Magni relato Summus ipse Pontifex: ibi: *Ut defectu & irregularitate hujusmodi non obstantibus &c.* Quod non fateri deinde nequit laudatus Auctor ibidem. De poen. *Cap.* 10. *qu.* 7. ℣. *Respondeo secundo*.

§. Un. Licet etiam in eodem *Cap.* 10. *de poen. qu.* 2. *difficultate* 4. ipsemet Sanctorus tradat maculam infamiae juris abstergi non posse nisi per Papam vel Principem, & apud Religiosos Minoritas nisi per Generalem ibi V. *Sed dices*. Et insuper constitutionum *Cap.* 2. *stat.* 14. §. 7. *qu.* 11. asseveret non posse Praelatos tollere infamiam iuris consequentem, scilicet ex delicto cui in jure irrogetur infamia sed recurrendum esse ad Papam, cum Rodriguez per se cit. *tom.* 1. *qu.* 24. *art.* 6. verum Capite eodem 10. *poen.* mox adducto quasi dicta alibi retractando explicat valere praefatam doctrinam ex jure communi, non autem ex privilegiis Ordinis concedentibus posse Praelatos dispensare in omni irregularitate & abstergere omnem maculam tam in foro interiori quam exteriori ibi: *d. qu.* 7. ℣. *Respondeo secundo*, quod profecto intelligendum est cum exceptione trium irregularitatum expressa in Mari Magno Sixti IV. quod modo citavimus pro Minoribus, quatenus in eo sistamus, observatis etiam adnotationibus praemissis superius *n.* 55. §. *I. & II.* Et praecipue numquam erit inopportunum repetere cavendum esse Praelatis utique in Minoritico nostro Ordine ne super hujuscemodi infamia juris cum subditis dispensent sine vera & urgente causa, quae foret in casu utilitas nempe publicum bonum Reipublicae aut Religionis vel necessitas evitandi publicum scandalum aut imminens grave damnum Christiana etiam & Religiosa Charitas juxta Sacros Canones, sed rationabilis: veluti erga personam alias valde scientificam & de Religione apprime benemeritam: ex Rodriguez & Sanctoro citante itidem plurimos *Constitut. Cap.* 2. *stat.* 14. §. 5. *qu.* 2. Prout si sermo sit pariter de infamia facti, emendationem vitae per congruum tempus necessariam esse infamato ante dispensationem eo modo quo demum impertiatur, uti supra n. 55. §. I. & §. II. circa finem, item immediate praeviso 57. §. II. circa med. quod sane tempus per prudentem Praelatum juxta qualitates subjecti mensurandum fore advertit P. Rodriguez *qu. cit.* 24. *art.* 17. ℣. *Advertendum in fin.* quatenus super hanc ipsam infamiam facti valeant dispensare Praelati iidem in Ordine nostro ut sentit Rodrigues ipse *qu.* 14. *art.* 6. & post eum Sanctorus *Cap. d.* 10. *poen. qu.* 7. Quamquam habendam esse in casu potius declarationem temporis magis aut minus necessarii sive congrui pro poenitentia secundum Canones adimplenda, quam veram dispensationem, tenere possimus juxta praefata *n.* 15. in principio. Alioquin quoties ex relatis causis quaecumque prorsus deficiat, non modo illicitam sed invalidam fore dispensationem in his & similibus casibus replicamus item cum D.Th. 2.2. *qu.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & Doctoribus classicis Peyrino, Passerino, Lezana, Sanctoro, pluribusque aliis. Excepto si dispensatio detur pro libito a Summo Pontifice, qui quicquid sit de operando licite propter plenitudinem potestatis valet jus canonicum relaxare. Legendus Passerinus de elect. Canon. *Cap.* 25. *qu.* 24. *n.* 285. *& seq.*

59 Adhuc his non obstantibus relevat dubium An Praelati Ordinis Minorum potestatem ultro possideant dispensandi super inhabilitatibus & privationibus, quae idem magis & minus importare dicuntur, veluti eam possident coeteri Praelati juxta explicata n. antecedenti 57. Supponendum est itaque Statutum Ordinis distinguens inter hujusmodi privationes ex quibus revera inhabilitas respective ad Officia eorumque exercitium mensuratur videlicet; quod aliud importet privatio juris suffragandi sive vocis activae & passivae, aliud privatio actuum legitimorum & aliud deinde tamquam coeteris gravior privatio Officiorum Ordinis ex *Cap.* 7. *stat. gen.* §. 6. *n.* 1. *& seq.* De quibus nos *tom.* 1. *dubit.* 5. *proem. n.* 15. *seq.* Quo quidem ad praesens supposito statuto, quod omnes privationes sub assignata distinctione inhabilitateque subsequentes comprehendat licet aliis nominibus nuncupentur in jure, occurrit responsio Patris Ludovici de Ameno sentientis quod nequeat Generalis tanto minus Provincialis quispiam dispensare super insinuatis privationibus, quatenus sint inflictae a jure communi vel Pontificia aliqua Sanctione: in pract. crim. tit. 2. §. 1. n. 35. nec distinguit ibi aut aliquam superaddit exceptionem. Hinc

cum

cum reverentia viri alias eximii non potest non adverti; quod nisi in jure vel Pontificiis Sanctionibus infligentibus privationes præfatas exprimatur reservatio absolutionis & dispensationis *non obstante quocumque privilegio*; ut præcautum est *sect. 2. hujus dubit. n.* 32. non est unde Prælatis Regularibus facultas dispensandi super iis cum propriis subditis adimatur. Et ita cum unaquæque ex dictis privationibus sit in re vel ab unaquaque importetur inhabilitas magis & minus ad Officia & Dignitates juxta doctrinam Passerini *Cap.* 28. *qu.* 2. *n.* 15. *seq.* Prælati Regulares per consequens omnes & quicumque in genere qui per propria privilegia sæpius repetita potestatem retinent dispensandi super quælibet impedimenta pœnasque omnes supra n. 57. & §. inde II. & III. nulla urgere potest ratio quomodo possint privilegio signanter in casu, dispensandi & super privationibus & inhabilitatibus, spoliari quoties non militet in contrarium specialis reservatio cum derogatione privilegiorum: ideoque Prælati etiam Ordinis Minoritici eadem non potiantur facultate. Quod si in statuto generali *Cap.* 7. §. 4. *n.* 1. atque in eo Reformat. Cap. 7. n. 9. sicut & in Mari Magno Sixti IV. *Regimini* facultas hæc dispensandi super privationibus & inhabilitatibus non legatur in terminis, nihilominus cum ibi non excipiatur in Bulla una cum tribus illis casibus homicidii voluntarii bigamiæ & mutilationis, tenendum est in concessione alias generali absolvendi & dispensandi in casibus omnibus includi, ad tradita per Sanctorum de pœn. *Cap.* 10. *cit. qu.* 7. *respons.* 2. Et ulterius cum non adsit restrictio aliqua quantum ad usum dictæ facultatis in allato municipali statuto, per nullam rationem & legem concludendum pariter venit impediri communicationem in hoc eodem privilegio, quatenus hoc idem privilegium aliis Religionibus in terminis magis expressis & amplis concedatur eo modo quo concessum demonstravimus supra *n.* 57. §. *III.* & videndus P. Sanctorus loc. ubi supra *qu.* 7. *respons.* 2. Cum limitatione tamen quod delictum cui taxata est privatio sive inhabilitas non sit deductum ad forum contentiosum jam contestata lite; tunc etenim in suppositione fori sive tribunalis Superioris nequaquam posset inferior se ingerere in causa, & in casu etiam quo Tribunal esset inferius intra Religionem, contra æquitatem procederet Superior Prælatus v. g. Generalis causam ad se avocando a Provinciali, nisi interveniret motivum urgens & juris ordine servato: secundum doctrinam alibi per nos & communiter apud Mirandam *tom.* 2. *qu.* 7. *art.* 6. & Sanctor. de pœn. *cap.* 29. *qu.* 3. ℣. *Dico primo.* & eo fortius quoties sententia privationis jam lata sit sive extra Religionem a legitimo Judice ut adnotabatur superius *sub n.* 57. *in d.* §. *III. prope fin.* sive a Superioribus item legitimis intra Ordinem; servanda siquidem foret in casu dispositio statuti tum quoad inferiores in ordine ad Prælatos majores tum quantum ad istos respectu eorum qui sint inferioris ordinis. *in Cap.* 7. compil. Sambnc. §. 6. *n.* 78. & 79. prout retulimus in sect. præcedente *n.* 50.

§. Un. Hæc dicta sunt quoties privationes & inhabilitates in Pontificiis Sanctionibus aut aliis Decretis Apostolicis contentæ a Regularibus præcipue in Religione Minorum professis incurrantur. Quantum vero ad privationes hujusmodi per Religionis leges & jure statutario latas, clarum est, non posse super ipsas dispensare nisi Generalem Superiorem juxta doctrinam communem apud Sanctorum Confit. *Cap.* 42. cum conditione tamen quod interveniat semper dispensandi causa ad normam præmissorum *n.* 55. §. 1. circa med. Et nisi in statutis ipsis Superiori Generali adimatur auctoritas, præcipue si statuta per Apostolicam confirmationem in forma specifica roborentur, ut infra notabimus *n.* 62. Sanctor. cit. de pœn. *in Cap.* 29. *qu.* 4. & signanter *in Cap.* 2. *Constitut. stat.* 14. ubi alias item adducit. §. 5. Ampliatur nihilominus facultas dispensandi respectu aliquorum quandoque delictorum & delinquentium seu melius pœnarum ipsis alias debitarum ad Provinciales & Deffinitorium, in casibus præsertim in quibus delinquens sponte accusationem & denuntiationem propria confessione præveniat, ut Stat. Sambuc. *Cap.* 7. §. 3. *n.* 8. & 9. necnon Reform. *Cap.* 7. *n.* 11.

60 Dispensationem ultra quam ad pœnas præmisimus initio sectionis hujus *n.* 52. posse comparari ad alia si & quatenus potestas ipsam impertiendi Prælato competat Regulari. Quæremus proinde ulterius, utrum Prælatus ipse valeat cum suis subditis dispensare super primo Regulam & deinde Constitutiones seu statuta proprii Ordinis? Pro cujus quæsiti solutione inter plura quæ supponenda sunt & explicanda forent, sed ab eruditis auctoribus Suarez, Rodriguez, Soto, Lezana, dehinc Antonio a Spiritu Sancto fuse tractantur, necessario advertimus, Regulam uniuscujusque-

que Religionis respective a Constitutionibus sive statutis differre, eo quia Regula se habeat per modum legis & ex se contineat ea omnia praecipue quae Religiosi ex vi votorum adimplere tenentur importatque semper necessitatem aliquam operandi sive ad culpam sive ad poenam Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *Cap.* 2. *n.* 2. Constitutiones vero sive statuta minime important essentialia Regulae, sed quasi eam circumstant declarando & tutius atque facilius ad ejus observantiam conducendo. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 26. *art.* 1. Suarez *tom. d.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 13. His datis aperte constat, non posse Regulares Praelatos dispensare cum subditis in substantialibus votis status Religionis, quae sunt ad rem Castitatis, Obedientiae & Paupertatis. *Cap. Cum ad Monasterium de stat. Monach.* & ex Conc. Trident. *sess.* 28. *de Regul. Cap.* 1. neque absolute in iis peculiaribus votis quae emittuntur tanquam propria alicui Religioni, ut Minimorum de abstinendo a carnibus Trinitariorum de redimendis captivis Jesuitarum de non ambienda & aliorum de non procuranda neque acceptanda dignitate extra Religionem; haec etenim Religionibus hujuscemodi censentur respective quoque essentialia. Suarez ubi supra *lib.* 2. *Cap.* 17. *n.* 28. *seq.* & cum pluribus D. Gueber *tract. iii. disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 21. ubi addit specialia vota solemniter emissa a Canonicis quibusdam Regularibus &c. super votum non ambiendi, sive non acceptandi & procurandi dignitates praesertim premens. Insuper ultra vota essentialia omnibus Religionibus in Ecclesia Catholica rite institutis, quatenus formam Regularis Ordinis vere praeseferant communia aut quibusdam distinctis propria, in quacumque Regula possunt contineri praecepta aliquid positive adimplendum praescribentia aut sub obligatione item prohibentia, atque alia per modum etiam consilii ad majorem charitatem seu perfectionem Religiosam quae pertineant sed in rigore minime singillatim obligent, ex adducti per D. Th. 2. 2. & Cajetanum ibi *qu.* 186. *art.* 9. Sanchez *lib* 6. *in decal. Cap.* 4. *n.* 8. *seq.* cum communi. In istis itaque tum praeceptis tum consiliis licet in Regula insertis asserunt Doctores, posse Praelatos cum subditis dispensare, tamen justa semper impellente causa ex eod. D. Th. *qu.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & opportune explicat P. Didacus ab Aragonia *tr.* 2. *Cap.* 6. *n.* 5. Immo quoties justa causa vere urgeat, teneri in casu Praelatum respective ad dispensandum sustinent cum aliis Sà *V. Dispensatio* 2. Mirand. *tom.* 2. *in Man. qu.* 31. *art.* 6. Et si Praelatus absit posse secummet dispensare subditum ipsum per Epicheiam videntur concedere Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 26. *art.* 5. de Peyrinis *tom.* 1. *qu.* 1. *de Obed. Cap.* 8. Nec non necessitate aut maxima utilitate perurgente Praelatoque irrationabiliter dispensationem denegante, hanc intelligi latam a jure addit Peyrinus idem loc. cit. Henriquez *lib.* 6. *de poenit. Cap.* 13. *n.* 4. quibus subscribit Lezana *tom.* 1. *Cap.* 8. *n.* 29. *seq.* Porro ego super hac re advertere non nequeo considerandam esse mentem & intentionem Legislatoris seu Institutoris Regulae, an velit revera subditos obligare sub gravi non quantum ad consilia tum positive praecipiendo opus aliquod tum prohibendo, & in affirmativa suppositione mature procedendum in dispensatione, causamque debere judicari vere necessitantem, nec admitterem in casu singulas causas adductas a Lezana *Cap. d.* 8. *n.* 29. Prout nequaquam approbarem dispensationem faciendam per subditum sibimetipsi aut interpretationem in favorem sui, nisi in praecepto apposita foret indulgens conditio, ex. gr. Si praeceptum militet contra equitantes sub iis terminis — Non equitent sine necessitate; tunc etenim esset locus interpretationi Praelato non praesente, quod necessitas afforet ad hoc ut esset licitum equitare & pecuniam opportunam pro equitando procurare: similia de jejunando & circa vestimenta &c. semper tamen alia interpretatione adjuncta, quod Praelatus prudens & praesens in casu esset dispensaturus attenta etiam non controversa praxi, quae tamen afficiunt specialiter Minoritas ut infra.

§. Un. Item si Praelatus dispenset in praeceptis Regulae quod teneatur subditus obedire, veluti affirmat laudatus ipse Lezana innixus auctoritati Cajetani per se relati ibi *n.* 30. minime assentior. Dispensatio itamque, cum sit relaxatio juris, quamvis in potestate supponatur Superioris quod tamen liget voluntatem subditi non videtur ita facile concedendum, cum satis sit, ut subditus in conscientia sequendo illam tuto operetur. Nisi forte interveniret in casu contrario grave scandalum, ut si quis vellet servare jejunium omnibus aliis effrangentibus attenta dispensatione rationabili Superioris. Quamvis etiam in supposito nequaquam peccaret subditus jejunans non sequendo relaxationem, proprie ratione scandali quod alias esset pha-

pharisaicum, sed quia vellet ex opinione propria jus positivum Ecclesiasticum juri naturali super quo fundaretur Praelatus dispensans praeferre, eo quod nimirum jejunium in talibus circumstantiis notabile praejudicium afferret saluti corporis aut esset post ingentem laborem, contra fas. Ut verificetur de dispensatione valida & licita, quod sit relaxatio juris, sed cum cognitione causae. Ad tradita item per Navarr. *ad sum. praelud. qu. n.* 5. Rodruigez *tom.* 1. *qu.* 22. *art.* 1. & 2. & *tom.* 9. *qu.* 46. *art.* 1. ex Cap. *At si Clerici* cum Gloss. *de judic.* & *Cap. de multa de praebend.* & *Cap. literas de fil. Presbyter*. Et alios quos allegat Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. d.* 17. Vasquez *qu.* 178. *Cap.* 3. Barbos. de potest. Episc. *alleg.* 35. Hieronymus Rodrig. *resol.* 52. *n.* 5. & 7. Bordon. *resol.* 10. & *seq.* Coeterum doctrinam quam affert diligens Lezana *Cap. d. VIII. tom.* 1. *n.* 6. *seq.* pro Religiosis omnibus cujuspiam scilicet Ordinis Regularis valde utilis & plausibilis est.

61 Pro Religiosis signanter Ordinis Minorum si sermo instituatur, perspicuum est Seraphycum Fundatorem eos ad observantiam plurium mandatorum in Regula expressorum obstrinxisse verbis firmiter praeceptivis aut praecepto aequivalentibus seu vim praecepti praeseferentibus, quae hic enumerare non est proprium eo minus declarare, relicto hoc munere sapientibus simul & prudentibus Regulae expositoribus quatuor Magistris & aliis relatis a Corduba Marchantio moderniori necnon Patre Matteucci in sua Schola paupertatis. Ut opportunius itaque ad quaesitum, an Praelati in hoc Ordine possint super Regula praeceptisque in ea contentis dispensare, respondeamus. Praemitterem ego circa Regulam nostram superfluum poene fore quaesitum idem. Sanctus enim Pater ipsemet praeceptis quae dispensationis sint capacia, hanc adjungit: veluti circa jejunium quod ad idem Fratres manifesta interveniente necessitate nullatenus teneantur, item quod calceamenta possint portare si necessitas cogat, plures tunicas quam duas praescriptas valeant induere aut a Ministris & Custodibus de iis provideri secundum loca & tempora & frigidas regiones, itemque occurrente necessitate vel infirmitate minime teneat praeceptum de non equitando, & quoad obedientiam nequaquam ad ipsam obligentur Fratres in iis quae sint contraria animae eorum & promissae Regulae: quantum ad alia plura videtur neque intrare dispensatio a Praelatis adhibenda, cum suppleat Summorum Pontificum jam habita dispositio & ordinatio per duas celebres principaliores que Constitutiones Clementis V. *Exivi de Paradiso* & Nicolai III. *Exiit qui seminat* ubi signanter quoad votum paupertatis quod eleemosynae pecuniariae intelligantur semper sub Dominio dantis donec in proprios necessarios usus distribuantur, aut securius quod in Dominium transeant Apostolicae Sedis sive Summi Pontificis de Apostolico Syndico providentis, qui dictas eleemosynas in fratrum necessarios usus expendant & ita Dominium proprietas & contrectatio pecuniarum a Religiosis prorsus abdicatur: juxta explicationem in hac parte Martini V. & Pauli IV. per Innocentium S. M. XI. commendatam & confirmatam in sua Constitut. *Sollicitudo sub die* 20. *Novembris* 1679. per extensum apud Julii de Venetiis Chronologiam *pag.* 149. citatam a Matteuccio in Schola paupertatis laudabiliter differente & scrupulos e conscientiis removente tit. signanter IV. *consil.* 2. *per tot.* sicut & dispositiones & ordinationes circa permulta alia in praedictis relevant Bullis: *Exivi de Paradiso* & *Exiit qui seminat*: per quas & in electionibus Capitularibus & in recipiendis Domibus sive Conventibus, extruendis Ecclesiis ornamentis earum acceptandis, Fratrum Minorum systema stabilitur, quantum signanter ad res mobiles, atque immobiles sub nomine usus facti & non juris, de quibus Matteuccius ipse in allegati operis locis opportunius. His ergo praemissis repeto superfluum videri quaesitum de dispensatione Praelatorum in casu, cum fere omnium dubiorum Regulae substantiam aut praecepta inibi contenta respicientium aperta resolutio habeatur aut in Regula ipsa aut certe per Pontificias Sanctiones in corpore ipso juris clausas Regulam explicantes. Quatenus hoc non obstante velit ipse respondere Sanctorus, quod Praelati in nostro Ordine valeant super praeceptis Regulae dispensare Constit. *Cap.* 12. *stat. item* 12. ℣. *Tertio certum est*. Et casus occurrant in quibus de facto Praelati iidem super Regulam & praecepta formalia ejusdem dispensant aut dispensare autumant; tunc non dispensatio, sed declaratio atque interpretatio potius fore & esse constabit verius super factum, quam supra jus; super factum nempe an sit juri nisi speciali saltem communi & naturali uniformius puta quoad indumenta & conficiendum iter equitando, & quatenus nequiret peragi sine pecuniis, in terris praecipue infidelium, circa jejunium & si-

& similia quae aliis in ipsa originali Regula vel Constitutionibus Pontificiis jam dispensata dixi deprehendi, attenta vera & germana necessitate qua deficiente nulla evaderet pro certo Praelatorum potestas. In materia signanter paupertatis servandae etiam foret interveniente quamvis necessitate licitus modus, itaut Praelati qui indigenti subdito licentiam recurrendi pro pecunia praeberent, adigerent eumdem ut apud Apostolicum Syndicum vel hujus substitutum eleemosynam reponi curaret ibi nomine ipsius dantis vel sub Dominio Pontificis conservandam usque dum in necessarium expositum usum congruo assignante tempore foret impensa, & sic proprietas omnimode excluderetur: similiter ab equitantibus & inter haereticos sive infideles perambulantibus cavendum enixe foret omne prorsus scandalum obventurum. In his inquam casibus & his servatis cautelis nequaquam dicerentur Praelati in praeceptis singularibus Regulae dispensare sed declarare melius, quod praevaleat jus naturale & aequitatis in aliquibus obscuris absque Regulae laesione & contemptu & sine iuris praescripti relaxatione, dum alias remaneret substantialiter integra in suo esse. Declaratio siquidem est occulti & obscuri manifestatio per Dec. *in l. edita n.* 47. *C. de edendo*. Paris. *cons.* 15. *n.* 5. *&* 6. *volum.* 1. non mutata essentia aut natura dispositionis. Roland. *cons.* 15. *n.* 27. *vel* 3. Dec. *cons.* 8. *n.* 211. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 331. *n.* 100. *&c.*

61 Altera pars propositi dubii pro Praelatis Religiosorum in genere n. praecedente 60. ut solvatur. Nempe an valeant hi super Constitutiones & statuta proprii respective Ordinis dispensare? differentiae quam assignavimus inter Constitutiones ipsas & Regulam numero eodem 60. post initium potest addi ea, quae item traditur a Patre Lezana *tom.* 1. *Cap.* 8. *n.* 2. ubi citat Doctorem eximium Patrem Suarez videlicet; quod Regula ut in plurimum est ab antiquo aliquo Patriarcha seu quatenus de novo insurgat ab aliquo primaevo fundatore instituta a Summis Pontificibus approbata & in Ordine qui dicitur Regularis perhibetur esse perpetua. Constitutiones vero non ita, sed a Capitulis & Praelatis Religionum ordinatae sunt & multae sine Pontificia auctoritate aut approbatione & pro temporum varietate mutari possunt & de facto saepius mutantur: sic ille. Verum respondendo deinde ad quaesiti substantiam in ista parte laudatus Auctor ipse Lezana potestatem Praelatorum Generalium signanter limitat nimis; nimirum, quod nequeant hi in legibus Constitutionibus atque statutis Religionis respective propriae disponere; nisi in quantum talis facultas iis conceditur expresse vel interpretative, & vix concedit, posse in casibus aliquibus levioris momenti in quibus recurrere ad Superiores majores, etiam ipso Generali; & sic opportet quod intelligat extra Ordinem vel ad Capitulum sive Generale sive Provinciale, esset intolerabile, & in casibus qui fraequenter accidunt, in quibus etiam durum & asperum videtur diutius expectare: in quibus casibus censet praesumi licentiam interpretativam a iure & majoribus respective: attenta etiam consuetudine, quae est optima legum interpres. Hujusmodi inquam doctrina auctoritatem & potestatem Praelatorum, Generalium maxime, nimium coarctat; per nullum namque jus prohibetur iisdem dispensare positive in rebus, sive casibus maximi etiam ponderis, quoties necessitas aut grandis utilitas urgeat. Estque sententia Tridentini *sess.* 25. *cap.* 18. de Reform. *quod publice expediat legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat*. Nec aliud inibi exigitur, nisi urgens iustaque ratio, pro evitanda irrationabili dispensandi fraequentia, & quod causa prius cognita summa maturitate ab habentibus auctoritatem dispensatio praestetur: quod totum praenotavimus observandum in hac Sectione n. 56. post med. & n. 60. Itemque probat fuse Miranda *tom.* 2. *qu.* 9. *art.* 6. *conclus.* 3. Nempe ad Communitatis bonum expedire, alicui inesse dispensandi auctoritatem. Aptius ergo resolutio lata a P. Lezana exponetur terminis affirmativis quam negativis: nimirum; inesse revera Praelatis inter Regulares, signanter Superioribus Generalibus potestatem dispensandi, cum causa in quibuscumque Constitutionibus & statutis propriae respective Religionis, praeterquam in iis, in quibus resistat lex specialis legitime condita. Demonstraturque evidenter resolutio, eo quia principaliter Generalis in unaquaque Religione habetur ut Princeps: ex datis *tom.* 1. *Cap.* 1. *dub.* 4. *n.* 19. debet per consequens ei tribui potestas suprema, quae auctoritati Principis congruit, quatenus lex ab habente majorem auctoritatem edita hanc ipsam Generalis non limitet. Et cum ad rem nostram per Caput *cum ad Monasterium de stat. Monach.* inhibeatur eis dispensatio super votis essentialibus

libus; per Tridentinum ſignanter limitata, *non poſſe ab eis quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent relaxari*. Conſequenter ex exceptione contrariam regulam firmante autumant Doctores, poſſe Generales in reliquis, quæ per vota eſſentialia non importantur & ad ſubſtantiam Regularis vitæ minime pertinent diſpenſando diſponere. Ad ſubſtantiam autem Regularis vitæ ſpectare, aſſerendum venit, vota primum, deinde ea, quæ in ipſa Regula includuntur per modum præcepti obligantis ſub gravi, juxta doctrinam D. Thomæ 2.2.*qu.* 186. *art.* 9. Hinc ſi neceſſitas occurrat in contrarium & caſus diſpenſationem inevitabilem exigens, cadere ſuper eadem præcepta declarationem aptius, quam diſpenſationem non ſine ratione indicavimus num. immediate præcedenti 61. circa fin. Sed pariformiter, cur in cæteris aliis Conſtitutionibus ſtatutis & Religionis Decretis non cenſentur Regulares Prælati declarationes potius adhibere quam diſpenſationem? Reſpondetur non militare utrobique parem rationem; præcepta namque quæ includuntur in Regula ſignanter indicentia obligationem ſub mortali reducuntur ad eſſentialia vota, præſertim ad obedientiam, in qua principaliter conſiſtit Regularis vitæ ſubſtantia per Tridentinum indiſpenſabiliter præſcripta. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib* 1. *Cap.* 2. *n.* 2. Propterea non poſſunt negari ſub jure Divino cadere & contineri, quod poſſe a Prælatis Regularibus relaxari per diſpenſationem eſt aſſerere nefas; cum directe denegetur ipſimet Papæ: Card. de Alb. de incoſt. in fid. *Cap.* 38. *n.* 9. Anaclet. Reinffeſtuel. de Conſt. §. 18. *n.* 455. *ſeq.* Non ſic autem communiter ſuſtinetur de Conſtitutionibus & ſtatutis quæ Regulam circumſtant & magis & minus ad obſervantiam ejus exactiorem conducunt. Unde occurrente majori bono aut juſta impellente cauſa nullum ſequitur inconveniens, immo non ſemel congruentia notabilis exigit, quod in caſu a Superiore relaxetur. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 26. *art.* 1. & Suarez *tom.* 4. *lib.* 2. *Cap.* 12. *n.* 25. & 41.

§. I. Ad ſua autem fuit opportune clauſula: *præterquam in iis in quibus lex ſpecialis legitime condita reſiſtit*: Nam ultra jus commune in *cap. Cum Monacorum* & cit. Trident. *ſeſſ.*25. *de Regular. cap.* 1. poteſt reſiſtere ſpecialis lex, quoties aliquibus ſtatutis pro bono communi Religionis apponatur conditio, quod ſint indiſpenſabilia, & tota ipſa Religio per Capitulum generale repreſentata limitat auctoritatem Superiorum, ipſiuſmet Generalis, qui ſupponitur in corpore Capituli inclu- di, quoad diſpenſandum: attentis etiam juribus & Pontificis Sanctionibus hac in re prælationem Capitulo generali tribuentibus: Et tunc nequeunt Superiores omnes, etiam Generales ordinationibus quibus ipſimet cooperati ſunt non ſe conformare: ex D. Thoma 1.2.*qu.* 96. *art.* 5. Sot. *de juſt. lib.* 1. *qu.* 6. *art.* 7. Hinc Generalis in Ordine præcipue Minoritico non definit ſubeſſe ſyndicatui poſt terminatum gubernium, quatenus ſtatuta generalia ſibi aliquid ſpecialiter inhibentia vel præcipientia fuerit trangreſſus. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 68. *art.* 3. Mirand. in Manual. *qu.* 29. *art.* 4. ultra praxim.

§. II. Similiter quoties ſtatuta, etſi non præſcribantur indiſpenſabilia, confirmentur tamen in forma ſpecifica a Summo Pontifice auctoritate Apoſtolica aut per Breve Pontificium ſive Decretum, perſpicuum eſt quod nequeant ſuper illis diſpenſare Prælati eſto Supremi in Religione; tunc etenim lex quæ foret Ordinis Regularis fit per adjunctam confirmationem hujuſmodi Pontificia cui tenetur parere Generalis ipſe tamquam inferior. Navarr. *lib.* 1. *Conſ. tit. de Conſt. cenſ.* 8. Et intrat proprie Regula *C. inferior diſt.* 21. & Clement. in Roman. de elect. Abb. in Cap. *Cum acceſſiſſent n.* 2. *de Conſtit.* Et quamvis diſtinguant plures inter confirmationem factam a Pontifice motu proprio ex certa ſcientia & per modum præcepti ſeu Decreti, aut emanatam ad preces Religionis ſive ipſorum ſtatuentium; ut pote in priori acceptione Summus Pontifex confirmando cenſeatur facere ſtatutum ſuum *Cap. Apoſtolica* de præbend. & *l.* 1. *C. de veter. jur. Eunuch.* in ſecunda vero ſe habeat confirmatio permodum privilegii cui poſſunt abrenuntiare privilegiati: Sanchez *lib.* 3. *in decal. Cap.* 15. *n.* 6. Mirand. *tom.* 2. Man. Prælat. *qu.* 29. *art.* 8. Donat. *tom.* 1. *prax. part.* 1. *tr.* 13. *qu.* 17. & *qu.* 20. *n.* 16. In neutra nihilominus acceptione præſtatæ confirmationis dicendum eſt poſſe diſpenſare ſuper Statutis ſive Conſtitutionibus Ordinis reſpective Prælatum licet Generalem; aliud enim eſt quod Religio quæ ſtatutum condidit valeat Confirmationem per modum privilegii non acceptare aut eidem deinde abrenuntiare, aliud quod ex ſe ſolo Generalis id peragat cum ſuppoſita Religionis acceptatione. Apoſtolica confirmatio ſemper aliquid roboris addit & præcellentiæ, ita ut Prælati quicumque in Ordine non

poſſint in caſu non conſiderari ut inferiores. Abbas citans Innocentium *in Cap. accedentibus de privileg.* Felin. *in d. Cap. n.* 4. Sanchez & Mirand. ubi ſupra.

63 Poteſt addi quæſitum. Quinam cenſeantur Prælati in Religionibus reſpective quibus poteſtas competat diſpenſandi ſuper ſtatutis & Conſtitutionibus generalibus Ordinis, prout quantum ad poteſtatem in reliquis etiam quæſitum & reſolutum eſt. Et reſpondet Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 54. Quod hæc poteſtas iure communi convenit omnibus Prælatis ſive infimis ſive Supremis; cum omnes illi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; niſi ſit Superiori Prælato reſervata, quia tunc non poſſet inferior ea uti utpote ſibi per legem ſublata, & citat P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 13. Similiter P. Didacus ab Aragonia in Dilucidatione poſtquam tr. 2. pronuntiavit poteſtatem eamdem competere Generalibus abſolute *Cap.* 6. *num.* 5. *& Cap.* 8. *num.* 23. deinde *tract.* 3. *Cap.* 6. *n.* 4. aſſerit etiam abſolute poſſe Provinciales diſpenſare cum ſubditis in omnibus obſervantiis Regularibus præterquam in ſubſtantialibus votis per Tridentinum exceptis, dummodo per ſtatuta id non prohibeatur additque n. ſubſequenti 6. poſſe eoſdem diſpenſare in omnibus pœnis inhabilitatibus privationibus &c. in foro conſcientiæ attenta Bulla ſignanter *Sancti Pii. Romani Pontificis circumſpecta*; quia id cum ſubditis præſtare poſſunt Epiſcopi quorum facultas transfertur in Prælatos Regulares reſpectu ſibi ſubditorum Religioſorum. Attamen cenſerem ego ſuper ſtatutis & Conſtitutionibus de quibus potiſſimum agimus in caſu neutiquam poſſe Provincialem & Superiorem localem diſpenſare contra Lezanam primum, eſto in ſtatutis non reperiretur ſpecialis Prælato Superiori reſervatio; excedunt ſiquidem ea quæ a Religione univerſa ſtatuuntur Provincialium atque localium activitatis ſphæram, cum verum ſit profecto ipſos juriſdictione quaſi Epiſcopali pollere ſed ſecundum quid, & in concernentibus Provinciam quatenus Prælatus ſit Provincialis vel Conventum ſeu Monaſterium ſi de locali ſit ſermo: unde non eſt quomodo ſuper legibus editis ut mox diximus a tota Religione poteſtatem habeant diſpenſando in eis attenta ea quam præmiſimus indeclinabili regula Can. *Inferior* diſt. 21. & Clement. *Ne Romana* cum concordant. niſi quatenus ſibi ſuper hoc & illud ſtatutum a Capitulo generali ſtatuente conferretur. Suarez cit. apud Lezanam n. d. 54. Aptius propterea exponeretur per Patrem Aragonienſem in terminis negativis aſſertum: quod nequeant ſcilicet Provinciales diſpenſare ſuper inobſervantiis Regularibus præcipue per leges & Conſtitutiones generales prohibitis; tanto minus ſuper inhabilitatibus ad Officia & Dignitates, privationibus vocis activæ & paſſivæ ob quælibet delicta contractis, quatenus hujuſmodi pœnæ per generalia ſtatuta imponantur; niſi expreſſa facultas in dictis ſtatutis iis concedantur. Uti de facto in hiſce aptioribus terminis concludit de Superioribus localibus laudatus Auctor in tract. IV. Cap. 5. n. 4. Pater etiam citatus Lezana, & quantum ad Provinciales & quoad Superiores locales teneretur propoſitionem ſuam univerſalem nim is moderari: nimirum poteſtatem horum Superiorum minoris gradus ſubalternorum ſcilicet & infimorum nequaquam ei quæ competit Generalibus æquiparare, ad tradita per Suarez *tom.* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *de Relig. Cap.* 12. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 26. *art.* 1. ſiſtendo ſemper in diſpenſatione reſpiciente ſtatuta generalia Conſtitutiones totius Ordinis pœnaſque in iis contentas: de cœteris namque ceu de præhabitis in jure communi, & ampliata ſuper iis poteſtate ad Superiores locales per Sanctum Pium jam diſſeruimus, & eſſet in propria locutio: quod Superiores Regulares poſſint id quod poſſunt Epiſcopi in ordine ad Statuta & Conſtitutiones Religionum reſpective: cum pro ſtatutis ſpecialis militet ratio &c. Bene quidem circa eadem generalia ſtatuta & totius Ordinis Conſtitutiones aliqua adnotanda & excipienda non deſunt; occurrente ſiquidem neceſſitatis caſu & quoties periculum ſit in mora non negatur facultas Prælato inferiori & infimo interpretandi, quod nec mens Superioris ſtatuentis neque finis ſtatuti conditi ad executionem obſtringeret, eo quia lex caſum in talibus circumſtantiis non comprehenderet vel ſi eſſet præſens aliter diſpoſiturus foret: aut ſi ageretur de re minima de eadem non curaret Legiſlator. Ita citatis juribus Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 11. *art.* 1. Salas *diſp.* 21. *ſect.* 2. Sylveſter V. *Interpretatio qu.* 2. Caſtropalao *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 5. *qu.* 3. §. 1. *n.* 7. Sive quoties ex inobſervantia Statuti bonum notabile poſſit provenire Communitati vel malum ingens evitaretur imminens, patere ſine dubio locum Prælato licet inferiori declarandi & interpretandi quod æquitas & jus naturale in caſu juri mere ſtatutario

præ-

prævaleret, docent Cajetanus *qu.* 12. *art.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 67. *art.* 4. ad tradita item *per nos superius n.* 58. §. *un.* In quibus omnibus consentiunt & ipsi Lezana & Aragonius loc. supra alleg. Hinc autumant Doctores quod Prælatus Supremus in Religionibus veluti Generalis si velit dispensatione statotorum secummetipso uti possit tribuere facultatem Confessario qui illam tamquam distinctus Judex adhibeat, cum Suarez loc. cit. cap. 14. Verum nisi sit adnexa inobservantiæ culpa vel pœna non apparet quare forma judicii requiratur propter absolutionem aut dispensationem; proinde quatenus de meris statutis sit sermo quæ secluso contemptu ut in plurimum peccatum non inducunt, interveniente causa quod nil prohibere posset sicut cum aliis secum ipso Patrem Generalem seu Prælatum Supremum dispensare, concedunt cum Corduba in addit. ad Sorb. V. *Accedere ad Monasterium* plures alii. Immo quicquid de Generalibus quantum ad potestatem dispensandi secummetipsis, asseritur proportionaliter ad Superiores Provinciales & locales, videlicet quod valeant erga se ipsos vel per deputatos vel etiam immediate adimplere eamdem quæ sibi respective conceditur erga subditos nisi speciale adhuc statutum id vetet; addunt Bordon. *tom.* 1. *resol.* 10. Candid. *tom.* 1. *disp.* 24. *art.* 59. *dubit.* 7. & subscribit Pater Didacus ab Aragonia in dilucidat. *trat. III. Cap.* 6, *n.* 12. Vel facultas competat Superioribus ipsis subalternis per privilegia directe vel non nisi per commonicationem absolotam a Superiore Generali; ut alibi fuit distinctum.

64 Consequenter ad tradita de Religionibus in communi, quarum tamen debent considerari propriæ Leges, resolvendum cadit de Minoritis & primo Ministrum Generalem habendum esse in Religione tamquam Principem, communis est sensus apud Sanctor. *Const. Cap.* 1. *stat.* 14. §. 1. Lantusc. in Theatr. Regul. *tit. Minister Generalis* init. inde dispensare posse super omnia statota, quæ non habeant clausulam prohibitivam, concludunt unanimiter Regulæ Expositores, id innuentibus principaliter Segoviensibus *Cap.* 8. §. 8. *de dispensatione* & Clarius antiquis Papalibus sub Julio II. *Cap.* 12. *part.* 4. atque Alexandrinis *Cap.* 12. *&c.* necnon post Rodriquez, Portell. Sanctorus super Constit. *Cap.* 12. *stat.* 12. sub quæsito 5. ℣. *Prima enim*, Lantusca loc. cit. Limitatio autem præscribens: *nisi statuta ipsa habeant clausulam prohibitivam* colligunt Doctores ex statutis iisdem met diverso tempore conditis, sed signanter ex statuto Capituli generalis Romani de anno 1639. §. I. = ibi = *Declarat Capitulum Generale, omnem potestatem, quæ in Ministro Generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus, totam ipsi provenire a Capitulo generali: unde quoties ab ipso Capitulo generali decreta irritante prohibetur, ne in aliquo statuta concedatur absolute dispensatio; vel non nisi sub certis conditionibus ibidem expressis; si Generalis Minister absolute dispenset, aut conditiones non servet, ejusmodi dispensatio ipso facto irrita evadit* = Quo nihil clarius, nec adest ibi Glossæ necessitas. Nihilominus mihi numquam arrisit ista attentata subjectio Ministri Generalis, qui in Religione Supremus admittitur Princeps generali Capitulo, a quo suscipiat potestatem in hoc & aliis casibus, cum revera statim ac est electus auctoritatem & jurisdictionem intelligatur immediate habere a Summo Pontifice: juxta alibi dicta & adducta per Rodericum *tom.* 2. *qu.* 52. *art.* 2. Mirand. *tom.* 2. *qu.* 23. *art.* 32. Ex Clement. IV. in Compend. privil. *V. Electio.* Sanctorus quoque Pater eumdem Superiorem absolute in Religione instituit; ipsemet siquidem, qui fuit primos Generalis Ordinis soli Summo Pontifici professus est obedientiam immediatam; dehinc sibi & Successoribus suis, Ministris scilicet Generalibus, nequaquam generali Capitulo, præcepit Fratribus utcumque parere: in *Cap.* 1. *Regulæ*: ibi = *Frater Franciscus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio & successoribus ejus canonice intrantibus: & alii Fratres* TENEANTUR FRATRI FRANCISCO ET EJUS SUCCESSORIBUS OBEDIRE. Unde si statuta dantur prohibentia aliquod in specie Ministro Generali & signanter quantum ad dispensationem rationabilem in casu, vel dicendum, qood non sint fundata in jure naturali aut Divino, quod dictat, votom emissum ab omnibus subditis de obedientia præstanda Superiori Supremo legitime electo, necesse fore ut servetur propterea statuta ejusmodi deficiunt in necessariis; vel quoties dispositio statutaria in casu, confirmatione Apostolica, præcipue ex certa scientia & specifica fulciatur, statuta tunc observanda esse a Ministro Generali sed ratione Legis aut auctoritatis adjunctæ, alias Capitulum generale possit sibi subiicere Caput & Principem proprium non ita facile debeat admitti: nisi in casibus exceptis per ipsam Regulam ut in *Cap. IV.* ubi quatenus Minister Generali

neralis electus comperiatur insufficiens, datur Capitulo generali facultas alium substituendi, prout datur quoque libertas fratribus se subtrahendi ab obedientia, quatenus is aliquid præciperet contrarium eorum animæ, & quam professi sunt Regulæ. *Cap.* 10. Qua de re Generales ipsi non semel in dispensando super statutis ipsis, quæ indispensabilia notantur propria auctoritate usi sunt, ut sunt illa de non mittendis juvenibus Religiosis ad studia extra propriam Provinciam, de non promovendis ad Ordines Sacros ante tres & quinque completos ad Sacerdotium annos ab emissa professione; in statutis signanter Reformatorum *Cap.* 2. *n.* 40.

§. I. Novi equidem specialem militare rationem contra potestatem dispensandi, quando relaxatio juris sive statuti per generale Capitulum in casibus peculiaribus decreto irritante prohibetur, aut quoties conditiones præscriptæ non observentur, & quoties similiter quod dispensatio irrita evadit decernatur; insuper quod MinisterGeneralis teneatur ad hujusmodi statutorum observantiam in casu probari itidem per Constitutionem Urbani VIII. confirmantem in terminis statuta auctoritatem Ministri Generalis ejusdem præscribentia; prout notat præ cœteris P. Lantusca ubi supra. Attamen Constitutio hæc, quæ incipit *Cum sicut* per Lantuscam confuse allegata & a me inventa demum, emanata de anno 1641. *die* 23. *Augusti*, percutit proprie Commissarium Generalem Indiarum præsumentem similes elargiri dispensationes ex se ipso, & quamvis in ea statutum editum in Capitulo generali de an. 1639. memoretur, tamen absolute confirmatum nequaquam ibi legitur; nec Generali Ministro per accuratum Pontificem aliquid positive præcipitur, aut inhibetur, ut videre est apud Julium de Venetiis in Chronologia pag. 20. Pater autem Sanctorus addit, quod nisi prohibitionibus statutariis quoad dispensandum Generalis se conformet, possit super inobservantia illarum expleto officio syndicari & puniri: Constit. *Cap.* 12. *stat.* 10. ℣. *Quæritur quarto* ut tangebamus item superius n. 62. §. I. sed casum punitionis vix unquam contigisse arbitror: ostendere deinde nititur ipsemet Auctor prolixiori sermone in quibus statutis singillatim revera nequeat dispensare Generalis ℣. *Quarto descendo*, impugnans ibidem Patrem Mirandam tamquam nimis rigidum in limitanda Generalis ipsius super hoc potestate *qu.* 7. *& infra*. Prout casus distinctos adducit etiam negativæ hujus potestatis P. Lantusca *V. Minister Generalis* sub titulo *Quæ non potest agere &c.* Quæ omnia apud dictos Auctores perlegenda remitto specialiter animadvertentes, quomodo possit stare propositio prima exarata a laudato Lantusca sub dicto *V. Minister Generalis*; videlicet, *quod auctoritas Generalis procedit* a Capitulo generali. IDEST A PONTIFICE; non enim est idem habere a Capitulo & habere a Summo Pontifice, & quæstio quæ instituitur an ab uno vel altero immediate procedat Ministri generalis auctoritas non debet in falso supposito laborare. Nec profecto plene comprehenditur quomodo possint conciliari asserta P. Didaci ab Aragonia primum *tr. II. Cap.* 2. *n.* 5. Quod potestas Prælatorum Regularium non solum sit de jure umano sed etiam procuJdubio de jure Divino, eo quia sunt veri Prælati, quibus potestas per Summos Pontifices ministratur, ita ibi; & dein de *Cap.* 2. *ejusdem tr. n.* 3. quod potestas jurisdictionis in Generalibus est ordinaria non delegata, & juxta probabiliorem sententiam immediate a Generali Capitulo mediate vero a Papa eisdem communicata. Unum siquidem videtur aliud destruere in suppositione quod de jure Divino dicatur quicquid immediate a Deo præcipitur inhibetur aut procedit, & id quod ab hominum voluntate determinatione præscriptione immediate derivat non possit negari de jure humano, secundum communem acceptionem Doctorum & primam divisionem juris generice sumpti, apud Reiffestuel in proœm. *tom.* 1. §. 2. *n.* 23. *seq.* Quod si de jure Divino appelletur omne id quod media potestate hominum confertur & communicatur, de jure Divino in hac largissima acceptatione reputabuntur quæcumque ad jus spectant canonicum sive Ecclesiasticum, immo ipsum Ecclesiasticum jus a Summis Pontificibus præsertim conditum divinum item poterit nuncupari, quia Summus Pontifex auctoritatem condendi leges sicut & illam communicandi potestatem & jurisdictionem quamcumque aliis habet immediate a Deo. *Cap. Inter Corporalia*. Ubi Abbas *n.* 5. *d. transl. Episc.* Arg. *Cap. Non debet de consangu. & affin.* Abbas ibid. *n.* 4. & Fagnan. *n.* 13. Quantum vero ad Patrem Lantuscam, specialiter advertendum occurrit, plura eumdem congerere circa ea quæ potest vel non potest peragere Minister Generalis sub hoc titulo. loc. cit., quæ attentis Sanctionibus & Decretis Apostolicis plene non regunt. Sed ut a Potestate dispensandi, signanter super

per generalia ftatuta, pœnitus non difcedamus concludendum cenfeo, mereri equidem peculiarem confiderationem ftatuta illa quæ indifpenfabilia præfcribantur & in quibus claufula alias irritans aduectatur, ne periculo nullitatis in contrarium acta exponantur: ficut & quoties ftatuta ipfa per Apoftolicam auctoritatem & confirmationem robur contrahant fpeciale, recolenda fuadeo ea quæ præmifimus *n.* 62. §. 11. Prævalente in cafibus quibuslibet regula, quod æquitas fimul cum poteftate attendatur & difpenfationis examinentur caufæ.

§. II. Interpretandi deinde & declarandi ftatuta & Conftitutiones generales Ordinis datur ampla facultas in Minoritica Religione pro Regulari & Strictiori Obfervantia tum Miniftro, tum Commiffario Generali ex Capitulo Generali Vallifoletano 1593. & Segovien. *Cap.* 8. §. 7. *de Conftit.* Et quamvis declarare atque interpretari authentice & legaliter non folum magiftraliter legem fpectet ad Legislatorem five ad eum qui illam condidit, ut effet in cafu Capitulum ipfum generale. *l. fin. C. de legibus & l. in Pretoriis ff. de Prætoris oblig. Cap. Sicut II. qu.* 1. *Cap. Inter alia de fent. excomm.* Azor. *tit.* 1. *lib.* 5. *Cap.* 16. Suarez *lib.* 6. *de leg. Cap.* 1. *n.* 2. & Barbof. *ax.* 130. *n.* 3. cum communi. Attamen cum hæc authentica interpretatio tribuatur dictis Superioribus Generalibus ab iifdem Capitulis generalibus ftatuentibus, concludendum eft, quod ii neceffaria ad id non careant facultate cum Sanctoro loc. cit. ✠. *Declarare.* Si vero extendatur quæfitum ad Prælatos Provinciales atque locales qui effent in noftra Religione Guardiani, aut alii independenter gubernantes dicerem, quod comparative ad alios magis congruenter concederetur his interpretatio magiftralis ratione officii & Superioratus, præcipue fi fiat fecundum communiorem fenfum Doctorum. Sylveft. *V. Interpretatio qu.* 1. Roderic. *tom.* 1. *qu. II. art.* 1. & licet interpretatio & declaratio ftatutorum legatur privative refervata dictis Miniftro & Commiffario generalibus per Capitulum citatum Valliſoletanum de *an.* 1593. ibi *Si vero difficultas, vel dubitatio fuper ipfis Decretis & Conftitutionibus oriatur ejus interpretationem, explicationem, vel declarationem Reverendiffimo Patri Generali & Commiffario Generali Cifmontano* RESERVAMUS, ET RESERVATAM ESSE VOLUMUS ET DECERNIMUS, attamen poteft dici, quod Capitulum intelligat de interpretatione authentica, non Magiftrali & doctrinali, vel de dubitationibus ortis fuper re fubftantiali & notabili & non fuperficialibus & ordinariis quæftionibus, quando interpretatio & declaratio Provincialibus & Guardianis utcumque non denegatur in praxi: juxta doctrinam Roderici & Sylveftri ubi fupra Salas *difp.* 21. *fect.* 2. & Caftropalan *tom.* 1. *tr.* 3. *difp.* 5. *punct.* 3. §. 1. *n.* 7. qui alios citant; non fine fuperaddita item cautela, quod declaratio nullatenus variet & mutet naturam difpofitionis, nec proferatur in fenfu infolito aut confuetudini & aliis legibus canonibufque repugnante. Rolland. *conf.* 15. *n.* 27. *dec. conf.* 8. *lib.* 1. *n.* 211. Menoch. *conf.* 321. *n.* 110. Interpretatio item fiat juxta Legislatoris, feu Capituli generalis in cafu mentem quatenus de ea conftare poffit, vel attenta verifimilitudine certiori faltem fecundum verborum propriam fignificationem in fubjecta materia. Apud Barbofam fignanter *axiomat.* 130. *n.* 3. *feq.* Sanctor. *d. ftat.* 12. *Cap.* 12. fub quæftione quarta.

65 Occurrit infuper & quidem principaliter quærere, utrum Prælati Regulares valeant *difpenfare fuper votis*, nec non juramentis refpective fubditorum? Et primo differendo de votis, opportunum foret adducere hic differentiam inter irritationem interpretationem commutationem ceffationem ac votorum difpenfationem, fed quia traditur breviter quidem a novo compilatore privilegiorum *part.* 2. *cap.* 8. exactios autem inter alios a Patre Felice Poteftate *tom.* 1. *part.* 2. *Cap. III. num.* 1345. *feq.* ideo Lectorem aut confcium hujufmodi communis divifionis fuppono, aut ad dictos Auctores libenter remitto. Unum pro veritate alias licet notatum, repetens: Quod improprie exponatur fub relatis verbis hoc quæfitum. Nam quoties verum indubitatumque fit, difpenfationem effe juris relaxationem cum cognitione caufæ, atque votum nullos contradicat, quod obliget de jure Divino & naturali; impertinens videtur fcifcitari, utrum quifpiam quacumque dignitate fulgeat valeat jus relaxare Divinum ftante & manente voto in vera ratione voti: fcilicet promiffionis libere factæ Deo de meliori bono abfque ullius defectu circumftantiæ: ad tradita per Doctores poft D. Th. & Sotum 1. *de juftit. qu. ult. art.* 2. Unde hac veritate fuppofita præter irritationem, commutationem, & ceffationem votorum, quæ in terminis rationem diftinctam præfeferunt, parum autumarem differre inter fe fecundum rationem formalem

malem in casu interpretationem ac votorum dispensationem, quæ verius declaratio appellanda foret, quod votum nempe in talibus emissum circumstantiis a ratione voti deficiat, idcirco neque Deo evadat acceptum utpote irritum & nullum & non obligare interpretetur, vovensque a vinculo ejus solutus declaretur. Contra cujusmodi doctrinam nihil quod relevet præter abundantiam verborum ab Auctoribus sibimet alias contradicentibus potest produci. Quod si dicatur relaxationem perfici a Prælato gerente Dei vices super subditum proprium, seu fieri vice & nomine ipsius Dei: Juxta sensum Felicis Potestatis aliorumque deffinientium dispensationem in casu, quod *sit remissio & relaxatio voti sive in totum sive in partem* NOMINE DEI. Replicarem unde eruatur quod Deus dederit talem potestatem cuilibet inter homines relaxandi jus Divinum & naturale nomine & vice ipsius, remanente jure in sua ratione formali, indeque resistente? cum id directe peragere Summo ipsi Pontifici ex prænotatis superius denegetur. Neque admitto irritationem votorum provenire taliter a potestate dominativa Prælati, ut eam adhibere is queat absque omni prorsus ratione; nam semper militabit contra voventem subditum & in favorem Superioris motivum aliquod, & si non aliud subjectio specialis Religiosi in eo casu & talibus circumstantiis, itaut nequeat voluntarie ad alia præter Regulam absque Superioris in cujus voluntate sita dicitur voluntas propria, explorato placito: ex quo irritum votum & neutiquam obligatus vovens deprehendatur. Ludovicus Lopez *part.* 1. *Cap.* 48. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *Cap.* 7. In quam sententiam descendit pariter D. Rupertus Gueber, quamvis nempe præmittat *tr.* 3. *disp.* 111. *sect.* 1. *a n.* 3. posse Superiores irritare vota subditorum absque ulla causa; causam tamen deinde non potest non agnoscere *n.* 11. *&* 12. *pag.* 659. Sicut etiam si interpretetur votum nequaquam emissum de meliori bono, aut inadvertenter absque matura prævisione: sive per metum deficiente plena deliberatione, hinc invalidum nullum etiam in dubiis favore emittentis pronuntiatur, parum differre tunc inter se constat interpretationem, & declarationem, quæ vere talis censeri & appellari deberet & non dispensatio, cum nulla interveniret relaxatio juris sed potius observantia: Sylvester V. *Dispensatio qu.* 14. *n.* 20. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 26. *n.* 6. Clavis Reg. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 25. *&c.* Vergere nihilominus differentiam non deffiteor inter irritationem & dispensationem, vocetur utcumque hoc nomine ad tollendas lites de voce, ratione personæ irritantis aut dispensantis & tamquam inter magis & minus universalem. Irritatio etenim voti ut replicabitur infra a persona etiam sæculari potest perfici, puta a Parentibus respectu filiorum & ab aliis dummodo verum interveniat dominium & super re rationabili: dispensatio vero jurisdictionem appellans a persona Ecclesiastica tantum; istam aliam assignant differentiam inter irritationem atque dispensationem, quod prima possit sequi etiam invito subjecto, cum videlicet Superior judicat illum neutiquam se non conscio neque consentiente potuisse novam assumere obligationem in talibus circumstantiis, ideoque prohibere queat præcipue si bono communi expediat voti propria subditi voluntate emissi executionem: Ludovicus Lopez ubi supra Suarez *tom.* 2. *lib.* 3. *de Relig. Cap.* 6. *n.* 25. Sanchez de Matrim. *lib.* 9. *disput.* 43. *n.* 10. In quocumque namque voto Religiosorum qui nequeunt dici propriæ voluntatis arbitri conditio hæc semper, nisi explicite per juris interpretationem censetur adnexa = *si Superior legittimus non contradixerit*. Ex d. *Th.* 2.2. *qu.* 88. *art.* 8. E contra non posse invito voverte contingere dispensationem tenet præ aliis Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 51. allegans Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de Voto Cap.* 1. Dispensatio enim; cum sit quoddam beneficium nequit invito conferri: juxta notas regulas juris 38. *&* 60. *in sexto*. Quamvis laudatus Auctor non sibi concors alibi affirmet quod in casibus in quibus Prælati valent dispensare cum suis subditis possent illos compellere renuentes ad recipiendam latam dispensationem *tom.* 4. V. *Dispensatio sub n.* 2. Causæ autem ad dispensandum sufficientes seu rationabiliter moventes ad declarandum votum in talibus circumstantiis una vel altera emissum non tenere aut non esse de meliori bono, assignantur a Doctoribus Suarez, Rodriquez, Portella, V. *dispensare n.* 11. Antonio a Spir. Sanct. *tom.* 2. *tr.* 5. *disp.* 2. *sect.* 36. *n.* 455. Et hic repetuntur breviter: nimirum dubium de voto emisso, aut de intentione se obligandi levitas inconsideratio in vovente. Infirmitas debilitas necessitas immo defficultas servandi votum signanter ab initio supposita, inquietudo & ni-

& nimietas scrupulorum in eodem, impedimentum boni communis, damnum proprium grave aut aliorum inde secuturum, loquendo de votis minime reservatis sive exceptis.

66 Si descendamus de hinc ad inquirendum in specie quaenam sint revera vota reservata & excepta & quae non: quae possit videlicet irritare vel super quibus valeat dispensare, vel non juxta explicationes datas Praelatus respective Regularis. Praeferenda obvenit imprimis sententia Divorum Bonaventurae *in* 4. *sent. dist.* 38. *art.* 1. *qu.* 3. Thomae 2.2. *qu.* 88. *art.* 17. atque Antonini *part.* 2. *tit.* 11. *Cap.* 2. §. 6. Omnia vota simplicia, quae emittunt Regulares professi non indigere irritatione aut dispensatione, sed intelligi subditos ex se iisdem absolutos, quoties expressa vel tacita non interveniat in illis Superioris voluntas aut approbatio, utpote voluntas subditorum obedientiae alligata in hujusmodi actibus signanter a Praelatorum voluntate omnino pendeat ut mox ante tactum est. Super votis autem solemnibus aliisque quae peculiaribus Religiosorum Ordinibus sunt propria ut abstinendi a carnibus pergendi ad Missiones de redimendis captivis, de dignitatibus extra non acceptandis tanto minus procurandis, jam resolutum est superius n. 60. Super votis pariter quinque licet non solemniter emissis soli tamen Papae expresse reservatis videlicet *simplici castitatis Religionis peregrinationis Compostellam & Romam devotionis causa negatur* communiter Praelatis eisdem dispensandi atque ea irritandi facultas; ad hoc tamen ut evadant vere reservata illa quinque, in nullo debent esse deficientia omniaque habere requisita, ut apud Felicem Potestatem *loc. cit. n.* 1999. *& seq.* Prout est evidens prima duo castitatis simplicis & Religionis Regularibus professis in communi acceptione esse impropria, & reliqua tria peregrinationis &c. posse saltem in executione impediri a Praelatis respective qui obedientiales & alia necessaria ad iter non concedant. Veruntamen speciale in hac materia solet moveri quaesitum. An Regulares Praelati valeant in subditis irritare votum transeundi ad arctiorem aut cum eis in tali voto dispensare? Et respondent pro majori parte Doctores negando Praelatis competere potestatem hujusmodi votum irritandi, bene quidem super eo dispensandi concedentes Dominus signanter Rupertus Canonicus Regularis Gueber qui asserentes in magno numero adducit *pag.* 712. sui Operis ibi *dicto tertio*, potestatem dispensandi probat quia nullo legitur jure Summo Pontifici reservata, illamque reprobat irritandi quia aperte resistit jus *in Cap. Liceat* 18. *de Regular.* De hinc Pater Didacus ab Aragonia in Generalibus primum negat irritandi votum idem facultatem nisi speciale habeant privilegium *tr.* 2. *Cap.* 8. *n.* 4. Inde in Provincialibus pariter negat *tr.* 3. *Cap.* 8. *n. item* 4. Et tertio Superioribus localibus facultatem eandem irritandi adimit *tr.* 4. *Cap.* 7. *n.* 4. Facultatem tamen dispensandi in casu concedit Generalibus prius *tr.* 2. *Cap.* 8. *n.* 12. Provincialibus etiam *tr.* 3. *Cap.* 8. *n.* 12. ex juxta causa, quia non est votum Religionis absolute, quod dictum est Papae reservatum, sed votum cum limitatione *strictioris* Superioribus localibus denegat facultatem irritandi, idest votum in respective subditis ut retulimus de omnibus: sed his neque concedit facultatem dispensandi, eo quia ait ipse haec potestas ad Generales & Provinciales limitatur *tr.* 4. *Cap.* 5. *n.* 8. *& Cap.* 7. *n.* 11. Addit laudatus Gueber, quod etiam ante ingressum in Religionem vovens strictiorem a Praelato laxioris possit dispensari ut eligat propriam videlicet Religionem laxiorem ipsius dispensantis, quia in casu dispensatio caderet non absolute super votum exceptum Religionis, sed Religionis strictioris *pag.* 710. *dicto secundo n.* 22. Porro ego in suppositione communissima quod irritatio praerequirat dominium, & dispensatio nequeat conferri nisi ab habente jurisdictionem in casu, & concurrente causa mature examinata sine praejudicio melioris sententiae autumarem, super votum transeundi ad arctiorem vel arctiorem absolute eligendi neque irritationem neque posse cadere dispensationem, eo quod vovens quoad hoc sit subditus soli Deo, & praehabita matura deliberatione non est unde deficiat ratio boni melioris in voto: quod totum eruitur *ex Cap.* 18. *Liceat de Regular.* si perpendatur. Nec placet illa voluntaria exclusio quae per Aragoniensem asseritur Superioris localis a potestate dispensandi privilegia, nempe adducta a D. Gueber quatenus vigeant, afficiunt absque distinctione ulla Praelatos Regulares in genere, & cum locales etiam respective nomen possideat & munus Praelatorum, non debere praejudicium pati, clarum est; nisi per jura vel municipalia statuta excludantur, ex multoties repetitis Constitutionibus & Decretis, ut exponit item D. idem Gueber *pag.* 701. *n.* 14.

n. 14. Cum sæculari pariter non adhuc habitu Regulari induto quam jurisdictionem acquirat dubitari posset Prælatus Regularis quispiam, adeo ut valeat respicere illum tamquam subditum dispensando quod propriam eligat laxiorem relicta Religione arctiori quam vovit: cum simus præcipue in casu de potestate Prælatorum Regularium dispensandi super votis subditorum; attamen non potest controverti concessio facta Monachis Congregationis Sanctæ Justinæ inde per communicationem cœteris Regularibus quod Abbates, Priores, Rectores dictæ Congregationis valeant quoscumque volentes eorum Congregationi sociari, *qui Religionem locum vel Ordinem alium quemcumque etiam arctiorem ingredi vovissent, tali voto non obstante ad probationem & professionem recipere eosque auctoritate Apostolica ab ipso voto absolvere, & cum ipsis dispensare*. Sunt verba expressa in Bulla Eugenii IV. incipien. *Etsi quaslibet* n. xi. apud Rodriguez Bullar. ut in fin. De facultate vero dispensandi super votis sæcularium erit pro Regularibus examen non multo post peculiare.

§. I. Item postquam P. Aragoniensis præmiserat *tract.* 2. *Cap.* 8. *n.* 3. Quod ad irritandum votum nulla requiratur causa, cum hoc jus proveniat ex jure positivo quo datur Superiori legitimo potestas dominativa in voluntatem subditi, cujus tamen contrarium nos insinuamus paulo superius *n.* 61. *circa med.* (Nam ad ipsammet irritationem aliquod semper intervenit motivum cohonestans alias non esset ratio cur aliqua possint irritare vota Superiores aliqua non) subdit laudatus Auctor *Cap eodem viii. n.* 6. Quod nequeant Generales ea irritare subditorum vota, quæ de ipsorum licentia sunt emissa vel ab iisdem confirmata, intelligere autem præsumitur quod nequeant licite tantum: inde prosequitur. *Nam si absque causa legitima irritat* (ecce approbat causam in irritando) peccare mortaliter; irritatio tamen valebit &c. quod Prælati tamen successores possint irritare dicta vota esto de consensu prædecessorum emissa propter potestatem dominativam absolutam & independentem a prædecessorum licentia &c. sic ipse. Verum hoc additum assertum parum quoque arridet. Peto namque an potestas dominativa resideat etiam in Prælato primo concedente licentiam? Et non potest non responderi affirmative, si stemus in supposito. Quare ergo non poterit eadem dominativa potestate & ipse uti in licentiæ revocatione? Quod si ob licentiam datam subdito emittendi suum votum insurgat in antecessore Prælato nova ratio non irritandi, cur eidem rationi non debeat attendere Successor pro regulanda sua irritandi potestate, ita quod aliqua emergat differentia inter votum procedens a propria subditi voluntate & factum cum debitis circumstantiis? Hanc rationem pro æquiparanda utriusque Prælati tum antecessoris tum successoris quoad irritationem Voti cum debita licentia emissi, deprehenditur adhibere Doctus Gueber licet longiori sermone in opere de privileg. Relig. *pag.* 696. *dicto tertio n.* 10. *seq.*

§. II. Circa vota deinde facta a Novitiis vel in ingressu Religionis vel tempore Novitiatus independenter a Regulari Superiore sive Magistro tenent plurimi non posse ea per Prælatos irritari, quibus consentit P. Didacus ab Aragonia ibi *tr.* 2. *Cap.* 8. *n.* 10. Ductus ratione quia super illos carent potestate dominativa Regulares ipsi Prælati, quæ ratio saltem debet in omni casu irritationis verificari cum interpretatione juris adnexa eo modo quo paulo ante *n.* 65. *post medium* fuit animadversum; quamvis hæc ipsa ratio videatur claudicare: Nam in Novitiatu inclusi vere potestat dominativæ Prælatorum Religionis reputantur subjici privilegiis respective Ordinis gaudentes, alias non sub Episcopi neque sub Prælati Regularis & sic sub nullius redigerentur dominativa potestate. Concedit tamen ipse Didacus ibidem *n.* 15. posse regulares respective Prælatos commutare omnia vota Novitiorum & super iis dispensare veluti valent Episcopi super subditos; ex privilegio Eugenii IV. in Bulla *Etsi quaslibet personas*: apud Casarub. in compendio privileg. *V. Dispensatio* & paulo ante memorata, prout ad §. 1. *n.* 27. Quam facultatem ait extendi in ipsa Bulla ad Oblatos, Donatos Tertiarios sive Commissos & ad omnia vota etiam peregrinationis Romanæ Hierosolymitanæ & Compostellanæ voto Religionis excepto. Et licet hujusmodi extensio sit contra Felicem Potestatem vota quinque reservata excludentem loc. cit. *n.* 1962. verum eadem met extensio negari non potest, cum in Bulla hic citata Eugenii data Bononiæ *an.* 1436. *pridie Cal. Julii* per me visa in terminis adductis per Aragoniensem privilegium assertum perlegatur. *n.* 9. in Bullar. Rodriguez *pag.* 89. Quicquid autem afferatur circa, hoc omnia vota sive realia, sive personalia etiam reservata expirare & extingui in professione

sione Religiosa affirmant cum D. Th. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad primum*. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto Cap.* 7. *num.* 11. Navarr. in Man. *Cap.* 12. *n.* 65. Pirrhing. in Comp. *lib.* 3. *tit.* 34. §. 5. & clare etiam *ex Cap. Scripturæ de voto juncta gloss.* Nisi tamen ante professionem facta fuissent in favorem tertii ab eoque acceptata, quia in casu dispensatio effectum tertio præiudicialem contra contractum nequaquam quiret habere. Addendum nihilominus quod in casu regressus eorum ad sæculum reviviscant obligationes & vota ante Novitiatum emissa in iisdem Refractariis, secundum expressa in citato privilegio Eugenii & tradita per nos initio sectionis hujus tertiæ *n.* 52. *in fin.* & ex D. Th. *qu. alleg.* 88. *art.* 2. *ad* 1. Sicuti advertendum pariter hic & in omnibus præfatis quomodo vota quæcumque super quibus cadere potest dispensatio, a fortiori commutari queant a respective Prælato, cum potestas requiratur major ac diligentior investigatio causæ sufficientis ad dispensationem quomodocumque explicetur quam ad commutationem Sylvest. *V. Dispensatio qu.* 14. *n.* 20. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6. *Cap.* 26. *n.* 6. Sanchez *lib.* 4. *in Sum. Cap.* 26. *n.* 2. cum communi. Quapropter consulant Doctores ipsi etiam stantibus privilegiis, quoties dubium occurrat de causa vere sufficiente ad dispensandum, tutius fore commutationem adhibere saltem in parte aliquod opus sive onus imponendo eidem dispensato. Sylvest. *V. Votum* 4.*qu.*8.Suarez *lib.*6.*de vot.Cap.*12.*n.*6. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 7. *&c.* Immo quoties commutatio opportune sufficiat non desunt afferentes contra fas Prælatum dispensare. Suarez *lib. dicto* 6.*cap.* 17. *n.* 18. Hieronymus Rodriguez in Sum. *part.* 2. *cap.* 101. *n.* 4. In commutatione autem minime requiri æqualitatem arithmeticam, sed proportionem aliquam sufficere juxta prudentiam Superioris sincere arbitrantis, docent Sylvester ubi supr. de Voto. Suarez pariter *de vot. cap.* 12. *n.*6.& quotquot vidi classici antiquiores atque Collectores moderni; ideoque valere subditum sibi ipsi commutare votum in melius nequaquam in æquale multominus in deterius addunt ex Cap. *Pervenit de jure jur.* Cordub. *in Sum. q.* 49. Suarez *de Vot. Cap.* 19. *n.* 3.*& Cap.* 20. *n.* 4. Nihilominus ad Superiorem recurrere subditum securius semper consulam ego.

67 Altera erat quæsiti n.63. propositi pars. An valeat Superior Regularis dispensare super subditorum juramentis? Cui respondent unanimiter Doctores qui asserunt posse Prælatos dispensare super votis subditorum, valere eos pariter & eodem modo dispensare super juramentis quoties absolute proferantur de aliquo opere perficiendo, vel votis emissis de eadem re superaddantur, nec nos dissentimus explicando dispensationem juramenti pariformiter ac illam super Votum; equalem namque videatur præferre honorem Deo debitum obligationemve in vovente sive jurante, promissio Deo facta vel invocatio Dei in testem: immo si juramentum Voto adjungatur hujus naturam sequi perhibetur, veluti accessorium naturam principalis: Suarez *lib.* 6. *de voto Cap.* 14. *a n.* 14. Sanchez *lib.* 3. *in decal. Cap.* 19.*&* 20. Bonacina *super præcept.* 2. *disp.* 4. *qu.* 1. *punct.* 17. Quatenus autem in Religioso jam professo pronuntientur juramenta in favorem tertii concordantis in iis quæ dependent a Prælatis quod possint ab his irritari, sed nequaquam in iis actionibus aut rebus quæ cadunt sub libera dispositione jurantis, præcipue si irritatio similiter dispensatio aut commutatio vergeret in præjudicium ipsius tertii consentire renuentis, tenent Doctores apud Lezanam *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 53. cui subscribunt moderniores Gueber pag. 714. *Dicto quinto* n. 25. & Didacus Aragoniensis ubi supra tr.2. cap.8. n.16. Cum Prælatus nequeat tollere jus acquisitū tertii super rebus de quibus potest disponere subditus; licet in iis quæ a Superioris voluntate pendent hujus permissio saltem præsumpta requiratur. Cœterum nisi subditus professus in favorem tertii juret se fusurum preces apud Deum, vix invenio ipsum posse promittere cum juramento aut res aut operationes quæ directe vel indirecte quantum ad materiam vel personam non cadant sub potestate Religionis aut ipsiusmet respective Prælatorum; idcirco si hoc motivum sufficiat ad irritandum regulariter juramentum, videtur hujusmodi potestas ad omnia fere juramenta præstita etiam in favorem tertii absque necessaria licentia se extendere, in rebus præcipue quæ aliquid relevantiæ præseferant, non loquendo de minutis quibus juramentum adiicere foret irrationabile & tertius præjudicium exclamans in casu sibi ipsi deberet imputare; perperam namque acceptaret juratam promissionem sibi datam absque licentia præhabita a Religioso voto obedientiæ obstricto, nec acceptatio posset reddere licitum & obligatorium quod ex natura sua ob vetitam circumstantiam non esset tale; ad literam

Tom. 2. Ccc in

in *Cap. Quanto Cap. Venientes Cap. Ad nostram* L. 3. *de jurejur.*; Excipiuntur quidem pacta cum juramento firmata a Religiosis nomine Communitatis vel interveniente ipsomet Superiore, quia ratio mox adducta non militat in similibus casibus. cap. *Qui ex eo de pactis &c.* Porro regula generalis pro irritando juramento erit sane quod sub litus jurans non sit Dominus absolutus propriæ voluntatis sed dependentiâ necessario servans a Superiore sive Prælato sub cujus obedientia vivit, & pro dispensando regula sive ratio urgebit, quod juramentum non fuerit de re omnino licita vel præcipitanter & absque debita consideratione prolatum; ita quod declaret Superior justitiam aut judicium defecisse; necnon sufficiet etiam pro dispensando quod Prælatus ipse suum non præstiterit consensum saltem in re gravi quia ex hoc illicitum posset declarari. Nihilominus quoties subditus de re licita juret quæ alias sit in sua potestate de observantia cogitet utpote agatur circa mentiri non hominibus, sed Deo.

§. I. Post datam resolutionem de votis simul & juramentis cadit controversia circa præcepta signanter Ecclesiastica videlicet non Divino jure imposita: An in his cum subditis valeat dispensare Regularis Prælatus? Nec est negabile posse quoties necessitas instet. Nimirum quoad servandum jejunium Ecclesiasticum, Divinum Officium recitandum, assistendum Choro & Ecclesiæ propriæ functionibus juxta consuetudinem & obligantia statuta, laborandum in diebus festis ex perspicuis privilegiis Eugenii IV. Sixti pariter IV. Julii II. & Sancti Pii V. Romanorum Pontificum. Attento pariter illo generali principio quod valeant Prælati Regulares in hujusmodi dispensationibus præceptorum cum sibi subjectis Religiosis quicquid possunt Episcopi in dictis præceptis necessitate instante dispensare cum subditis propriis, prout cum Divis Thoma Bonaventura & Antonino tradunt Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *Cap.* 12. *n.* 14. *&* 17. Bordon. *tom.* 1. *resol.* 100. *n.* 6. Fragros. *part.* 2. *disp.* 24. §. 7. *&* 15. cum communi & inspecta principaliter sæpius repetita Bulla Sancti Pii V. *Romani Pontificis circumspecta* pro Dominicanis edita aliis omnibus per consequens communicata. Apud D. Confectium Lezanam Passerinum &c. Quibus profecto sic sentientibus ob exhibita privilegiorum documenta & rationes convincentes prompte adhæreo, tantummodo super regula sive fundamento ineluctabili premens, quod dispensationem in omnibus casibus debeat præcedere examen impellentis causæ, defectu cujus illicita illa non modo sed per commune fere Doctorum placitum censeatur invalida ex alibi sufficienter ostensis.

§. II. At Doctrina Canonici Regularis Lateranensis Ruperti Gueber circa potestatem signanter Prælatorum Regularium dispensandi cum subditis super recitatione Divini Officii & Horarum Canonicarum in pluribus nequaquam placet. Non enim approbare queo dispensationem adeo facilem in praxi cum Lectoribus atque Professoribus S. Theologiæ S. Scripturæ SS. Canonum & casuum conscientiæ: immo cum scholasticis qui talibus student facultatibus cum scribentibus libros in lucem edendos quam adstruit P. Andreas a Matre Dei citatus ab ipso Gueber. *tr.* 3. *disp.* 3. *sect.* 3. *pag.* 717. *Dicto primo* nisi in casu quo occupatio in hisce exercitiis sit adeo necessaria per spatium continuum, ut impediat pro illa die omnimodam Divini Officii recitationem; cum alias si spatium tale possit ab occupationibus detrahi, ut valeret obligatus Religiosus laudes Deo sine magno incommodo persolvere, non est dubium, quod cessaret dispensationis justum motivum; prout etiam perpendenda forent verba privilegiorum in casu. Motivum pariter minus sufficiens judicarem ad dispensandum defectus intelligentiæ cum indoctis, qui etsi non percipiant sensum minime impediuntur ad proferendum sonum verborum, veluti contingit in Monialibus. Sed nullatenus admittam laudati Auctoris dictum quintum pag. 724. n. 32. ibi = *Quod possint Regulares in Choro ea quæ secreto dici præscribuntur recitare mentaliter, extra Chorum vero quando soli & privatim recitant etiam totum Officium dicere mentaliter*. Hoc inquam dictum quamvis fundetur super oraculo vivæ vocis non revocato utpote concesso a Leone X. Fratribus Minoribus medio organo proprio nempe Laurentii Cardinalis Protectoris Ordinis: juxta tenorem Bullæ 2. Urbani VIII. incipient. *Alias felicis recordationis*, moderantis revocationem Oraculorum vivæ vocis, apud Reinffestuel *de privileg.* §. *VII. n.* 155. *& seq.* Tamen privilegium ibi relatum non esse usu receptum debemus asserere, immo neque ad praxim reducibile eo quia destruat rationem Orationis vocalis consistentem in officio recitando oretenus; ex Sacris Canonibus Conc. Agathen. Cap. 30. Aurelianen. 3. Cap. 14. de Consecrat. dist. 5. Cap. *Convenit.* Conc. Mediolanen. 1. part. 2. tit. communi &

ni & tit. de Musica. In quibus adducitur declaratur & præceptive confirmatur consuetudo, non modo dicendi sed canendi Divinas laudes quotidie exacte & per omnes horas. Hinc concludere fas est, privilegium quatenus validum suffragari Religioso cuipiam lingua impedito, itaut scrupulis non agitetur, se non satisfecisse excurrendo mentaliter quæ nequiverit voce proferre; aut dicendum cum D. Eusebio Amort in sua accurata additione ibi pag. 727. Quod si de privilegio constet, hoc sit collatum Religioni in communi, quatenus deinde Superiores secundum propriam conscientiam valeant huic vel alio Religioso indigenti id applicare. Atque animadvertere opus est, rationem illam pro subsistentia privilegii ad. ductam: *quod prolatio verbalis præcipue est ut ab aliis intelligatur*, ideoque non substantialiter necessaria in pronuntiante, reperiri quidem in privilegio, sed tamquam deprecatoriam ex parte Cardinalis exposcentis, nequaquam ut approbatam a Pontifice disponente: ut apud Rodericum in Bullar. *pag.* 317. *n.* 12. Minus esse usu receptum debemus addere privilegium transferendi officia breviora aut prolixiora ad alios dies præterquam in Breviario assignatos, ob commodum studendi, concionandi atque Confessiones audiendi; vel asseratur personale in Religiosis vel facultativum in Prælatis quoad dispensationem: apud dictum Gueber pag. 727. pareret namque confusionem maximam in ordine hierarchico hæc translatio voluntaria; adeo ut aliquod commodum peculiare singulorum prævaleret ordinationibus & præceptis circa recitationem Divini Officii uniformem omnibus respective in Ecclesia statutam. *Conc. Tolet.* 11. *Cap.* 3. *de conserv. dist.* 5. *Cap. Convenit Conc. Mediol.* 1. *qu.* 2. *tit. communia*. De isto item privilegio testimonium quidem facit P. Emanuel Rodriquez *tom.* 1. *qu.* 42. *art. V.* tamquam per Leonis X. oraculum elargito: ego vero in Originali oraculorum d. Pontificis emanatorum signanter per Organum d. Laurentii Cardinalis quatuor Coronatorum Protectoris &c. de ann. 1526. 15. Aprilis. Illud minime inveni ut legenti potest constare in Bullario dicti Rodriguez *pag.* 307. *ubi supra*. Opiniones autem hujusmodi asserit quidem esse probabiles Gueber, non tamen in praxi consulendas ut pag. 717. sub n. 33. Quantum itaque ad recitationem Divini Officii & Canonicarum Horarum indubitatum est primo, quod valeat cum subditis Regularis Prælatus ex justa causa dispensare, quicquid cum Clericis Sæcularibus valet dispensare Episcopus ex pluries probatis. Verum præterquam in manifeste impotentibus commendabilior & opportunior erit semper Prælati prudentis commutatio in orationes alias vocales, quam absoluta dispensatio. Legatur laudatus ipse Gueber *tract. III. disp. III. sect. item III. pag.* 717. & *seq. n.* 27. *usq. ad* 31. *inclusive*.

68 Intrat hic quoque quæsitum; quinam sint hi Prælati, quibus potestas competat dispensandi super votis, ac commutandi ea erga subditos proprios; sicut & super juramentis, præceptis Ecclesiæ &c. Eo pacto quo quærebamus idem de Prælatis habentibus potestatem absolvendi a censuris dispensandi super irregularitates, inhabilitates &c. Dicitur autem ad præsens de potestate signanter dispensandi & commutandi, nam de illa irritandi non est dubium, quod competat Prælatis omnibus habentibus dominium super subditos; cum vagetur item extra Ecclesiasticos; possit siquidem inesse Heris respectu famulorum, quandiu veræ servituti censentur addicti Parentibus respectu filiorum; necnon Marito quandoque familiæ capiti in ordine ad dependentem uxorem &c. Doctoribus concordantibus. Potestas item interpretandi in casu ut in plurimum illam commutandi & dispensandi comitatur: juxta explicata n. hujus sectionis 65. nam implicite saltem commutans & signanter dispensans, interpretatum in talibus circumstantiis examinatis & perpensis in cognitione causæ præceptum, atque juramentum nequaquam tenere. Circa dispensationem itaque, atque commutationem votorum & cæterorum ad rem nostram, quæ in jurisdictione fundantur & distinctam considerationem exigunt juxta Doctorum placitum quinam Prælati inter Regulares habent potestatem? P. Didacus ab Aragonia distinctam dat responsionem prius quantum ad Prælatos generales *tr. II. Cap. VI.* affirmativam in casu *n.* 3. & 5. & loquendo de votis & juramentis *Cap. VIII. n.* 12. & 16. legitur etiam *n.* 22. Eamdem quantum ad Provinciales deinde *tract. III. Cap. item* 6. *n.* 3. & 4. *Cap.* 8. *n.* 12. & 15. Et pariter differit quoad Superiores locales *tract. IV. Cap. V. n.* 3. & 4. & *Cap.* 7. *n.* 11. & *n.* 14. Breviter autem hic respondemus, quod omnes Prælati Religionum, tum Generales tum Provinciales; locales etiam, nisi resistant municipales leges, potestate pollent dispensandi in votis justa explicationem da-

tam, nec non juramentis & præceptis Ecclesiæ tanto magis ea commutandi ad usque modo tradita, brevique id ratione probatur; quandoquidem omnes hujusmodi Prælati jurisdictionem possident quasi Episcopalem erga proprios subditos respective ut multoties fuit ostensum; potestas autem commutandi vota, super eis ac juramentis dispensandi ac super cœteris in afferta jurisdictione fundatur. Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 4. *art.* 3. Aragon. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *atq. qu.* 89. *art.* 9. cum reliquis proinde non est, cur ulli ex Religionum Prælatis esto inferioribus ea denegetur Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *Cap.* 10. *n.* 14. *seq.* Navar. in Manuali *Cap.* 12. *n.* 85. Et quantum ad Superiores locales tollit omnem difficultatem, quatenus insurgeret Constitutio, toties decantata S. Pii Romani Pontificis circumspecta disponens, quod quæcumque potestas collata Episcopis per Tridentinum in *Cap.* 6. *sess.* 24. extendatur ad Priores Dominicanorum, consequenter per communicationem ad quoslibet aliarum Religionum Superiores locales: ad normam traditæ doctrinæ superius n. 57. §. I. Pro cujus confirmatione ibi & ad rem nostram hic potest adduci concessio Eugenii IV. in Constit. *Etsi quaslibet*, facta non Cistercienfibus, ut aliqui referunt sed Monachis Sanctæ Justinæ Cassinensibus 31. *Maji de anno* 1476. jam pariter allegata; in qua Abbates & reliqui locales, veluti Priores, Rectores nominantur absque ulla limitatione, etiam extensive ad Donatos, Oblatos &c. quoad potestatem collatam dispensandi & commutandi, in supradictis & pluribus aliis jam discussis casibus, ut videre est in Bullar. Rodriguez *fol.* 88. *seq. n.* 8. 9. & 14. Explicatque eam D. Canonicus Lateranensis Gueber loc. ubi supra *pag.* 706. *n.* 19. *seq.* Potestas insuper hujusmodi in omnibus his censetur ordinaria hinc quod possint illam delegare tenet merito Sanchez in Decal. *lib.* 4. *Cap.* 39. *n.* 12. cum aliis communiter etiam Superiores locales attenta Constitutione dicta Gregorii. *Et si quaslibet* ubi de omnibus Visitatoribus Abbatibus Prioribus Rectoribus exprimitur absolute quod valeant dispensare &c. cum omnibus sibi commissis, *quamdiu in Monasteriis suis aut sub eorum Obedientia vixerint*. Confirmante id alia ejusdem Summi Pontificis Eugenii IV. Bulla incipien. *Regularem vitam*, pro Monachis pariter S. Justinæ Cassinésibus emanata apud Rodriguez *ibidem pag.* 84 *ubi n.* 9. omnibus etiam localibus Superioribus veluti ordinarius & loco ordinarii succedentibus in casu facultas præfata conceditur. Dixi autem attenta Constitutione Eugenii per hanc aliam confirmata. Facultatem namque traditam vigore Constitutionis S. Pii deberent exercere Prælati Regulares quicumque *per se ipsos* & neutiquam per Delegatos, ut in ea exprimitur & ego legi advertitque Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 31. juxta alibi dicta. Qui quidem Auctor addit, quod vota per Prælatos inferiores forte emissa possint dispensari a Prælatis Superioris Ordinis, veluti vota Prioris, vel Guardiani a Provinciali vota Provincialis a Generali, & vix admitti posse vota Generalis dispensari per Confessarium a se electum data prius ei potestate, debeat quandoquidem Generalis comprehendi in iis quæ jure communi conceduntur, alias foret conditionis cœteris deterioris. Ita Cap. *eodem* 18. *n.* 52. Attamen censerem ego, quod nisi interveniret necessitas Confessionis Sacramentalis ex alio motivo, ob commutationem & dispensationem votorum valeret Generalis secum ipso uti potestate qua pollet erga reliquos cognita commutationis & dispensationis causa, eo modo quo conclusum est superius *n.* 63. *circa finem*, sicut & in aliis casibus circa jejunium vestimenta, peculium &c. meliori judicio semper circa hoc me subjiciens. Prout videtur mihi ratio illa, quæ pro Generali probat militare etiam pro Superiore immo locali quatenus non oriatur aliunde resistentia, quod nempe Auctoritate & potestate quam possident ordinariam erga proprios respective subditos, possint uti, tamquam a jure sibi tributa, in favorem proprium personalem ut videtur laudatus Gueber asserere, quamvis terminos generales adhibeat absque necessitate recurrendi ad Superiorem majorem: nimirum ne fiant deterioris conditionis erga semetipsos, ut alias sentit laudatus Auctor in similibus post Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 23. *n.* 8. Eumdemque tuetur sententiam Doctus Gueber. seriem Doctorum allegans, *pag.* 903. *n.* 24. Cum necessaria advertentia quam addit item perspicax ibi Eusebius Amort, quod videlicet ista facultate secum ipsis non possunt uti Prælati Regulares ob privilegium erga sæculares, de quo inferius n. seq. 60. sed propter privilegia recensita erga Religiosos subditos: ex usque modo præostensis & quoad hæc consentit P. Didacus ab Aragonia *tr. III. Cap.* 6. *n.* 12. *Cap.* 7. *n.* 21. & quantum ad Superiores locales *tract. IV. Cap. V. n.* 10.

Cap.

Cap. VI. n. 14. *& Cap. VII. n.* 19.

§. I. Quoties item subditus petat dispensationem, aut commutationem voti a Prælato Superiore; ex. gr. Generali, aut Provinciali & iste neget, quod hoc non obstante possit super voto dispensare, aut idem commutare Prælatus inferior videlicet Prior, aut Guardianus, quia nimirum hi uterentur jure proprio, videlicet potestate sibi tradita a jure, addit cum Sanchez, & Portella Pater Lezana *tom.* 3. *V. Dispensare, sub n.* 2. Nihilominus quod subalternus dispensans quatenus innotesceret sibi voluntas negativa Prælati majoris, a quo regulariter dependet non sine aliqua animositate ageret, & loquendo de subdito quod foret omnino totus agendo contra expressam intentionem Superioris primarii alteri prævalentis dubitarem: Item, si votum subditi confirmaretur a Superiore majori, quod nequiret amplius ipsum irritare Prælatus inferior sine causa, & quatenus sine causa irritaret, quod irritatio foret valida, licet illicita tenet Hieronymus Rodriguez in Sum: *tom.* 4. *Cap.* 136. *n.* 14. quem sequitur Didacus Aragonien. in Dilucidat. qui immo addere videtur, ipsosmet Superiores confirmantes si postea irritent sine causa, mortaliter peccaturos *tr. II. Cap.* 8. *n.* 6. *& tr. iii. Cap.* 8. *n. pariter* 6. Verum hi confundunt irritationem cum dispensatione in qua si nova insurgeret ca usa bene perpensa, non est dubium quod Prælatus idemmet, aut etiam inferior uteretur jure suo, declarando votum attenta urgente causa, non obligare atque eumdem subalternum interpretaretur Superior quicumque major in casu consensurus in talibus circumstantiis. Felix Potestas *n.* 1881. Cautum tamen paulo ante fuit in omnibus istis dispensationibus, quæ per allegatas Constitutiones Prælatis etiam inferioribus competunt attendendas esse municipales leges, quatenus non resistant. In aliqua Religione namque potestas limitari consuevit ad Generales & Provinciales cum exclusione localium & quoque ipsorummet Provincialium ut fortasse in Societate Jesu, ubi omnis potestas per privilegia Summorum Pontificum, absolvendi dispensandi &c. solummodo confertur Generali Præposito, in eoque absolute residet & inde aliis ab ipso distribuitur, ut adnotatum est alibi. In qua profecto suppositione Superiores cœteri excepto Generali, non ordinarii quoad hoc sed magis proprie delegati censendi forent & appellandi. Respiciendum esse itaque ad Constitutiones & consuetudines iterum repeto, ut tutius procedatur.

§. II. Similiter, sicut omnia vota, quæ sub dispensatione cadunt subesse commutationi evidens est & tradidimus paulo ante *n.* 66. §. III. *circa med.* ita facultatem commutandi a jure concessam extendi viceversa ad dispensandum admittunt Doctores plurimi. Sed advertendum, quod facultas commutandi etiam a jure habita non se extendat ad dispensandum simpliciter, sed indirecte tantum & secundum quid, quatenus aliqua causa dispensandi semper interveniat in ipsa commutatione: Nam Prælatus commutans votum &c. in aliquod opus minus difficile & laboriosum, aliqua ex parte dispensat & rigorem juris temperat, ut innuit citatus Gueber *pag.* 894. *n.* 17. Unde vota sive alia Opera onerosa commutationem præcise admittentia propter aliquam levem causam, non ideo posse absolute dispensari censerem, cum in dispensatione causa requiratur urgentior, qua non verificata illicita evaderet dispensatio, immo & invalida ex pluries notatis cum Felice Potestate *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 1917. Pro quibuscumque Prælatis itidem asserunt DD. quod potestatem hujusmodi irritandi dispensandi commutandi exercere queant, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, cum non dependeat a foro Sacramentali & necessitate confitendi peccata. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tr. de vot.* Sanchez *lib.* 4. *decal. Cap.* 43. *n.* 16. *& lib.* 8. *de Matrim. disp.* 34. *n.* 29. Lezana, Felix Potestas eosque sequitur laudatus Didacus ab Aragonia *tr.* 2. *Cap.* 7. *n.* 20. *&c.* Advertit tamen cum Suarez Rodriquez atque Lezana ibi per se citatus Auctor idem Didacus, quod a delegatis potestas dispensandi signanter exequi semper debeat in actu Sacramentalis Confessionis, prout excipiuntur etiam dispensationes a S. Pœnitentiaria mediis ejusdem literis latæ in quibus Pœnitentiç Sacramentum specificatur. Potestatem insuper tum irritandi tum dispensandi atque commutandi posse exercere Prælatos cum subditis etiam extra territorium proprium consentiunt Doctores; eo quia pertineat ad jurisdictionem voluntariam non contentiosam cum Suarez *de censur. disp.* 42. *sect.* 2. *n.* 10. quod ampliant erga subditos etiam absentes, non interveniente tamen neque præsumptive Sacramento Pœnitentiæ: Sanchez lib. 3. de Matrim. Portell. in dub. Regular. V. Dispensare n. 10. &c. Irritationem & magis dispensationem deinde Doctores docent debere esplicari verbis

bis significativis & minime ambiguis quamvis formula præcisa non assignetur: in his ex. gr. terminis: *Dispenso tecum super jejunium quod vovisti in talibus circumstantiis: irritum declaro & decerno votum peregrinationis quod Superiore inconsulto propria tua voluntate emisisti*, & in similibus Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Vot. Cap. 20. n. 3. & 4. & reliqui. Unde quoties Superior pronuntiaret cum subdito: dispenso tecum super omnibus votis, quæ emisisti in quantum possum, & in quibus occurrit justa dispensandi causa, quod non foret dispensatio valida concludunt, utpote non sufficiat nominare in genere causam sed eam in specie & individualiter examinare oporteat ex probatis. Quamvis in irritatione votorum sufficiens foret pronuntiare irrito omnia a te propria voluntate emissa vota: atque Superiore qui ea poterat legitime impedire non conscio, Suarez lib. 6. de Vot. Cap. 16. n. 14. Utcumque tamen tum in dispensando tum commutando, tum etiam ante irritationem perpendenda esse a prudenti Superiore motiva rationabiliter agendi, semper suaderem. In quam regulam demum velint nolint declinant omnes quos legi Doctores. De interpretatione commutatione dispensatione & irritatione votorum agit breviter & diligentissime simul Felix Potestas *tom. 1. part. 2. de 2. præcepto Decal. a n.* 1281. sed hic excerpta sunt quæ proprie pertinent ad Prælatos Religiosorum, de quibus item laudabiliter inter modernos D. Rupertus Gueber de privileg. *tr. 3. disput. 3. sect. 1. & 2.* Et distincte quantum ad Superiores cujuscumque gradus P. Didacus ab Aragonia in dilucidatione *tr. 2. Cap. 8. n. 3. Cap. item viii. & tr. 4. Cap. 7.* Quantum ad dispensationem vero super præceptis Ecclesiæ & aliis a jure mere Ecclesiastico pendentibus sufficiens eruitur resolutio ex datis n. 67. §. 1. ubi refertur potestas collata omnibus indeffinite Prælatis.

69 Hujusmodi dispensativa potestas qua pollent Prælati Regulares erga proprios respective subditos potest considerari ulterius in ordine ad sæculares. Datur nimirum inquirendi occasio, an valeant Prælati Regulares ipsi dispensare cum sæcularibus signanter super emissis per eos votis? De irritatione non est sermo; eo quia dominium erga sæculares quod ad irritandum vota requiritur in dictis Prælatis deficit qua talibus: nisi fortasse alicubi etiam in temporalibus dominentur, ut fuse actum est in primo tomo dub. xii. per sectiones plures. Tunc etenim potestas hujusmodi irritandi in iis mensuranda foret sicut in cœteris vere Dominis respectu sibi subjectorum, ita ut esset locus interpretationi, sive regulæ suppositæ quod non tenerent vota in casibus in quibus specialis dependentia voventis verificaretur erga Dominum non accedente hujus voluntate sive requisito consensu, ut n. 55. innuimus & initio præcedentis numeri 68. De potestate igitur dispensandi quæ fundatur in jurisdictione quatenus limitatum habeamus sermonem: dicendum primo in jure communi nequaquam reperiri hanc jurisdictionem impertitam Prælatis Regularibus qua talibus, dispensandi scilicet super sæcularium votis: in jure ipso namque quantum ad hoc datur potestas Episcopis sive Ordinariis respective, & nomine Ordinariorum erga sæculares non venire Prælatos in casu, quamvis tales reputentur erga subditos Religiosos conveniunt Doctores apud Anacletum Reinffestuel *de Offic. Judicis Ordin.* §. 1. per tot. Quod si aliquoties etiam Prælati Regulares intelligantur comprehendi sub titulo Episcopi, ut autumat ipse Doctor ibi *n.* 25. tamen id posse verificari arguitive tantum in ordine ad sibi subjectos in proprio Ordine est indubitatum. Quatenus deinde asseratur potestas hujusmodi erga sæculares dispensandi nempe super eorum votis competere Regularibus per jus particulare, nimirum ratione privilegii sive Constitutionis cujuspiam Pontificiæ: prætensum privilegium in casu non limitaretur ad solos Prælatos, sed ad quoscumque Confessarios Regulares de facto exhiberetur ampliatum vel ad ipsosmet simpliciter vel ad summum Prælatis propriis deputandos & ab Episcopis respective locorum utcumque approbandos. Ut videre liquet apud Rodriguez *tom. 1. qu. 63. n. 3.* Portell. in dub. Regular. V. Confessarius erga sæculares *n.* 27. Lezan. *tom. 1. Cap. 19. n. 22.* Felicem Potest. *tom. 1. n. 1723. & 1962.*

70 Inspiciendum itaque, an revera Confessarii Regulares quicumque in propria Religione rite instituti & ab Ordinario scilicet Episcopo approbati, hujusmodi privilegio gaudeant, videlicet dispensandi cum sæcularibus super votis jure Ordinario ipsimet Episcopo reservatis? Et affirmant ob allegata ab ipsis privilegia Auctores præsertim mox relati, quos aliosque citat & sequitur P. Didacus ab Aragonia in dilucidat. privileg. *tr. 6. Cap. 6. n.* 8. adducens & ipse privilegium Eugenii IV.

Bene-

Benedictinis, & Innocentii VIII. concessum Minoritis, ubi limitationem dispensandi super votum peregrinationis inter duas dietas dumtaxat, ait fuisse per subsequentes Pontifices abrogatum. Verum hæc sententia dispensationem cum votorum commutatione aperte confundit, & ad summum inspectis aliquibus peculiaribus privilegiis dispensationem insinuat secundum quid non absolutam, ut exactius infra: sistendo siquidem in Constitutionibus Pontificiis communiter mox adductis nequaquam privilegium seu facultas dispensandi super votis sæcularium adeo clare relevat, ut possit sic absolute sustineri, prout etiam advertit diligentissimus P. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 22. Illud nimirum quod legitur per Eugenium IV. impertitum Congregationi Monacorum de Observantia S. Justinæ incipien. *Et si quaslibet personas*, 30. *Junii* 1436. jam superius non una vice quoad alias facultates allatum, aperte loquitur de commutatione non de dispensatione *votorum* in casu adductum etiam ad verbum a P. Rodriguez *tom.* 1. *q u.* 63. *art.* 4. & recensetur Bulla id concedens per integrum in Bullar. ejusdem Auctoris *pag.* 89. ubi quantum ad vota sæcularium permittitur inquam commutatio, dispensatio nequaquam quæ additur circa alios casus. Quatenus autem concedatur per indultum commutatio non ideo dispensationem seu potestatem dispensandi concludi perspicuum est, cum hæc majorem examinandam causam prærequirat, ut paulo superius ostendimus *n.*68. §. *II.* præcipue si potestas commutandi non a jure sed habeatur per privilegium, ut in casu & fatetur laudatus ad Aragonia *tract. iii. Cap.* 8. *n.* 3. Indultum item quod refertur concessum per Innocentium VIII. Minoritis parum ad propositum valere exponit Rodriguez ipse loc. cit. immo fuisse vive vocis oraculum nec authenticum ex Casarub. in compend. &c. ℣. *Absolutio quoad sæculares* 2. *n.* 11. utcumque suspectum de revocatione affirmat Lezana *tom.* 1. *d. Cap.* 22. de facto non constat quod medio organo necessario & proprio sit emanatum ad normam Bullæ Urbani. Duo alia privilegia refert P. Rodriguez loc. mox adducto sed in confuso innixus aliorum testimonio quorum literam invenire nequivi aut authenticum textum. Conceditur equidem per Eugenium IV. non in Bulla citata ab Aragonia sed distincta incipien. *Commissum nobis* data Ferrariæ *V. idus Julii an.* 1438. Abbatibus cunctis Monasteriorum Reformatorum & Reformandorum Regularis Observantiæ Cistercensium præsentibus & futuris, ut ipsi & quicumque alii ad hoc pro tempore deputati Confessarii idonei ad nutum demorantes & amovibiles cum sæcularibus Vota peregrinationis & alia quæcum que per eos emissa quæ commode servare non possint in non reservatis Sedi Apostolicæ *commutare in alia pietatis opera* & cum eis in jejuniis & similibus dispensare *quandiu tamen dicta Monasteria fuerint sub dicta Observantia Regulari*. Proindeque hujusmodi conditio debere etiam verificari putat in participantibus ad dicenda inferius n. 76. §. II. Ultraquamquod potestas ibi quæcumque Confessariis tantum pro tempore deputandis impertita est revera *commutandi vota*: nam dispensatio aperte ibidem cadit super jejuniis &c. Privilegium deinde famosum Pauli III. concessum Jesuitis in Constitutione *Cum inter cunctos* 3. *Julii* 1345. in quo communicant sine dubio Regulares cœteri, tribuit Confessariis Societatis absolute sine dependentia a Generali supposita eorum institutione & approbatione potestatem *commutandi vota*, non autem eam quæ controvertitur dispensandi in illis cum Sæcularibus undequaque ad eos advenientibus, ut fatetur Portella V. *Confessarius Regularis n.* 22. & ego ipse legi signanter apud Rodriguez in Bullar. pag. 354. & apud Felicem Potestatem per extensum *tom.* 1. *n.* 3459. Hinc mirans quomodo idem perspicax Auctor velit Constitutionem citare tamquam continentem indultum commutandi non tantum sed & dispensandi quoad vota, ampliatum deinde quoad juramenta per Gregorium XIII. ut apud eumdem Felicem *tom.*1. *n.* 1723. Sed nec substineri potest assertum Patris Sanchez a Portella relatum & approbatum *V. Dispensatio n.* 19. Quod valeant Confessarii Regulares dispensare cum sæcularibus in Votis Episcopo jure ordinario reservatis, quæ ibi vota recenset; *eo quia Regulares in hoc possunt idem quod Episcopi*. Potestas namque in hoc genere si competat Regularibus ad instar Episcoporum in persona Prælatorum verificatur, qui in jurisdictione Episcopis comparantur & respectu sibi subditorum eorum loco succedunt, non vero respectu Sæcularium quæ ideo potestas absque fundamento in Confessariis simplicibus inter Regulares affirmaretur. Ut magis dilucidabitur in hujusmet sectionis n. ultimo 77. §. un. Et certe mirandum est iidem quod Anacletus Reinffestuel adeo libero consentiat calamo, immo affirmet facultatem inesse Con-

Confessariis Regularibus approbatis omnibus dispensandi in votis non reservatis Papae, eo quia possunt in hoc caso id quod Episcopi *tit. de vot. & vot. adempt. n.* 39. *& seq.* quam facultatem insuper ad casum necessitatis quoad reservata etiam Episcopis jure extraordinario *n.* 42. quamvis non alia documenta afferat ad haec probanda nisi Oracula vivae vocis usque modo examinata vel potestatem commutandi non dispensandi continentia: nempe Innocentii VIII. Eugenii IV. Constitutionem Pauli III. & si quae alia minime authentica. Privilegium ergo in casu tangens Confessarios Regulares omnes debet adduci clarum & non ambiguum cum de re agatur non minimi momenti; dispensatio enim absoluta absque debita facultate & foret invalida & ea absque vera probabilitate utenti culpam inureret non nisi gravem; qua de re consulunt sapienter Doctores Classici etiam privilegium dispensandi probabiliter non negantes, quod a Regularibus Confessariis in hisce casibus adhibeatur utcumque commutatio potius quam dispensatio.

§. I. Canonicos Regularis Lateranensis D. Rupertus Gueber hanc met facultatem dispensandi in votis simplicibus saecularium tribuit absolute Confessariis Regularibus per proprios Praelatos primum deputatos & ab Ordinariis locorum deinde approbatos propter rationes & privilegia mox adducta, quibus addit tamen ipse alia: nempe concessum per simplicem signaturam ab Eugenio IV. suis Lateranensibus, alterum Canonicis Regularibus SS. Salvatoris Congregationis Bononien. a Julio II. per Bullam incipien. *Inter caeteras* 4. *Non. Apr.* 1512. in qua aperte conceditur hujusmodi Congregationis Confessariis quod vota a personis saecularibus emissa in omnibus & singulis casibus &c. in alia pietatis opera valeant commutare *& desuper cum iisdem voventibus dispensare* exceptis tamen &c. similis tenoris elargitum Congregationis Olivetanae Monachis ab eodem Julio & a Leone X. Camaldulensibus: Verum nihil addendum per nos responsionibus datis, nisi quod in adductis & quibuscumque aliis adducendis indultis potestas commutandi vota magis declaretur non autem absolute concedatur illa dispensandi. Cum etenim ex paulo ante praenotatis commutatio votorum contingat regulariter in commodum magis & minus voventium & opera subrogata in compensationem emissi voti sint minoris ponderis & laboris comparative ad imposita per ipsum votum; propterea aliqua dispensatio revera commutationem comitatur ratione cujus justa causa magis & minus praerequiratur etiam illi. Hoc autem clare patefaciunt verba etiam magis relevantia respective privilegiorum si bene librentur; in iis namque nomquam sola dispensatio votorum exprimitur absolute respectu saecularium signanter, sed semper copulative ad potestatem commutandi, ita ut Doctores communiter ii pariter ut praemissum est; qui potestatem dispensandi non refutant, consulant saltem quod absolute a Regularibus Confessariis respectu saecularium dispensatio non adhibeatur in praxi absque commutatione juxta diversitatem causae moventis respective necessaria saltem congrua. Et hoc idem suadet Confessariis ipsis Regularibus in hujusmodi facultatis usu laudatus ipse Gueber *tract. iii. disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 28. *&* 31. Quatenus vero de privilegio hujusmodi claro & authentico constaret ut enixe inter alios tuetur Bordonus *tom.* 1. *resol.* 15. *n.* 2. Aut admittatur extra controversiam privilegium commutandi admixtum juxta exigentias & opportunitates dispensationi cum voventibus, concederem extendi ad vota etiam quinque Summo soli Pontifici reservata, quoties ratio reservationis in ipsismet bene perpensis deficeret; quae quidem reservationis ratio deficeret revera in pluribus casibus assignatis & recensitis per Tambur. *lib.* 3. *in decal. de voto Cap.* 16. Bordon. *tom. d.* 1. *resol.* 15. Ant. a Sp. S. *in Direct. Regul. tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 81. Felic. Potest. *tom.* 1. *n.* 1998. *& seq.* Nec non distinctissime per Rupertum Gueber loc. cit. *sect.* 3. *n.* 36. & deinceps per plura dicta & compendiose referuntur item ab Aragonio Didaco in Dilucidat. *tr.* 6. *Cap.* 6. *n.* 10. continenturque omnes sane casus in hac universali regula: Non affici Pontificia reservatione vota illa quinque: *Castitatis simplicis, Religionis, Peregrinationis Romam, Compostellam atque Hierusalem.* Quoties non sint *certa determinata, perpetua, absoluta & perfecta*, termini vero a dictis Auctoribus fusius quam praesens patiatur opus explicantur; licet alioquin in suppositione deficientis alicujus conditionis ex praefatis ad reservationem utique necessariis, non sistemus amplius in quaestione: num Confessarii Regulares possint vota Summo Pontifici reservata in Saecularibus commutare vel dispensare? non enim reservata amplius censerentur verificato defectu juxta commune Doctorum.

III.

§. II. Occurrunt nihilominus difficultates in hoc eodem numero & articulo per distinctos alios paragraphos resolvendæ. Prima videlicet. Utrum verificatis conditionibus singulis ad reservationem præfatam requisitis valeant adhuc in aliquo casu Confessarii Regulares commutationem adhibere aut dispensationem, eo modo quo explicata est & admittitur dispensatio super vota illa quinque pro quibus ad Sanctam Sedem jubetur reservatus ipse recursus? In casu puta urgentis necessitatis ob maximum imminens scandalum aut ingens proximi detrimentum cum impossibilitate Apostolicam adeundi Sedem? Et respondent pro majori parte Doctores: in eo casu recurrendum fore ad Episcopum tamquam Pastorem proprium & legitimum Ovium sibi concreditarum scilicet sæcularium subditarum & subintrantem a jure loco Papæ ut ingenue fatetur inter alios Felix Potestas n. 1965. Omnia siquidem vota sæcularium dicuntur in genere reservata Episcopo jure Ordinario, nimirum tamquam habenti ordinarium jus super illa utpote a subditis propriis emissa privative quoad alios. Speciali tamen jure reservata censentur illa, quæ directe & expresse reservantur revera soli Papæ ut sunt quinque præfata cum suppositis requisitis: ita & taliter ut in casu necessitatis & impossibilitatis saltem moralis recurrendi ad ipsum Pontificem Summum, detur solis Episcopis jus interpretandi, quod minime obligent in iis circumstantiis atque angustiis & quod attendi nequaquam debeat, utpote inexequibilis reservatio: inde declarandi, quod Sæculares pro eo tunc ea adimplere non teneantur; & sic in opportuniora pietatis opera commutandi. Videatur Felix Potestas *tom.* 1. *de vot. n. cit.* 1965. *&* 1998. *seq.* Ant. a Spir. Sanct. in Direct. Regul. *tr.* 2. *disp.* 3. *n.* 7. Tambur. de vot. post Suarez, Lessium, Basilium, Sanchez, Castropalao, Trullench & plures alios. Urget, hoc non obstante D. Gueber, contendens hujusmodi potestatem dispensandi, ut ait ipse, super votis quinque utcumque Papæ reservatis, inesse Confessariis Regularibus in casu præcisæ necessitatis & impossibilis accessus ad Sanctam Sedem; idque probare nititur ex vi privilegiorum hisce Confessariis concessorum permutandi & dispensandi quæcumque vota eodem pacto, quo permutare & dispensare valet Episcopus. Cum ergo valeat Episcopus commutare & dispensare Sæcularium vota etiam reservata quinque in casibus præcisæ necessitatis & impossibilis accessus ad Summum Pontificem, cur non poterunt, concludit hoc idem peragere eadem facultate pollentes per privilegium, Confessarii Regulares? Nec obiiciendum, subdit, quod Regulares facultatem possideant agendi in hac votorum materia quidquid perficere queunt jure quidem ordinario Episcopi, sed quoties agant jure delegato, quod eis confertur in casu, quoad vota reservata quinque; ideoque jus idem non possit extendi ad ipsos Regulares; ordinariam namque probare non desinit esse potestatem Episcopi etiam in casibus votorum quinque reservatorum in data hypothesi impossibilitatis &c. & nullibi inveniri in jure eis commissam tamquam delegatis. Proinde quatenus concedatur per privilegium præfatis Confessariis eademmet Episcoporum potestas ordinaria, non posse negari, concludit, hanc eis competere respectu votorum utcumque reservatorum in casibus maxime urgentibus uti supra. Et ultra auctoritates, privilegiaque allegat celebrium revera Doctorum, tum antiquiorum tum recentiorum nobilem copiosamque catervam in Sectione cit. III. dicto septimo, *n.* 48. *seq.* Huic porro doctrinæ, pace eruditissimi alias viri replicamus; diversam in Episcopis ac Confessariis Regularibus ad propositum considerandam omnimode fore rationem: Episcopis namque potestas super vota Sæcularium subditorum a jure, & Regularibus quantum ad hoc ingredientibus alienas partes per privilegium. Et ulterius in privilegio ipso, ut legenti liquet; vota reservata Summo Pontifici quinque absolute & sine ulla modificatione excluduntur; ita ut super eadem excepta ipsi Regulares esto privilegiati, nullatenus media commutatione aut quomodocumque prætendatur, dispensatione disponere valeant. tanto magis, quod nequeat trahi privilegium extra literam in præjudicium tertii: scilicet Episcopi prætendentis a jure privativam. *Ex Cap. Licet* 12. *de Off. jud. Ord. Cap. Certificari* 9. *de sepult. Cap. Quamvis* 8. *de rescript. in* 6. *Cap. ex tuarum* 5. *de auct. & usu Palii ubi* Gloss. *V. permittat*, signanter ex Cap. *Super eo de Off. jud. deleg. & Cap. sic nobis de confirm.* Ad tradita item per Anaclet. Reiffenstuel de rescript. §. 3. *n.* 132. *&* §. 4. *n.* 142. Nec non per ipsummet laudatum Gueber *tr.* 1. *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 37. *&* 38. Potestas deinde Episcopis in his casibus competens, licet non appellaretur delegata, quatenus tamen etiam ordinaria potest con-

considerari specialis & ipsissimet privative propria: ut patet in hoc ipso genere reservationis casuum & maxime censurarum, quatenus Episcopus potestatem suam in ea exerceat ordinariam sane, sed specialem & utique in commissionibus generalibus comprehensam, nisi specialiter demandetur. Et haec Episcopos inter & Regulares vergit differentia, quoad absolutiones si & quatenus dispensationes commutationesve reservatorum in ordine ad subditos Saeculares: quod Episcopis omnis potestas competat a jure, nisi per Apostolicas Sanctiones legatur sublata; propterea que quoties impedimentum & restrictio auferatur, reditur cum eis ad proprium jus. Confessariis veruntamen Regularibus competat nullatenus nisi per privilegium & in quantum privilegium literaliter se extendit. Absque eo quod habeat locum replica quod privilegium disponendi per commutationem,& si & quatenus per dispensationem votorum sit amplae interpretationis utpote in materia favorabili fidelibus omnibus; secundum Lessium *lib. 2. de vest. & cur. cap. 42. n. 60. &* 102. Reinffest. de Rescript. n. 139. Hinc comprehendat etiam vota quae reservaverit ipse Episcopus vel Synodus. Patet siquidem limitari hic controversiam ad nota solummodo illa quinque reservata expresse soli Papae. & deinde in casibus peculiaribus accessus impossibilis ad Apostolicam Sedem reservata speciali jure & non jure communi tantum Episcopis respective. Felix Potest. num. ubi supra 1965. &c. Legatur & perpendatur doctissimus Rodriguez *tom. 1. qu. 63. art. VI.* Quantum ad vota denique poenalia quamvis haberent Regulares potestatem dispensativam juxta relatam plurimorum sententiam, suadent nihilominus Doctores passim adhibendam esse commutationem: Portella signanter loc. ubi supra, nimirum permutando poenas ad quas se obstrinxerit vovens in alias ipsi magis accomodabiles. At commutationem hujusmodi non exigere commensurationem arithmeticam jam fuit dictum & explanat laudabiliter Felix Potestas assignando in specie commutationes exequendas seu permutationum praxim juxta casuum diversitatem *tom. 1. n. 1931. usque ad 1956.* Necnon de commutatione praecise votorum hujusmodi in Saecularibus agit egregie Canonicus Regularis Gueber *tract. 4. disp. 3. sect. 2. per tot.* in nullis quoad hoc a nobis discordans.

§. III. Nec altera est omittenda difficultas in praesenti materia Saeculares tangente. Utrum scilicet respectu Saecularium gaudeant etiam privilegio Confessarii Regulares dispensandi ut supra & commutandi quatenus vota sint jurata & juramento confirmata? Et circa dispensationem si nequeant hanc absolute adhibere cum Saecularibus super votis libere emissis de meliori bono praecise sumptis, quod tanto minus poterunt aperte constat si conditio addatur juramenti: Quamvis namque non minorem pariat obligationem votum comparative ad illam quam juramentum praefefert. Deus enim Optimus Maximus idem est, cui spondet vovens & quem vocat jurans in testem & parem hinc irroget ipsi injuriam frangens fidem & eummet adhibens in testem false; attamen utramque injuriam inferens addit sine dubio malitiam actui in confessione necessario explicandam. Si ergo non possit admitti ratio dispensandi absolute super voto revera ut tali cum omnibus requisitis emisso sic dispensationem absolutam & totalem autumamus non posse cadere super juramentum in re licita libere praestatum & voto adjunctum. Nam quoties de re illicita ageremus, nullatenus esset locus dispensationi, sed declarationi quod nullum foret & minime obligaret. Et ita aptius concluditur posse materiam juramenti aliquo interveniente motivo permutari sicut & voti. Et quia commodum intenderetur utrobique voventis atque jurantis, aliqualis semper dispensatio assereretur intervenire concomitans. Privilegium deinde quod adducitur Gregorii XIII. in Const. incipien. *Decet Romanum* 3. *Maii* 1575. extendentis potestatem traditam Jesuitis super vota Saecularium ad ea etiam quae sint jurata, scilicet per juramentum superadditum confirmata referente Rodriguez *tom. 1. qu. 63. art. 4.* & Felice Potestate *n.* 1723. manifeste legatur pro commutandis & absque mentione dispensationis &c. ut notavimus ante §. 1. in hoc eodem *n.* 70. & legi potest in eadem Bulla apud Laertium *tom. 2.* Quod si quaeratur, an ipsamet facultas Regularibus Confessariis insit respectu Saecularium, quantum ad juramenta per se sola & non addita respective votis? Respondetur: *Affirmative*: nimirum posse Confessarios dictos permutare juramenta etiam a votis disjuncta: seu materiam, super quam juramentum praecise cadat in alia bona opera congrua & bene visa. Et ratio relevat ex ipsomet Gregorii allato privilegio, nam si extendit Summus Pontifex in eo facultatem commutandi vota etiam ad ea quae sint juramento juncta,

cta atque firmata, constat evidenter ultra vota ampliari ad juramenta, & sic non progredi ultra privilegium eos, qui juramentum vel conjunctum vel separatum a voto, scilicet materiam ejus modo explicato commutant. Ita differte D. Gneber loc. cit. *pag.* 938. *dicto primo* & subsequentibus; Ubi vult, quod hujusmodi facultas in Confessariis Regularibus in ordine ad Sæculares respiciat juramenta quoque facta in commodum sive favorem tertii, tum hominis tum Ecclesiæ, dummodo non sint legitime acceptata *n.* 60. & 61.

71 Superest examinanda pariter potestas quæ tribuitur Confessariis Regularibus a Doctoribus fere communiter dispensandi cum conjugibus supra jus amissum petendi debitum? Et necessarium est præmittere, quomodo hujuscemodi jus deperdatur ex triplici capite, 1. per votum simplex castitatis emissum ab alterutro conjugum ante Matrimonii celebrationem, 2. per votum ab utroque conjuge mutuo consensu editum de castitate servanda post Matrimonium consummatum. 3. per incestum effectu completum ab alterutro conjugum cum affini in primo, aut secundo gradu. Qua distinctione præmissa valde sunt implexi Doctores in solutione quæsiti. Felix namque Potestas absolute concedit posse præter Episcopos Generales Religionum & Provinciales & de eorum commissione Confessarios simplices Regulares dispensare ad petendum debitum, tum in casu affinitatis per incestum post Matrimonium supervenientis, tum in casu voti simplicis Castitatis ante Matrimonium deinde contractum, cum onere tamen monendi pœnitentem in casu voti præcedenter emissi, quod non sit ei licitum nubere cum altero aut altera in suppositione conjugis decedentis, nam adhuc respectu alterius vigeret votum, sicuti de sacrilegio committendo quoties peccaverit cum alia persona præterquam cum vivente conjuge, aut semet pollueret. Ita *tom.* 1. *de Sacr. Matr. n.* 4302. ubi Dianam aliosque citat: excluditque ab hac facultate Superiores locales, nisi iis a Generali aut Provinciali committatur, cum hisce tantum sit concessa per Sanctum Pium V. Addens quod ab ipsis Generali, Provinciali & deputatis Confessariis in Sacramentali Confessione dumtaxat adimpleri queat, cum id exprimatur in privilegio, quod tamen distincte non adducit, nec mentionem facit de impedimento orto ex voto post Matrimonium emisso de communi & mutuo consensu a conjuge utroque *n.* 4303. & 4304. Antonius a Spiritu Sancto tenet, posse Provinciales deputare Confessarios ad dispensandum cum conjugibus incestuosis in primo & secundo gradu post Matrimonium contractum super jure deperdito petendi debitum ex concessione Martini V. Monachis Benedictinis quam postea confirmaverit Julius II. nec non S. Pius V. Quoties vero tale jus petendi debitum non per incestum sed fuerit deperditum ratione voti præmissi ad Matrimonium, tunc posse subdit dispensationem a Confessariis simplicibus adimpleri absque commissione sibi tradita a Prælatis propter potestatem quam habent Confessarii Regulares quicumque dispensandi supra votum simplex castitatis non perfectum neque absolute emissum ut contingeret in casu, nam votum foret servandæ castitatis solum in parte puta quoad petendum debitum & non integre cum obligatione non petendi neque reddendi in Direct. Regul. *tr.* 2. *disp.* 1. *n.* 110. De Prælatis deinde localibus Abbatibus, Prioribus, & cæteris asserit posse eos deputare quatuor Confessarios proprii conventus ad nutum removendos qui valeant in Ecclesia ejusdem & extra dispensare super jure petendi debitum &c. cum incestuosis uti supra, non loquens de impeditis ratione Voti propter concessionem præcipue Julii II. a se citatam n. 111. At P. Lezana parum fideliter citatus a d. Ant. a Spir. Sanct. assert *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 25. sententiam aliorum quidem, quod Confessarii Regulares possint dispensare cum conjugibus incestuosis uti supra post contractum Matrimonium ad petitionem debiti ex privilegio Martini V. concesso Benedictinis & confirmato a Julio II. nec non a S. Pio V. per vivæ vocis oraculum quod literaliter adducit Fratribus Minoribus. Advertit tamen omnia vivæ vocis oracula esse expresse abrogata per Urbanum VIII. ut nos supra adnotavimus & ipse præmisit *Cap.* 3. *n.* 21. Unde parum firmitatis infert secum ferre dictum Oraculum S. Pii: sicuti dubitans esse item vivæ vocis oracula concessiones allegatas Martini V. & Julii II. concludit cum Corduba consultius fore hujusmodi concessionibus Confessarios Regulares non uti. Idem repetit ibi n. 26. quantum ad assertum pariter aliud oraculum ipsiusmet S. Pii pro facultate dispensandi super dictum jus petendi debitum impeditum a voto emisso castitatis aut ante Matrimonium aut post ipsum contractum: nimirum quia hujusmodi oracula hac nostra

stra tempestate reputantur communiter abrogata, hinc deficiat ejusdem dispensativæ facultatis allegatum fundamentum: Nihilominus *tr.* 3. V. *Affinitas* agens de privilegio dispensandi super jus petendi debitum deperditum signanter causa incestuosi coitus, rejecta concessione asserta per vivæ vocis oraculum Innocentii VIII. Fratribus Minoribus, neque admissa concessione Sancti Pii V. item Minoribus, utpote fuerit & ipsa oraculum vivæ vocis; similiter ob eamdem rationem saltem dubiam, quod fuerit simplex oraculum concessio Martini V. neque huic acquiescens, adhærere videtur privilegio Julii II. utpote vivæ vocis oraculum revera nequaquam extiterit, sed potius rescriptum Cardinalis summi Pœnitentiarii de mandato ejusdem Pontificis Julii II. editum: ut constat ex Bullario Rodriguez in Constitut. Inter alias Julii II. n. 23. & ego ipse legi.

72 Plura tamen animadvertenda suggerit laudatus Lezana in allato rescripto, quatenus idem vim Pontificii indulti præseferat licet oraculo tantum vivæ vocis demandatum. Nimirum, quod concessum fuerit Monachis Monasterii Sancti Benedicti Congregationis Vallisoletanæ Prioribus quidem & Præsidentibus primo de hinc tribus aut quatuor etiam Monachis idoneis per ipsos pro tempore deputandis & ad nutum revocandis. Ex quo deducit non quemlibet Confessarium inter Monachos sed deputandos specialiter indulto frui qui etiam supponantur docti & prudentes veluti idonei ad id muneris inter cœteros. Sufficere tamen notat attento eodem indulto quod designentur apti Confessarii a Superiore locali nec requiri dependentiam a Provinciali sive Generali; sicut & non posse ipsomet uti deputatos extra Sacramentum Confessionis, cum exprimatur in datis literis summi Pœnitentiarii: *quod debeant Confessarii diligenter audire & penitentibus penitentiam salutarem injungere*. Insuper addit laudatus Auctor ratione concessi indulti expirare facultatem in deputatis amoto Superiore deputante cum ii declarentur ad nutum amovibiles: gratia etenim quæ confertur ad nutum expirat defuncto vel cessante collatore, quod tamen addo ego difficultatem pateretur nisi Superior alter succedens deputationem revocaret vel in alios a se de novo electos transferret: juxta tradita *tom.* 1. *dub. x. sect. iii. n.* 35. Ulterius eodem indulto minime posse uti deputatos nisi in Ecclesia ubi facultas eorum delegatur, ut ibidem. Hæc circa privilegium assertum ratione rescripti dati a Cardinale Summo Pœnitentiario de mandato Summi Pontificis Julii II. E contra in suppositione quod vigeret privilegium assertum ob oraculum Sancti Pii V. in favorem Fratrum Minorum, quantum ad dispensationem super impedimentum hujusmodi petendi debitum ratione patrati incestus: advertit cum aliis præfatus Auctor; quod juxta privilegii tenorem eo uti possent Confessarii illi dumtaxat, qui assignarentur a Provinciali; Superiore locali excluso: facultas tamen perduraret in ipsis etiam deficiente eo qui concesserit, quia non confertur ibi ad nutum; ipsaque uti possent Confessarii etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, quia exprimitur ibidem *in foro conscientiæ*, quod procedit ultra sacramentale ex dictis alibi; similiter indultum in casu Sancti Pii non limitat facultatem Confessariis per Provinciales utique concedendam ad Ecclesias aut Domos in quibus actu degant, dummodo sint Viri Docti & ab Ordinario ad Confessiones audiendas respective approbati. Hæc apud Lezanam citatum *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 25. ex Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 63. *art.* 7. Hujusmodi autem doctrina tangit principaliter repeto impedimentum ortum ex coitu incestuoso, de quo in Rescripto Julii II. & allato peculiari privilegio Sancti Pii.

§. I. Canonicus vero Lateranensis Gueber in hoc etiam articulo magis distincte & absolute pronuntiat tract. 4. disp. 3. sect. v. & ult. inesse Confessariis Regularibus facultatem dispensandi cum conjugibus super jus alias amissum petendi debitum conjugale, vel ratione voti ab alterutro conjuge emissi ante Matrimonium jure contrahendum sive contractum & nondum consumatum, vel ratione incestuosi coitus cum affine in primo & secundo gradu, excludens dumtaxat in sententia probabili a dispensatione impedimentum relevans ex voto ingrediendi Religionem factum pleno consensu ab utroque Conjuge post Matrimonii celebrationem. Nititurque asserta probare, quod videlicet possint dispensare super impedimentum exortum & restituere jus amissum ratione præcedentis voti, probare intendit per privilegium distinctum S. Pii citatum ut mox diximus etiam per P. Lezanam n.71. prope fin. in quo distincto privilegio clare exprimitur facultas concessa Fratribus Minoribus & inde communicata cœteris dispensandi super dictum impedimentum ex voto præmisso. Et licet pri-

privilegium idem nonnisi vivæ vocis oraculo prodierit tamen ratione confirmationis adjunctæ postea a Summis Pontificibus per Bullas plures omnium privilegiorum sive per literas *sive per oraculum vocetenus* obtentorum evaserit privilegium bullatum : ideoque subdit quod in revocatione edita per Gregorium & Urbanum Pontifices minime comprehendatur: Insuper quia talem facultatem dispensandi super jus amissum ad petendum debitum ratione voti habent Episcopi si non a jure per consuetudinem quæ facit jus, ipsa igitur potiantur Confessarii Regulares qui possunt quantum ad dispensationes totum id quod Episcopis competit jure ordinario : adducitque Auctores pro se *n.* 64. & 65. Potestatem similiter dispensandi super idem jus petendi debitum deperditum ex alio capite copulæ incestuosæ adstruere autumat ob adductum itidem indultum Sancti Pii V. superius memoratum & Fratribus Minoribus de Observantia pariter concessum, quod propter confirmationes subsequentes Summorum Pontificum ex oraculo transierit & ipsum in privilegium bullatum: idcirco neque revocationibus Gregorii d. XI. atque Urbani VIII. nullatenus subjaceat . Ulterius replicat privilegia authentica sive Constitutiones legitimas tum Eugenii IV. tum Julii II. in quibus tribuitur Regularibus potestas in genere scilicet in omnibus & singulis casibus dispensandi cum voventibus & inter casus singulos asseverat deprehendi perditum dictum jus petendi debitum ob violationem voti ; ibi *n.* 67. Verum afferta hujusmodi & rationes quibus probare ea tentat laudatus Gueber breviter & efficaciter simul impugnare prætendunt contrariæ sententiæ Sectatores . Etenim Sancti Pii Oraculum de facultate dispensandi super impedimento orto ex præmisso voto castitatis cadere affirmant sub revocatione generali Gregorii XIII. & Urbani VIII. revera absque eo quod juvet fuisse idem & similia oracula confirmata per Bullas subsequentes; nam quatenus vim haberet hujusmodi replica nulla oracula fuissent vigore revocationis sublata nisi posteriora ad Paulum Papam. V. qui talem confirmationem generalem privilegiorum etiam per oraculum concessorum ultimus dedit. Et etiam attenta ratione eo quia scilicet non desierint esse oracula non obstante confirmatione ipsis adjuncta proinde per revocationem expressam omnium oraculorum quomodocumque ante Urbani Bullam obtentorum, non possit negari & ipsa aboleri . Aliud autem effatum quod Confessarii Regulares potiantur facultate circa hujusmodi dispensationes quæ jure ordinario competit Episcopis respectu Sæcularium subditorum, est id quod controvertitur & absolute negatur a contrariis ipsis qui concedunt tantum Regularibus in hisce materiis potestatem in privilegio authentico & indubitato expressam, ut distinctius patebit ex doctrina adducenda postmodum num. 77. §. unic. Facultatem pariter dispensandi super impedimentum aliud relevans ex incestuoso concubitu responderent sentientes oppositum insufficienter probari per oraculum itidem adductum Sancti Pii paulo superius examinatum *n.* 71 *circa med.* & de revocatione valde suspectum . Ut clarius infra . Bullæ item allegatæ ad hoc intentum Eugenii IV. & & Julii II. concedentes privilegium commutandi & dispensandi cum voventibus in omnibus & singulis casibus, quod nequeant ad libitum adhiberi repeterem contra Episcopos habentes privationem a jure respectu suorum subditorum : neque extendi ad casus non expressos, immo disparatos veluti est dispensatio ad jus petendi debitum diversa admodum a dispensatione super votis ipsis. Ultra quam quod relatæ Bullæ disponunt super potestatem commutandi vota & si & quatenus dispensandi super iis & sic esto indirecte posset præsumi ex iis facultas dispensandi super impedimento petendi debitum causato ratione voti : nequaquam ultimate extendi adderent ad dispensationem impedimenti disparati resultantis ratione incestus, ut prætenditur in casu : Arripere deinde rescriptum Cardinalis Ludovici Summi Pœnitentiarii de mandato Julii II. pro incestuosis est manifeste prætergredi dictas Bullas quæ agunt dumtaxat de dispensatione cum voventibus aut impeditis ratione Voti . De quo etiam infra .

§. II. Pater postmodum Didacus ab Aragonia in dilucidatione privilegiorum *tr. VI. Cap.* 6. *n.* 12. & seq. de Confessario agens Regulari hujusmodi facultatem dispensandi cum incestuosis Conjugibus post contractum matrimonium Confessariis Regularibus revera tribuit, sed ex commissione eis demandanda per Provinciales adducitque simul cum caterva Doctorum privilegia supra recensita Martini V. Julii II. pro Benedictinis necnon S. Pii V. pro Minoribus cujus ultimum servari authenticum testatur in Conventu Aracœlitano apud Commissarium generalem Curiæ in ejus Archivio . Non distinguit tamen formam diversam tum in concessione ser-

va-

vatam tum servandam in usu unius & alterius indulti: nempe illius Julii II. per rescriptum Cardinalis Pœnitentiarii & alterius S. Pii V. quatenus valeat eo modo quo in hoc eodem *n. 72. ante §. I.* retulimus explicari per Lezanam, quam etiam Aragoniensis perperam pro se citat, eum oppositum potius is insinuet in Cap. allegato 19: *n. 25. tom.* 1. Nam non expirare facultatem ait absolute Aragoniensis in Confessariis deputatis mortuo etiam vel remoto concedente: quod verificari tantum vigore privilegii S. Pii quatenus subsistat non vero per aliud Julii II. cautum fuit per Lezanam: sicut & in aliis discrepat. Sed principaliter addit ibi Aragoniensis n. 13. valere dictos Confessarios Regulares approbatos de licentia Provincialis expressa dispensare ad petendum licite debitum non solum ob impedimentum commissi ab alterutro incestus, verum cum Conjugibus insuper qui post emissum votum castitatis matrimonium inierint vel post contractum matrimonium castitatem voverint, & allegat ad probandum assertum privilegia eadem Martini V. Julii II. & Sancti Pii V. mox relata Attamen contra hujusmodi doctrinam militat aperte sensus & explicatio P. Emanuelis Rodriguez *tom.* 1. *cit. q.* 63. *art.* 1. Ubi doctissimus Auctor privilegia Martini V. & Julii II. fatetur valere dumtaxat quoad dispensationem cum conjugibus post matrimonium initum incestuosis & non quatenus castitatem voverint, ut ampliat Aragonien. ut percipere liquet legentibus verba privilegiorum apud dictum Rodriguez juxta sensum itidem P. Lezanæ paulo ante relatum. Sicut & privilegium S. Pontificis Pii impertitum Provincialibus pro deputandis Confessariis Viris doctis ad dispensandum cum incestuosis distinctum ostenditur per eumdem P. Rodriguez ab alio dispensandi cum impeditis causa voti nec est unum & idem oraculum prout a laudato Aragoniensi pro uno & eodem assumitur. Concessum namque a Sancto Pontifice ad dispensandum cum incestuosis emanasse refertur *die* 29. *Aprilis an.* 1569. & aliud respiciens jus deperditum causa emissi voti datum legitur sub *die* 26. *Octobris* ejusdem anni: apud solertem Gueber pariter *n.* 64. *&* 65. *pag.* 946. *&* 949. Ulterius facultatem præstitam a D. Pio Provincialibus deputandi viros doctos Minorum Fratrum & dehinc cœteris Regularibus communicatam; ad hoc ut sic deputati dispensare quirent super jus petendi debiti conjugalis deperditum ratione emissi voti castitatis, limitari ad votum factum ante matrimonium contrahendum ab alterutro conjugum testatur laudatus ipse Rodriguez & ita literaliter contineri in indulto quis legere potest. Quoties vero ab utroque conjugum de unius & alterius consensu post matrimonium contractum sive consumatum sive non, votum sit editum concludit, minime posse vi privilegii ejusdem adducti, super exortum inde impedimentum præfatum Confessarios Regulares dispensare, sed Episcopum a jure, non enim possunt verba privilegii ultra literam indebite trahi. Ita doctus ingenuusque Rodriguez *qu. d.* 63. *art.* 2. Sed evidenter idem constat replico perlegenti verba privilegii distincti utriusque, dispensandi scilicet cum impeditis ad petendum debitum conjugale vel ratione incestus vel ratione voti ante Matrimonium a viro vel muliere editi, in Bullario ipsiusmet P. Emanuelis Rodriguez *tit. Vivæ vocis oracula S. Pii V. n.* 9. *& n.* 12. *pag.* 818. & ego legi.

73 Quid igitur sentiam ego in hac controversia per tot citationes aut erroneas aut dubias agitata immo firmata a Doctoribus, qui unus post alterum abeuntes in sententiam affirmativam declinant? potestatis scilicet insitæ Confessariis simplicibus Regularibus dispensandi super impedimento petendi debitum in conjugibus? Dicam primo non sufficere allegare turbam Doctorum, quorum unus ut comperi ab altero transcribit; sed opus esse authenticis documentis ac privilegiis ad potestatem hujusmodi probandam, cum nequeat competere Regularibus, nisi per indultum & alioquin sit de jure Episcopi respectu ovium suarum: & hoc est manifestum. Dicam secundo. Quatenus documenta superius adducta & privilegia in ipsis contenta admittantur, competere facultatem hujusmodi dispensationis primario & principaliter Superioribus etiam localibus, inspecto rescripto Cardinalis Summi Pœnitentiarii jussu Summi Pontificis Julii II. edito, ubi facultas ipsamet expresse tribuitur *Abbatibus, Rectoribus & Præsidentibus*; & dehinc non omnibus Confessariis: *sed tribus vel quatuor ab ipsis pro tempore deputandis*; habetur initio ipsiusmet indulti ut apud Rodriguez in Bullario *pag.* 264. *col.* 2. Lezan. *V. Affinitas n.* 4. In oraculo autem citato S. Pii V. pro Fratribus Minoribus, licet exprimatur quod possint Ministri Provinciales committere *Viris Religiosis & Doctis*: (non quibuslibet Confessariis) quod possint dispensare in foro conscientiæ tantum cum Conjugibus incestuosis super deper-

deperditum jus ad petendum &c. ut ibi *pag.* 428. in Bullar. Rodriguez, non per hoc debent censeri excludi ab hac facultate ipsimet Prælati ex Reg. juris 79. in 6. ita quod saltem non possint deputare se ipsos. Ulterius dico tertio, quod supposita distinctione data *n.* 71. in principio, scilicet quod ex triplici motivo, sive ratione jus ad petendum debitum a conjugibus uno vel altero, vel ambobus deperditur: ratione nimirum incestuosi concubitus cum affine in primo & secundo gradu: vel voti emissi ante Matrimonii celebrationem ab uno conjugum, vel demum ex motivo voti editi de communi consensu ab utroque conjuge post Matrimonium contractum etiam consummatum, hac inquam distinctione supposita & firmata: privilegium sive indultum seu oraculum de potestate dispensandi super dictum impedimentum ortum ex uno motivo, nequaquam possit extendi ad dispensationem impedimenti ex altero motivo inter tria, resultantis: ex: gr: Quatenus indultum tribuat facultatem dispensandi cum incestuoso, non per hoc facultas possit ampliari ad dispensationem cum vovente. Nec etiam quatenus facultas restringatur ad dispensandum cum eo qui castitatem vovit ante Matrimonium, inde possit trahi ad dispensationem impedimenti exorti ex voto edito a conjugibus ambobus de mutuo consensu post Matrimonium valide contractum. Ex communi doctrina *quod privilegia non plus operantur quam verba sonant*. Arg. *Cap. cum recepimus*, *& Cap. Porro de privil.* Arg. *Cap. cum Cappella & Cap. Pastorales eod. tit.* cum concord. Cum ergo indultum Julii II. medio rescripto Cardinalis Ludovici Summi Pœnitentiarii sit de facto pro dispensando super incestu conjugis alterutrius modo præfato, nequaquam posse inservire concludo ad dispensandum super voventes aut ante aut post contractum Matrimonium Castitatem. Itemque cum pro omnibus nequaquam editum sit Confessariis, sed pro deputandis tribus aut quatuor præcise, non posse vigore illius omnes simplices Confessarios Regulares per participationem cum excessu ejusdem indulti sive privilegii, cum incestuosis ipsis dispensare. Oraculum pariter Sancti Pii datum die 27. Aprilis 1569. concedens Fratribus Minoribus facultatem dispensandi super deperdito jure petendi debitum ob patratum incestum ab alterutro conjuge, omnes & singulos Confessarios simplices minime tangere repeto sed eos dumtaxat quibus Provinciales hanc auctoritatem commiserint & equidem doctis & piis: juxta oraculi verba clara, quatenus subsistat de quo distinctius mox infra. Prout etiam quantum ad Oraculum aliud Sancti Pii emanatum eodem anno 1569. sed de mense Octobris die 26. conferri per ipsum quatenus validum sit item dico, auctoritatem Confessariis Ordinis Minorum de observantia & cœteris per participationem, non omnibus & singulis, sed per Provinciales electis & designatis, dispensandi super impedimentum causatum a voto emisso a conjuge uno vel altero ante Matrimonii celebrationem: ut verba ibi sonant per me lecta, nec ullatenus inservire posse ad dispensandum super impedimento eodem quatenus oriatur a voto utriusque conjugis pleno & mutuo consensu se obligandi ad servandam castitatem post Matrimonium valide peractum sive consummatum sive non, eo quia in tali suppositione per. peram extenderetur indultum ultra literalem sensum & expressionem verborum: quidquid in contrarium autumet loc. cit. Aragoniensis aut quivis alter: documentis namque in hac materia fides est adhibenda ut præmisimus, neque ea variare est ulli fas.

74 Hinc si ad examinanda documenta ipsa ad rem nostram de facto descendamus secundum quod spopondimus iterato tum potissimum adducuntur certa alia nempe in confuso & absque authentico textu citantur, ut circum loquitur & fatetur Rodriguez *tom.* 1. ubi supra *qu.* 63. *art.* 3. & 4. nimirum illud Julii II. datum *sub die* 29. *mensis Jul. an.* 1507. pro Congregatione S. Benedicti Vallisolet. concedens dispensationem in casu cum incestuosis sub paulo ante præscripta forma: atque alia duo Sancti Pontificis Pii V. pro Fratribus Minoribus de Observantia; nam concedens auctoritatem dispensandi pariter super impedimento orto ex incestu & aliud auctoritatem eamdem dispensandi cum conjugibus ad petendum debitum quatenus horum alteruter votum castitatis simplex emiserit ante Matrimonium ineundum; Eodem pariter modo superius insinuato & declarato. Ista autem documenta tria non deffitentur Doctores omnes ex utraque parte fuisse simplicia oracula vivæ vocis: primum quidem a Julio II. prolatum & manifestatum medio publico rescripto Cardinalis Ludovici summi Pœnitentiarii in Bullario Rodriguez pag. ut jam citavimus 264. alia deinde duo in favorem Fratrum Minorum de Observantia edita leguntur ad instantiam

P.Fra-

P. Fratris Joannis de Anguillara Commissarii tunc in Romana Curia, ut testatur ipse per authenticam subscriptionem in Archivio Aracœlitano repositam *ann*, 1570. *die* 19. *Octobris*. Apud Rodriguez etiam in Bullario *pag*. 428. uti supra = Quo posito, objicit Pater Lezana ut memoravimus hic *n*. 71. post med. omnia & quæcumque oracula per Pontifices antecessores prolata, abrogata fuisse a Gregorio XV, & dehinc præcipue ab Urbano VIII. de anno 1631. die 20. Mensis Decembris: annullante & revocante privilegia indulta gratias quæ in oraculis ipsis contineantur & quomodocumque concedantur, quamvis foret oraculum idemmet quodpiam per S. R. E. Cardinales publicatum; atque manu eorum firmatum ad instantiam licet Principum quorumcumque in Constit. incipien. *Alias felicis recordationis*: & vix excipit laudatus Doctor indultum in proposito per Cardinalem Summum Pœnitentiarium Julii II. manifestatum, quia non fuerit ait ipse proprie oraculum sed rescriptum. Per quod apparet hujusmodi privilegium absolute acceptum tamquam male fundatum super oraculis revocatis pœne ruere & vix salvari potestatem dispensandi super impedimento emergente ex incestuoso coitu, ad normam tamen rescripti habiti per Cardinalem præfatum jussu Pontificis Julii II. = Respondent tamen privilegii prætensi defensores fuisse equidem revocata privilegia omnia simul cum gratiis licentiis, & quævis indulta mediis oraculis vivæ vocis antea concessa a Prædecessoribus Pontificibus per Gregorium XV. & Urbanum VIII. signanter in Constitutione incipien. *Alias felicis recordationis &c*. quæ est 21. ejusdem Pontificis. Sed postea per eumdem Urbanum prodiisse moderationem hujusce universalis revocationis oraculorum in Constitutione incipiente pariter *Alias felicis recordationis*: sed minime data sub *die* 20. *Decembris* 1632. ut bina vice per errorem citat laudatus Didacus ab Aragonia *tr*. 1. *Cap*. 7. *n*. 4. *& n*. 12. In hac siquidem data *de anno* 1632. continetur immo relata revocatio & privilegiorum abrogatio ut constat legenti apud Laertium *tom*. 4. bene quidem per distinctam editam quatuor ab inde annis videlicet sub die 11. Aprilis 1635. quæ legitur 141. in ordine inter alias Urbani. Et in eadem secunda Bulla restituta fuisse & revalidata advertunt oracula omnia tum ab ipsomet Pontifice tum a Prædecessoribus prolata & præstita mediis Officialibus & Ministris Summo Pontifici pro tempore immediate adsistentibus quoad ea quæ ad cujuslibet eorum Officium seu munus quo fugantur pertinent, declarando scilicet eadem quæcumque oracula mediis iisdem Ministris de præterito emanata & in futurum emananda in præfata revocatione minime comprehendi, eosdem Ministros redintegrando perinde ac si Constitutio prima de revocatione oraculorum ac altera simul Gregorii XV. nullatenus prodiissent. Ut patet Bullam dictam posteriorem in terminis legenti apud Laertium *tom*. 4. Anacletum de privileg. §. *vii*. *n*. 115. & Rupertum Gueber *tract*. 1. *disput*. 4. *sect*. *v*. *n*. 53. Quinam deinde habendi sint pro Ministris & Officialibus propriis mediis quibus oracula a Summo Pontifice edita authenticentur, ideoque in revocationibus non comprehendantur: assignant Doctores cum Tusch. V, *Officiales concl*. 82. *n*. 6. *&* 16. *& concl*. 88. ex extrav. Benedicti XII. *Ad regimen ibibi*, eosque enumerat Gueber *cit*. *n*. 54. necnon laudatus Aragonien. *n*. *cit*. 12. *tr*. 1. *Cap*. 7. Verum quoad plures recensitos veluti Ministros & Officiales Papæ in Extravaganti *Ad Regimen*; hanc esse & haberi pro antiquata universaliter fatentur Doctores. Et ulterius esto pro authenticandis oraculis unusquisque rescriptorum ibi inter reputatos Officiales aliquando inservierit, hoc non obstante nullatenus posse allegari ab Aragoniensi replicant adversarii tamquam oraculum legitimum illud Sancti Pii V. (Duplex & non unum ex ostensis) ad probandam potestatem in Confessariis Regularibus dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale orto tum ratione commissi incestus tum emissi voti ut paulo ante retulimus *n*. 72 §. *ii*. Licet siquidem asservetur hujusmodi Sancti Pontificis assertum privilegium duplex in Archivio Aracœlitani Conventus, attamen ibi est utrumque sub forma oraculi concessi ad instantiam P. Fratris Joannis de Anguillara Commissari pro Observantibus in Romana Curia, ut legitur ocularitet apud pluries citatum Rodriguez in suo Bullario *pag*. 428. ubi omnia oracula S. Pii literaliter describuntur. Ipse autem P. de Anguillara nequit computari inter Officiales Papæ quibus habenda est in casu fides; cum esset potius Officialis Religionis inter Minores de Observantia, hinc excludendus in proposito tamquam improprius testis ad legitimandum oraculum in forma probante: cum excludat ad hunc effectum nec

con-

connumerandos esse admittat inter Officiales Papæ ipsosmet Ordinum Generales P. citatus Didacus Aragoniensis, nisi quatenus munus extraordinarium gererent Apostolici Commissarii *tract. 4. 1. Cap. 7. n. 13.* Quamvis admittendum fore tamquam proprium Ministrum & Papæ Officialem, Cardinalem cujuscumque Ordinis respective Protectorem pro legitimandis oraculis in casu concederem cum ipsomet P. Didaco loc. cit. saltem secundum æquitatem. Sicut & extra dubium repeto quod valeat & probet ad propositum Ludovici Cardinalis Summi Pœnitentiarii rescriptum, de quo non debet habere scrupulum Lezana quod vere sit oraculum & non rescriptum Papæ, quippe cum de Papæ mandato ab ore hujus prodeunte fuerit publicatum & authentice firmatum a Cardinali qui vere inter Officiales immediatos in sibi competente officio connumeratur ex eadem extravag. *Ad regimen &c.* Dummodo servetur ejusmodi oraculi atque inde rescripti forma juxta declarationem Patris Lezanæ præmissam hic n. 72. ante §. 1. & insinuatam deinde n. præcedente 73. post med.

§. I. Idcirco aliud arripiunt effugium Auctores privilegium idem dispensandi super impedimentis præfatis in Confessariis Regularibus substituentes: cum enim nequeant fundare sententiam nisi in Oraculis Martini V. sed signanter Sancti Pii V. satis supra explicatis, addunt eadem Oracula fuisse ex certa scientia & ex motu proprio per plures Pontifices Summos deinde confirmata: ut ostendunt per enumeratas Bullas usque ad Paulum V. inter cæteros recentiores P. citatus Didacus ab Aragonia *tr. 1. Cap. 7. n. 5. & sequ.* Nec non D. Rupertus Gueber *tr. 1. disp. 3. sect. v. pag.* 217. Itaque adnumerat aliis Bullis Summorum Pontificum confirmantium motu proprio & ex certa scientia omnia privilegia etiam vivæ vocis oraculo ab Antecessoribus concessa, Constitutionem Gregorii ejusdemmet XV. editam pro Theatinis cum hujusmodi expressa confirmatione etiam *Oraculorum vivæ vocis &c. sub die* 16. *Octobris* 1621. incipien. *In Apostolica* innumerosque pœnæ secum affert Doctores substinentes inde oracula sic motu proprio confirmata transisse in vera privilegia Bullata & exuisse formam oraculorum vivæ vocis, utpote per Scripturam & Pontificias literas in forma privilegii noviter concessa. Super quam rationem premit signanter Gueber non solum de oraculis in communi tractans *pag. cit.* 217. sed de oraculis in individuo conferentibus potestatem dispensandi super jure deperdito a conjugibus ad petendum debitum; in casu nimirum quod indubitanter subsistant & propter confirmationem habitam per Bullas motu proprio editas evaserint privilegia plene probantia: Ita *tract. IV. disp. III. sect. V.* per plura dicta pag. 946. & seq. Similemque rationem relevat præ viribus P. Didacus ab Aragonia *tr. 1. cap. 7.* mox citatus quantum ad oracula omnia quæcumque: quod nempe ob confirmationem ipsis additam per Bullas Summorum Pontificum evaserint privilegia Bullata & mutaverint oraculorum simplicium naturam; hinc sub revocatione oraculorum peracta per Gregorium XV. & Urbanum VIII. minime cadant, nisi forte fuerint oracula pronuntiata post Pontificatum Pauli V. qui ultimus secundum ipsum P. Didacum oracula præcedentia per motum proprium & ex certa scientia confirmavit deditque eis esse privilegii bullati. His non obstantibus verum fateor quod præsens sententia de Oraculis translatis in esse privilegii Bullati numquam plene placuit in aliis item dissertationibus in quibus a Regularibus passim approbatur; confirmatio siquidem quod tollat aut variet essentiam rei confirmatæ videtur purum commentum & contra rationem & contra jura, & quamvis confirmatio in forma specifica se haberet veluti nova concessio quod etiam non absolute admisimus, nihilominus impropria foret illatio quod destruat rationem rei confirmatæ & in aliam transmutet naturam ex Hostien. Dec. Panorm. & aliis antiquioribus & tradit Alvidat. de priv. sect. 1. cap. 4. Et ita in casu confirmatio oraculorum ex certa scientia etiam & motu proprio, & si concederetur nova eorum concessio, tamen non per hoc rationem formalem oraculorum in iis destruat tamquam non fuerint in origine per solam vivam vocem & nequaquam per Scripturam aut Bullam pronuntiata. Quoties ergo (hinc deduci nequit) advenientes Gregorius XV. atque Urbanus VIII. Summi Pontifices Successores omnia oracula quomodocumque concessa a prædecessoribus Pontificibus CONFIRMATA atque INNOVATA cum derogationibus efficacissimis atque amplissimis revocent, ut evidens est legentibus verba & clausulas Constitutionum utriusque Pontificis, irrationabile profecto apparet assertum quod neutiquam comprehendantur in revocatione oracula ipsamet quatenus etiam a Summis Pontificibus sint confirmata & licet in-

innovata. Ita Doctores Dian. in coordin. *tom.* 7. *tr.* 1. *reſol.* 25. Donatus *tom.* 1. *tr.* 16. *qu.* 3. Petr. de Ang. *d.* 8. *ſect.* 3. *n.* 11. *ſeq.* Martines *tom.* 1. *moral. Cap.* 5. *quaeſ.* 6. §. 3. & inter recentiores Reinffeſtuel de privil. n. 160. Schmalzgrueber. *eod. tit. n.* 242. Zapeubager in Supplem. *Cap.* 1. *n.* 441. *& ſeq.* Illſung. *tr.* 1. *diſt.* 3. *n.* 70. *ſeq.* Et inter plures alios præcipuus Carden. *in Crit.* 2. *differt.* 2. *Cap.* 6. *art.* 7. *qu.* 5. Nec minus ad propoſitum urget alia ratio; quod nempe ſententia negans ſubjacere revocationi oracula confirmata per Bullas Summorum Pontificum motu proprio redderet in tali ſuppoſitione Conſtitutiones tum Gregorii tum Urbani omnino fruſtraneas; nam remanerent revocata in caſu illa dumtaxat oracula quæ prodierant poſt ultimam Bullam confirmantem, quæ ſecundum Aragonienſem fuit Pauli V. de anno 1606. & ſic limitaretur limitatio revocationis ad ſpatium ſexdecim annorum intermedians Bullam Pauli & Bullam Gregorii revocantis de anno 1622. die 2. Julii; Immo cum referente laudato Gueber confirmata fuerint oracula vivæ vocis una cum aliis privilegiis Religioni Theatinorum ab eodemmet Gregorio XV. in ſua Conſtitutione incipien. *in Apoſtolica*: *ſub die* 16. *Octobris* 1621. proinde ſubjecta fuiſſe revocationi conſtaret oracula tantum emanata inter Gregorium & Gregorium medio ſpatio octo circiter menſium quod eſt ſane effatu ridiculum. Urbanus etiam VIII. immediatus Gregorio ſucceſſit; unde non potuiſſet revocare niſi oracula ipſiuſmet prædeceſſoris. Abſque eo quod valeat iterum emendicatum effugium quomodo plura augerentur oracula quæ utique non confirmata fuerant in Prædeceſſorum Bullis & plura etiam incerta & inſubſiſtentia reputarentur tamquam vera atque ſuper his revocationes a duobus Pontificibus fuiſſe enuntiatas: ut apud Gueber reſpondent Oraculorum propugnatores pag. 240. ſub n. 63. Quippe cum non poſſit non evaneſcere hujuſmodi reſponſio ex ſola oſtenſione literarum utriuſque Summi Pontificis præcipue Urbani, ubi revocatio clare percutit omnia & ſingula Oracula non dubia & incerta aut per confirmationem non roborata, ſed revera conceſſa quomodocumque, confirmata & innovata = ibi. *Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis &c. & aliis decretis in genere vel in ſpecie ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac innovatis &c.* Apud Laertium & alios plures referentes. Qua de re hiſce attentis & aliis rationibus ſibi ſufficere demum concludit ſapiens Gueber; quod ſententia ſua de ſubſiſtentia Oraculorum ob confirmationem habitam a Summis Pontificibus non cenſeatur improbabilis *pag.* 241. *n.* 64. Et profecto improbabilem eam reputat perſpicax pariter Canonicus Regularis Amort, qui inibi omnia argumenta pro validitate oraculorum a Doctoribus adducta enervare ſatagit & in hac parte amicum Gueber corrigit in additione ſub eodem *n.* 64. *pag.* 242. *& ſeq.* Porro ego propter ingentem præclariſſimorum ex omni Ordine & Natione Doctorum copia; quibus fulcitur ſententia per Gueber alioquin doctiſſime expoſita, ut videre eſt *pag.* 228. *& ſeq.* non auſim eam ſaltem extrinſice non cenſere probabilem; probabiliorem tamen attentis rationibus & textualibus documentis cogor fateri contrariam de inſubſiſtentia oraculorum ſententiam: exceptis iis dumtaxat, quæ mediis Officialibus & Miniſtris immediatis Papæ ad munus quo funguntur pertinentia pronuntiantur, ſive emanaverint de præterito ſive in futurum ſint edenda. Et ita; cum verificetur talis conditio ſive exceptio ad rem noſtram de diſpenſatione ad petendum debitum, & in oraculo præciſe Julii Papæ II. per reſcriptum Cardinalis Summi Pœnitentiarii manifeſtato, idem dumtaxat valiturum probabilius, cum excluſione reliquorum, quæ ſatis examinavimus ſupra, concludendum venit & eodem pacto, quo eſt expoſitum: ſcilicet pro inceſtuoſis & non aliter.

§. II. Porro P. Didacus ab Aragonia in Dilucidatione *tr.* 1. *Cap. VII.* & deinde *tract. VI. Cap. pariter* 6. multa ſcribit, quidem circa oracula in genere & poſtea circa oraculum impræſentiarum examinatum diſpenſandi ſuper jure amiſſo petendi debitum, quæ tamen a ſe exarata minime probat nec rationibus pro ſententia probabiliore adductis ullatenus ſatisfacit: concedit namque omnia & quæcumque oracula ſubſiſtere quæ fuere per Bullas Summorum Pontificum Clementis VIII. præſertim & Pauli V. motu proprio in terminis genericis confirmata, ut in præcedente §. afferebamus; & ſic debet utcumque protrahere ſubſiſtentiam & valorem oraculorum eorummet uſque ad Gregorium XV. ipſum, qui pariter omnia per vivæ vocis oraculum conceſſa privilegia confirmavit Theatinis; quod an reddatur veriſimile relinquo prudentia præditis judicandum uti ſupra. Itemque vult oracula minime eſſe revocata quæ pri-

privilegia Regularibus concessa declarant sive Decreta explicant & Sacros Canones Conciliorum, ea ratione ductus in his & similibus assertis, quia oracula per confirmationem adjectam revera cessant esse talia mutantque naturam & transeunt in privilegia vera bullata, quæ quidem ratio quas difficultates patiatur pariter notatum est mox in §. I. præcedente, oec eis laudatus Didacus respondet nisi eadem verba pluribus vicibus replicando absque eo quod suum propositum firment, prout examinavi ipse, & nil contra osque nuoc dicta contiuere revera comperi. Sed ulterius dimitti allegata jura *tr. I. pag. 7. n. 7.* ut perpendenti examinare remitto; peculiarem etiam facit vim laudatus Auctor super verba Gregorii XV. in ejus Constitutione relicta in suo vigore per Urbanum, quod non subjaceant revocationi oracula quæ jam suum fuerint sortita effectum, hinc deducere prætendens nequaquam revocata fuisse omnia & quæcumque oracula circa privilegia habentia etiam tractum successivum, dummodo sint acceptata & aliqualem sortita fuerint effectum ab initio, propterea imposterum sine dubio duratura: ibi n. 16. Et ut prius clare etiam enuntiaverat quoad Generales in casu dispensandi &c. *tr. 2. cap. 8. n. 24. &c.* Efficaciter proinde impugnari etiam debet hæc nimis implicata conclusio: hac concessa siqoidem nulla prorsus extitissent per Gregorium & Urbanum postea revocata oracula, cum nullum antea medio oraculo latum privilegium habens licet tractum successivom non supponatur acceptatom atque inceptum & aliquali in usu positum: ut foret ex. gr. oraculum dispensandi in quinque votis Papæ reservatis & absolvendi a quibuscumque casibus etiam specialiter per Summos Pontifices alioqoio exceptis; immo contra osum hujusmodi privilegiorum sive oraculorum vivæ vocis, ob inconvenientia inde resultantia quod institutæ sint revocatoriæ Bullæ patet ex earum contextu. Idemque sensit sapiens Gueber approbans rationem in contrarium adductam de eventuris absurdis & aliter verba Bullæ Gregorianæ de facto ipse interpretatus *tract. 1. disp. 3. n. 50. & 51.* Sed apertius ibi Eusebius Amort ioterpretatur secundum proprium sensum verba Bullæ, nec non declarationem Sacræ Congregationis Episc. Regul. super intelligentia Bullæ ejusdem emanatam *sub die 2. Aprilis 1625.* pro subsistentia oraculorum tantum, per quæ concessa sint privilegia personalia actu possidentibus ea & gaudentibus eorum usu, quatenus præcipue sine ipsorummet præjudicio usus suspendi non possit: atque ideo sortita sint effectum totalem & completom, saltem primarium & principalem per unicum actum, quamvis successive per alios actus privilegium totaliter & plene possessum exerceatur: ut in casu oraculi elargientis gradum personalem Doctoratus & Magisterii & in similibus. Ita cautus Amort ibidem in additione ad calcem n. 50. & in additione iterum ad num. 52. cujus sententiæ quæ fuit etiam Clarissimorum Doctorum, quos non opportet hic longa periodo congerere, tamquam vere probabiliori adhæreo. P. Didacus ab Aragonia deinde qui supra disserens in specie de privilegio dispensandi super jure deperdito a Conjugibus respective ad petendum debitum *tr. VI. n. 12.* profert hæc verba = Possunt Confessarii Regulares ab Ordinario approbati *ex commissione speciali Provincialis* dispensare ad petendum licite debitum cum Conjugibus qui post contractum Matrimonium incestum commiserunt usqoe ad secundum gradum *consanguinitatis*, vel affinitatis inclusive, *tam ex cognatione spirituali*, quam carnali provenientem, prout ex variis Apostolicis privilegiis constat. Quæ sanæ verba antea per ipsummet absque variatione bis prolata & *tr. 2. Cap.* 8. *n. cit. 24.* de potestate Generalium & *tr.* 3. de potestate Provincialium *Cap. item* 8. *n. 22.* ultra præmissas impugnationes etiam per transitum quamvis examinare est opportunum. Non enim tantom Provinciales ut insinuat oraculum, de cujus subsistentia dubitatur S. Pii V. sed & Superiores locales, vigore oraculi Julii II. per rescriptum Cardinalis Summi Pœnitentiarii in suo robore permanentis valent hanc dispensandi potestatem viris doctis & idoneis inter sibi subditos Regulares committere. In cognatione item spirituali eum supponatur non attendi primum & secundum gradum sicut in cognatione carnali, sed unico eodemque modo oriri impedimentum inter personas a Tridentino expressas *sess. 24. Cap. 2. de Reform. Matrim.* nec oriri inter Patrem & Matrem levantes propriam prolem *ex Cap. inter de Cognat. ipsi.* Non capio pariter quomodo contrahatur impedimentom petendi debitum ob incestum commissum usque ad secundum gradum *Consanguinitatis*, com per copulam habitam etiam cum propria Matre Maritos ex. gr. nullatenus fiat affinis propriæ uxori, itaut impediatur posse ab ea debitum petere: nisi forte explicetur con-

conſanguinitas in primo & ſecundo gradu reſpectu conjugis innocentis, non autem ex parte inceſtuoſi. Ea quæ repetit demum ſuper poteſtate Confeſſariorum Regularium diſpenſandi in jure petendi debitum deperdito ob votum emiſſum caſtitatis tum ante, tum poſt contractum Matrimonium a conjugibus in dicto *tr. 6. Cap. 6. n.* 13. quantum ad documenta ſignanter quæ citat & ſatis enucleata remanent in n. hoc eodem 74. ante §§. addictos.

§. III. Supereſt diſſolvenda difficultas & profecto non levis contra præfata; nimirum quod competat Confeſſariis omnibus Regularibus abſque dependentia a Provincialibus, vel aliis Superioribus facultas diſpenſandi ſuper ipſum impedimentum affinitatis etiam in primo gradu ſuppoſitum ante celebrationem Matrimonii inter contrahentes, ergo tanto magis diſpenſare queant abſolute ſuper jure petendi debitum deperdito ob inceſtum patratum poſt Matrimonii celebrationem & conſummationem, quia cui conceditur plus non poteſt negari quod eſt minus, ſignanter in eodem genere propter communiſſimam regulam. D. D. concordantibus. Aſſumptum autem probatum cenſetur privilegio Leonis X. qui in Bulla ſpeciali Fratribus Auguſtinianis: ibi: *Quod cum his, qui in primo affinitatis gradu ſcienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit neque in judicium productum, per totum mundum diſpenſare valeant ut de novo contrahant & in eodem contracto Matrimonio remaneant, prole etiam legitima.* Citaturque Bulla & approbatur a Rodriguez principaliter aliiſque de hinc auctoribus, propter teſtimonium quod perhibet de ea & de privilegio ibi contento ad literam Richardus Epiſcopus Roſtenſis duplici inſignitus purpura, Martirii videlicet & Cardinalatus, nec non doctrina & ſanctitate celeberrimus in Opuſculo de cauſa Matrimonii Regis Angliæ. Unde non eſſe dubitandum ſicut de privilegio principali diſpenſandi ſuper impedimentum affinitatis dirimens. Ita & de con. ſequenti poteſtate diſpenſandi ſuper jus deperditum petendi debitum ob patratum inter affines etiam in primo gradu crimen inceſtus, concludunt præclari nominis Doctores: Chaſſeing. *de privil. Regul. tr.* 5. *Cap.* 5. *prop.* 3. Veracrux 2. *part. art.* 27. Aluiſet *ſect.* 3. *Cap.* 16. *n.* 3. Lezanburger in ſupplem. *Cap.* 1. *ſect.* 4. *qu.* 3. *n.* 390. *ſeq.* Boſco. *diſp.* 12. *ſect.* 13. *n.* 195. Elbel. *part.* 3. *conferent.* 20. *n.* 496. Sed inter reliquos Anacletus Reiffeſtuel in appendice *ad* 4. *Decret. de diſpenſat.* §. *II. n.* 542. *& ſeq.* nec non Rupertus Gueber *tr.* 4. *diſp.* 3. *ſect. V. pag.* 970. *n.* 68. *& ſeq.* Qui ultimi multum laborant ad probandam præcipue privilegii relati ſubſiſtentiam & veritatem. Attamen, ut circa propoſitam difficultatem breviter diſſeramus, nullum inter Doctores invenio, qui Bullam Leonis X. perlegerit, aut eam ſe perlegiſſe tamquam teſtis ocularis affirmet. Et quamvis citetur veluti id reipſa teſtificans P. Rodriguez *tom.* 3. *qu. Regul. qu.* 1. *art.* 2. a Gueber *d. ſect. V. n.* 70. Verba nihilominus ibi relata non ſunt ipſius Roderici ut vult Gueber, ſed referentis Roſtenſis, ut ibid. in fine verborum. *Hæc Roſtenſis* cujus teſtimonio eſſe credendum affirmat Rodericus utpote viri adeo omni ex parte eminentis, qui certe non protuliſſet in privilegio Leonis hæc itidem confirmantia verba ibi; *Quemadmodum in ejus Bulla palam continetur*: niſi Bullam patentem palam ipſe vidiſſet. Et quidem id aſſerere perhibetur Roſtenſis laudatus per allegationem exactam dicti libelli *in princ. & fin. primi folii*: apud Roderic. ipſum in margine art. dicti 2. Ex quibus conſtat apertiſſime omnem prorſus atteſtationem, ſive fidem Bullæ Leonis & privilegii in ea contenti ad Roſtenſem unice reduci: verumtamen, licet hujuſmet teſtimonium unicum tamquam omni exceptione digniſſimum ſufficere fateantur cordati ſcriptores, non obſtante etiam animadverſione ſolertis Euſebii Amort apud Gueber. *pag.* 955. *n.* 74. *in fin.* non fuiſſe univerſaliter propalatum utcumque negari nequit, cum tot alios inveſtigantes latuerit, ex quo devenit fortaſſe neque univerſaliter poſitum fuiſſe in uſu: accedente quoque omnium Doctorum ipſorummet qui de ſubſiſtentia privilegii affirmative opinantur conſilio; quod Confeſſariis Regularibus illo uti vix unquam expediat. Legatur Anacletus cum moderatione & cautelis concludens doctrinam a ſe latam *lib.* 4. *decr.* in appendice de diſpenſatione §. ibi XI. *n.* 550. ut in fin. Gueber eruditus item pag. dicta 955. *n.* 75. *& ſeq.* Unum advertere cogor, quod eſto admitteretur in caſu Bulla Leonis & privilegium Ordini Sancti Auguſtini in ea conceſſum per conſequens cœteris Ordinibus communicatum: deduceretur ex eo ſane privilegium quoque abſolutum in omnibus & quibuſcumque Confeſſariis Regularibus ab Ordinario approbatis, diſpenſandi ſuper impedimento petendi debitum conjugale orto ex inceſtu

veluti

veluti eodem adhibito medio pretendit probare loc. cit. Reinffestuel; verificaretur namque communiter admissa regula: quod *cui licet quod est plus* scilicet in casu dispensare super impedimentum affinitatis dirimens in primo gradu, *liceat etiam quod est minus* in eodem utique genere, nimirum dispensare super impedimentum petendi debitum in primo radicitus fundatum & ex eo dimanans. Verum adhuc vigeret atque urgeret simul difficultas circa potestatem dispensandi super amisso jure petendi debitum ratione emissi & effracti voti castitatis ad normam explicationis datæ *n.* 72. §. 11. Quia nempe impedimentum ortum ex uno capite scilicet ex incestu est disparatum ab alio, quod ex voto emergit, propterea diversam exigit in dispensante potestatem istud aliud emergens ex voto. Quamquam insuper adeo libere concedatur Confessariis simplicibus Regularium a laudato Reinffestuel *lib.* 4. *cit. in appendice* §. *xii. n.* 568. juxta ea quæ docuerat *tit. de voto n.* 39. potestas hujusmodi dispensandi super privationem juris petendi debitum ortam ex voto uti mox diximus, attenta potestate quam tribuit absolutam Confessariis ipsismet dispensandi similiter super omnibus votis: speciales tamen patitur instantias in contrarium hæc ipsa potestas primaria dispensandi super vota, a qua vult Anacletus aliam deducere in casu, ut notavimus supra *n.* 69. *&* 70. Cum excipienda sint saltem quod non cadant sub potestate Confessarii Regularis vota reservata Papæ: inter quæ relevat votum simplex castitatis quod quidem, quatenus emittatur ab utroque conjuge de communi consensu, non potest non dici perfectum completum & in nullo deficiens, ideoque privans unum & aliam conjugum & jure petendi & jure sine obligatione reddendi, quæ supponere deberet jus petendi in alterutro: juxta sententiam quam non potest non admittere Anacletus met in relato appendice §. 12. *n.* 561. Unde ex hoc capite potestas dispensandi super votum sic Papæ reservatum, & exinde super jus petendi debitum ratione hujus voti deperditum videtur deficere Confessariis.

75 Advertere item non omitto circa præfata: quod pœna non petendi debitum a conjugibus incestuosis minime incurratur, nisi copula cum conjunctis in primo & secundo gradu affinitatis sit perfecta. Quod dispensatus in voto emisso ante Matrimonium initum: si & quatenus &c. debeat admoneri in casu obitus alterius conjugis eundem teneri servare votum, nec posse alteri nubere absque nova ejus dispensatione; & si absque dispensatione Matrimonio vellet jungi, incurrurũ tunc iterum pœnam primam scilicet non petendi debitum, eo modo quo insinuari diximus a Felice Potestate hic n. 71. in princ. Sed cogor insuper addere meum sensum in casu voti castitatis emissi ante Matrimonium, quod videlicet neque posset dici imperfectum, utpote absolute sine ulla vi obligatione, aut conditione tunc adiuncta a non cogitante quidem de Matrimonio secuturo, factum supponatur: unde evanescat conditio supposita & interposita reddendi debitum alteri conjugi. Non enim debet considerari votum pro eo posteriori tempore quo natura labefactatur ob actualis Matrimonii circumstantias, atque ideo difficile nimis evadit, sed pro eo tunc quando a voluntate libera prodit de meliori bono, ad hoc ut judicetur nec ne revera absolutum perpetuum & absque admixta imperfectione; idcirco in casu cujuspiam voventis ante conjugium nec excogitatum, immo positive voventi tunc exclusum, concludendum est haberi pro reservato & sic indigere speciali indulto ad hoc ut super illud dispensetur, & inde juri deperdito petendi debitum indulgeatur. Vel in casibus peculiaribus & urgenti necessitate provisionem exigentibus remitti oportere dispensationem Episcopo veluti possidenti speciale jus super reservata quinque vota in iisdem casibus: juxta doctrinam inter cœteros Felicis Potestatis *tom.* 1. *n.* 1965. *& seq.* cui & aliis per se citatis adhæret P. Didacus Aragonien. tract. vi. Cap. vi. n. 9. & 14. & ut nos differebamus supra n. 70. §. ii. Quod si Castitatis votum de facto comperiatur emissum imperfecte videlicet non cum plena deliberatione, vel ex metu etiam levi aut dubium sive conditionatum &c. tunc posse super idem dispensare Regulares Confessarios, sed melius declarare quod nullatenus teneat aut obliget ex præhabitis n. 65. hujusmet sectionis, & cessare eo casu necessitatem dispensandi super petitionem debiti conjugalis quippe cum insubsistente causa, effectus certo ruat ad tradita per Gueber *tr. iv. disp.* 3. *sect.* 5. *n.* 63. Ex his omnibus evidens est corrolarium ad propositum dispensationis super impedimento petendi debitum conjugale, quod valerent equidem eam adhibere Confessarii Regulares cum incestuosis in primo & secundo gradu ratione privilegii collati Patribus

sive

sive Monachis Benedictinis Congregationis Vallisoletanae medio oraculo Julii PP. II. authenticato per rescriptum Cardinalis Ludovici summi Poenitentiarii communicati inde Regularibus coeteris, sed in eadem forma in qua principalibus obtinentibus fuit privilegium idem concessum, quatenus autem praetendant Confessarii Regulares eo posse uti absolute absque dependentia a Superiore sive Provinciali, sive locali quod necesse sit confugere ad assertum privilegium per Cardinalem Episcopum Rostensem : nempe posse Confessarios Religionis Sancti Augustini, hinc etiam reliquos omnium Religionum per totum mundum dispensare super impedimento dirimente affinitatis etiam in primo gradu, in foro tamen conscientiae cum conjugibus qui cum tali impedimento scienter vel ignoranter Matrimonium contraxerint, ita ut denuo contrahere valeant &c. uti pariter diximus n. praecedente §. iii. Per consequens dispensationem super jure petendi debitum censeantur posse absolute adimplere non obstante contracta ob incestum commissum affinitate post Matrimonium initum, vel fuerit vel non consummatum. Quae sententia an sit in praxi sequenda eodem §. iii. numeri immediate praecedentis fuit animadversum. Coeterum oraculum Sancti Pii V. pro incestuosis adductum an vere sit authenticum potest dignosci ex discussis pariter superius n. 74. post initium : quamvis etsi valeret oraculum in casu nequaquam pro omnibus Confessariis, sed deputandis tantum per Provinciales tamquam idoneis posset inservire ut in Originali = Si oriatur deinde impedimentum ex voto castitatis praevio ad Matrimonium vel a conjugibus Matrimonio junctis mutuo consensu libere edito juxta praefata & examinata usque nunc; colligitur itidem, seu corollarium aliud sequitur non posse ostendi privilegium liquidum, quod competat Confessariis Regularibus potestas super impedimento emergente ex hoc capite ratione scilicet licite emissi voti. Et advertendum in casu, quod licet Confessariis Regularibus desit potestas dispensandi in voto castitatis cum omnibus circumstantiis edito vel ante Matrimonium ab alterutro vel ab utroque simul consentiente post Matrimonium initum conjuge, prout tenendum profecto est, cum in casu sit votum Papae specialiter reservatum: adhuc hoc non obstante aperte remanet via ad inquirendum, utrum voto simplici in suo vigore permanente dispensatio super impedimento petendi debitum contracto ratione ejusdem voti possit a Confessariis Regularibus adhiberi in praxi, de cujus dispensatione impedimenti ex isto capite diximus & replicamus non vigere documentum certum. Quoties vero votum in casu comperiatur nullum & invalidum utpote in circumstantiis necessariis deficiens, neque est dubium tunc posse impedimentum per dispensationem tolli, immo declarari item non fuisse istud impedimentum ex insubsistente fundamento revera exortum. Illud namque aliud unicum Sancti Pii V. oraculum super hoc, an revocatum fuerit controvertitur. At si aliqua obscuritas factum obumbraret ita tamen, ut votum judicaretur imperfectum ut praemisimus paulo ante, favendum esse reo in quantum possibile foret dictant communes Regulae juris *in 6. n.* 11. 15. 45. 49. DD. concordantibus.

76 Per haec, quae usque nunc tractavimus circa potestatem dispensandi qua pollent Regulares Praelati ac consecutive Regulares Confessarii, casualiter multae examinatae sunt incidentes difficultates, & praecipue illa celebris quomodo vigeant Summorum Pontificum oracula hisce temporibus, & quaenam censeantur reipsa revocata, pro qua legendus item inter auctores coeteros Reinffestuel de privil. signanter §. *VIII. numer.* 163. & 164. attamen duo supersunt adhuc examinanda quaesita potestatem Praelatorum hujusmodi non solum quoad dispensandum sed in coeteris actibus concernentia, quorum solutio pluribus in locis saltem in sententia probabili supponebatur, sed nondum formiter proposita extitit & discussa. In praesenti igitur tamquam scitu apprime necessaria antequam terminet de potestate dicta Praelatorum Regularium dubitatio opportune dissolventur. Et primum erit quaesitum: Utrum privilegium principaliter concessum uni Religioni sive communitati secundum eandem formam in qua possidetur a dicta principali Religione cui directe conceditur transeat per communicationem & participationem in alios, ita ut nequeat diversus esse usus privilegii in participantibus ab illo quo practice exercetur in principali? Privilegia namque super quibus innuimus initio hujus secundi tomi fundari praecipue potestatem respective Praelatorum dubit. nempe XIV. sect. 1. quandoque conceduntur directe alicui Religioni cum quibusdam limitationibus & restrictionibus: Societati Jesu signanter cum restrictione expressa;

pressa, quod privilegia omnia gratiae & indulta quaecumque hactenus concessa quomodocumque & imposterum concedenda eidem Societati, intelligantur directa sive collata immediate soli Praeposito Generali; ita ut ab eo dumtaxat derivent & communicentur aliis ab eo ad libitum deputandis nec ad subalternos & inferiores censeantur extensa, qui propterea licet Praepositi Rectores Provinciales Visitatores &c. nequeunt de facto ullo uti privilegio, nisi de premissione & licentia ejusdem Praepositi solius Generalis, ut literaliter disponit peculiaris Constitutio Gregorii XIII. *Decet* 3. *Maii* 1575. & habetur in Compendio *tit. communicatio gratiarum* §. 2. & 4. Et in corpore institut. dictae Societatis Tom. 1. Hinc plana sternitur via ad sciscitandum an coeteri Ordines communicantes in privilegiis cum Societate, iisdem possint uti dumtaxat juxta praescriptum Constitutionis Gregorianae dictae incipien. *Decet &c.* itaut solus Generalis Ordinis participantis quoque & communicantis in privilegiis sit Dominus & arbiter, atque alii quicumque quoad eorum usum debeant ab ejus commissione & licentia dependere. Similiter quia privilegia sive indulta nonnulla inveniuntur concessa Congregationibus signanter Monachorum cum clausulis expressis = *Ad hoc ut permaneant*: *dummodo permanserint quoad usque permanserint* in Regulari Observantia: non potest non insurgere motivum quoque inquirendi an coeteri Regularium Ordines qui communicationem praetendunt signanter in peculiaribus facultatibus absolvendi dispensandi &c. ut in hac ipsa dubitatione XIX. & ejus distinctis sectionibus pluries visum fuit, talibus expressis conditionibus censendi sint immunes, itaut in occurrentibus casibus valeant absolute privilegiis uti conditione clausula aut limitatione ulla minime attenta? Respondent autem ad quaesitum Regulares passim affirmantes quoad privilegia prius Societati elargita, posse Religiones reliquas quae in iis cum ipsa communicant uti practice iisdemmet absque restrictione ulla & absque dependentia subalternorum a solo Generali, non obstante Gregorii XIII. relata Bulla. Sicut & addunt communicare in privilegiis aliis cuicumque Congregationi Monachorum sive alteri Religioni cum aliqua conditione odiosa & onerosa elargitis, absque eo quod conditio hujusmodi ab ipsismet communicantibus sive participantibus sit attendenda. Et rationes adducunt prius quantum ad privilegia Iesuitis impertita: quod inveniantur ipsamet eadem directe concessa aliis Religionibus distinctis per Summos Pontifices item, nempe Cisterciensibus Cruciferis & plurium aliorum Clericorum Regularium Ordinibus Theatinorum Ministrantium infirmis Scholarū piarū &c. absque ulla limitatione & restrictione, atque ideo sine restrictione pariter non possint negari coeteris deinde Regularibus communicata. Illa limitatio similiter a Gregorio Pontifice apposita qood accomodetur speciali vivendi methodo Societatis & modo in ea procedendi Monarchico propterea non debeat afficere communicantes, quorum procedendi usus diversus est in eorum respective Regula & statutis. Ulterius quod eadem restrictio dependendi a Superiore generali saltem ab ipsius voluntate & deputatione sit evidenter, ajunt, circumstantia odiosa, atque in odiosis Regulares invicem nequaquam communicent, sed in privilegiis dumtaxat favorabilibus & quatenus favorabilia dignoscantur: ut est concors quoad hoc omnium alibi etiam per nos probata sententia. Et haec eadem est ratio nec aliam afferunt quare cum coeteris Religionibus seu Congregationibus Monachorum signanter communicent absolute & simpliciter mendicantes & non mendicantes aliorum Ordinum: absque, eo quod circumstantiae & conditiones onerosae superius objectae debeant attendi, eo quia videlicet communicatio respiciat substantiam privilegii favorabilem & a circumstantia odiosa sive onerosa praescindat. Ita Rodriguez, Miranda, Castropalao, Delacrux, Suarez Portella relati a Diana *part.* 3. *tr.* 2. *de dub. Regul. resol.* 81. & Donat. *tr.* 7. *q u.* 9. Meroll. Reiffestuel *hoc tit. n.* 68. qui tamen ibi cum reservationibus scribit & cautelis Schmalzgueber quem Auctorem doctum equidem saepe omitto propter difficultatem exprimendi illum in citationibus, Andreas a Matre Dei sive Salmanticenses *tr.* 13. *n.* 105. aliique plures moderni inter quos Rupertus Gueber de privil. *tr.* 1. *disput.* 2. *sect.* 4. *n.* 37. & 38. Necnon P. Didacus ab Aragonia in Dilucidat. *tr.* 1. *Cap.* 8. *n.* 7. 8. & 9.

§. I. Verum enim vero in hac controversia multiplices opporteret percurrere articulos, a quorum examine abstinendum duco ne nimium a proposito arguar declinare. Breviter itaque me expediam dicendo cum reverentia debita Doctoribus & scientia & numero sic praestantibus, sententiam contrariam videri longe probabiliorem ut jam Section. 2. hujus Dubitationis aliquatenus fuit insinuatum nimirum

mirum quod reipsa participentur privilegia a Regularibus communicantibus in eis eo modo quo alicui Ordini principali concessa directe inveniuntur, & apud Religiosos ejusdem principalis Ordinis sunt in usu. Et quantum primo ad privilegia Societati Jesu impertita, admittunt indirecte ipsimet praehabitae sententiae sectatores non posse communicari Regularibus coeteris, nisi in ea forma in qua Societas iis utitur & in terminis Bullae Gregorii XIII. *Decet &c.* Ad effugiendam namque dependentiam a Generali unice disponente recurrunt ad concessiones Ordinibus aliis diversis absolute praestitas, cum quibus communicatio attendatur omissa illa cum Jesuitis, utpote secum ferente dependētiam nolitam. Attamen eademmet privilegia prius concessa Societati & deinde aliis Ordinibus Clericorum Regularium elargita, licet absolute & absque ulla adiecta restrictione, adhuc subsunt serio examini an limitationem in Bulla peculiari Gregorii praescriptam revera excludant. Quatenus namque nil aliud habeatur in novis concessionibus, nisi quod signati Ordines gaudeant privilegiis omnibus elargitis Societati Jesu, etiam perinde ac si unicuique eorum directe concederentur, non per hoc forma & identitas privilegiorum respective variatur, illa eadem immo privilegia citantur quae sine limitatione & restrictione nullatenus subsistunt in actu exercito sive in praxi, ut legenti Bullam Gregorii evidenter constat, verificata in casu regula juris *in 6.* quod nequeat obtineri principale, nisi simul cum accessorio sequente ejus naturam *n.* 42. Censerem ergo meliori tamen judicio me subiiciens quotiescumque nominentur in novis concessionibus privilegia Societati Jesu impertita & non excludatur limitatio & restrictio Gregorii aliter eadem tamquam non concessa declarans, nisi sic observentur in praxi, sub istis tantum generalibus terminis intelligi concessa aliis Ordinibus eo modo & sub eadem forma sub qua ab ipsamet Societate possidentur & executioni mandantur & non aliter. Quatenus vero in eadem concessione adderentur clausulae *= absque restrictione: absque limitatione*, aut similes, tunc valitura absolute, nec Bullam Gregorii fore attendendam utpote exclusam: similiter in casu quo concedantur privilegiato Ordini ea indulta quibus gaudet Societas praefata sed nulla facta ejusdem mentione veluti de facto conceditur Ministris Infirmorum facultas mittendi ordinandos ad quemcumque Antistitem independenter a proprio Ordinario per Gregorium XIII. in Bulla incipien: *Illius qui* a me perlecta & fortasse aliae conceduntur gratiae & praerogativae distinctis Ordinibus per Bullas a me non visas; absque eo quod memoretur in iis Societas Jesu cujus ad instar concessio nova prodeat, eo tunc posse similiter ducerem Religiosos gratificati Ordinis privilegiis suppositis libere uti & frui absque relatione ad quemcumque alterum cui prius concessa fuerint: considerati item super hac re rationibus quas ingeniose relevat D. Eusebius Amort in additione ad locum citatum D. Ruperti Gueber *n.* 40. *pag.* 91. In quo casu etiam Religionibus quae in privilegiis praestatis alteri generaliter communicant, non posset non concludi competere jus participandi privilegium independenter & absolute cuiquam sic concessum, nisi aliunde speciale insurgeret obstaculum, ut notat laudatus Amort mox cit. ibidem.

§. II. Idem Judicium feram quantum ad communicationem in privilegiis concessis peculiari Congregationi sub aliqua praescripta conditione aut ob aliquod speciale motivum, scilicet quod non verificata conditione sine qua non, ut in casu *Observantiae Regularis* aut deficiente motivo concessionis in communicantibus seu communicare praetendentibus, rueret omnino utpote sine fundamento communicatio ipsa. Absque eo quod faciat vim quod participatio privilegii non contingat in odiosis sed in favorabilibus dumtaxat, falsum est enim quoties odium ingreditur valorem privilegii collati, & apponitur tamquam conditio necessaria ad ejus subsistentiam: juxta doctrinam Herinex *disput.* 4. *de leg. qu.* 6. *n.* 28. *& seq.* & accurati Lezanae *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 41. Passerini etiam de elect. Canon. *Cap.* 26. *qu.* 5. *n.* 43. necnon Anacleti Reiffestuel insinuantes; quod aliter non esset communicatio sed nova & principalis concessio in Append. de dispensat. *lib.* 4. §. 12. *n.* 578. *& de privileg. n.* 68. Saltem occurrente dubio in re magni momenti circa valorem privilegii vel ejus participationem ex.gr. in absolvendo & dispensando, consulendam esse concluderem Apostolicam Sedem, cui spectat legitima & authoritiva interpretatio privilegiorum in hisce casibus. *Cap. Inter alia* 31. *de sent. excomm. Cap. cum venissent de judic.* ex Bullis Clementis IV. & Sixti IV. apud Casarub. *V. Privilegium* §. 11. Portellam item *V. Privilegium n.* 77. Et veloti opportune explicat quantum ad Sa-

Sacras Congregationes D. Gueber *tr.* 1. *disput. III. sect. III. n.* 28. *& seq.* & jam dudum animadversi sumus nos in *tom.* 1. *dub. X. sect.* 4. *n.* 61. §. 1. *pag.* 419. Quod si replicetur modum restrictivum utendi privilegiis disparatæ Religioni impositum parum accomodari non semel diversis Regularium participantium Ordinibus, ut notabatur signanter quoad privilegia directe Societati Jesu elargita. Subderemus modum præscriptum ad præsens in concessione directa privilegiorum alicui Religioni Congregationi aut Societati, nequaquam esse Observantiæ Regularis destructivum, in quo casu neque privilegia intelligerentur communicata. Gueber *tr.* 1. *&c. pag.* 99. *dicto tertio* sed observantiæ ipsiusmet potius fore inductivum, ut liquet paulo superius ante §. 1. Unde non adesse rationem, quare refutetur. Signanter dependentiam in casu privilegiorum a placito & licentia Superiorum demandatam esse aliis Regularium Ordinibus per Summos Pontifices veluti Carmelitis per Eugenium IV. in Constitutione relata & confirmata a Sixto IV. in Bulla Maris Magni incipien. *Dum attenta*; ut in speculo d. Ordinis *fol.* 84. sicut & replicatam fuisse in concessione renovata Ministris infirmorum per Gregorium XIV. in secundo Tomo Bullar. Laertii fol. 706. ubi usus privilegiorum limitatur expresse ad Generales ab iisque deputandos. Lezana *dicto Cap.* 18. *n.* 33. *in fin. & n.* 35. Nec deest observare laudatus Amort, quomodo in concedendis privilegiis directe Religioni cuiquam Summi Pontifices fere semper adduxerunt motiva perfectionis in dies succrescentis vitæ maxime exemplaris, laborum pro salute animarum & Apostolicæ Sedis servitio impensorum, ut ex Bullarum textu est manifestum, quæ quidem motiva non semper urgere aut verificari concludit quoad communicationem mediantem ibi in Additione apud Gueber pag. 92.

77 Alterum quod obvenit examinandum dubium pro regulandis occurrentibus casibus est. Utrum privilegium directe & principaliter concessum alicui Regularium Ordini cœteris per consequens communicatum, quoties per non usum aut contrarium usum ac etiam per liberam abrenuntiationem revocationem positivam deperdatur, adhuc vigeat hoc non obstante in communicantibus Ordinibus, ab hisque valeat ad praxim secure deduci? Supponitur hic primum, privilegia posse per non usum concurrente præscriptione cum debitis circumstantiis, fortius per usum contrarium aut per abusum amitti, sicut & per liberam & legitimam abrenuntiationem, tanto magis per revocationem auctoritativam concedentis: ex Bonacin. *tract. de legibus quæst.* 3. *p.* 8. Gueber *tr.* 1. *dubit. V. per tot.* nec non Patrem Didacum ab Aragon. *tract.* 1. *Cap. V. n.* 6. *seq.* Super quæ aliqualiter alibi tacta nolo longiores innovare quæstiones. His positis, Doctores numero & auctoritate spectabiles tenent hac etiam in parte affirmativam, videlicet privilegia uni cuipiam Religioni concessa directe & principaliter, quatenus ab eadem per non usum, contrarium usum & abusum, tacitam hinc vel expressam ultro & legitimam renuntiationem ac etiam per positivam revocationem vere amittantur, adhuc in Ordinibus alias communicantibus perdurare; adeo ut communicantes sive participantes ipsi possint valide atque licite iisdem continuo uti, eo quia vivat privilegium cuipiam Religioni directe elargitum atque exinde cœteris absque legitimo obstaculo communicatum, sit proprium participantium perinde ac si directe & his impertiretur: propterea in casu quo a principali possidente deperdatur amittatur, dimittatur aut ab eo auferatur, non potest hinc inferri præjudicium participantibus ipsis, qui non amplius quoad possessionem & proprietatem illius a principali, cui directe fuerit concessum intelliguntur pendere. Engel. *tit. de privil. n.* 1. Anton. a Spir. S. Directorio Regularium *tr.* 1. *disp.* 1. *n.* 51. cum per eos allegatis, quibus possunt addi memorati per nos in hac ipsa *Dub. XIX. sect.* 2. *n.* 12. §. *Vn. in fin.* nec non Reiuffestuel signanter *de privil.* §. *III. n.* 69. & novissime P. Didacus ab Aragonia in Dilucitat. eit. *tr.* 1. *Cap.* 8. *n.* 21. *&* 22. Porro si proprium liceat exponere sensum: non possum equidem non consentire opinioni sustinenti, debere non usum prætensum privilegii directe elargiti Religioni, quæ ipsum hoc titulo amisisse imputetur, vere probari, atque abrenuntiationem conditionibus necessariis in casu fulciri; quod si non constet, neque Regulares participantes, quatenus privilegio controverso non fuerint abusi, neque eidem legitime abrenuntiaverint, illiusmet possessione nequaquam posse spoliari. Cœterum, quatenus privilegium in specie a Religione cui principaliter & directe fuerat concessum aliquo modo ex præfatis vere supponatur deperditum, probabilius censeo, quod non amplius a communicantibus in eo possideatur: ita ut se-

ſecure valeant uti eodem propter rationem indeclinabilem, quod communicatio & participatio in caſu ſupponat privilegii communicati atque participati exiſtentiam eamque appellet, atque in ea fundetur; ſi enim privilegium non ſit ſeu non habeat eſſe, quomodo non entis erit participatio? Niſi confundatur conceſſio communicatio, directa & indirecta collatio contra prima principia in lege & Sacris Canonibus diſtincte expreſſa. Præcipue nunquam admittam P. Aragonien. ex aliis ab eo relatum num. cit. 21. Quod privilegium quo aliqua Religio, cui directe conceditur per ſententiam Summi Pontificis privetur, adhuc in communicantibus Ordinibus perſeveret: remaneret namque privilegium conceſſum omnino extinctum in fonte tum principiative ex parte concedentis primum & poſtea revocantis, tum miniſterialiter ex parte communicationem non amplius præbentis; proinde foret inintelligibilis affluentia & derivatio in diſtincta ſubiecta ſive in Ordines tali privilegio directe privatos. Quod ſi communicatio privilegii eum ipſamet conceſſione converteretur taliter, ut Pontifex ipſemet declararet quod conceſſio uni facta intelligeretur & alteri Ordini præſtita veluti declaraſſe refertur Julius II. quoad privilegia conceſſa & communicata duobus Ordinibus Prædicatorum & Minorum in Bulla incipient. *Alias* 1. Julii 1509. in quo ſuppoſito communicatio potius appellanda eſt adæquatio examinadverſis per Donatum *tom.* 1. *tr.* 7. *qu.* 1. *n.* 3. Arg. *Cap.* 2. *de privileg. in* 6. Nihilominus cenſendum foret procul dubio non manſurum privilegium in ipſis ſub hoc expreſſo modo communicantibus, quatenus eo ſpoliatus revera remanſeret Regularis Ordo ad quem primario conceſſio dirigeretur, quotieſcumque eadem ratio amiſſionis contra omnes & ſingulos æque militaret: v. g. emergeret idem motivum revocationis ab ejuſdem vel communis aut etiam peculiaris contingeret abrenuntiatio ferv. ſerv. ſive vigeret eadem ratio abrenuntiationis ex: gr. quia privilegium eſſet nimis exorbitans & Epiſcopis præjudiciale, propterea que motivum emergeret in omnibus idem vel explicitæ renuntiationis vel implicitæ per non uſum ex communi doctrina *l. Servias ff. Quod vi &c. Cap.* 1. *de dol. & contum.* Aleſſandr. *Conſ.* 216. *n.* 33. *ad* 38. *lib.* 2. Panormit. *lib.* 1. *conſ.* 75. *n.* 6. Dyſus in Reg. *Certum eſt* n. 12. de reg. Jur. in 6. Card. Tuſchus *lit. E. concl.* 665. *n.* 4. *&c.* Porro hujuſmodi caſus rariſſime eveniunt in praxi: ſiquidem difficillima eſt probatio non uſus, præcipue ſi eundem probare incumbat actori ſive obiicienti: abrenuntiare pariter privilegiis Regulares nullatenus experientia docet. Revocatio autem privilegiorum data peculiari occaſione non una vice contigit & contingit; ſed praxis eſt hodierna quod omnes percutiat Religiones non unam tantum vel excludat aperte communicantes: in qua ſuppoſitione ceſſat omnis quæſtio. De hac materia privilegiorum, quæ non eſt præſentis longioris diſcuſſionis, niſi quatenus ad ſpecificos caſus deſcendamus ad controverſam poteſtatem Prælatorum Regularium pertinentes, agunt ex profeſſo Auctores plurimi, ſed præcipue quantum ad conceſſionem, confirmationem, communicationem extenſionem, interpretationem, amiſſionem eorum, inter recentiores emicat. D. Rupertus Gueber Canonicus Lateranen. in tractatu primo per plures diſputationes diſtributo præclari ſui Operis de privileg. Religioſorum typis dati de ann. 1747. additis adnotationibus clariſſimi item Doctoris Euſebii Amort ejuſdem Ordinis utique legendis.

§. Un. Unum poſtremo addam in hac ipſa Dubit. XIX. priuſquam terminet de poteſtate Prælatorum & inde Confeſſariorum Regularium breviter notandum. Quod nempe nequaquam regat illa propoſitio generaliter prolata ab Auctoribus quandoque etiam magni nominis, ceu Reinffeſtuel, & Gueber inter recentiores = Competere Confeſſariis ſimplicibus Regularibus ordinariam poteſtatem erga pœnitentes ſæculares, quæ poſſidetur ab Epiſcopis a jure ſuper illiſmet ſibi proprie ſubditis. Etenim (quamvis de hoc etiam alibi meminerimus ſed non formiter) privilegium diſpenſandi & peragendi quicquid valent jure ordinario Epiſcopi conceſſum eſt equidem Regularibus, ſed Prælatis dumtaxat inter ipſos & reſpectu Religioſorum ſibi ſubditorum qui principaliter ſunt ſubditi ipſius Papæ, utpote exempti ab juriſdictione dictorum Epiſcoporum; proindeque nullum his inferatur præjudicium: ut patet ex Sacris Canonibus quæ non opportet hic repetere, cum ſermo ſit directus ſcientibus legem: Et quod poteſtatem atque juriſdictionem qua pollent Epiſcopi erga ſibi ſubditos ſæculares in abſolvendo præcipue & diſpenſando vigore Tridentini in cap. 6. ſeſſ 24. poſſideant Regulares reſpective Prælati erga ſubditos Religioſos ſtatuit & ſufficienter declarat toties repetita in præhabitis

ſectio-

ſectionibus Bulla S. Pii *Romani Pontificis circumſpecta la* 132. *tom.* 2. *Bullar. Cherub.* Tamen quod tantam poteſtatem ſignanter in abſolvendo & diſpenſando jactitent Regulares ſive Prælati ſint ſive Confeſſarii ſimplices in ordine ad Sæculares, qui ſunt ſubditi alieni videlicet Epiſcoporum, quantam ſuper his jure ordinario præſeferunt Epiſcopi iidemmet, nullibi legitur aut invenitur in ſacris Canonibus & Pontificiis diplomatibus. Per privilegia equidem confertur Regularibus præfatis non una vice poteſtas ſive juriſdictio erga ſæculares etiam, nequaquam autem generalis aut tanta qualis competit Epiſcopis jure ordinario; bene quidem limitata ad peculiares actus & in expreſſis per privilegium, ut foret illud Pauli III. præcipue abſolvendi quoſcumque advenientes Sæculares a peccatis & cenſuris reſervatis Papæ præterquam a contentis in Bulla Cœnæ & commutandi vota exceptis item quinque Summo Pontifici reſervatis. Et licet poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis velit competere Regularibus dictis pariformiter & non ſecus ac competit Epiſcopis & repetat Gueber in ultimo Operis *n.* 79. *pag.* 959. quaſi foret hujuſmodi poteſtas inter expreſſas in privilegiis: quod non ſubſiſtere oſtenſum eſt n. 70. ſuperius & in §§. ibi additos I. & II. Nihilominus generalem facultatem diſpenſandi ulterius in omnibus impedimentis Matrimonii in quibus diſpenſant Epiſcopi ex ordinaria juriſdictione vel a jure & conſuetudine in Regularibus, & ipſe negat appellans item Cardenam & Reiuffeſtuel, qui contrariam affirmativam ſententiam prorſus improbabilem & in praxi periculoſam cenſent ibi *pag.* 958. *Dicto quinto.* Non obſtantibus in oppoſitum allatis pluribus indultis in favorem Jeſuitarum, Carmelitarum Diſcalceatorum atque Capuccinorum &c. quæ valere quidem, ſed determinate pro Miſſionibus & Miſſionariis in remotis Orbis terræ partibus: demonſtrat, Hinc tanto magis propoſitionem illam univerſalem quod poſſint Regulares erga Subditos Epiſcopis Sæculares quicquid Epiſcopi ipſimet valent jure ordinario in abſolvendo præcipue & diſpenſando, fore evidenter falſum tenemur concludere ad tradita item per Rodriguez loc. alias citato *tom.* 3. *qu.* 1. *art.* 2. & in pluribus locis aliis per Doctores item plurimos nomine & auctoritate celebres, prout plurimos item caſus ſi longius placeret progredi non eſſet hic recenſere difficile, ad quos poteſtas Epiſcoporum a jure reſpectu Sæcularium extenditur & circa eoſdem poteſtas deficit in Regularibus.

Fff 2 DU-

DUBITATIO XX.

QUANTUM AD POTESTATEM SUPERIORIS SIVE PRÆLATI REGULARIS CIRCA ALIA PLURA, NEC NON JURA REGULARIBUS COMPETENTIA.

Omnia fere & singula quæ de potestate Prælati Regularis adducenda supersunt incidenter jam resoluta apparent *tom. 1. dub. X. sect.* 2. & 3. in quibus agebamus de potestate Episcopi super Regulares, in Visitatione atque extra actuum visitandi. Hic itaque tantummodo superaddemus quæ deesse ibi, vel non satis enucleata videantur. Quia item aliqua Regularibus in genere jura competere communiter asseruntur, super quibus notæ controversiæ non cessant occurrere in dies, de his etiam, saltem principalioribus exactior erit sermo, quatenus in primo tomo vel nullo modo, vel insufficienter de iis pariter actum sit. Et quantum ad Prælatos instituitnr.

SECTIO PRIMA.

De potestate circa Ordinandos Confessarios & Concionatores.

SUMMARIUM.

1 *Potestas competit Prælatis Regularibus tradendi dimissorias propriis subditis pro suscipiendis Ordinibus a proprio Episcopo ad normam Apostolicarum Sanctionum, & nonnulla examinantur specialia pro Ordine militari S. Joannis Hierosolymitani §. I. & II.*

2 *Varii casus qui possunt occurrere in actu Ordinationis concernentes hujus valorem expendantur.*

3 *Prælatis Regularibus competit jus instituendi Confessarios privative pro audiendis Confessionibus subditorum. Et multa dubia dilucidantur.*

4 *Prælati iidem instituunt pariter Confessarios pro saecularibus præsentandos Ordinariis pro indeclinabili approbatione. Utrum hi eam approbatione & facultate habita ab Ordinariis locorum tantam valide absolverent Regulares.*

5 *Aliqua dubia pro Regularibus quoad Confessionem extra propriam Ordinem resolvuntur.*

6 *Regularis approbatus pro audiendis Confessionibus Secularium in una diœcesi nequit id peragere in aliena absque approbatione & licentia Ordinarii illius loci absque exceptionibus, ibi alia examinantur §. I. & II.*

7 *De facultate Regularium absolvendi sæculares a casibus reservatis Papæ exceptis contentis in Bulla Cœnæ & de sex casibus contentis in decreto Clementis VIII. remissive ponuntur advertentiæ & examinatur aliud privilegium adductum a P. Felice Potestate §. I.*

8 *Examinantur plura dicta P. Didaci Aragoniensis signanter quoad casum abortus fœtus animati §. I. & quatenus confessariis Regularibus competere per privilegium, præ Confessariis in genere committi convenit §. ii. & iii.*

9 *Replicatur a quibus casibus & censuris nequeant Regulares absolutionem impertiri sæcularibus nec ex vi privilegiorum, & assignantur regulæ generales circa reservationes quæ possint de novo contingere, ubi de impeditis adire Apostolicam Sedem &c. §. Vu.*

10 *Prælati Regulares instituunt in Concionatores proprii Ordinis subditos eisque licentiam exercendi munus concedunt. Ubi de obligatione instituendi eligendi & deputandi idoneos quoad scientiam & mores.*

11 *Prælati qui possunt subditos ad munus Concionandi approbare & deputare, valent eosdem ab hujusmodi officio suspendere atque privare: procedendo tamen juxta Constitutiones proprii Ordinis. Ubi de qualitate Prælatorum, qui valeant Concionatores instituere & alia §. I. & II.*

1 PRimo quantum ad Ordines conferendos patet in dubit. cit. X. tom. I. sect. III. Regulares dependere totaliter ab Ordinariis

nariis respective locorum itaut Prælatus proprius tradat præcise dimissorias cum attestationibus ad proprium Antistitem & eo non peragente Ordinationes ad alium Episcopum, cum authentica tamen attestatione ejusdem Diœcesani de Ordinationibus pro ea occasione a se omissis, ad normam decreti sub Clemente VIII. die 15. Martii 1599. apud Matteucci Offic. cur. Cap. 35. n. 2. ut etiam expressius in Bulla ultima moderni Summi Pontificis inferius alleganda cum aliis advertentiis circa prætensa privilegia in sect. d. III. n. 23. ad 28. Prout pariter nequit Prælatus Regularis cum propriis subditis super interstitiis dispensare, bene quidem Episcopum pro tali dispensatione supplicare, exceptis Religionibus iis quibus facultas hujusmodi dispensationis elargita foret post Tridentinum, ut in Synodico tractatu noviter per eruditum Pontificem BENEDICTUM XIV. typis demandato *lib. 7. Cap. 42. n. 6.* quamvis ibi non addita Ordinariis obligatio tale privilegium executioni mandandi. Impræsentiarum antem supposita doctrina datæ *dubit. XII. sect. V. num. 57. 58. & seq.* De potestate Prælatorum inferiorum videlicet Abbatum & aliorum hujusmodi Regularium quantum ad collationem Ordinum: nil aliud addimus nisi auctoritatem fundati Doctoris Ruperti Gueber, qui in Opere de privileg. Religiosorum *tract. 11. disp. 11. sect. i. & ii.* super articulis a nobis in primo tomo loc. cit. examinatis erudite differens in nihilo discordat, immo licet non omnia afferta sua per ipsa decreta quoque a nobis adducta confirmaverit, tamen Doctores & antiquiores & recentiores diligenter fideliterque congerit rationesque fere easdem quibus nos utimur ad convincendam veritatem & ipse adhibet. Similiter quia in eadem *dubit. XII. sect. VI.* agendo de militiis illa signanter Sancti Joannis Hierosolymitani ibi *n. 67.* prænotatum est quod ubicumque hujusmodi Equites jurisdictionem temporalem & spiritualem possideant privative etiam quoad Episcopum tam respectu locorum quam personarum, eam exercere valeant, hinc datur locus quæsito formiter superaddendo an in casu possibili quod Comendatarius aliquis hujus vel alterius Militiæ ratione qualitatis commendæ & Apostolici privilegii utatur Baculo & Mitra, possit tonsuram in ea suppositione & Minores Ordines conferre. Et respondetur breviter affirmative propter speciale S. C. C. decretum in quo clare sancitur, Præceptorem Comendatarium Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani qui habeat ex speciali Sedis Apostolicæ indulto usum Mitræ ac Baculi perinde ac Abbas Benedictinus conferre posse Ordines dictos Minores suis subditis Regularibus, & hoc quamvis *in præfato privilegio non fiat expressa mentio Ordinis conferendi.* In Argentinen. Collationis Ordinum 10. Maii 1698. decr. lib. 48. ex alia parte aliæ etiam occurrunt in hac ipsa materia Collationis Ordinum quantum ad ipsam signanter Militiam Hierosolymitanam opportunæ observationes. Cum etenim magni Priores ejusdem Religionis prætenderent tradere propriis subditis qualitercumque literas dimissoriales pro Ordinibus suscipiendis ad Episcopos respective veluti alii Prælati Regulares: advertendum obvenit quod etiamsi hæc prætensio fundata foret quoad subditos etiam non professos, veluti ejusdem Religionis sive S. Militiæ familiares, ut firmasse videntur decisiones S. Rotæ in Tolet. Jurisdictionis nec non impressæ in Monast. ad ornat. Card. de Luc. de Jurisdictione *tit. 1. dec. 1. & seq.* In tali etiam supposito non est dubium familiares ipsosmet seu Ministros debere conjunctim tres conditiones alibi descriptas præseferre, nempe actu inservire residere intra septa Conventus vel Commendæ & vivere sub obedientia ejusdem Superioris ipsiusmet Ordinis, ex Trident. *sess. 24. Cap. 11. de Reform.* & fel. record. Gregorii XIII. *Const. 67.* necnon declaratione S. C. C. in Favent. *Jurisdictionis apud Cardin. de Luca disc. 4. de Jurisdict.* Verum enim vero in casu hujusmodi omne dubium videtur tollere ejusdem Congregationis Concil. resolutio, quod nempe dimissorias pro Ordinibus suscipiendis tradere non possint Priores & Comendatarii Ordinis Hierosolimitani *Clericis* qui professi non sint, quamvis Ecclesiis d. S. Religionis inserviant, ut refert Barbosa ad Conc. d. Cap. 11. sect. 24. n. 10. Cardin. Bellarm. ibidem in declarat. §. 5. esto respectu illorum alias subditorum jurisdictionem possiderent omnimodam in Territorio avulso & separato vere nullius. Eo quia omnibus & quibuscumque hujusmodi Prælatis etiam jurisdictione ordinaria pollentibus potestas tradendi literas dimissoriales specialiter inveniatur sublata, nisi doceant de Apostolico privilegio post Concilium Tridentinum impetrato, ex datis in primo tomo & in hoc repetitis pluribus nempe S. C. C. decretis apud Fagnanum *in Cap. significasti n. 27. de Offic. Archid.* Eminent: Petram *tom. 5. ad Constit. 4. Calixti III. n. 67. & seq.* & recentius in nul-

in nullius Hiſpalen. exceſſuum 2. Septembris 1706. decr. lib. 56. pag. 310. atque in Urbinen. ſeu Sulmonen. dub. Ordinationes 22. Martii 1732. ad 1. & 2. dub. fol. publ. Quod idem firmavit Rota in Theatina juriſdictionis 4. Septembr. 1708. §. penult. coram Card. Scotn & *in dec. 7. n. 8. & ſeq. tit. 23. de Off. Ordin.* coram Emin. Falconerio.

§. I. Nec poteſt equidem negari privilegium adhuc magis amplum clare conceſſum Sacro eidem Ordini Hieroſolimitano in Conſtit. 9. Pii IV. favere, quæ incipit *Circumſpecta* §. 27. ibi *nec non Baiulivis Prioribus Præceptoribus Militibus Fratribus & perſonis præfatis quæcumque Eccleſiaſtica Sacramenta & omnes etiam Sacros Ordines a quocumque mallent Antiſtite gratiam & communionem dictæ Sedis habente nihil oblato & ſolvto recipiendi*, & §. 6. ibi: *necnon exemptionem & liberationem prædictas*. Ita quoad Bajulivorum Priorum Præceptorum & dicti Hoſpitalis Fratres Capellani a quocumque Antiſtite Catholico ſub Romanæ Sedis obedientia conſtituto Sacros Ordines etiam extra tempora a jure ſtatuta tribus diebus feſtivis ſuſcipere &c. poſſint. Bullar. *tom.* 2. Nihilominus neque poteſt non adverti qualiter hujuſmodi Bulla celebris Rhodiana quæ incipit *Circumſpecta data fuit de Anno* 1561. & nequaquam de anno 1571. prout errando cum Doctoribus pluribus id aſſeruimus *tom. 1. dub. XII. ſect. iii. n. 66. circa finem* nam dicto anno 1571. Pii fel. rec. IV. & Pontificatui & fatis vitæ ſimul jamdudum ceſſerat ſuccedente ei S. Pio V. uſque ab anno 1566. ideoque non eſt dubium, quod privilegia per dictam Rhodianam impertita hujuſmodi S. Militiæ ſi quæ Concilio Tridentino contraria deprehendentur per Concilium idem ſubſequens terminatum de anno 1564. 26. Januarii & per Bullam alteram ejuſdem Pii IV. *In Principis* poſteriori utpote de anno 1565. fuerint abrogata ut obſervavit pariter diligens Lezana *tom. 2. Cap. 5. n. 53.* Et nos corrigendo in ipſo *tom. 1. velati loc. cit.* hic ſuperaddimus. Abſque eo quod aſſerere poſſimus quod Conſtitutio illa prior: *Circumſpecta* una cum privilegiis in ea contentis fuerit per confirmationem ſubſequentium Pontificum pro ipſis Militibus & aliis communicantibus revocata, confirmationemque etiam ex certa ſcientia privilegiorum tum directe tum per communicationem reviviſcentium legatur cum invariata clauſula ſemper: *dummodo Concilii Tridentini decretis non adverſentur*: veluti in Bulla ſignanter S. Pii V. pro dicto Ordine incipien. *Expoſcit* & altera Gregorii piæ mem. XIII. incipien. pariter: *Circumſpecta* accedente inſuper Conſtitutione BENEDICTI Eccleſiam univerſam edocentis XIV. incipien. *Propoſito nobis* in qua ſi quæ dentur prætendantur a Regularibus circa mittendos proprios ſubditos ad quemcumque Antiſtitem pro Ordinibus ſuſcipiendis, abſolute decernit prudens Pontifex debere oſtendi obtenta poſt Tridentinum & prodeſſe Religioni dumtaxat cui ſint directe conceſſa, nec reviviſcere per confirmationem in forma communi, niſi per exceptivam in forma ſpecifica in nova Conſtitutione literaliter inſerantur: *die 27. Februarii* 1747. Quamvis quantum ad privilegium facultativum competens Epiſcopis & paſſivum Regularibus conferendi & recipiendi Ordines extra tempora comperiatur in Bulla præfata Rhodiana cum iis quæ præmiſimus *tom. d. 1. dub. X. ſect. III. n. 26. & ſeq.*

§. II. Hac eadem occaſione, agendi videlicet de privilegiis Sacro Ordini Equitum Hieroſolymitanorum competentibus, memorari non omitto; quomodo Commendatariis ſive Officialibus hujus inclitæ Militiæ non repugnat juriſdictio etiam quaſi Epiſcopalis in ſubditos etiam Sæculares eo modo, quo dictum eſt in 1. *tom. dub. II. ſect. II. per tot.* quantum ad Prælatos vere *Nullius*. Attamen quoties Territorium, quod exemptum ab juriſdictione omnimoda Epiſcopi prætendatur, materialiter ſitum ſit inter Diœceſim, pro indubitato apud omnes habetur quod ad probandam juriſdictionem activam quaſi, vel clarum privilegium vel conſuetudo prorſus immemorabilis, abſque eo quod ſufficiat quadragenaria & cum titulo colorato, requiratur, quo circa cum vetuſtiſſima inter Epiſcopum Converſanum ex una & Religionem Sancti Joannis Hieroſolymitani ſive Magnum Magiſtrum fratreſque dicti S. Ordinis & ſignanter Bajulivorum Sancti Stephani ex altera parte perduraret controverſia ſuper prætenſa juriſdictione quaſi ſuper Oppido Pataviani & incolis ejus BENEDICTUS Clavum Eccleſiæ univerſalis gubernans hac tempeſtate XIV. examinatis ex utraque parte rationibus documentiſque exhibitis: pronuntiavit pro parte Magni Magiſtri ſuper eodem Oppido probari exemptionem tantum paſſivam, nec pro activa Ordinaria juriſdictionem aſſiſtere dictæ Religioni immemorabilem, utpote ſemper ab Epiſcopo impugnata, necnon expreſſum privilegium ordinariæ juriſdictioni pro dicta Religione ſeu Magno Magiſtro deficere & ſic pro-

pronuntiando per definitivam sententiam decrevit *jurisdictionem ordinariam & Episcopalem in Ecclesiam, Clerum & Populum universum loci seu Terræ Pataviani Conversana Diœcesi competere Episcopo Conservano*; *non autem Bajulivo Sancti Stephani Magno Magistro, Fratribus, aut Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani* cum certis aliquibus Juribus tamen exemptionibus iisdem Bajulivo concessis ex immemorabili & cum onere simul solvendi Parocho debitam congruam &c. Per literas incipien. *Apostolicæ servitutis die* 14. *Martii* 1743. Per quam resolutionem aliæ similes controversiæ circa jurisdictionem quasi inter Episcopos & Commendatarios dictæ Religionis, necnon reliquos inferiores Prælatos possunt mensurari, hac dixi arrepta occasione superaddendi aliqualem animadversionem circa privilegia præsentandi ejusdem Religionis alumnos ad recipiendos Ordines.

2 Placet hic opportune quoque dum agimus de potestate Prælatorum mittendi subditos sive Religiosos ad Ordines, subdere aliquas S. C. C. decisiones quoad casus qui non semel ad quæstionem deducuntur in Ordinationibus iisdem juxta non impossibilem praxim. Et primo quæritur an qui non tetigerit in Ordinationis actu physice materiam deberet haberi pro valide ordinatus. Supponitur autem post propositionem ab Innocentio S. M. XI. proscriptam quoad valorem Sacramenti debere nos sequi opinionem magis tutam: Et respondetur casum contigisse in Ordinatione cujusdam P. Capuccini ad Subdiaconatum qui ex inadvertentia Assistentis non tetigerat physice librum Epistolarum, super quo resolutum fuit; *Ordinationem caute supplendam esse privatim*. In Senogallien. *Ordinationis seu Ordinis Cappuccinorum* 10. *Januarii* 1711. *decr. lib.* 61. Item cum fuerit quæsitum; quomodo se gerere deberent ordinati ad Sacerdotium & dubii de validitate Ordinationis, eo quia dum Ordinem suscipiebant adverterunt non esse hostiam superpositam. Responsum fuit quod vel acquiescerent vel abstinerent a celebratione licet bona fide per triennium celebraverint. Ita S. eadem C. in alia Ordinis Capuccinorum Ordinationis 10. *Februarii* 1708. *decr. lib.* 58. At prius quantum ad idem quæsitum S. C. resolverat absolute *quod Ordinatus ad Sacerdotium & dubius de validitate suæ Ordinationis deberet abstinere a celebratione donec haberet declarationem validitatis ejusdem*. In Ovaten. Ordinationis 9. *Martii* 1699. *decr. lib.* 49. Proposito pariter dubio quid agendum in casu quo quis fuerit ordinatus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem & cum hæsitatione de Sacramento Confirmationis prius habito & successive Diaconatum receperit, sed in ætate legitima rescripsit eadem S. C. C. &c. *Esse illam absolvendum & dispensandum ad cautelam super irregularitate prævia collatione Confirmationis sub conditione* in alia item Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. dispensationis 15. *Novembr.* 1710. *decr. lib.* 60. Casus item accidit quod quis in recipiendo Ordinem Subdiaconatus ab Episcopo extero falsis usus sit dimissoriis sui Ordinarii; At cum ante Ordinationem Episcopus ipse ordinans clara voce publicaverit se non habere intentionem ordinandi nisi eos qui omnia præseferrent requisita juxta Sacros Canones & Conciliorum Decreta, in actu vero ipsiusmet ordinationis intendisset peragere ea omnia & eam habere intentionem quam Sancta Mater Ecclesia præscribit & tenetur habere vir doctus pius & prudens; & hinc quæsitum fuerit an Subdiaconatus in casu fuerit valide collatus *Affirmative* resolvit S. C. C. sic Portellagren. Ordinationis &c. 5. *Aprilis* 1704. *Decr. lib.* 54.

3 Ut hinc ab Ordinatis transeamus ad Confessarios, hos instituendi potestatem in Religione propria respective Prælatis Regularibus nemo denegat. Et quidem P. Didacus ab Aragonia in sua Dilucidatione Tract. III. de potestate directiva Prælatorum Provincialium Cap. 2. n. 8. asserit; „ Quod possit Provincialis in sua „ Provincia Confessarios perpetuos instituere illisque licentiam concedere activam & passivam absolvendi a reservatis, „ necnon dispensandi ad petendum debitum „ cum conjugibus qui post contractum matrimonium incestum commiserunt usque „ ad secundum gradum consanguinitatis vel „ affinitatis inclusive, tam ex cognatione „ spirituali quam carnali provenientem, & „ cum aliis qui post emissum castitatis votum matrimonium absque dispensatione „ contraxerint vel post contractum matrimonium castitatem voverunt, quæ quidem „ facultates durant donec a Successore revocentur, cum gratiæ morte vel amotione concedentis non expirent & favores sint ampliandi odia vero restringenda: pro qua doctrina citat Lezanam Bordonum Candidum & Palaum. Verumtamen pace sua laudatus Auctor debuisset in absoluto asserto distinctius procedere; non enim fas esset Confessariis indifferenter institutis concedere potestatem activam & passi-

passivam absolvendi a reservatis cum in Clementis Papae VIII. Decreto attenta amplitudine Conventus hujusmodi Confessarii quibus absolvendi a reservatis facultas committatur, praescribantur respective plures vel pauciores; nam quatenus committi posset indifferenter omnibus esset ridicula reservatio; tanto minus videtur posse deputari a Provincialibus Confessarios omnes & quoscumque ad dispensandum in petitione debiti conjugalis, cum standum sit in verbis privilegii ubi numerus assignatur deputandorum, & differentiam vergentem inter votum emissum ante Matrimonium & post ipsum contractum inter Conjuges concordantes ex dictis in dubit. praecedenti n. ult. prout pariter negaretur suppositum de cognatione spirituali, quae nequaquam impedimentum ad petendum debitum in adultero conjuge ex visis ibid. sicut & in primo gradu consanguinitatis incestus, neque jure petendi debitum privat, ut consideranti patet. Item & distinguendum sit circa durationem facultatis per decessum vel amotionem concedentium; nec Doctores citati si perpendantur absolutam sic sententiam absque necessariis cautelis proferrent attentis dictis & probatis in Dubit. praeced. Sect. ult. n. 65. Dicemus itaque quod revera competit Regularibus Praelatis potestas instituendi subditos in Confessarios eosque approbandi supposita idoneitate quoad omnia requisita pro Confessionibus audiendis tum Religiosorum ejusdem Ordinis respective tum etiam saecularium praecedenter ad approbationem Ordinariorum. Et sane quoad audiendas Confessiones Religiosorum ejusdem Ordinis potestatem praeseferunt privativam: ex Bullis Mare Magnum nuncupatis in quibus cavetur quod ipsi soli Confessiones suorum subditorum audiant vel ii qui fuerint ab ipsismet delegati & deputati, ut in Mari Magno Praedicatorum §. 29. & in Mari Magno Minorum distinctius §. 32. n. 81. apud Lezanam *tom.* 5. & in aliis aliarum Religionum ibi propriis locis. Ita & taliter quod munus Confessarii respectu Regularium alicujus Ordinis a nullo possit exerceri, nisi per proprium Praelatum Ordinis ejusdem sit approbatus & designatus; utpote jurisdictio super sibi subditos ab hoc dumtaxat tamquam vero Ordinario succedente loco Episcopi conferri queat; ut probat Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 62. *art.* 4. Portell. dub. Regul. V. *Confessarii erga Religiosos n.* 10. Hieronymus item Rodriguez *resol.* 32. *n.* 21. Bordon. *resol.* 4. *n.* 2. & 3. Sanctor. *super Const. cap.* 7. *stat.* 1. *qu.* 1. & fuse Candidus *tom.* 1. *disp.* 3. *art. ult.* Ita quod neque Episcopi ipsi possint valide audire Confessiones Regularium defectu jurisdictionis ex praedictis Bullis *Maris Magni* Praedicatorum §. 30. & 31. nec non Minorum §. 33. *n.* 87. apud Lezanam *tom.* 5. Peyrin. *ad Constit.* 20. *Julii* II. §. 25. *n.* 62. Long. *de Cas. reser.* 1. *part. sect.* 3. *art.* 13. *n.* 1. Candid. qui citat alios *tom.* 2. *disquis.* 28. *art.* 57. *n.* 4. & late Passerinus *de elect. can. cap.* 26. *qu.* 15. *per tot. a n.* 135. *& seq.*

§. I. Et quamvis P. Lezana cum pluribus *tom.* 5. *in Mari Magno Minorum d. n.* 87. velit concedere Episcopos posse absolvere Regularem ratione Epichejae in casu quo Praelatus Religionis injuste negaret ei absolutionem vel in casu quo Confessarii Regulares coeteri una cum Praelato forent impediti, negat hoc mordicus Passerinus allegatus n. 146. & 151. concedit praecise dictam facultatem Episcopis respectu Regularium, quoties a Superiore Praelato eorumdem haec illis delegetur, quae utique delegari potest secundum eumdem Auctorem ibidem *n.* 143. sicuti ab ipsismet Praelatis Regularibus potest delegari cuicumque Confessario vel Saeculari vel Regulari extra proprium Ordinem sive explicita sit delegatio sive implicita, quae utique contingeret quoties Praelatus det licentiam proprio subdito, ut ab alio Sacerdote extra Ordinem absolvatur. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 27. *&* *tom.* 5. ad Mare Magnum Praedicatorum §. 29. Intellige tamen, nisi obstent Religionis propriae statuta, signanter a S. Sede confirmata: ut ex alibi satis probatis deduci potest. Pro itinerantibus Religiosis supponitur delegatio implicita Sacerdotis cujuscumque extra Ordinem, cui posse illos confiteri propria peccata vi licentiae obtentae itinerandi probat idem Lezana, esto per Ordinarium minime approbato, dummodo foret idoneus eod. *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 27. necnon *tom.* 5. ad Mare Magnum Minorum §. 32. *n.* 84. Nihilominus circa hunc articulum quod possit eligi Confessarius in casu esto ab Ordinario minime approbatus, non plene aquiesco; siquidem in quibuscumque indultis etiam Bullis ipsiusmet Jubilei pro eligendo Confessario vel alterius Religionis vel saeculari semper apponitur conditio seu apponitur formula, quod Confessarius eligendus, ab Ordinario sit approbatus juxta doctrinam communem: Felix Potestas legatur quantum ad hoc de Ministro Sacr. Poenit. n. 3446. & seq. Accedit declaratio Benedicti Ecclesiae-

clesiam gubernantis hac tempestate; qui in indulto concesso Patribus Capuccinis una cum statuti in contrarium nimis rigidi abolitione confitendi in casibus peculiaribus in quibus desit copia Confessarii proprii Ordinis Sacerdotibus sive Saecularibus sive cujuscumque alterius Ordinis & Religionis, exprimit quod *vel ab Ordinario loci vel Praelato Religionis respective sit* approbatus, & ulterius quod si confessio sit de peccatis aut censuris in Religione propria reservatis, absolutio impertiatur Religioso poenitenti cum onere deinde proprio Superiori se praesentandi & absolutionem a reservatis sive casibus sive censuris iterum obtinendi &c. Ita in Brevi incipien. *Quod communi: die* 30. *Martii* 1742. tom. 1. Bullar.

§. II. Caeterum potestatem instituendi & approbandi sive deputandi aut delegandi Confessarios pro Religiosis sibi subditis spectare privative ad Praelatos Ordinum Regularium quorumcumque, concordant Doctores ex cit. Bullis Maris Magni, nec non Extravaganti *Inter cunctas* de privileg. pluribusque Summorum Pontificum Diplomatibus, signanter Clementis VIII. incipien. *Romani Pontificis* de anno 1599. la 64. Bullar. tom. 3. Nec non Urbani pariter VIII. de an. 1630. la 105. Bullar. tom. 4. in quibus aperte mandatur praescribitur & declaratur, Religiosos quoscumque, non obstantibus quibuslibet indultis & privilegiis etiam Bullae Cruciatae quoad Sacramentum poenitentiae suorum respective Superiorum dispositioni esse & fore subjectos apud laudatum Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 29. Et quidem Benedictus XIV. Ecclesiae universalis Clavum dirigens hoc idem expressit in Bulla incipien. *Apostolica indulta* 3. *Augusti* 1744. §. 7. ibi. *Firmis manentibus plurium Praedecessorum nostrorum declarationibus Bullam Cruciatae quantum ad articulum eligendi Confessarium seque a casibus reservatis absolvi faciendi nequaquam Regularibus suffragari &c.* D. autem Gueber Canonicus Regularis anteriorum Pontificum resolutiones fere pro singulis Religionibus accurate & distincte recenset de privileg. Religios. *tract. iv. disput.* 1. *sect.* 2. *n.* 14. *pag.* 747. Qui vero sint himet Superiores Regulares quibus competat privative potestas instituendi appropandi deputandi & delegandi Confessarios pro suis respective subditis, optime resolvit idem citatus Lezana esse illos omnes qui vere Praelati censentur, attento jure communi; videlicet Generales, Provinciales, Priores & in Religione Minorum Custodes, qui gubernio Provinciae sive Custodiae cum jurisdictione praesident. Quamvis sint inspicienda cujusque Religionis specialia statuta, an per ipsa restringatur magis vel minus praefata facultas prout de facto in Religione Minorum ultra Generales restringitur ad Provinciales, hinc Guardiani licet post electionem in gradum Confessiones ipsi audire queant, tamen alios ad id muneris deputare nequaquam possunt *Cap.* 7. *statut. num.* 1. *&* 2. Commissariis autem & Visitatoribus, quatenus habeantur pro veris Praelatis cum omnibus facultatibus concedit idem tom. 5. in Mari Magno Minorum n. 87. post Bordon. ref. 4. n. 4. Cand. d. art. 39. n.4. Sanctorum *Cap.* 7. *stat.* 1. *qu.* 1. 2. *&* 4. Praxis attamen in Religione nostra viget quod hujusmodi Visitatores electionem & deputationem Confessariorum cum traditione literarum patentium Ministris Provincialibus relinquit. Super quibus omnibus nolo quaestiones instituere, nisi quantum ad personam Episcopi, posse hunc sine dubio absolvere Regulares in quibus vel ratione itineris vel cujuscumque alterius necessitatis valeret eos absolvere alter Sacerdos non ejusdem Religionis, quod nequeunt negare Auctores nec negat ipse Passerinus *d. Cap.* 26. *qu.* 15. *n.* 143. prout legendus foret itidem praecedenter n. 138. Si vero Regularis fiat subditus Episcopi per injuriam eidem illatam vel per Decreta Concilii Tridentini Sanctionesque Pontificias, quoties inibi Episcopo vel Ordinario delegetur absolute Sedis Apostolicae potestas super Regulares, coercendos etiam per censuras seu juris remedia, tunc necessario subdi Episcopo respective vel dicto loci Ordinario quantum ad absolutionem a censuris si in quas ab eo latas vel declaratas incurrant saltem in foro externo, pariter non potest non concludi: ex communi Doctrina apud Reinffestuel signanter de sent. excomm. *n.* 242. *&* 249. qui profecto Auctor multa preclare scribit, dictis per nos alioquin uniformia, circa facultates Regularium tum excipiendi confessiones Religiosorum alterius Ordinis tum confitendi peccata etiam reservata aliis extra Ordinem proprium in citato titulo §. VIII. n. 259. ad 265. Et signanter quoad Fratres Minores, de quibus insurgit specialis difficultas ratione statuti de non confitendo peccata extra Ordinem, & affirmative resolvit: cum obligatione tamen se praesentandi Superiori deinde proprio vel ejus delegato quoad reservata ibi *n.* 262. *&* 263. prout innuit Dominus

minus Benedictus XIV. paulo ante in allegato Decreto pro Capuccinis . Quamquam circa hanc conditionem in supponitione quod Religiosus in casu confitens facultatem super casus reservatos passivam saltem implicite possideret, verum teneor fateri secundum meum sensum nil impedire, quin ab ipsis etiam absolvi quiret per extraneum absque necessitate praesentandi se iterum proprio Superiori, propter eandem rationem, quia Superior potestatem absolvendi etiam a reservatis intelligeretur in casu delegare: exceptis censuris specialiter reservatis solis ipsismet Superioribus Generalibus aut Provincialibus ad normam alibi Doctrinae traditae Portell. in *dub. Regul. V. Cesena n.* 13. & 14. Felix Potestas loc. cit. *n.* 3447. *seq.*

4 De facultate pariter instituendi approbandi & deputandi Confessarios pro Saecularibus si agatur, non est dubium, hanc competere primario & principaliter sive indeclinabiliter Ordinariis locorum quorum jurisdictioni Saeculares subjacent tamquam proprii subditi; propterea Regulares quoad tale munus exercendum respectu Saecularium ab Ordinariis iisdem dependere, ut satis distincte visum est in *tom.* 1. *dub.* 10. *sect.* 3. *n.* 31. *ad* 38. Nihilominus certum adhuc est debere prius Regulares etiam in ordine ad Saeculares a propriis Superioribus respective institui Confessarios & sic institutos Ordinariis locorum approbandos praesentari: *ex Clementina Dudum de sepult.* & communi Doctorum apud Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 19. *n.* 12. & *tom.* 3. *V. Confessarius Regularis n.* 2. Tantum quaerendum venit, an Regularis ipse audiens Confessiones Saecularium cum approbatione & deputatione Episcopi, absque tamen approbatione & licentia sui respective Superioris, id muneris solum illicite perageret aut etiam invalide. Et sane quantum ad illicitam actionem in casu conveniunt omnes cum Navarro *Cap.* 1. *de poenit. disp.* 6. *n.* 73. Et veluti voti obedientiae transgressorem puniendum esse Confessarium addunt Sot. *in* 4. *dis.* 18. *qu.* 4. *art.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 37. *art.* 1. Quo vero ad validitatem est inter Doctores dissensio: concedunt siquidem validam in casu absolutionem Peyrinus Diana & Miranda allegati a Lezana loc. cit. Eo quia nihil desit Confessariis ad valide absolvendum cum jurisdictio necessaria ab Episcopis eam privative habentibus erga proprios subditos conferatur, & Concilium Tridentinum praescribens approbationem necessario praebendam ab Episcopo *sess.* 23. *Cap.* 15. Approbationis & praesentationis per Praelatum Regularem praesuppositae nullam facit mentionem. Lezana *V. Confessarius Regularium* n. cit. 2. cum exceptionibus tamen ibi appositis; quod nempe non obstet peculiare mandatum Apostolicae Sedis in aliqua Religione sub poena nullitatis & dummodo non sit necessaria specialis delegatio Superioris quoad aliqua vel interveniat usus privilegii Religioni in contrarium concessi. Nec Religiosus ab exercitio audiendi Confessiones suspendatur; prout per proprium Praelatum suspendi posse etiam in casu probat laudatus Auctor tit. & n. eodem. Alii validitatem absolute negant; ut ex Barbosa videtur sentire Matteucci in Offic. Cur. *Cap.* 7. *n.* 18. Ea ratione; quia forma praescripta in *Clementina Dudum*; praesentandi videlicet Regulares Episcopo, uti supra non est revocata per Tridentinum in d. *Cap.* 15. Verum in alio relevat ratio responderent oppositae sententiae Assertores; formam praesentandi praescribi quidem in *Clementina Dudum*. Sed non cum clausula nullitatis & irritationis facultatis concedendae ab Ordinariis ut foret necesse ibidem, siquidem relata praesentatio insinuatur in gratiam ipsorum Ordinariorum, itaut veluti rogati ad petitionem Superiorum praesentantium facultatem excipiendi Confessiones Religiosis concederent, non pro obligandis Ordinariis iisdemmet, ne facultatem tribuere quirent etiam non praesentatis, idoneis tamen ex alia parte cognitis & repertis; ut evidens est legentibus dictam Clementinam, per extensum transcriptam a P. Lezana *tom.* 5. *ad Mare Magnum Eremitarum &c.* §. 7. *n.* 4. Coeterum cum agatur de valore Sacramenti; quem deesse deficiente certo & omnino jurisdictione propter materiae & formae defectum, clarum est; videtur tenendum cum eodem P. Matteucci; videlicet debere non sequi opiniones in praxi tutiores, nisi replicaretur adhuc in casu sententiam Episcopis faventem esse aequitati valde consonam & longe probabiliorem; cum non sit eis injungenda dependentia a Praelatis Regularibus quam nec jura nec Concilium imponere evidens est sistendo in validitate. Si consideremus eo magis; quod Praelatus ipse Regularis, quatenus delegat ad audiendas Confessionem propriorum subditorum Religiosum alterius Ordinis; vel Sacerdotem Saecularem, nullatenus dependet a licentia prius tribuenda delegato a Praelato,

lato, sive Ordinario ejus proprio. Felix Potestas de Ministro Sacr. Pœnit. *n.* 3287.

5 Tamen super usque nunc dicta opportune occurrunt non contemnenda dubia. Primum: An Regularis absque licentia aut indulto possit absolvi a quolibet Sacerdote vel Sæculari vel alterius Ordinis a peccatis tantum venialibus aut gravibus jam confessis? Respondetque affirmative Lezana *tom.* 5. ad Mare Magnum Minorum §. 32. *n.* 85. Eo quia ad validam absolutionem a venialibus in casu sufficiat jurisdictio generalis quam habent quicumque simplices Sacerdotes, eamque substinet recentior Gueber cum Diana *in libro* de privileg. *pag.* 768. dicto ibi sexto & aliis ibi citatis. At melius sustinet negativam P. Matteucci *Cap. 6. sub n.* 10. propter decretum S. C. C. a Ven. Innocentio XI. approbatum de anno 1679. 12. Februarii. ℣. *Non permittat*: apud Feliceem Potestatem *tom.* 1. *n.* 2935. Quamvis ibi non exprimatur nullitas absolutionis quam prætendit ipsemet Matteucci, sed dumtaxat, quod non permittatur talis usus, & ulterius replicat Gueber tale decretum afficere potestatem Confessariorum respectu Sæcularium, ob inconvenientia inde secutura non autem pœnitentes qui forent Regulares. Pater vero Didacus Aragonensis appellat Confessiones invalidas *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. sed deinde *n.* 21. licentiam saltem Prælati Regularis minime requiri ad validitatem videtur replicare. Quicquid sit parendum est Summo Pontifici; Cum agatur de jurisdictione & reverentia debita adeo eximiæ virtutis Sacramento, prout inconvenientia possunt sequi ad hoc aliqua si non omnia, quæ adducuntur a Gueber pro pœnitentibus Sæcularibus ibi *dicto sexto n.* 32. quoties simplex Sacerdos sive Regularis sive Sæcularis eligeretur in casu a pœnitentibus ipsis Religiosis, ut perpendenti liquet. Secundum dubium est. An Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis, cui extra Ordinem proprium confiteantur peccata in aliquo possibili casu Religiosi debeat esse approbatus ab Episcopo? Cui respondet affirmative Matteucci, eo quia in privilegio concesso Patribus Prædicatoribus itinerantibus per Innocentium XII. indulgetur, ut quandocumque Confessarius eis desit ex proprio Ordine possint eligere Presbyterum idoneum & discretum, Religiosum vel Sæcularem, idoneus autem per Concilium Tridentinum *sess.* 23. *Cap.* 15. non reputatur in casu, nisi ad id muneris per examen Episcopi si videbitur necessarium, talis probetur, quam opinionem dicit tutiorem, ideo sequendam: *d. Cap. 6. Offic. Conf. n.* 19. *in fin.* Ego vero, loquendo de Regularibus eligendis alterius Ordinis, etiam in suppositione quod approbatio per examen requireretur pro eorum idoneitate comperienda, non video, quare non sufficiat ad id approbatio Superioris illius Religionis respective de qua Confessarius seligatur, absque eo quod instituatur quæstio de approbatione Episcopi. Deinde legendo Concilium in dicto *Cap.* 15. clare percipio decretum circa approbationem Episcopi necessariam esse editum de Presbyteris etiam Regularibus ad audiendas excipientibus ibi. *Confessiones Sæcularium* & quod nomine pœnitentis sæcularis veniat Regularis etiam alterius Ordinis occurrit novum. Portell. *V. Confessar. n.* 14. Tamburin. *tom.* 2. *pag.* 33. *n.* 17. Concilium item citatum Decretum format cum distinctione: ibi -- *Nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen Aut alias idoneus judicetur.* Ex quo apparet, quomodo idoneitas possit alias præsupponi & judicari præter quam per examen. Per consequens itinerantes Religiosi, vel in similibus necessitatis casibus de explicita aut implicita suorum Superiorum licentia, quæ sane attendenda est etiam quoad casus reservatos: ex Felice Potestate *tom.* 1. *n.* 3447. judicare possunt de idoneitate Confessarii per se adhibendi per aliam viam quam per examen, quod ab Episcopo approbante subierit. Nec pro opinionibus in praxi sequendis prævalet semper ratio quod habeantur tamquam magis tutæ, nisi sint etiam æque probabiles & nequaquam contineant errorem intolerabilem. Cum alioquin quia videtur magis tuta sententia quod in Confessione sit necessaria contritio perfecta, quod in nullo casu neque indirecte absolvantur peccata nisi individualiter distincte expressa, & aliæ ejusmodi tutiorem partem sed cum in probabilitate præseferentes, forent in praxi necessario sequendæ: contra commune Doctorum signanter apud Felicem Potestatem egregie in hac materia differentem *tom.* 1. *part.* 1. *Cap. item* 1. *n.* 82. *ad* 100.

6 Dubitatur tertio incidenter: an Regularis approbatus pro Sæcularibus in una Diœcesi possit audire Confessiones eorum in Diœcesi aliena præcipue quoties pœnitens existeret de illa Diœcesi in qua Regularis fuit approbatus? Cui sane dubio respondebant olim Doctores posse id agere Confessarios Regulares in aliquo casu propter privilegium concessum a Gregorio XIII.

in sua Bulla: *Ad perpetuam* Confessariis & Concionatoribus Societatis Jesu in quo aliarum Religionum Professores communicare prætendebant, quod videlicet ab aliquo Ordinario semel approbati & a suis Superioribus ad hæc monera deputati occasione itineris sive in mari, sive in terra valerent Verbum Dei prædicare & quorumcumque Christifidelium confessiones audire, dummodo tamen Curati Ecclesiarum non repugnarent nec in Oppidis aut locis id exercerent in quibus Ordinarii degerent sine horum licentia. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 7.* Henriquez *tom. 3. de Sacram. pœnit. Cap. 6. n. 7.* Attamen hisce temporibus eamdem facultatem revocatam censeo non tantum per Bullam Urbani VIII. relatam a P. Lezana *tom. 1. Cap. 19. n. 2.* annullantem & irritantem præcipue privilegia concessa Religioni cuilibet & Societati, &c. per quæ eximantur Regulares ab approbatione Ordinarii sed expressius & distinctius per Constitutionem Clementis X. *Superna. Ubi* §. 3. aperte decernitur Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in una Diœcesi approbatos nequaquam posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi item Diœcesani approbatione audire. Quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi a quo ipsi Religiosi jam fuerint approbati. Et licet hoc non valeat quantum ad Parochos respectu subditorum propriæ Parochiæ quorum Confessiones possunt quidem audire in Diœcesi aliena ut in *tom. 1. dub. xiii. sect. 6. n. 90.* §. 11. visum est contra eumdem Patrem Matteucci. *Cap. 6. n. 16.* de Regularibus tamen non ita, tum propter expressam prohibitionem in dicta Constit. Clementis, tum attenta ampliori declaratione Innocentii claræ mem. XII. qui necessitatem approbationis habendæ per Ordinarium loci extendit ad Confessarios etiam Regulares absolventes vigore privilegii Bullæ Cruciatæ in sua Constit. incipien. *Cum sicut non sine gravi* de anno 1700. 19. Aprilis: ibi. *Ita quod Confessarii Sæculares & Regulares quicumque illi sint in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a pœnitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confessiones electi, nullatenus hujusmodi Confessiones audire valeant sine approbatione Ordinarii & Episcopi Diœcesani loci in quo ipsi pœnitentes degunt & Confessarios eligunt vel ad excipiendas Confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum & Diœcesum obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent subditi forent.* Quod idem probat observandum esse tempore Jubilœi, nempe Confessarium electum vigore ipsius debere approbatum esse ab Ordinario loci, ubi Confessarius ipse moram trahit & Confessiones audit, Matteuccius loc. cit. *n. 11. & 12.*

§. I. Quantum deinde ad privilegium Pauli III. Jesuitis principaliter collatum eoque pro ipsismet amplius vigere, satis declaratum habetur in famosa Angelopolitana: *Jurisdictionis* confirmata ab Innocentio X. in Constitut. *Cum sicut la 29. tom. 4. Bullar. in dubio* inter alia propofito pro parte Episcopi §. 9. ibi. *Utrum Regularis quicumque etiam Societatis Jesu possit administrare Sacramentum pœnitentiæ Sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani etiamsi in alia Diœcesi ab Episcopo approbatus sit?* S. C. ad hunc effectum specialiter deputata respondit. *Regulares etiam Societatis Jesu in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones Sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.* Absque eo quod relevet doctrina & sane egregia Patris Reinffestuel pro contrariæ sententiæ probabilitate. Siquidem hic revera habet locum ratio potissima, quod cum sententia negans facultatem præfatam Regularibus nisi omnino certa sit longe probabilior; utpote fundata in tot Apostolicis Constitutionibus & Decretis in ultimo signanter nimis perspicuo Angelopolitanæ: ac etiam incomparabiliter tutior quantum ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, proinde non debeat non sequi in praxi attenta propositione condemnata per Innocentium Ven. mem. XI. *n. 1.* cui opinioni in casu foret saltem affinis. Concedi nihilominus potest, quod in Religionibus in quibus adsit consuetudo diversa, nempe Regulares licet altera in Diœcesi demorantes ibique tantum approbatos advocari a Rectoribus Parochiarum alterius proximæ Diœcesis & absolvere passim in solemnitatibus aliisque publicis functionibus affluentes inibi populos, etsi ab Ordinario loci ibidem non expresse approbatis, non habeant vim prohibitiones præfatæ; utpote Regolares in hisce sint expresse casibus tacite tamen a dictis locorum respective Ordinariis id scientibus & permittentibus approbari censeantur, ut optime citatus Reinffestuel. *de sent. excom. n. 259.* Idque insinuat cum debitis semper cautelis Gueber, *tract. IV. disput. 2. sect. 2. n. 15.* Verum quod asseritur in casu de Regularibus potest extendi ad Confessarios quos-

quofcumque, cum fiat vis neutiquam in privilegiis fed in præfumpta licentia & permiffione Diœcefani.

§.II. Dubitatur pariter an Confeffarii Regulares præfertim approbati in Urbe per Emum Cardinalem Vicarium adConfeffiones excipiendas populorū & inter eos Pœnitentiarii ipfius Papæ in Bafilicis refidentes valeant extra urbem & in Diœcefibus alienis Confeffiones excipere Sæcularium abfque approbatione cujufpiam refpective Ordinarii? Et refpondetur item negative; Concilium namque *Seff.* 23. *cap.* 15. Ordinariis locorum ubique abfque ulla exceptione fubiicit Confeffarios quofcumque qui velint fubditos eorum Sacramentum pœnitentiæ miniftrare. Ita & taliter quod Examinatores ipfi Epifcoporum & Apoftolici ad Confeffiones audiendas in alienis Diœcefibus, quatenus e confinibus Urbis & jurifdictionis Eminentiffimi Vicarii exeant approbatione indigeant refpective Ordinariorum; fuper hujus exemptione & exceptione namque non legitur privilegium. Quod fi privilegium de facto prætendatur a Presbyteris Congregationis in Urbe fibi conceffum a Gregorio XIII. in Conftitut. *Decet Romanum Pontificem* de quo Regulares cœteri participare autumant apud Quarantam in Sum. fol. 199. hanc eadem Conftitutionem ferit directe Conftitutio alia Urbani *Cum ficut accepimus* quæ aperte contra prætendentes privilegia fuit edita eaque quoad hoc revocat & annullat, ut conftat legenti apud Cherubinum *tom.*4. *pag.*418. P. Didacus ab Aragonia omnia in hoc num. exarata admittit nifi quod fi iter conficiatur a Regularibus per mare vult quod valeant hi Navigantium Confeffiones excipere *tr.* 6. *Cap.* 3. *n.* 22. Quod concederem ego pariter quoties neceffitas vel ratione imminentis periculi vel alterius cafus urgeret;cœterum prohibitio quibuslibet Confeffariis non excipiendi Confeffiones extra Diœcefim Ordinarii ubi & pro fuis fubditis approbati fint eft aboleta nec ullatenus diftinguit præcipue fi iter arriperetur per Mare in terras longinquas & ab Ordinarii proprii refidentia admodum diftantes in qua fuppofitione Cappellanus & Confeffarius pro turba Navigii ut in plurimum affignatur, cum fimus in materia refpiciente defectum jurifdictionis de valore valde dubitarem juxta adnotata §. I. præcipue ex clariffimis verbis Conftitutionum Pauli V. Urbani VIII. ac Innocentii XII. irritantium Confeffiones & Confeffarios ab hoc officio fufpendentium. Ultra quam quod optime interloquitur ibi laudatus Auctor quod Regulares fic itinerantes per Mare poffint audire Confeffiones Navigantium (puta attenta neceffitate) *abfque ullo privilegio* propter quod verificata doctrina approbanti in una Diœcefi, valeret fine dubio hoc adimplere quilibet alter Confeffarius alias approbatus licet non Regularis in fequentibus faltem iifdem, cafibus attenta æquitate feu Epicheja fuper quam fundari poteft dumtaxat hæc fententia *ex l. placuit C. de Judiciis*; confideretur & addita doctrina Anacleti Reinffeftuel *tit. de Conftit.* §. *XV. n.* 378. *feq.*

7 De poteftate quam poffident Regulares abfolvendi Sæculares a peccatis & cenfuris Papæ non tamen a cafibus in *Bulla Cœnæ* contentis & ab illis quinque vel fex prohibitis fpecialiter intra Italiam & extra Urbem in Decreto edito juffu Clementis VIII. de anno 1701. & declarato poftmodum per aliud additum *fub die* 26. *Novembris* 1602. necnon a refervatis etiam in Urbe per Decretum Clementis fel. rec. XI. *fub die* 13. *Martii* 1711. fufficienter etiam egimus *in tom.* 1. *dub.* 10. *fect.* 3. *n.* 36. Atque inter privilegia abfolvendi Sæculares ab hujufmodi refervatis præter exceptis vigere principaliter afferuimus illud conceffum a Paulo III. Patribus Jefuitis in Bulla *Cum inter cunctas* 3. *Julii* 1545. cum derogatoriis &c. relatum literaliter per Felicem Poteftatem *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3459. Qui Auctor ibidem pari doctrina & prudentia advertit valere privilegium pro foro præcife confcientiæ & non pro nominatim cenfuratis feu pro cenfuris ab homine latis in foro fignanter externo, ut alibi etiam fuit adnotatum. Ultraquamquod advertendum quoque duco & exprimitur in Bulla Clementis VIII. mox citanda nullatenus fe extendere privilegium ad difpenfandum in irregularitatibus fuper quibus nullibi invenitur impertita difpenfandi facultas fimplicibus Confeffariis, ut probat P. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 5. Quod fi pro aliquibus Religionibus hujufmodi indultum conceffum earumdem Confeffariis prætendatur id numquam fuiffe pofitum in ufu, replicat laudatus Lezana in tit. *Confefforius Regularis num.* 10. militat immo contra prætendentes declaratio aperta Clementis VIII. in Bulla *Quæcumque* 7. *Decembris* 1604. de Confeffariis Regularibus erga Sæculares ftatuens ibi. *Et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata abfolvere & fuper irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus quam occafione delicti contractis difpenfare prætextu dictorum*

ctorum privilegiorum nullo modo possint . Animadvertimus item quomodo indultum celebre Pauli III. citatum Patribus Jesuitis signanter concessum ac ab aliis Regularibus participatum & numquam revocatum, neutiquam inservire possit pro absolvendis Sæcularibus non tantummodo ipsis Regularibus vel ejusdem vel Ordinis distincti; esto siquidem impertitum legatur pro absolvendis omnibus personis utriusque sexus Christifidelibus undequaque ad Confessarios eosdem accedentibus, in quibus generalibus terminis non posse videntur etiam Regulares non includi: attamen mens concedentis patet quod absolutionem præcise sæcularium intendat, sicut & facultatem ibi expresse additam commutandi vota (exceptis quinque &c.) evidens est respicere personas sive pœnitentes Sæculares ut cum Rodriguez & Portella concludit item Lezana præfatus Verbo *Confessarios Regulares n.* 16. sed replicabis: ergo Regulares seu Religiosi comparative ad Sæculares fient quoad hoc gratiosum indultum absolutionis obtinendæ &c. deterioris conditionis . Cui sane replicæ est obvia responsio in favorem Regularium concedi ampliora privilegia coram Prælatis tum pro absolvendo tum in dispensando a peccatis censuris & super irregularitatibus eo modo quo declaratum probatumque fuit in Dubit. præcedente XIX. Sect. I. II. & III. Repetitur autem generale etiam hic advertendum principium quod impertitum privilegium pro absolvendis Sæcularibus minime valeat, quoties per Constitutiones novas Apostolicas ita casus & censuræ contra inobedientes & transgressores reserventur, ut neque in foro conscientiæ possint absolvi a quocumque Confessario sive Sæculari *sive Regulari* cum clausula *non obstantibus privilegiis &c.* veluti cautum fuit de absolutione &c. etiam inter Regulares Dubit. præcedenti XIX. Sect. 2. n. 32. Nisi novæ confirmationes privilegiorum posterius contingant cum derogatione derogatoriarum in ampla forma, quod etiam n. 46. in dicta sect. 11. fuit adnotatum .

§. I. Adducitur insuper amplissimum privilegium a P. Felice Potestate per Paulum III. concessum Patribus Societatis in Bulla 48. *Licet debitum* 18. *Octobris* 1549. Quatenus in partibus seu terris Infidelium Saracenorum Paganorum & Provinciis aliis remotissimis degentes possint absolvere Christifideles ibi commorantes ab omnibus censuris & casibus etiam Bullæ *Cœnæ* necnon, dispensare in gradibus non licitis Matrimonii ante acceptam fidem contractis, benedicere vestes Sacerdotales Corporalia Calices, reconciliare Ecclesias (si Episcopus tamen Catholicus ibi non adsit) & bis in die juxta necessitatem celebrare . Quod quidem privilegium ab aliis Regularibus participari indubitanter supponit, cum non habeatur nec ibi nec aliunde participationis exclusio . *tom.* 1. *n.* 3479. Nihilominus hujusmodi indultum cum similibus nequaquam favere aliis Regularibus per concessiones amplas datas & innovatas dicta communicatione gaudentibus, nisi in iisdem dumtaxat terminis in quibus concessum legitur principalibus directe ipsum obtinentibus pro illis videlicet tantummodo remotissimis Regionibus & cum clausulis expressis alibi nos diximus tradendo generalem regulam in dubit. præcedente Sect. I. n. 10. §. I. & Sect. III. n. 65. §. III. Utrum deinde & quomodo Confessarii Regulares facultatem possideant dispensandi cum conjugibus super jus ad petendum debitum distincte disseruimus in dubit. præcedenti Sect. ult. n. 65. & in §§. ibi seq.

§. II. Quamvis autem præmissum sit supra Confessarios Regulares ab Ordinario approbatos posse quidem absolvere Sæculares ab omnibus casibus & censuris Summo Pontifici reservatis sed neutiquam a contentis in Bulla *Cœnæ* neque ab illis sex peculiaribus in Decreto jussu Clementis VIII. edito *de anno* 1602. ut initio hujus numeri 7. adhuc aliquæ considerationes super his sex exceptis casibus opportune cadunt pro dubietatibus elucidandis. Prima obvia occurrit super verbis ipsis Decreti nempe quod reservantio casus & censuræ intra Italiam dumtaxat & non extra ipsam neque in Urbe, itaut & in Urbe & extra Italiam remaneant reservati præcise casus contenti in Bulla *Cœnæ* a quibus nequeant absolvere Regulares, necnon ubicumque casus ii quos Ordinarii locorum respective sibi reservent: unde evidentius relevat responsio ad illud objectum magnificatum adeo a contrariis signanter a P. Matteuccio *tom.* 1. *dub. X. n.* 36. per nos relatum §. ibi II. videlicet quod per S. Congregationem Episc. jussu Urbani VIII. fuerit deffinitum ; *Quod ab aliis casibus & censuris Papalibus* (præter contentos in Bulla *Cœnæ*) *non intelligitur sublata Regularibus facultas absolvendi extra Italiam . Vigore Decretorum editorum* sub Clemente VIII. Vigore siquidem eorumdem decretorum sub Clemente sublata spesialiter supponebatur Regularibus

bus facultas absolvendi ab iis sex mox citatis & in dicto tom. 1. recensitis, ab aliis autem præterquam a reservatis in Bulla *Cœna* & Episcopalibus in dictis Decretis firma declaratur remanere Regularibus absolvendi facultas, ut legentibus liquet. Sed a quibus extra Italiam possint absolvere Regulares declaravit Urbanus. Alioquin si currerent pari passu quoad Regulares prohibitio absolvendi ab aliis reservatis Papæ sicuti a contentis in Bulla *Cœna* & Episcopalibus ubique terrarum non tantum in Italia, moveretur quæstio de omnibus an caderent sub potestate absolutiva dictorum Regularium Sed de his satis in dicto I. tom. loc. cit. Replicatur pariter animadvertendum inter illos sex casus exceptos in Decretis sub Clemente de an. 1602. super 4. signanter videlicet de iniicientibus manus violentas in Clericos juxta Canonem *Si quis suadente &c. & juris dispositionem*. Quod non obstante opinione aliquorum substinentium posse virtute privilegiorum Confessarium Regularem absolvere Sæculares a percussione personæ immunis saltem levi, debet omnino hujusmodi facultas ipsi denegari, cum absolute reservetur absque distinctione Apostolicæ Sedi eo pacto quo ostensum est in Dubit. anterior. Sect. 2. n. 29. Sicut & pro Confessariis non tantum Regularibus sed quibuscumque legitur in Decreto Clementis de anno 1602. sublata transgressoribus scilicet præsumentibus absolvere a dictis casibus pœna inhabilitatis audiendi imposterum Confessiones fidelium, quæ inter alias imponebatur ipsis in Decreto primo de anno 1604. quod non eget probatione, cum oculos aperienti sit manifestum.

8 Jure tangunt de hinc Doctores quinam sint casus quænam censuræ suspensionis etiam & interdicti a quibus licet Papæ reservatis, utpote extra Bullam Cœnæ & præter casus recensitos in Clementino Decreto de anno 1602. possunt virtute privilegiorum absolutionis beneficium impertiri Sæcularibus Confessarii Regulares. Recenset casus suspensiones & excommunicationes plures Felix Potestas *tom. 1. n. 3548. & 3549.* numerum ampliorem horum reservatorum tamen extra Bullam quæ assignat P. Didacus ab Aragonia in sua dilucidatione privilegiorum de Confessariis Regularibus agens *tract. 6. Cap. 5. n. 18. 19. & 20.* Verumtamen in his ab utroque Auctore, præcipue secundo expositis perpendendæ sunt circumstantiæ omnes propter quas casus plerique: tum ad sex illos prohibitos in Decreto Clementis, tum in Bulla ipsa Cœnæ Domini contentos possunt facile reduci ut perscrutanti patere potest. Solummodo repeto super id quod replicat pluries ipse Aragoniensis quantum ad abortum animati fœtus in *tract. 6. cap. 5. n. 9.* Sed prius *Cap. 4. n. 16.* ubi videlicet notat, quod Confessarius Regularis, qui obtinuit ab Episcopo potestatem in genere absolvendi a casibus & censuris huic reservatis habeat etiam illam absolvendi ab excommunicatione propter dictum abortum fœtus animati, quia secunda in generali comprehenditur non obstante Bulla Gregorii *Sedes Apostolica*, in qua exprimitur quod Confessarius quoad hoc debet esse specialiter delegatus, scilicet nisi detur specialis facultas quoad hoc, *vel generalis quoad omnes casus*. Istam tamen interpretationem addit ipse contra literam Bullæ ubi legitur propria dictio *specialiter* quæ nil operaretur in casu, si sufficeret deputatio generalis, sive in genere, ut tenent pariter Doctores passim attenta eadem dictione superaddita in similibus, de quo late jam supra in dubit. præceden. *19. sect. ii. n. 29.* & 30. Et ulterius cum Bulla Gregorii expresse disponat quod pro absolutione elargienda in casu debeant deputari specialiter ab Episcopo Confessarii sive *Sæculares*, sive *Regulares*, Regulares ipsi non absolverent virtute privilegiorum ut authumat ibi Aragoniensis, sed vigore sibi commissæ delegationis ab Episcopo non secus ac Confessarii cœteri Sæculares. Quod autem subdit laudatus Auctor casum hujusmodi non esse reservatum Romæ aliquam forte mereretur discussionem, quamvis namq. casus evaserit Episcopalis a jure fortasse unitus quoad potestatem expresse traditam Episcopis super eum, non definit tamen in reliquis esse Papalis quoad limitationem & modum insinuatum in absolvendo & cœteras pœnas remanentes in esse, quæ in Bulla Sixti *imponuntur* præter inhabilitatem ad audiendas Confessiones uti supra, sed esto non foret reservatus Romæ, hoc nequaquam contingeret virtute privilegiorum quibus Confessarius Regularis fulciretur in absolvendo, nam ea potius ratione quia Romæ pro nullo Confessario etiam Sæculari reservationem præseferunt casus in seipsis Episcopales. Ex Bassæo Verbo abortus *num.* 3. Bonacina de censuris *tom.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 10. *n.* 15. *&c.*

9. I. Multa alia congerit Aragoniensis idem circa Confessarios Regulares ut videre est apud ipsum in dicto tract. 6. Cap. 2. tit. de appellatione Regularium ab Ordinariis

riis locorum ad audiendas Confeſſiones Sæcularium *Cap.* 4. de poteſtate eorumdem Regularium abſolvendi Sæculares a caſibus reſervatis, & de poteſtate qua ſimiliter pollent, ut ipſe diſtinguit abſolvendi Sæculares a cenſuris etiam reſervatis Papæ virtute privilegiorum *Cap. V.* Quia tamen de iis quæ tangunt propriæ Confeſſarios Regulares in hiſce capitulis jam egimus alibi, vel in primo vel in hoc ipſo ſecundo tomo, ut patet cuilibet legenti indices ideo aliqua ſolummodo ſignabimus, vel quæ replicare ob ſpecialem & neceſſariam relevantiam ad notandum non ſit ſuperfluum, vel quæ non regunt vel quæ non placent. *Cap. itaq.* 3. *n.* 12. ſcribit Aragonienſis, quod nequeat Ordinarius revocare licentias generaliter & abſque limitatione conceſſas audiendi Confeſſiones, niſi ſint conceſſæ a Vicario ſuo generali juxta relata verba Conſtit. Clement. *Superna* debet autem adnotari quod ſupponitur ibi Vicarium Generalem agere ſecundum facultates ſibi traditas in genere nec ſubjicere examini Confeſſarium de Ordine ſpeciali Epiſcopi & vice ejus alioquin non forent unum & idem Tribunal. Approbatio Vicarii Generalis valeret proinde, ac approbatio Epiſcopi ejuſdem, nec revocationi ſubjaceret niſi quatenus adeſſet ſpeciale motivum in eaſu, ut in eadem Conſtit. *Superna*. Supponitur autem ibi Vicarium Generalem non habere circa hoc tantam poteſtatem ſive juriſdictionem ab Epiſcopo cui adimere facultatem ſimpliciter conceſſam attenta plena idoneitate per examen comperta, eſſet contra fas, alioquin cum faciant unum Tribunal, & hæc poteſtas intelligatur incluſa quod agit Vicarius Epiſcopi nomine & vice ipſius videtur ſubſiſtere, quatenus non adſit revocationis motivum in caſu, veluti poteſt ſequi revocatio licentiæ ab ipſo Epiſcopo, ut ex præhabitis in primo tom. *dub.* 13. *ſect.* 1. *n.* 7. §. 1. Ultra quamquod hujuſmodi doctrina attendenda veniret non pro Regulari tantum, ſed pro Confeſſario quocumque ut conſideranti liquet cap. pariter eodem 3. & n. 11. Subdit poſſe Capitulum, Sede vacante. ſive *Vicarium Capitularem ex juxta cauſſa Regularibus facultatem audiendi confeſſiones adimere*; quod nequaquam ſubſiſtere ob Decreta Sacræ Congregat. in contrarium cautum eſt *tom.* 1. *dub. X. ſect.* 3. *n.* 33. *circa finem* in eod. *Cap.* 4. *n.* 12. *&* 13. pariter eodem *n.* 3. opportune adnotat laudatus Aragonienſis quod & nos repetere non piget & comprobare, non poſſe Regulares abſque approbatione Epiſcopi audire confeſſiones Tertiariorum & famulorum Sæcularium niſi iſti ſint de familia & continui Commenſales ex Bulla Clementis *Superna* & pluries dictis per nos, ſed neque poſſe abſolvere Sæculares virtute Bullæ Cruciatæ. Niſi ipſi Regulares Confeſſarii ſint approbati ab Epiſcopo loci ubi Confeſſiones audiunt eſto Sæculares ſint Subditi Epiſcopi a quo Regulares dicti alias ſint approbati, juxta Conſtitutionem ſignanter Innocentii cl. mem. XII. Cum ſicut ſub die 19. April. 1700. & quoad hoc conveniunt omnes non eſſe inter Confeſſarios Regulares & Sæculares differentiam.

§. II. Verum numeris deinde 17. 18. & 19. ejuſdem Cap. 4. tria aperit, quæ aliquam animadverſionem non demereri fatendum eſt, & quidem primum, quod licentia audiendi Confeſſiones ad libitum ſive ad beneplacitum conceſſa nequeat ab Epiſcopo concedente ſine magna cauſſa revocari non negat: ipſe namque titulus *ad beneplacitum* cauſſam quamcumque excludit, ita quod quoties ſibi libet valeat ad examen, quod gratis omiſſum ſupponitur, Ordinarius illum cui gratioſe pro tempore ſibi bene viſo ſavit, ſubjicere, nec quoad hoc æquivalet licentia hujuſmodi approbationi generali obtentæ prævio examine, ſed potius opponitur, hæc enim reſpicit juſtitiam & prima gratiam, ſive arbitrium, videantur adducta in 1. *tom. dub.* 10. *n.* 34. Secundum dictum, quod *n.* 18. ſcribit Aragonienſis eſt quod approbatio Regularium ab Epiſcopis facienda eſt ſolum quoad literaturam in qua debent eſſe approbandi ſufficienter periti, nam quoad mores approbantur a Prælatis Regularibus ex Leone X. in Conſtit. *Dum intra mentis arcana* §. 6. Contra quod facit Concilium Tridentinum, poſt Leonis X. Bullam indifferenter præcipiens, quod ad Confeſſiones audiendas approbentur idonei tum Sæculares, tum Regulares *ſeſſ.* 23. *Cap.* 15. *de reformat.* Si ergo idoneitas ex parte Sæcularium menſuratur etiam quoad mores, verificari videtur quoad vitam & mores etiam ex parte Regularium, non quod Epiſcopus fidere nequeat, nec fas ſit ipſum fidere atteſtationibus Prælati reſpectivi Regularis, ita quod non ſit facultativa in eo hæc acquieſcentia, ſed improbatur, quod cadat ſub obligatione eo vel magis, quod per Bullam. *Inſcrutabili* datur Epiſcopis poteſtas adjudicandi ſuper delinquentes Regulares in adminiſtratione Sacramentorum Perſonis Sæcularibus §. 4. *& ante reſponſ. ad* 1. proinde poterit

prius

prius quam potestatem conferat, de moribus cujusque se informare, sicut mores pravos compericns postea potest delinquentem ab officio suspendere. Tertio addit idem Pater n. eodem 4. quod Regularis Parochus approbatus ad confessiones audiendas si a cura animarum amoveatur per suum Superiorem, non indiget novo examine, nisi ex nova causa quæ concernat confessiones. Hoc siquidem assertum debet supponere, quod Episcopus, de quo procedit sermo approbaverit Religiosum ad confessiones audiendas distincte ab institutione in Parochum: Cœterum si ratione Parochiæ collatæ tantum facultas dicta Regulari insit, deficieute ratione & fundamento non video quare non deficiat jurisdictio quam aliunde non habet, veluti asseritur communiter de quolibet Parocho non Regulari, quia Parochiam relinquens jus super gregem deperdit, nec potest confessiones amplius audire, nisi alias vel approbatus sit ante, vel approbetur deinde, tanto plus, quia agitur de valore Sacramenti saltim consecutive quoad jurisdictionem absolute deficientem, circa quem opinio minus tuta proscribitur.

9 Cœtera fere quæ adducit laudatus Auctor in dicto titulo de Confessario Regulari conveniunt vel disconveniunt æqua lance Confessariis in genere quibuscumque vel Regularibus, vel Sæcularibus, ut perscrutanti patere potest, quapropter vel apud ipsum præsertim *Cap. 3. n. 23. & 24. & Cap. 4. per totum* vel Doctores reliquos legenda remitto, utpote non præsentis indaginis, in qua de Confessario Regulari ut tali quæsita moventur; quid valeat videlicet & quid non circa absolutionem impertiendam Sæcularibus virtutè privilegiorum. Quia nihilominus aliquos enumerat casus variasque censuras a quibus & ipse negat posse Confessarium Regularem absolvere Sæculares ultra & præter casus Bullæ Cœnæ & reservatos Episcopis absolute, necnon intra Italiam casus illos sæpe narratos sex, ad quos Confessarii dicti Regularis auctoritas sive facultas nequaquam se extendere est incontroversum, ut legere quis potest apud ipsum in dicto tract. 6. Cap. 5. n. 1. Sibilesque casus repetit in Decreto Clementis de anno 1602. contentos & ipsos explicat a num. 2. & 3. seq. Adnotare non nequeo quod plerique ex ipsis casibus *n.* 1. ibi recensitis cum illis coincidant, ut jam tetigimus, qui continentur in Bulla *Cœnæ* vel reducuntur ad enumeratos sex in Decreto Clementis & ulterius licet ibi diligenter adjectantur novissime recensiti casus tum a Clemente XI. tum BENEDICTO Regnante XIV. non erit tamen abs re recolere, quod aliqui desiderantur quorum absolutio Regularibus sit absolute prohibita; propter quod recolenda repeto quæ in tom. 1. dubit. X. sect. III. n. 36. & seq. sunt exarata circa hujusmodi potestatem Regularibus competentem absolvendi Sæculares a casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, & sic non inopportune replico hic generales regulas, quod virtute privilegiorum non possint Regulares Confessarii Sæcularibus absolutionem impertiri a casibus & censuris in Bulla *Cœnæ* contentis neque a casibus ubique locorum quos sibi Episcopi reservanti prout nec a casibus sex in Decreto edito sub Clemente X. de anno 1602. recensitis, ab his ultimis tamen solummodo intra Italiam & extra Urbem absolvendi facultate privantur; & quamvis intra Italiam, non comprehendi Insulas Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, immo & Melitæ reputat cum aliis dictos Aragoniensis Cap. 4. n. 4: quia sumus in odiosis si vera nihilominus sit relatio Marulli, quod in dictis Insulis Decretum Clementis sit in usu oportet praxi acquiescere Felix Potestas *n.* 3476. & superaddere non est superfluum quod examinandus ultra prædictos sit adhuc quilibet casus alter pro cujus absolutione Regularium privilegiis specialiter & aperte derogatur. Quod si ex certa scientia in posteriori Bulla ut adducitur illa Clementis VIII. privilegia omnia Regularibus cum derogatoriarum derogatoriis confirmantur, examinandum item est utcumque, an per Bullam privilegia confirmantem de aliqua derogante in casu speciali nota digna necessario sit mentio facienda. Saltem non potest in dubium verti, quod derogatio privilegiorum circa absolutionem a casu & censura reservata, quæ obveniat post & superaddatur Bullis ipsorum privilegiorum confirmativis, reddat usum privilegii prætensi in hac materia quæ ad valorem pertinet Sacramenti parum tutum in terminis propositionis proscriptæ ab Innocentio San. Mem. XI. *num.* 1.

§. Un. Subdit item Pater Aragoniensis tract. 6. cap. V. n. 12. & seq. quod Confessarius Regularis possit absolvere impeditos aut perpetuo aut ad prolixum tempus ire & se conferre Romam, aut ad Legatum delegatum sive ad Episcopum pro absolutione consequenda a reservatis in Bulla *Cœnæ*, & aliis quomodocumque privative ad Sanctam Sedem, sive alium

Superiorem inter relatos spectantibus. Rupertus Gneber asseruit in opere postumo competere Regularibus facultatem absolvendi a casibus contentis in Bulla *Coenae* coeterisq; quomodolibet reservatis in suppositione impedimenti perpetui vel nimis prolixi, uti supra adeundi Sedem Apostolicam in poenitentibus, quod probat ex asserto privilegio Eugenii IV. suae Religioni concesso: At constat legenti quomodo idem privilegium trahatur demum a generalibus terminis ad peculiares casus. Melius ergo firmatur, vel quod ad solos devolvatur Episcopos hujusmodi facultas, vel Confessariis indifferenter competat in aliquo casu ex jure communi, ut ibidem pag. 870. n. 55. Videatur Felix Potestas n. 3448. & seq. item 3588. Et ad instantiam assignat doctrinam, quae tamen quatenus vera sit non solus Regularis Confessarius, sed in casu tam extremae vel urgentis necessitatis comprehendi quemlibet alterum Confessarium ex Secularibus simplicem. Caeterum regulariter loquendo nequit Confessarius ullus vel Saecularis vel Regularis absolvere eos, qui impediti ut supra sint adire Apostolicam Sedem propter censuras in Bulla *Coenae* expressas, vel alios casus ipsi soli reservatos vi Constitutionum peculiarium, cum hoc sit munus Episcoporum per jura ipsis collatum *in cap. 13. de sent. excom. cap. eos, qui cap. de caetero & cap. quamvis incidens eodem tit.* Et falsum est ut alibi innuimus, quod Regulares Confessarii in genere valeant quidquid valent Episcopi in absolvendo & dispensando, quia hoc ex peculiaribus privilegiis conceditur Regularium Praelatis, praesertim per Bullam saepius repetitam S. Pontificis Pii V. incipien. *Romani Pontificis circumspecta*; & ulterius limitatur potestas, quod possint Praelati Regulares erga subditos proprios Religiosos quidquid possunt Episcopi erga sibi commissum gregem, nisi etiam super Saeculares & Episcopis subjectis detur Regularibus per Summos Pontifices speciale & indubitatum indultum, quod non ostenditur in casu nostro, absolvendi scilicet impeditos adire Romam. Quod si urgeat necessitas absolvendi dictos vel directe si necessitas sit extrema in articulo videlicet seu periculo mortis, vel indirecte tantum in casu seu gravis periculo damni? Et ad reincidendum cum onere scilicet se repraesentandi ablato impedimento coram habente auctoritatem; in hac quidem extrema seu urgenti necessitate militat pro Confessariis omnibus praefata potestas iis collata per Concilium Tridentinum & alios Canones, & minime cum privilegio pro solis Regularibus, sicut & pro absolvendis impeditis adire Episcopum ob occurrentes casus in Dioecesi & ipsi reservatis, nec privilegium nec ratio potest adduci, quin possint & debeant poenitentes recurrere ad Poenintentiarios vel Vicarios Foraneos seu alios, quibus sparsim per Dioecesim hujusmodi facultas magis & minus a perspicaci & prudente Ordinario committi solet; Leander *de censura tract. 2. disp. 17. qu. 62.* Diana *part. 9. tract. 7. resol.* 10. Mastrius *disp. 21. Theol. Mor. num.* 232. Felix Potestas pariter prae aliis legendus *tom. 1. n. 3345. usq. ad* 3371. addito Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum relato per ipsummet Felicem *n.* 3415. Quaenam deinde sint impedimenta quae eximant poenitentes ab hoc onere adeundi Summum Pontificem vel per seipsosmet vel per Procuratorem describunt pro informandis Confessariis omnibus Doctores, sed minime spectant ad praesens opus regulans dumtaxat potius illa alia, quae addit laudatus Aragoniensis pro potestate Confessariis Regularibus eodem cap. V. n. 15. & seq. perspicuum est item convenire Confessario cuicumque esto non Regulari.

10 Aliqua item superaddere de Concionatoribus proposuimus in hoc ipsomet primae Sectionis titulo. Et sane quod concessum sit Regularibus concionari in eorum Ecclesiis atque in communibus plateis per Bonifacium VIII. in Cap. *Super Cathedram de Sepult.* Benedictum XI. Cap. *Inter cunctas de privileg.* Extrav. Clementis V. in Clementina *Dudum item de Sepult.* supponitur absque controversia; & inde quod competat Praelatis instituere Concionatores proprii Ordinis ipsosque ad idem munus exercendum deputare nemo negat. Quomodo etiam & qualiter per sanctiones tractu temporis editas pendeant Concionatores ipsi Regularis ab Episcopis Ordinariisque respective locorum ad hoc ut actu praedicare queant vel in propriae Religionis Ecclesiis vel in alienis satis quoque fuit insinuatum Tom. I. Dub. X. Sect. III. n. 39. ad 42. Hic dumtaxat repetendum & advertendum simul ea parte prius subditi Regularis concionantis, quod vel praedicet in Ecclesiis propriis aut in Cathedralibus aliisve quibuscumque sive Saecularium sive Religionis distinctae, licentiam & approbationem quoad hujusmodi munus debet obtinuisse primum a suis respective Superioribus; ex Constitut. Leonis PP. X. tom. 4. Bullar. inter Bullas ejusdem Pontificis

tificis n. 21. nec non Concil. Tridentin. *seß.* 5. *cap.* 2. Navar. in Man. *Cap.* 25. *n.* 141. *&* 145. Unde quoties Regularis ipse Subditus absque præfata approbatione & licentia poblice concionari præsumpserit peccatorum eum mortaliter, sentiunt Doctores cum cit. Navarro, immo incursurum excommunicationem latam per Leonem X. in Conc. Lateranen. Zerol. in prax. part.1. V. *Prædicator n.* 2. Reginald. *tit.* 18. *n.* 29. atque obnoxium se redditurum privatione officii prædicandi per d. Bollam Leonis. Quaranta in Sum. Bollar. V. *Prædicator* Peyrin. de subdit. *qu.* 1. *Cap.* 22. Verum ex alia parte peccare etiam mortaliter Prælatos Regulares qui subditis minus idoneis concionandi munus præstantissimum & gravissimæ consequentiæ non vereantur committere, seque reos omnium scandalorum & malorum inde secuturorum constituere, Doctores iidem onanimiter conclamant ex ipsamet Constitutione Leonis PP. X. Ubi onerantur conscientiæ Prælatorum Regularium qui subditos ad prædicandum destinatos diligenter non examinant. Non enim sufficit quod more psitaci Conciones per hæreditatem aut dono acceptas per servitium præstitum sive per exhibitum pretium acquisitas quis materialiter recitet. Sed ad hoc ut in scientia idoneus judicetur requiritur, quod cum modo sui peritia saltem propriæ dicendi habilitati ipsas aptare noverit & materiam ordinare ondequaque illam assumat atque dirigere ad audientium profectum juxta qualitatem locorum in quibus regulariter sibi collatum a Deo talentum exercere prætendunt. Et de hujusmodi saltem peritia mediocri quantum ad scientiæ requisitum certiorem se reddere tenetur Prælatus in approbando subditum ad adeo gravis momenti ministerium, ut & ipse se a graviori eximat peccato: secundum Navarrum & Reginaldum citatos a Peyrino legendo *tom.* 1. *de subd. qu.* 1. *Cap.* 22. ℣. *Peccant etiam*. Legendus foret item Pater Ludovicus de Ameno quantum ad hosmet recitantes qui nec Prædicatoris nomen vel merentur; ex quo fit ut concionandi munus alias iuxta sensum D. Dionysii Areopagitæ Divinum, propter nimiam dictium copiam qui dummodo legere & memoriter addiscere non nesciant vel exclamationibus absque ullo rerum ordine non minus quam aerem Aures rationabilium audientium ferire, omnia præsumunt, adeo viluerit hisce calamitosis temporibus in quibus ignorantia admodum triumphat: pract.crim. *tit. VIII.* §. 6. *n.* 44. Etenim in examine experimentum sit principaliter de scientia, cujus utique prærequisitum in re superflueret, quoties habilitas dumtaxat ad materialiter recitandum vel exclamandum inordinate satis esset, non sine absurdorum periculo quæ parit ignorantia & describit Peyrinus loc.cit. Hinc approbatio præsupponit etiam præstantiam vitæ exemplaris & morum integritatem: juxta allegatum Tridentini præceptum *Seß.* 5. *cap.* 2. ibi: *Regulares cujuscumque Ordinis nisi a suis Superioribus de* VITA, MORIBUS, & SCIENTIA *examinati & approbati fuerint & de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint*. Ex quo quidem textu aperte deducuntur ad propositum duo. Primum quod ad exercendum de facto munus concionandi neque sufficiat in subdito præsupposita Superioris approbatio sed actualis adhuc licentia necessaria sit: ibi & de eorum licentia. Aliud quod sicut requiritur scientia vita exemplaris & morum Religiositas ex parte approbandi, ita ex parte Superioris approbantis sit necessaria de his qualitatibus subditi certa & examinata notitia. Peyrin. loc. cit. Lezana *tom.* 1. *Cap.* 20. *n.* 1. *& tom.* 3. Verbo *Concionator Regularis* n. 6. & 20. Quamvis autem supposita idoneitate non repugnet quod deputetur in aliquo casu a Prælato Regulari ad concionandum Diaconus aut Subdiaconus immo sola Clericali qualitate insignitus; eo quia concionari non sit actus Ordinis sed jurisdictionis delegabilis omnibus quibus jus non resistat. Barbos. *de offic. & potest. Episc. all g.* 76. *n.* 45. & in collect.Bullar. V. *Prædicatorem* cum commu-*ni*. Nihilominus committendum prædicandi onus non nisi viris maturis prudentia & in probitate experta laudabilibus jura & Doctores conclamant, quæ sane qualitates raro admodum juvenilem comitantur ætatem eo vel magis quod quotidianus Concionator Confessarii etiam & Consiliarii reconciliationum pacisque promotoris officia gerere regulariter compellitor, quibus recte perficiendis annorum & experientiæ immaturitas parum habilis comprobatur. Cum alias ultra prædicta idem munus de se ita habetur honorificum in iure ut competat proprie Episcopis *Ex Can. Episcopus nullum dist.* 86. *&* Trident. *seß.* 24. *Cap.* 4. Barb. *d. alleg.* 76. *n.* 4. Aliisque omnibus etiam altioris Ordinis Prælatis ex officio *Can. in memoriam* 19. *dist.* Tamburin de jur. Abbat. *tom.* 2. *disp.* 11. *qu.* 1. *n.* 3. Ideo quantum & quomodo debeat Episcopo deferri & reverentiæ præstari;

quoties personaliter velit ipse concionari sufficienter insinuavimus *in Tom. I. dubit. X. sect.* 3. *n.* 41. & latius differit Supremus Legifer BENEDICTUS XIV. in Tract. *de Synodo lib.* 7. *cap.* 43. *n.* 5. *seq.* Quod procedit item quoties Episcopus velit ut coram se solemniter prædicetur; cum explicatione ibi n. 8. Nec omittendum quod valeat Episcopus pro sui placito concionem habere ad populum in qualibet Ecclesia suæ Diœcesis esto ad Regulares pertineat; ex adductis & probatis per Reverendissimum Antonium Bremont Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum dignissimum *tom.* 4. *Bullarii sui Ordinis tit. V. qu.* 1. *n.* 37. Hoc autem casualiter.

11 Regulares Prælati quibus competat ad concionandi munus approbare possunt etiam ab eodem subditos suspendere cum causa: Peyrin. *d. Cap.* 22. ℣. *Ultimo adverte*. Lezana Verbo *Concionator n.* 10. Causam autem non teneretur manifestare Prælatus nisi Superiori majori sibi hoc præcipienti, prout de Episcopis in casu & similibus ad normam Bullarum *Inscrutabilis & Superna* resolvit Leo in thesaur. *part.* 1. *Cap.* 8. *n.* 9. Si vero suspensus hoc non obstante concionatus fuerit, peccaret quidem graviter; nequaquam tamen fieret irregularis quia nudum ministerium non Ordinem exerceret: ex congestis per Peyrin. loc. cit. Versu *verum quidem* = Verumtamen privatio absolute hujusmodi muneris scilicet concionandi apud Minoritas præsertim non posset inferri, nisi per sententiam juris ordine servato; per consequens toto interveniente Definitorio ut alibi etiam fuit cautum; ex Statut. Generalib. Sambuc. *Cap.* 7. *n.* 40. Prout etiam quis sit hic Superior cui competat jus approbandi licentiandi subditos ad concionandi ministerium, debet resolvi juxta cujuscumque Ordinis Constitutiones. Patet namque quoad hoc præferre primatus privilegium imprimis Generales ut antiquus mos vigebat apud Minoritas ex eorum Regula Cap. V. & moderno adhuc tempore servatur apud Jesuitas aliosque; etiam extenditur facultas regulariter ad Provinciales, ut in omnibus fere Religionibus contingit, licet de jure communi hujusmodi potestatem competere etiam Superioribus localibus quatenus sunt vere Prælati, probant Pelizar. *tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 17. Anton. a Spir. Sancto *in Direct. Regul. tr.* 4. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 600. Cum advertentia tamen quod forma examinandi Concionatores assignatur Regularibus indifferenter per Clementem VIII. Urbanum item VIII. Debere nimirum eligi in Capitulo Generali vel Provinciali aliquot graves & peritos Patres cujuslibet Provinciæ saltem tres, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei & alia munia ibidem recensita *diligenter* examinent priusquam probentur & ad hujusmodi ministeria admittantur. Apud DD. Lezanam signanter *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 70. & 79. Nihilominus patentales literas pro approbatione & institutione sive pro exercendo concionandi Ministerio tempore Adventus & Quadragesimæ a Superioribus tantum vel Generali vel Provincialibus vel alio respective cui si & quatenus utpote Superiori facultas competat expediri jubet Tridentinum: siquidem nominantur ibi quantum ad hoc *Prælati* sess. 8. cap. 7.

§. Un. P. Didacus ab Aragonia hac occasione admonet Concionatores quoscumque Regulares de obligatione non retinendi stipendia pro concionibus a Communitatibus Cathedralibus seu aliis locis assignata; neque disponendi de iis, quia quidquid acquirit Monacus acquirit Monasterio; sed signanter Fratres Minores Regularis & Strictioris Observantiæ ne aliquid disponant de eleemosinis aut stipendiis ipsis, ne culpæ & pœnis Proprietariorum fiant obnoxii, allegans Constitutionem Urbani VIII. *Militantis* de restituendo candore, apud Julium de Venetiis pag. 19. ubi præcipitur injuncta Sancta Obedientia sub privatione officiorum, inhabilitatisque, in angustia positis Concionatoribus ut post quadragesimales labores nil disponant omnino de eleemosinis, sed integre eas Provincialibus sacrificent qui juxta Regulæ præscriptum disponat; necnon statutum Toletanum de anno 1633. confirmatum postea a V. M. Innocentio XI. in forma specifica per Constit. incipient. *Exponi Nobis* 16. Octobris 1685. apud dictum Julium pag. 194. sub pœnis item ibi expressis, quod dictæ eleemosinæ Syndicis Conventuum liberæ & integræ transmittantur; quas ambas Constitutiones & statutum simul adducit & explicat P. Matteucci in Scholio paupert. pag. 199. n. 29. Porro supponere debet discretus ab Aragonia sicut & supponunt pro certo Pontifices providi, quod ii, qui prædicandi onus laudabiliter portant in propriis indigentiis ad minus sicut coeteri hujus muneris expertes non despiciantur, ita quod vel a Superiore Provinciali vel ex redditibus Conventus pro vestiario utantur, libris suppellectili item congrua Cellæ subsidium accipiant, ideoque stipendia dicta pro concionibus veluti ipsis superflua Conventui incorporentur: alias jus naturale reclamaret & æquitas loquen-

loquendo de Religiosis & Religionibus bona possidentibus, quare non possint de suorum laborum fructu sibi providere ad instar aliorum, qui proventibus in casu aliunde gaudent & minime laborant. Et revera in nonnullis doctrina & prudentia præstantibus Religionibus admittuntur stipendia concionum pro id muneris exercentibus loco depositi, seu ut dicitur livelli aliis permixta, taliter ut facto verbo cum Superiore locali possit uti Concionator & parcere interim sumptibus, quos expenderet in sui Personæ subsidium Conventus, seu in qua habitat domus. Unum salvatur, quod ad sui libitum hujusmodi stipendia absque Superiorum respective licentia nequeat dissipare, sed neque absolute disponere cap. 2. & cap. cum ad Monasterium de stat. Regul. Conc. Trident. *sess. 25. cap. 2.* de Regul. Quantum deinde ad Fratres Minores non dubitatur, quin debeant eleemosinæ dictæ pro concionibus a Communitatibus, vel aliis Dominis sive Executoribus allignatis apud Syndicos Apostolicos reponi, qui nomine Sedis ipsius Apostolicæ reservato dominio apud Summum Pontificem, sicut de cæteris proventibus oblationis seu laborum pretiis cavetur, de quo non oportet hic superfluam innovare quæstionem; unde licet eleemosinarum earumdem in casu Provincialibus specialiter demandetur, uti supra, non tamen in superfluos usus aut in proprium commodum queunt per ipsos impendi, quatenus post Provincialatum summa considerabilis reservetur proprio eorum arbitrio applicanda. Bene quidem indigentias Conventuum atque Fratrum considerare tenētur, præcipue ipsorummet qui in vinea Domini labores insumpserunt, ita ut in quantum Regula tolerare queat largiori manu subveniantur; imo quoties solers Religiosus peculiaribus medicaminibus & fulcimentis egere videatur pro tuenda salute & Religioni inserviendo in studiis & fructuosis operibus conficiendis, nec ulla sibi aperiatur via providendi, nisi concionando & eleemosinas cum intentione explicita elargientium medio suo labore consecutas & apud Syndicum Apostolicum repositas indigentiis applicando; an bene se gereret Provincialis privando industriosum & de Religione benemeritum alumnum subsidio per labores proprios, neque per furta neque per nocumenta aliis illata acquisita foret disputandum. Profecto in casu intentio Domini Papæ apud cujus Ministrum, Syndicum scilicet repositæ forent eleemosinæ in favorem laborantis & indigentis sapientissime interpretaretur, veluti interpretari fas esset præcipue per Ordinis Prælatos, Tambur. de jur. Abbatum *tom. 1. disput. 16. part. 6. n. 8.* Lezana *qu. 1. cap. 18. n. 56.* Nec omitto ad propositum considerationem etiam suggerere prudentem, quomodo in statutis præsertim Reformatorum exponitur quidem, quod non pergant ad prædicandum, sive prædicationis munus nequaquam exerceant, qui nequeunt pedibus incedere propriis & pedester calcare iter *cap. 3. n. 36.* Verum istud statutum quamvis justum in genere & consistens in exemplaritate Concionatorum vulgarium evaderet irrationabile, nisi admitteret epicheiam, utpote multo magis conferat communi bono, quodConcionator eloquens & decorem distinctum Religioni inferē, a Ministerio fructuoso nou vacet quāvis cum Religiosa modestia necessitate compulsus in ætate signanter provectiori iter conficiat assumendum, quam si ab equitando & concionando, simul abstineret, prout omnes sapientiores in Ordine numquam denegarunt & Superiores omnes concedunt tamquam casum a Regula ipsa permissum per statuta a S.Sede confirmata, rationabilius quam permittatur accessus ad Capitula æquitando Vocalibus. Legantur verba Julii Papæ II. apud Sanctorum Constit. *Cap. 11. qu. 6.*

§. II. Quæri posset adhuc an Regularis Parochus in suppositione Curæ animarum per se actualiter exercitæ approbatione & licentia prædicta per Prælatum proprium respective prius sibi præstita ad concionandum in propria Parochiali indigeat. Et responderem indigere approbatione in genere ad concionandum & institutione ad hujusmodi munus per suum respective Prælatum Regularem, quæ tamen ordinarie præsupponitur in casu; nullus namque pro certo Superior Regularis aut præsentaret aut deputaret ad animarum curam subditum quem prius tamquam idoneum ad concionandum & pascendum verbo instruendumque gregem non novisset & approbasset. At supposita tali generali approbatione & idoneitate posse exercere prædicandi officium post approbationem obtentam pariter ab Ordinario, absolute tenendum est cum non fiat deterior aliis Parochis quibus id muneris incumbit a jure Lezana item V, *Concionator n.9.* Porro Concionatores Regulares generaliter non habentes animarum Curam sicut possunt ab Ordinariis ante exercitium ministerii examini subiici, ita ad professionem Fidei emit-

emittendam cogi poſſe denegata aliter concionandi facultate, deciſum referunt. Leo in Theſaur. *part.* 1. *Cap.* 9. *num.* 8. Paſcucci *part.* 2. *tit. de Regul. pag.* 289. qui citant Decretum ſignanter S. C. C. in Vercellen. 21. Martii 1643. Atque hiſce temporibus pluribus id ſervatur in Diœceſibus, Romæ præſertim ubi ante Conciones Quadrageſimales omnes & ſinguli conveniunt Prædicatores nominatim prius vocati, profeſſionemque Fidei alta & intelligibili voce uno eam legente & cæteris repetentibus publice emittunt coram Eminentiſſimo Vicario & Viceſgerente depntato. Standum nihilominus conſuetudini dictat ratio & praxis. Lezana loc. cit. *n.* 8. Supereſt notum facere Concionatoribus Regularibus, ſignanter Mendicantibus, poſſe ipſos etiam certiores reddere populos, qualiter accurrentes ad audiendum Verbum Dei per eoſdem prædicatum in Quadrageſima præcipue pro feriis 2. 4. & 6. lucrentur plurium annorum indulgentias, & alias etiam ſi audiant in illorum Eccleſiis ſermones annuales. Ut apud Caſarubium in compend. privil. Verbo *Indulgentiæ &c. n.* 1. 3. 4. *& 6.* Quas nequaquam eſſe revocatas per Conſtitutionem Pauli V. *Romanus Pontifex* de an. 1606. luculenter probat Laurentius de Peyrinis *de ſubd. qu.* 4. *Cap. X. in appendice* §. 10. ℣. *Ad ſecundum*, & poſt ipſum Lezana pariter *tom.* 1. *Cap.* 3. *n.* 19.

SECTIO II.

De beneficiis tum Parochialibus tum ſimplicibus quæ poteſt conferre Prælatus & quorum ſit capax ſubditus Regularis.

SUMMARIUM.

12 *Prælati Regulares quinam & quomodo poſſint & debeant diſponere de Parochialibus Monaſterio, ſive Conventui unitis. De Curatis Vicariis &c.*

13 *Utrum gerentes curam animarum in Parochialibus unitis Monaſteriis Regularium poſſint vocari ad concurſum. & ad novum examen etiam Parochi Regulares? Ubi alia* §. 1. *&* 2.

14 *Deputati per Prælatos Regulares ad regimen animarum in Parochialibus eſto ſubjective unitis alieni Monaſterio, an poſſint alicubi ſaltem ſe eximere ab examine & approbatione Ordinarii partim remiſſive? De Bulla moderni Pontificis.*

15 *Prælatus Regularis qui deputat Curatos aut Vicarios in Parochialibus quomodocumque unitis non poteſt ſibi reſervare penſiones. Debet item providere de Curatis ſive Vicariis diſtinctis & aſſignare eis congruam ſecundum numerum Parochianorum.*

16 *Alia beneficia ſimplicia an & quomodo per Regulares Prælatos poſſint conferri & de capacitate ſubjectorum ad illa obtinenda.*

17 *Reſolvitur ſpecialiter de Canonicis Lateranenſibus, quod pro obtinendis Sæcularibus beneficiis ſive cum cura Animarum ſive ſimplicibus, penſionibuſve ſit neceſſarium Apoſtolicum indultum; una cum præſuppoſita licentia Superiorum & examinantur plura* §. *I. & II.*

18 *De incapacitate cæterorum Regularium ad beneficia & penſiones exceptis Cappellaniis non in titulum. Cappellaniæ debent aliquando conferri Sacerdotibus Sæcularibus eſto in Eccleſiis Regularium: debet tamen attendi æquitas in aliis caſibus.*

12 CUM Prælati Regulares plurimi habeant ſub ſe Eccleſias Parochiales vel Monaſteriis ſive Con ventibus immediate unitas vel ab iis dependentes, ita quod poſſint dici Monaſteriis aliquo pacto adnexæ, ideo opportune etiam quæritur de poteſtate quam habeant ſuper Parochiales ipſas, quantum ad proviſiones præſertim & deputationem Parochorum Vicariorum aliorumque quibus cura conferatur animarum, ultra ea, quæ ſpecialiter dicta ſunt de hujuſmodi curam animarum gerentibus ſub ditione ſignanter Religionis Hieroſolymitanæ. *tom.* 1. *dub.* 10. *ſect.* 6. & prius circa proviſionem & deputationem hujuſmodi Parochorum non eſt dubium, quod juxta Conſtitutiones Ordinum Regularium facienda ſit, vel a Provincialibus ſolis vel ſimul cum Deffinitorio, aut a Capitulo quandoque Conventuali vel a ſolis Superioribus localibus præſertim ſi de Abbatibus ſit ſermo Sanchez *lib.* 7. *in decal. Cap.* 29. *n.* 108. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *Cap.* 19. *n.* 4. Barb. in collect. Bullar. V. *Cura Animarum*. Attenta principaliter communi praxi, ſalva tamen ſemper auctoritate Epiſcopi circa examen atque approbationem proviſi, aut præſentati. Trident. *ſeſſ.* 25. *Cap.* 2. *de Regul.* Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. *alleg.* 74. *n.* 18. *&* 24. necnon in collect. Bullar. *V. Abbas I.* §. *ult.* Quod autem Parochialibus quæ ſunt unitæ Monaſteriis Mendicantium licet in loco diſſito poſſint præfici a Superioribus Regularibus reſpective Religioſi ejuſdem Ordinis ad nutum amovibiles ut curam exerceant animarum, prævia tamen

tamen Ordinarii approbatione, habetur in Bulla Sancti Pii V. *la 47. tom. 2. Bullar.* Et quamvis Constitutionem eamdem Gregorius XIII. Successor in sua Bulla 9. reduxerit ad terminos juris & Sacri Conc. Trident. declaravit nihilominus hic Pontifex non fuisse mentis suae Pianam dictam revocare, aut immutare, quoties cura exerceatur in loco licet a Monasterio separato a Religioso cum quo alter Religiosus socius simul commoretur & habitet. Gallamart *Cap. 7. sess. 7. de Reform. n. 8.* Prout etiam quoties Regulares deputantur ad animarum curam exercendam in Parochialibus unitis quidem sed non sub uno tecto Monasteriis, quod nequeant demorari in eis absque socio pariter Regulari, praescriptum legitur per S. C. C. in Aurien. Vicarii Curati 18. Maii 1715. *dec. lib. 65.* Hinc distinguendum venit ad propositum, quod Ecclesiae Parochiales possunt dici unitae Monasteriis accessorie tantum & quoad temporalia, & tunc praesentari debere approbandos Episcopo Presbyteros Saeculares, qui etiam perpetuo sint duraturi seu tamquam Vicarii perpetui & non amovibiles ad nutum eligentium, cum alias praesentatio non admittatur colligitur ex *Cap. in Ecclesiis 3. de privileg.* & Trident. *sess. d. 7. Cap. 7. & sess. 24. Cap. 3. de reform.* Felic. in *Cap. Nostra de rescript.* Covarr. *Cap. 2. de testam. n. 3.* Garz. de benef. *part. 7. Cap. 10. n. 10.* Reinffest. *tit. de Cler. conjug. n. 7.* ultra decisiones S. C. C. in Ratisbonen. Parochialis 18. *Maii* 1708. & in Herbypolen. Parochialium 19. *Septembris* 1722. *lib. 72. decret. pag.* 458. saltem non posse provisos inde amoveri inscio Episcopo, declaratum item fuit per ipsam Congregationem Conc. in Passavien. Parochialium 28. *Julii* 1731. in respons. *ad 1. 2. & 3. tom. V. Thesaur. resol. pag.* 168. Si vero Parochiales unitae existant Monasteriis simpliciter subjective scilicet quoad spiritualia prorsus & temporalia sub eodem vel diverso tecto, eo casu posse per Superiores Regulares uti supra praefici eisdem in Vicarios Religiosos proprii Ordinis & temporaneos sive ad nutum amovibiles confirmavit S. C. C. in Ratisbonen. juris deputandi Vicarium 28. *Julii* 1713. Ad duo nempe proposita dubia.

I. *An Vicarii deputandi ab Abbate Waldsessen: Parrochiis, de quibus agitur deputandi sint perpetui seu potius temporanei. Et quatenus affirmative quoad secundam partem.*

II. *An sit liberum Abbati deputare in praedictis Vicarios temporaneos etiam Monachos sui Monasterii in easu?* Respondit Ad I. *Negative quoad primam partem. Affirmative quoad secundam.*

Ad II. *Affirmative lib. 63. decr. pag.* 311. Uniformiter ad doctrinam Barbosae de off. & Potest: Episc. *alleg. 72. n.* 189. Engel. in jus Can. *lib. 3. tit. 37. n.* 11. Reiuffest. *eod. tit. n.* 8. de quibus egimus *tom. 1. dub. 13. sect. 6. n. 93. seq. & n.* 114. *ejusdem sect.*

13 Verum enim vero Regulares ipsos Curae Animarum uti supra deputatos examini & approbationi Ordinarii inevitabiliter subesse repetimus ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili* §. *IV.* non debere tamen vocari ad concursum per edicta statuit Syxtus V. in Bulla apud Rodriguez *tom. 2. Bullar. n.* 22. & declaravit S. C. C. apud Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. gloss. 6. n.* 162. & Barbos. in Collect. Bullar. ℣. *Examen* necnon pluries confirmavit S. eadem C. in una Burgi S. Sepulchri *lib. 10. Decret. pag. 14. in Vansionen. 22. Augusti* 1637. *lib. 15. pag.* 580. *Et in Gerundien. 7. Februarii* 1643. *lib. 16. pag.* 140. Secus autem affirmandum de deputatis Saecularibus Curatis ad Parochiales adnexas Monasterio quoad temporalia tantum, nempe quod concursui subjaceant juxta Ordinariorum intimationem. Idemque quoad Parochiales quarum licet unio probaretur subjectiva, cura nihilominus omnimoda habitualis scilicet & actualis in Rectores Saeculares translata fuisse constaret juxta distinctionem traditam communiter a Canonistis inter quos Garz: de benef. *part. 9. Cap. 2. n.* 28. Barbos. de Offic. & potest. Episc. *part. 3. alleg.* 60. *n.* 32. & de Off. Parochi *part. 1. Cap. 2. n.* 19. Lothar. de benef. *lib. 2. qu. 31. n.* 22. Rot. *dec. 579. n. 1. & decis. 710. n. 1. part. 2. recent.* coram Burat. *dec.* 214. & cor. Cavaler. *dec. 595. n.* 2. An deinde possint Parochi seu Animarum curam gerentes Regulares vocari ad novum examen prout affirmative resolutum est de Parochis indeffinite *in tom. 1. dubit. 8. sect. 3. n.* 11. seq. Videretur quod non quia in ultima Legionen. *dubiorum* 24. *Julii* 1734. alibi cit. & in Thesaur. resol. tom. 6. quaecumque resolutiones in hac materia tangunt proprie Parochos Saeculares. Hoc non obstante quia in Legionen. 15. *Decembris* 1725. *lib. decr.* 75. & Pampilonen. 2. *Aprilis* 1729. *lib.* 79. citantur & observanda praecipiuntur Decreta praecedentia in pluribus praeviis Congregationibus edita, inter quas relevat una Nullius 13. *Junii* 1635. *lib. 15. decr.* Ubi clare exprimitur quod valeat Episcopus novo examini subjice-

subiicere Parochos *tum in Visitatione tum extra Visitationem sive Saeculares sive etiam* Regulares; Proinde omnia quæ præmissa sunt loc. cit. de Parochis coeteris possunt & debent sine dubio & Regularibus aptari. Verum consideratis iis quæ etiam adnotata fuere quoad Parochos Religionis Hierosolymitanæ tom. 1. dub. IX. sect. 3. §. 1. & dub. 12. n. 65. & 66.

§. I. Et addendum quod electi & examinati Regulares ad animarum curam non solum teneantur subire examen pro approbatione coram Ordinario sed ulterius coram eodem vel ejus Consistorio professionem fidei emittere ad formam Concilii, esto deputati & nominati a Superioribus Ordinis Hierosolymitani ut S. Cong. C. in Pragen. Jurisdictionis 14. Januarii 1708. Decr. lib. 58. Item quoties Ecclesiis Parochialibus quoad temporalia tantum cuipiam Monasterio unitis præficiantur Vicarii seu Presbyteri Sæculares, quod debeant a Superioribus respective Regularibus provideri de congrua & salario convenienti ratio naturalis dictat & rite disponit S. Pius V. in sua Constit. *Ad exequendum* 47. supra cit. quæ licet ad terminos Concilii reducta a Gregorio XIII. per Bullam *In tanta*; Nihilominus quoad hoc asseritur revalidata ab eodem Gregorio & per declarationem S. Cong. apud Gonzalez ad *reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 4. *n.* 79. Cherubin. in Compend. Bullar. ad d. Bullam 47. Sancti Pii. Lauret. de Franchis in controvers. Episc. & Regul. pag. 14. Insuper Soperiores Regulares in casu teneri ad dictarum Parochialium reparationem & sacrarum supellectilium provisionem etiamsi quis Vicarius ab eis nominatus in actu provisionis se obligaret ad hæc omnia supplenda propriis expensis; immo posse Regulares eosdem ad id compelli per Episcopum juris remediis rescriptum fuit per S. C. C. in una Burgi Sancti Sepulchri censuræ & reparationis Ecclesiæ 8. *Septembris* 1669. *decret. lib.* 39.

§. II. Similiter quoties Regulares ad curam Animarum deputati in Parochialibus subjective unitis Monasterio cuipiam ejusdem Ordinis, quoad spiritualia nempe & temporalia in aliquo graviter delinquerent, si delictum in casu curam Animarum & administrationem Sacramentorum minime concernat utpote observantiam Regulæ & professionis emissæ tantummodo feriat, non ab Episcopo sed a Superiore Regulari debere puniri refert decisum per S. Congregat. Conc. Barbos. in collect. Bullar. Verb. *Canonicus Regularis* & Lezan. *tom.* 1. *Cap.* 11. *n.* 8. *cum aliis* Quod si in iis quæ ad curam spectant culpabiles sint Regulares Parochi, constans erat prius & fere communis opinio quod omnimode visitationi & correctioni Episcopi tamquam Apostolicæ Sedis Delegati subjicerentur ad normam celebris citatæ Constitutionis Gregorii XV. *Inscrutabili* nonis Februarii 1622. apud Monacelli *tom.* 1. *in Appendice pag.* 305. Quamvis non deessent asserentes quod in casu delicti etiam Curam respicientis ignoti tamen Episcopo & ad Regularem Prælatum delati, nil impediret hunc, quam illum sub aliquo prætextu a cura removeret vel opportune corrigeret; cum nulla urgeat obligatio in casu certiorandi Ordinarium, ut in hoc 2. *tom. dub.* 14. *sect. III. n.* 26. *in fin.* Verumtamen hujusmodi dubium omnino extinguit declaratio Regnantis Pontificis Benedicti XIV. in sua Constitutione *Firmandis* alias citata in *tom.* 1. *dub.* X. *sect.* 2. *n.* 15. Videlicet; quod spectat quidem privative ad Superiorem Regularium inquirere super vitam & mores Parochi vel alterius curam animarum habentis Religiosi quatenus trangressor is extiterit Regulæ & ordinationum per Religionem sibi præscriptarum ipsumque corrigere & punire: prout quoad exemplaritatem vitæ valeret etiam se certiorare Episcopus quatenus ea deficiente reddatur Parochianis scandalosus. Quantum autem ad defectus in munere suscepto pascendi gregis curæque ejusdem incumbendi pertineret ad Episcopum tamquam Judicem proprium in causa sibi competente corrigere & usque ad remotionem, si expediret, punire: relicta tamen facultate Superiori pariter Regulari inquirendi etiam in casu corrigendi & removendi subditum in casu absque eo quod unus alteri rationem in sic procedendo teneretur reddere aut causas aperire, sola data prælatione Episcopo quatenus in sententia ipse & Superior Regularis discreparent, ut luculenter in dicta Constitutione dictus Pontifex tom. 1. sui Bullarii §. 9. 10. & 11. ubi item quoad Parochos Ecclesiarum specialiter privilegiatarum, illorum scilicet Monasteriorum in quibus Generales Ordinum resident, quatenus illi parum examplariter vivant, aut in officio desides dignoscantur quod possent Episcopi atque Ordinarii locorum insistere pro eorummet remotione decernitur §. 16. in Tomo I. Bullarii ejusdem Pontificis Constitutione CIX.

19 Prælati ipsimet Regulares habentes jus deputandi Parochos sive conferendi benefi-

cia

cia quibus cura est adnexa animarum, eo modo, quo dicebamus numeris praecedentibus 12. & 13. & fusius explicatum est in *tom. 1. dub. XII. sect. 3. n. 41. & sect. 4. ejusdem dub. n. 47. & seq.* Quamvis attenta Bulla Gregorii XV. mox repetita *Inscrutabili* teneantur praesentare illos Episcopo Dioecesano examinandos utique & approbandos; extra Italiam nihilominus & ultra Montes specialem difficultatem id exequendi sunt experti & absque eo quod controvertamus pluries a Lezana adductum effugium, videlicet praefatam Bullam in Regnis praesertim Hispaniae & Portugalliae non fuisse acceptatam, in Germaniae partibus neque defuerunt super articulis in eadem Bulla contentis excitari quaestiones, ex quibus relevantia dubia ad propositum, signanter quoad Curas Animarum per Abbates Regulares conferri solitas, non raro per Sacram Concilii Congregationem examinata atque fuerunt resoluta. Cum itaque praetenderet Abbas quidam Regularis in Dioecesi Passavien. conferre curam animarum in propriis Ecclesiis Monachis suis absolute titulo jurepatronatus alterius specialis exemptionis, itaut illammet exercere valerent absque Episcopi approbatione, exposita fuere S.C.C. dubia novem super hoc negotio & inter resolutiones favorabiles Episcopo in quibus sustinebatur is jus delegatum possidere ad examinandos approbandosque Monachos: ad dubium num. 9. = *An Episcopus sive ejus Officialis possit Religiosos praedictos exemptorum Monasteriorum, ut supra per censuras Ecclesiasticas ad obediendum iu praemandatis compellere?* S. C. respondit = *Affirmative in omnibus in quibus subiiciantur ob curam animarum, nisi habeant speciale privilegium lib. 22. decret. pag. 663* Ubi novem dicta dubia cum responsionibus ad verbum recensentur, prout alia decreta ad propositum idem in praevia Passavien. edita die prima Octobris 1661. refert Pignatellus *tom. 7. consult. 7. n. 19.* ut nos ipsi item retulimus in *tom. 1. dub. cit. XII. sect. IV. n. 47.* Eo quia renovatis hujusmodi praetensionibus pro parte Abbatum nova insurrexerunt litigia apud S. C. C. sapiens Tribunal, nova etiam rescripta ab ipsamet Cong. emanarunt recentius de anno 1731. quae legi itidem possunt in 1. tom. loc. citato per extensum. Et non tantum de Parochis, sed de Coadjutoribus Vicariis, ProVicariis Aeconomis quomodocumque Curam animarum habentibus, aut per Abbates aliosque Praelatos Regulares praesentatis, quod debeant approbationem ab Ordinariis regulariter, ostenditur ibidem *tom. 1. n. dicto* 47. Potestque addi quantum ad Coadjutores etiam per breve tempus adhibitos decretum in Cingulana 19. Julii 1732. quod nimirum indeclinabiliter subjaceant examini & approbationi Ordinarii in respons. ad 5. & 6. fol. publ. Thesaur. resol. tom. 5. Similiter praeter approbationem ab Ordinario praestandam Regularibus quibuscumque Curam praeferentibus Animarum, licet in Ecclesiis propriis aut Monasteriis quomodolibet unitis, quod valeat insuper Episcopus circa deputationem Parochorum non tantum sed & Aeconomorum Vicariorum & Coadjutorum provisionem in iisdem respectivè Parochialibus privative vel cumulative, vel neutiquam, quoties sint Monasteriis unitae vel Praelatis Regularibus subiiciantur cum distinctione actum est *tom. 1. dub. XII. sect. 3. n. 48. 49. seq.* Unum adverto quod jurisdictio Episcoporum super omnes Ecclesias Parochiales Regularium declarata itidemque confirmata & ampliata legitur ad omnes Reges Indiarum sicut in aliis mundi partibus per BENEDICTUM regnantem XIV. in sua Bulla *Quamvis* 24. Februarii 1746. Hinc nequit negari in Indiis etiam Constitutionem *Inscrutabili* vigere & Regulares obligare.

15 Quantum ad hujusmodi potestatem Praelati Regularis conferendi vel non beneficia signanter Curata advertendum pariter, quod licet excepta institutione authorizabili reservata Episcopo sive Ordinario in *tom. 1. dub. XII. sect. 2. n. 13 seq.* omnia alia is posset; praesentare, videlicet atque eligere &c. minime tamen facultatem habeat reservandi sibi pensiones super Parochiis, in quibus vel Monachus vel Sacerdos Saecularis ad Curam Animarum exercendam ab eodem deputetur, justa prohibita per S. C. C. in Olumen. 11. Julii 1665. in respons. ad IX. lib. decr. 24. Quoties item Abbas vel Superior Regularis habeat duos vel plures Parochiales proprio Monasterio unitas; quod teneatur in qualibet earum constituere suum Vicarium Curatum & assignare unicuique congruam ex decimis redditibus & primitiis aut alio modo certo exigendam, mox tactum fuit n. praecedente 13. §. I. Atque providit expresse S. C. C. in Aurien. Parochialium 28. *Martii* 1716. resp. ad 2. lib. decr. 66. cum facultate tradita Episcopo sive Ordinario alias providendi de Vicariis & de congrua ipsis debita, ut in dicta Aurien. ad 3. *dub.* ad normam eorum quae praemisimus in tom. 1.

XIII. n. 105. & 106. Non tamen per hoc teneri Abbatem seo principalem Prælatum adjungere Vicariis per se provisis Cappellanum Curatum pro administratione Sacramentorum attenta numerositate populi, declaravit item Sacra eadem Congregatio in Faveat. Parochialium 14. Novembris 1716. dec. lib. 66. sicut ex alia parte quod nequeat præfatus Superior facultatem extendere in iisdem Parochialibus ad ea, quæ alias sunt juris Episcopalis, quoties sibi speciali attenta ratione minime competat, constans est Doctorum sententia. Unde quamvis Ecclesia Parochialis proprio Monasterio subjective & omni meliori modo unita existat, quod nequeat etiam pro commodo Parochianorum fontem Baptismalem in Ecclesia distincta quæ sit Grancia sui Monasterii constituere absque licentia Ordinarii, sancitum reperitur per eamdem S. Cong. in Calaguritana jurisdictionis 11. Januarii 1698. decr. lib. 48.

16 Præter beneficia Curata juxta doctrinam mox traditam possunt a Prælatis Regularibus conferri alia simplicia, non loquendo de electivis seu per electionem canonicam formiter vel æquivalenter distribui solitis; sed de collativis sic vocatis, quæ scilicet ad instar Sæcularium auctoritate Prælati sive Regularis Superioris conferuntur, ut Capellaniæ peculiares non tamen in titulum officia Procuratoris Conventus, vel Exactoris proventuum ad Ecclesiam sive Conventum pertinentium atque his similia. Juxta autem Religionum varias Constitutiones & consuetudines ab ipsismet Superioribus beneficia hujusmodi debere conferri vel se solis vel una cum Assistentibus & Consultoribus: quod si de Constitutionibus super hoc peculiariius non constet, standum esse in jure communi: nimirum concedenda fore a Superiore cum consensu majoris partis Conventus seu Conventualis Capituli, concludit cum Suarez, Sanchez, Pater Lezana *tom. 2. Cap. 18. n. 7.* qui citat etiam declarationem S. Congregationis apud Barbos. in Collectanea Bullarum Verbo. *Cura animarum*. Hæc autem beneficia vere Regularia, esto Curam Animarum minime præseferentia censeri debere manualia & ad nutum amovibilia non est dubium: attenta decisione S. Rotæ 47. *n. 3. & seq.* post Antonellum de jur. & oner. Clericorum coram Card. Caprara *decis.* 428. necnon coram Molin. *decis.* 542. & 561. Item beneficia Regularia unius Ordinis posse conferri tantum Regularibus Ordinis ejusdem, colligitur ex Tridentino *sess.* 14. *Cap.* 10. Immo, quod beneficia unius Monasterii nequeant applicari Religioso alterius Monasterii licet ejusdem Ordinis, præcipitur per Bonifacium PP. VIII. *in Cap. Cum singula §. Prohibemus de præbend. in 6.* Beneficiorum deinde Sæcularium acquisitionem sive possessionem Regularibus constat esse prohibitam, nisi accedat beneplacitum Apostolicum ex declarat. S. C. Episc. 26. Januarii 1635. ad cujus normam beneficium Sæculare a Sacerdote Regulari retineri vetuit etiam S. C. C. in Colonien. dispensationis 9. Februarii 1732. *tom.* 5. Thesaur. resolut. pag. 244. Attamen ex vi longevæ consuetudinis beneficia sæcularia fieri quandoque Regularia habetur in *Cap. Cum de beneficio* 10. de præbend. in 6. ubi Passerin. *n.* 15. & Gonzalez ad reg. 8. *Cancell. gloss. 7. n.* 8. Quin immo consulendo libertati Ordinariorum excipiunt Auctores casum præcipue necessitatis, quando nimirum non adessent Sæculares satis idonei pro beneficiis iisdem obtinendis & exercendis, tunc enim sustinent posse illa per Ordinarium Regularibus concedi: Gonzalez mox citatus *ad reg. 8. Cancell.* Gloss. 8. *n.* 45. Gargia de benef. *part. 7. Cap. 10. n.* 16. Tambur. de jur. Abbat. *tom. 3. disp. 9. qu. 2. n. 5. ex Cap. Inter quatuor de Relig. dom.* Quem casum necessitatis nihilominus raro admodum contingere fateri debemus, nisi agatur de onere munere atque officio potius quam beneficio, veluti foret exercitium Pœnitentiarii, aut Theologi absque præbenda, aut annualis concionatoris ad nutum; cum alioquin Apostolicum indultum fore impetrandum suaderet ratio & praxis.

17 Difficultas specialiter agitata legitur pluribus occurrentibus casibus quantum ad Canonicos Regulares Lateranensis ac Sanctissimi Salvatoris. An videlicet Ecclesiarum Parochialium etiam de jure patronatus suæ Religionis canonicatum in Cathedralibus & Collegiatis necnon beneficiorum Sæcularium cujusvis generis sint capaces. Ita quod quæ sunt de jure collativo Abbatis generalis aut alterius Superioris in Religione, sed rationem beneficii sæcularis retinentia, vel alias providenda ab Ordinariis sive Capitulis Cathedralium aut Collegiatarum curam Animarum etiam præseferentia & beneficia quæcumque alia simplicia, pensionesve obtinere & consequi queant sola interveniente Superioris sive Abbatis generalis licentia consensu aut prætensa auctoritate, absque Apostolico indulto non obstan-

te

te quod ad eumdem effectum è Claustris exire atque extra ea degere necessario debeant? De qua quidem materia Doctores varii & pro parte Canonicorum prætendentium & pro exclusiva capacitatis eorum differuerunt, sed præsertim pluribus in locis Eminentissimus Petra *tom.* 1. *ad Constit.* 2. Paschalis II. & fusius *tom.* 2. *ad Constit.* 1. Anastasii IV. per totam primam sectionem. At breviter pro clara & sufficienti notitia quantum ad præsens spectat resolvendum obvenit: hujusmodi Regulares Canonicos nequaquam capaces existere quorumcumque beneficiorum Sæcularium ut talium a quocumque tandem conferantur habita dumtaxat licentia & permissione proprii respective Regularis Prælati absque dispensatione & indulto Sanctæ Sedis. Abbas. Fagnan. in Cap. *Quod Dei timorem* de stat. Monach. *n.* 18. *&* 19. ubi hic refert Decretum S. C. C. etiam quoad dignitates. Conrad. super dispensat. *lib.* 6. *Cap.* 1. *n.* 36. Propterea que in casu, quo hujusmodi Canonici obtineant beneficium aliquod vacans ab Episcopo vel Apostolica Sede sine præfata dispensatione, posse iterum tamquam vacans obtineri idem ab alio ratione actus nulli in facta provisione, habetur expresse in Decreto S. C. sub Clemente X. apud cit. Petram *tom.* 2. *ad Constit.* 1. Anastasii IV. *sect* 1. *n.* 31. *&* 41. Quamvis antem sola licentia aut consensus dumtaxat Regularis Prælati minime sufficiat in casu quod nihilominus supponatur & prærequiratur ad Apostolicum beneplacitum sive indultum, docet ipsa praxis non nisi attamen cum conditione talis habitæ vel habendæ licentiæ conceditur regulariter dispensatio a Sancta Sede, quibus de facto licentia scilicet & indulto obtentis pro capacitate dictorum Canonicorum respective ad Ecclesias Parochiales etiam Sæculares esto conferendas per consensum resolvit S. C. mox citata sub Clemente X. apud Petram. Et quoad consequendos Canonicatus Cathedralium resolutum fuit in Bononien. *Indulti* 18. Septembris 1723. quam resolutionem deinde Innocentius XIII. suis Apostolicis literis confirmavit ut in Thesaur. resolut. *tom.* 4. *pag.* 91.

§. I. Porro, quatenus replicetur nequaquam absolute requiri Apostolicum Indultum in casu, sed dumtaxat ad majorem cautelam: attento decreto altero S. C. C. Per quod indultum fuit Canonico Regulari Sanctissimi Salvatoris præsentato a Patronis ad Ecclesiam Parrochialem cum conditione. *Facto verbo cum Sanctissimo pro dispensatione, quatenus opus esset ad hoc ut præsentatus institueretur. Suspenso interim dubio in Sacra Congregatione formiter proponendo. An potuerit institui cum sola licentia sui Generalis, & absque beneplacita Apostolico.* In Placentina præsentationis 14. Novembris 1693. decr. lib. 43. Subdi posset per hoc ipsum confirmari propositum, quod nullatenus admittantur Canonici hujusmodi ad Parrochiales etiam præsentati a Patronis, nisi cum conditione dispensationis obtentę vel obtinendæ. Cœterum indultum seu dispensatio Sanctæ Sedis ad consequendas Parochiales vel quæcumque aliorum Sæcularium beneficiorum provisiones pensionesve, quod necessario requiratur pro Canonicis Regularibus cujuscumque Congregationis, aperte relevat per speciale S. C. decretum. Cum siquidem S. C. Episcoporum declarasset sub die 18. Martii 1671. quoad Canonicos Lateranenses specifice esse incapaces Parrochialium &c. absque dicta Apostolica dispensatione: Abbas Congregationis distinctæ videlicet Canonicorum Regularium qui Scopetini nuncupantur apud S. C. C. exposuit quæsitum *Utrum Canonicus Regularis ex eorum Congregatione posset absque indulto ad Ecclesiam Parochialem de eorum jurepatronatus promoveri. Et an obstaret decretum mox citatum S. C. Epis. pro Lateranensibus specifice emanatum?* At S. C. C. die 18. Julii 1656. respondit; *Canonicos Regulares nuncupatos Scopetinos non posse admitti ad exercendam Curam animarum in dicta Parochiali absque dispensatione Apostolica; & quoad ipsos etiam observandum esse decretum præfatum* lib. 29. decr. pag. 269.

§. II. Indultum deinde hujusmodi sive Sanctæ Sedis necessaria dispensatio quod raro concedatur præsertim ad beneficia simplicia testatur Cardinalis Petra *tom.* 2. *dict. sect. I. sub n.* 32. Et quoad beneficia Curata & Canonicatum Sæcularem modo concessa modo denegata fuisse indulta varia, habetur in Decreto fel. rec. Clementis XI die 3. Aprilis 1713. relato in fol. publ. S. C. C. sub die 18. Maii 1737. *tom.* 3. *Thesaur. &c.* & revera cum Canonicus Regularis Lateranen. postulasset indultum a S. C. C. pro consequendo Canonicatu Sæculari in Ecclesia Cathedrali Pistorien. exposito dubio: *An sit indulgendum Josepho Mariæ Soppisanti Canonico Regulari Lateranen. pro assecutione Canonicatus Sæcularis in casu?* S. C. die 16. Martii 1737. respondit. *Negative* in fol. publ impress. Camer. pag. 3070. atque Thesaur. resol. tom. 7. & ad replicatam instantiam sive no-

vum recursum Ipsius Josephi: *An sit standum vel recedendum a decisis?* S. eadem C. in Pistoriso. indulti supra cit. 18. Maii ejusdem an. 1737. iterum rescripsit. *In decisis & amplius* fol. publ. cit. pag. 82. ex altera parte cum alias propositum fuisset quaesitum. *An sit Indulgendum Joanni Baptistae Zanchini Canonico Regulari Lateranensi pro consecutione Canonicatus saecularis in Metropolitana Bononien. in casu?* S. C. C. in Bononien. Indulti die 18. Septembris 1727. respondit *Affirmative lib. 77. decr. pag.* 495. Accessit tamen in caso instantia ad Emin. Archiepiscopi Bononien. repraesentantis penuriam aliorum Ecclesiasticorum nobilium & singularem Doctrinam Oratoris, nec defuit favorabilis informatio Procuratoris generalis Ordinis id confirmantis, ut refertur in fol. publ. 18. Maii 1737. pag. 85. §. *Postremo*. Propterea quoties interveniente vero motivo, Episcopi quoque id postulent facilius indultum solet concedi ut in fol. itidem publ. sub die 16. Martii ejusdem anni *pag.* 31. §. *Quam vero* impress. Cam. & in Thesaur. &c. *tom.* 7. In quibus casibus insuper advertendum notabiliter venit: Qualiter Canonico Regulari quatenus transferatur ad Parochialem Ecclesiam Saecularem administrandam cum licentia Abbatis generalis per Sedis Apostolicae indultum confirmata, competat regressus sive reintegratio ad bona renuntiata occasione professionis; juxta decisionem S. C. C. in Firmana 23. Maii 1722. *ad Secundum: decr. lib.* 72. Quod si addatur dubium, qualis debeat esse habitus Canonici Regularis ad Parochialem Saecularem vel ad Canonicatum Saecularis Ecclesiae translati? Respondetur secundum communiorem magis congruere habitum Presbyteri Saecularis & ad normam aliorum Canonicorum, quibus sit adscitus pro deformitate evitãda. Ita in Bononien. *Indulti* 18. *Septemb.* 1723. *tom.* 4. *Thes. resol. Urbin. impress. pag.* 93. Haec de dimisso instituto Canonicis Regularibus pro brevi & sufficienti notitia ad propositum beneficiorum congesseram, cum legenda & commendanda simul occurrat Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. Constitutio super hoc ipso articulo edita in Tom. 1. sui Bullarii n. 135. incipiens *Quod inscrutabili* 9. *Junii* 1745. Videlicet super capacitate Canonicorum Lateranensium & Sanctissimi Salvatoris ad beneficia Saecularia tum curata tum sine cura & pensiones, ubi omnia hic exarata doctissime more suo eruditus Pontifex resolvit Decretaque super hac re prius edita confirmat. Videlicet Indultum Apostolicum ultra licentiam proprii Generalis ad consequenda benefic ia memorata indeclinabiliter fuit necessarium, sed respective ad alios Regulares per ipsos Canonicos facilius impetrandum. Beneficia insuper simplicia & pensiones quatenus conferantur permanentiam exigere intra Claustra, curam vero Animarum Canonicatus Dignitates, extra; modus assignatur in licentiis indultis & beneficiis hujusmodi conferendis & per Canonicos ipsos obtinendis: ad plura itidem respondetur dubia uniformiter ad hic relatam doctrinam. Audito autem a Canonicis Regularibus nonnullis se cum asseverata certitudine capacitatis praefatae ad Saecularia beneficia & non aliter professionem emisisse. Quidquid sit de hoc. Lex facta est & cum beneficiorum assecutio ab exteriori collatione pendeat quae non est in eorum potestate, quod acquiescant est necesse.

18 Regulares coeteros esse potiori jure beneficiorum Saecularium incapaces tactum est supra n. 16. & supponitur tamquam incontroversum. Sed neque posse reservare sibi pensiones super eadem beneficia licet proprii juris patronatus antequam Religionem ingrediantur, debemus addere; innuimus immo facultatem hujusmodi ab Apostolica Sede petenti Regulari cuidam Congregationis Somaschae fuisse denegatam; in Comen. 4. *Februarii* 1719. *decr. lib.* 69. Et quamvis titulo alimentorum sive livelli & supposita paupertate dicti Regularis replicata fuerit supplicatio, facultatem in caso nullatenus fore concedendam respondit eadem S. C. in Comen. pariter 12. *Decembris* 1721. *lib. decr.* 71. Verumtamen quamvis Regulares praesentari nequeant ad beneficia Saecularia, posse hoc non obstante nominari & assumi ad Capellanias vere laicales nequaquam erectas in titulum beneficii, sicuti aliqualiter notavimus n. 16. etiamsi extent in Ecclesiis Saecularibus, decrevit eadem S. C. in Mileteo. Capellaniae 27. *Novembris* 1594. *ad nonum lib.* 44. *decr. pag.* 571. & 11. *Januarii* 1695. *lib.* 45. *pag.* 340. *nec non* 1. *Decembris* 1696. *lib.* 46. *pag.* 483. Card. Petra *tom.* 4. *ad Constit.* 6. *Greg. XI. n.* 18. Rot. in Frigingen: juris deputandi Curatos 24. *Martii* 1713. cor. Ansald. Cum limitatione nisi vigeat consuetudo eligendi Cappellanos Saeculares esto in Ecclesiis ipsis Regularium. Propter quod cum institutae fuissent duo Capellaniae cum data facultate executoribus testamentariis eligendi Capellanos quamdiu vixissent, & post eorum obitum Superioribus Regularibus in quorum

rum Ecclesiis erant erectæ. S. C. C. censuit non posse a dictis Superioribus deputari Sacerdotes Regulares attenta longæva observantia quod deputati fuissent de præterito Sacerdotes sæculares. In Romana Capellaniarum 1. *Decembris* 1708. *decret. lib.* 58. *pag.* 395. Idemque resolutum fuit in Romana Capellaniæ 6. *Decembris* 1732. in fol. publ. Thesaur. Resol. Urbin. impress. *tom.* 5. *pag.* 417. Ubi tamen ex aliis conjecturis deducebatur intentio testatoris eligendi Sacerdotem Sæcularem etiam in Ecclesia Regulari: ut in eodem fol. publ. V. *Tum quoque & seq.* pag. 416. Cœterum quoties non fiat mentio a Testatore de peculiari Capellano deputando, sed obligentur præcise hæredes quod Missam perpetuam celebrari faciant in aliqua Regulari Ecclesia, præferendos esse Regulares ejusdem Ecclesiæ seu Conventus cui Ecclesia sit juncta sub tecto eodem, videtur consonare æquitati. Hoc idem proinde fuit decisum favore Patrum Reformatorum Sancti Francisci non obstante incapacitate eorum ad perpetuas Capellanias suscipiendas. Propositis videlicet dubiis.

I. *An Religiosi S. Francisci ad Rinas præferri debeant in celebratione Missarum vel potius sit in libero arbitrio hæredis deputare quoscumque?*

II. *An & a quo solvenda sint utensilia.*

S.C.C. die 12. Januarii 1732. respondit.

Ad primum *Affirmative quoad primam partem & negative quoad secundam.*

Ad secundum *solvenda esse ab hærede.* In *Thesaur. resol. tom. V. pag.* 248.

SECTIO III.

De obligatione Regularium interveniendi Synodo Diœcesano Regularium sive Prælatorum sive aliorum &c. Ubi & de Funeralibus.

SUMMARIUM.

19 *Convenire ad Synodum potest accipi ut privilegium & tamquam onus. In neutro sensu generaliter competere id Regularibus debemus asserere.*

20 *Quinam ex Regularibus teneantur & possunt cogi Synodo diœcesanæ intervenire?*

21 *Quinam inter Regulares debeant intervenire conferentiis casuum conscientiæ? Et quomodo possint cogi? Bulla Benedicti* Firmandis: *circa Regulares habentes curam Animarum. Ubi de puerperis* §. *un.*

22 *Statuitur ordo servandus in subsequentibus circa funeralia. Et primo exequendam voluntatem ultimam eligentis sepulturam in qualibet Ecclesia demonstratur, nisi lex specialis resistat.*

23 *De electione vero prævia sepulturæ debet certo constare eo modo quo hic ostenditur. Et quid de Confraternitatibus quoties in Sepultura propria Confratrum in Ecclesiis ubi eriguntur. Necnon de Sepultura Tertiariorum Oblatorum sive de Viris sit sermo sive de Mulieribus.*

24 *Mulieres inservientes Monialibus aut degentibus intra Claustra Monasterii sepeliuntur in horum Ecclesiis, idemque de puellis educandis decedentibus intra clausuram sine electione sepulturæ. Et de prohibitione sepeliendi Cadavera Sæcularium in Ecclesiis Monialium* §. un.

25 *Pro sepeliendis cadaveribus in Ecclesiis Regularium & quibusque aliis valet titulus erectionis Sepulturæ in iisdem cum pro erigente tum pro familia tota, qui titulus tamen debet esse certus.*

26 *Pro filiis impuberibus possunt eligere Sepulturam Parentes scilicet Pater & Mater etiam in Ecclesiis Regularium. Sed difficultas est de consuetudine quæ diversa prætenditur ex parte Patris eligentis & prolixior ex parte Matris ibi* §. I. *Variæ hinc inde placita* §. II.

27 *Duo examinantur dicta. Unum quod a Parentibus sepultura pro natis impuberibus debeat eligi ante horum obitum, alterum quod facultas hujusmodi electionis fundetur non in patria potestate, sed super unica consuetudine: aliæque afferuntur notitiæ* §. I. & II.

28 *Contra inducentes ad eligendam sepulturam & impedientes electionem voluntariam cujuslibet in Ecclesiis Parochialibus aut aliis sibi bene visis adducuntur jura & statutæ pœnæ.*

29 *In associatione Cadaverum ad sepulturam indeclinabiliter vocandus est Parochus respective; alios autem invitare vel absolute vel quoad numerum stat in libertate hæredum attento jure esto cadaver deferatur ad Ecclesiam Regularium &c.*

30 *Præmissis non obstantibus pluribus in locis decet consuetudo, quod convocentur ad funeralia sive ad associandam cadaver licet ad Ecclesiam Regularium tot Sæculares Presbyteri quot sint Regulares. In via autem quomodo incedant præcedentia, & præcedentia in reliquis Parocho competat.*

31 *Excipitur Curatus una cum Capitulo Cathedralis quoad ingressum prædictum cum erecta cruce stola & pluviali. Nequaquam vero conceditur ex æquo Capitulo Collegiatæ juxta ea quæ adduntur hic decreta,*

dum-

dummodo non militet in favorem Collegiatæ immemorabilis aut conventio mutua & transactio in Regularibus §. I. & II.

32 *Sub qua cruce debeant incedere Communitates omnes & quæcumque associantes cadaver.*

33 *Nequit Parochus priusquam cadaver deferatur ad Ecclesiam distinctæ Sepulturæ ipsum transportare ad Parochialem & functiones super idem peragere : nisi tamen aliter disposuerit defunctus aut velint hæredes : & cum quibus conditionibus* §. I. II. & III.

34 *Quid præscribatur Regularibus circa accessum & incessum in associatione cadaverum?*

35 *Obligantur indeclinabiliter Regulares absque exceptione ad solvendam Parochis respective quartam funeralem, esto sepeliantur cadavera cum obtento habitu Religionis &c. cum notandis* §. I. & II.

36 *Pro quarta funeralium quid intelligatur & quæ proprie funeralia dicantur?*

37 *Quoties consuetudo circa solutionem quartæ quoad substantiam & modum fulciatur conventionibus reciprocis, aut concordis aut sit immemorabilis inducens pactum, tunc foret servanda fideliter: & an quarta extendatur ad candelas quæ præ manibus gestantur a Fratribus.*

38 *Explicatur consuetudo solvendi Parochis portionem funeralium in majori seu pinguiori quantitate quam sit quarta pars. Et de intelligentia Bullæ.*

39 *Dilucidantur jura Parochorum circa nonnulla ab iis prætensa tum in associatione tum in Sepultura cadaverum cum dependentia ut in plurimum a taxante Episcopo & S. Congregatione approbante.*

40 *De cæteris super quibus potest prætendere Parochus pallna sudariolis, pannis cæteris cam culcitra cooperiente vel substrata &c.*

19 LIcet exempti Regulares ab Episcoporum jurisdictione universali voce publicentur, non una vice interrupimus tum in primo tum in hoc secundo Tomo hanc decantatam exemptionem pluribus subjacere ex recentioribus in oppositum. Aliqua nihilominus quod remanserint negari nequit veræ exemptionis argumenta certa quidem sed nonnulla item disputationibus & distinctionibus obnoxia, inter quæ relevat prætensum privilegium a Regularibus tum Prælatis tum Subditis de non interveniendo Synodis Diœcesanis. Et de hujusmodi prætensione exemptionis breviter disseremus impræsentiarum sub propositto sectionis titulo. Utrum ad interveniendum Diœcesanis Synodis teneantur de facto Regulares? Primo itaque sciendum, Quod intervenire Synodo potest considerari ut privilegium quatenus scilicet prætendant aliqui in Dignitate & personatu constituti Episcopum non posse Synodum congregare absque eo quod ipsos invitet, nec Synodales condere leges absque consensu saltem consilio ab eis petito, ut quantum ad Canonicos non desunt qui admittant auctores ex Monacello *part. 1. tit. V. form. 3.* In hoc autem sensu Regularibus clarum est nullum competere jus accedendi ad Synodum, utpote in distincta hierarchia a Superiore proprio dependentibus: sicuti nequeunt concurrere ad Canonicatus Curas, aliaque beneficia Sæcularia lucrosa cum hi sint fructus exemptionis, quam alte adeo deflet Monacellus *part. 1. tit. VI. form. 20. n. 28.* Potest de hinc accessus ad Synodum considerari ut onus, quatenus subjectionem significat eorum qui tenentur Episcopo vocanti obedire & in casu inobedientiæ ab ipsomet juris remediis cogi. Pro quo præmittendum pariter Congregationem Synodi pertinere ad legem Diœcesanam, prout Episcopis adsistit jus excipiendi & exigendi obedientiam tunc datam a subditis: Synodaticum etiam & Cathedraticum quæ sunt aliqua stipendia seu tributa ab ipsis intervenientibus contribuenda, juxta dispositionem juris & consuetudines Gloss. *in Cap. Dilectus de Off. Ordin.* & tradita per nos in primo tomo *dub. VI. procem. a n. 11. & seq.* Simul & ad legem spectare jurisdictionis; Episcopus siquidem in Synodo Curam animarum maxime exercet leges pro gubernio Diœcesis proponit condit & promolgat quæ profecto consistunt in iurcdandi ex parte ipsius Episcopi & recipiendi ex parte subjectorum: Rot. decis. 619. *n. 2. part. 4. decis.* & in *Miletana* jurisdictionis super jure Congregandi Synod. 1. Julii §. *Eadem fane*. At in hac etiam consideratione Regulares communiter Synodo intervenire non obligantur utpote a lege Diœcesana exempti, hoc est ab omnibus oneribus respectu Diœcesani Episcopi: ex cit. Gloss. *in Cap. Dilectus*, & exempti pariter a lege iurisdictionis per plura privilegia subsequenter a Summis Pontificibus sibi collata, præterquam in casibus expressis non paucis tamen, ut mox asseruimus, quoties scilicet Ordinarios ut Sedis Apostolicæ Delegatos aliquid jus in ipsos exercere præscribatur: inter quos tamen accessus ad Synodum minime connumeratur ut ad materiam late & erudite disserit Cardin. Petra *tom. 1. ad Constit. 1.* Paschalis II. *sect. 1. per tot.* & im-

& implicite saltem concedit immo suppo- nit loquendo de Regularibus in genere. Benedictus XIV. in præcellenti tract. de Synod. Diœcef. *lib.* 3. *Cap.* 1.

20 Verumtamen, cum Monasteria nonnulla dari queant per se subsistentia & absolute a proprio Abbate gubernata absque subjectione capiti Religionis, cum quo nequaquam unum constituunt corpus, nec ad Capitula generalia una cum cœteris conveniunt; proinde subduntur in casu Episcopi Diœcesani jurisdictioni &c. juxta Tridentinum *sess.* 25. *Cap. viii. de Regular.* Per consequens horummet Abbates licet in alio quocumque capite exemptione passiva gauderent, accedere obstringi ad Synodum concludendum pariter venit ex eodem Tridentino *sess.* 24. *Cap.* 2. *de Reform.* Quæ quidem causa potissima fuisse censetur, quare tenerentur Abbates iidem licet Regulares antiquitus Synodis quatenus ad eosdem vocarentur intervenire; eo quia videlicet Superiori proprio & Visitatori generali cui rationem redderent de vita Religiose ducta & observantiæ Regularis instituto ipsimet & eorum Monachi non subessent: ideoque a Diœcesanis Episcopis sub quorum potestate consistebant quantum ad correctionem morum regulas exemplariter vivendi respiciendas in Synodis dependerent, ut in Concil. signanter Aurelianen. 1. de anno 511. Can. 19. & in Oscensi de an. 598. Can. 1. apud Harduin. *tom.* 2. *col.* 111. *& tom.* 3. *col.* 535. quibus consonat textus in Can. annis 16. dist. 18. Item cum ex vi subsequentium Sanctionum Innocentii X. præsertim *Instaurandæ* datæ idibus Octobris 1652. atque decreti ejusdem jussu editi. *Ut in parvis* die 10. Februar. 1654. Conventus aliqui in quibus sufficiens numerus Religiosorum non degat aut alatur jurisdictioni quoque Episcopi licet non privative subsint eo pacto quo fuse explicavimus in 1. tomo *Cap.* 4. *dub.* X. *sect.* 2. *n.* 17. *& seq.* eorumdem Abbates Priores, Guardianos aliosve Superiores posse ad Synodum cogi per ipsummet Episcopum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatum, declaravit Alexander VII. in suo Decreto sub die 30. Martii 1661. apud Fagnanum in *Cap. Quando* de Offic. Ordinarii & non accedentes posse puniri pœnis in eadem Synodo contra contumaces statutis *Excepta tamen mulcta pecuniaria*, additur in Pientina Synodi 16. *Junii* 1703. decret. *lib.* 53. Verum signanter Regulares illos, quibus Cura Animarum incumbit, teneri Synodo intervenire Decrevit Tridentinum ipsum *sess.* 24. *Cap. cit.* 2. & conveniunt Doctores apud Pignatellum *tom.* 7. *consult.* 8. *ad tertium dubium* atque Eminent. Petra *tom.* 1. ad Constit. 4. Calixti III. *n.* 109. Inclusis etiam Capellanis Religionis Hierosolymitanæ Curam Animarum exercentibus, quatenus in Diœcesi Episcopi Synodum Congregantis sit sita Parochialis, ut pluries resolvisse Sacram C. Congregationem adducit Fagnanus in *Cap. Quod super his n.* 9. *& seq. de majorit. & obed.* Monacell. *tom.* 4. *fol.* 105. *n.* 158. Petra ad dictam Constit. 4. Calixti III. *sect.* 2. *n.* 107. *seq.* Idemque statuitur de Monachis Cistercienfibus Sancti Benedicti & Carthusianis Curam Animarum personarum Sæcularium quoquomodo peragentibus, quod nimirum vocati assistere debeant Synodo Diœcesanæ, mandata insuper Episcopalia ad Curam Animarum spectantia observare, Festa Diœcesis populo denuntiare & celebrare facere, Jubilæa & alia mandata Apostolica exequenda & promulganda medio Episcopo excipere in Olumuensi S. C. C. 11. *Julii* 1665. Ad quartum; similiter Synodo Diœcesanæ ad interveniendum obligari & cogi posse pœnis a Sacris Canonibus & jure permissis Beneficiatos Sancti Antonii Vienuens. quatenus se Regulares exemptos jactitent, declaratum refertur in una Sancti Angeli Visitationis liminum 15. *Aprilis* 1690. decret. lib. 4. ubi aliæ allegantur resolutiones etiam regulas quoscumque qui exemptione non gaudent juxta mox dicta tangentes; taliter ut privilegia multa ipsis suffragentur, nisi post Tridentinum indubitanter concessa, nec consuetudo quæcumque, nisi immemorabilis privilegium aut jus præsumptiuum inducens ostendatur; juxta prudentem dispositionem Tridentini ejusdem & doctrinam Regnantis Summi Pontificis Benedicti XIV. lib. 3. d. Synod. cap. 1. jam citato. Quibus concordat antiqua resolutio ejusdem S.C.C. applicabilis omnibus Ecclesiasticis respective & generaliter: in Spoletana ab anno 1580. Ubi facto quæsito per Episcopum, an ipse jure delegato posset visitare loca Abbatiæ Ferentilli & compellere Clerum ejusdem ut accederet ad Synodum? Ita responsum legitur = *Præsupposito Abbatiam Ferentilli & loca de quorum visitatione agitur esse intra fines Diœcesis Spoletanæ, S. C. censuit Episcopum Spoletanum ex Cap.* 9. *sess.* 24. *posse illa visitare & Clericos dictæ Abbatiæ teneri accedere ad ejusdem Episcopi Synodum lib.* 3. *decr. fol.* 129. Immo esto Abbas & Clerus essent Nullius Diœcesis, adhuc teneri accedere ad Synodum

il-

illius Epiſcopi, qui tamquam vicinior poſſit eos viſitare, aſſerit Fagnanus in d. *Cap. Quod ſuper his n.* 10. & poſt ipſum Cardinalis Petra *ſect.* 2. ad Conſtit. Calixti III. *n.* 117. *tom.* 5. Hoc nihilominus non poſſe verificari de exiſtentibus Regularibus in territorio curæ avulſo & ſeparato a Diœceſi & habente Prælatum proprium cum juriſdictione plena quaſi Epiſcopali debemus advertere; eo quia in tali ſuppoſitione non ſubſunt Regulares licet curam Animarum exercentes viſitationi, per conſequens neque juriſdictioni Epiſcopi vicinioris ex præmiſſis in tom. primo *dubit. X. ſect.* 2. *n.* 13. & traditis per eundem Card. Petram dicta *ſect.* 2. *n.* 142. *in fin.*

§. I. Quia tamen poteſt dari caſus, quod Parochia ſive Eccleſia Parochialis adnexa Abbatiæ omnino exemptæ & pleno jure ſubjecta Abbati præſeferenti jura Epiſcopalia in Territorio avulſo ſit materialiter ſita in Diœceſi diſtincta alicujus alterius Epiſcopi: in tali ſuppoſitione teneri Parochum ejuſdem Eccleſiæ non limitando ad Sæcularem vel Regularem, accedere ad Synodum Epiſcopi in cujus Diœceſi ſiſtit & Synodalia decreta obſervare in concernentibus præciſe curam Animarum, deciſum fuit per S. C. C. in Nullius Sancti Severini juriſdictionis 4. *Februarii* 1702. *decr. lib.* 52. In iiſdem tamen caſibus Regulares eſſe exemptos a Synodatariis contributionibus tactis paulo ante n. 19. poſt med. utpote ratione curæ Animarum ſubditos Epiſcopis quoad legem juriſdictionis, at nequaquam Diœceſanam, aſſignat idem Eminentiſſimus Petra ubi ſupra *ſect.* 2. *n.* 108. Prout ſimiliter Abbates, Prælatos & Superiores earumdem Eccleſiarum, quibus eſt adneſa Animarum cura, vel eorum Conventibus & Monaſteriis Eccleſiæ curam Animarum habentes localiter licet ſeparatæ, dependent, non obligari perſonaliter intereſſe Synodo, ſed ſufficere ſi illos mittant qui ad hujuſmodi curam per ſe ipſos ſunt deputati vel ſimplices Capellanos Eccleſiarum Epiſcopis alias ratione Curæ ſubjectarum: cenſuit S. eadem C. C. in una Lauden. die 1. Decembris 1691. in reſponſ. ad octavum apud Monacell. *lib.* 1. *tit. V. form.* 3. *n.* 8. & Petram qui aliam S. C. C. declarationem aſſert, ubi ſupra *n.* 110. Quamvis accurate diſtinguat BENEDICTVS XIV. verificari doctrinam quoties in Vicarium ſive Capellanum a Capitulo vel a Prælato ipſo electum & perpetuum transferatur commiſſa Cura, non vero ſi Vicarius aut Curatus Capellanus adhibeatur tamquam amovibilis coadjutor; tunc ſiquidem ovium per ſe directarum rationem perſonaliter teneretur afferre & reddere & mandata ſupra dubia ad bonum regimen earum ipſe percipere in tractatu de Synodo *lib. iii. Cap.* 1. *n.* 11. *& ſeq.*

§. II. Quod deinde abſolute teneantur Regulares omnes mediis Prælatis aut per hos ſubſtitutis una cum aliis exemptis intervenire Synodo, quotieſcumque agatur in ipſa de cauſa communi in qua Regulares ipſi non minus ac cœteri tum non exempti tum etiam exempti comprehendantur, inter cujuſmodi cauſas connumeratur illa Immunitatis; affirmant Riccius *deciſ.* 446. Pax Jordan. de re benefic. *lib.* 1. *tit. de Syn. Diœceſ. n.* 54. *& n.* 67. ſubſcribitque Pignattellus *tom.* 4. *conſult.* 186. ubi adducit S. C. tum Epiſcop. tum Conc. varia decreta videturque adhærere Eminentiſſimus Petra *n. cit. iii.* cum hac conditione tamen, quod ſi Epiſcopus de aliquo concernente univerſum Clerum tum Sæcularem tum Regularem in Synodo ſit acturus, debeat de hujuſmodi cauſa ſpecificam facere mentionem in edicto convocatorio: ex adductis per Monacelli qui citat item S.C.C. decretum *to.* 4. *fol.* 105. *n.* 115. Verum legendus idem Eminentiſſimus Petra ibi inferius *n.* 119. Prout abſolute loquendo Regulares niſi curam animarum gerant non obligari ad interveniendum Diœceſanis Synodis neque per ſe ipſos neque per ſubſtitutos: eſto adnexam haberent Monaſterio Eccleſiam Sæcularem ſimplicem, deciſum legitur de anno 1594. 31. Martii per S. C. C. in Bituntina quam allegat Pignatellus *tom.* 4. *conſult.* 132. Et BENEDICTUS in Cathedra Petri reſidens XIV. Regulares ipſos præter curæ Animarum addictos & in Conventibus in quibus ſex non degunt Religioſi quatuor ſcilicet Sacerdotes cum duobus laicis ab acceſſu dicto ad Synodum Diœceſanam auctoritative abſolvit, *lib. allegato iii.* de Synod. *Cap.* 1. *&* 2. Quantum denique ad Superiores Regulares qui poſſideant juriſdictionem in ſpiritualibus & temporalibus & territorium avulſum a Diœceſibus Epiſcoporum, non obligari eoſdem ad hujuſmodi acceſſum concludendum eſt, ſicuti de cœteris hujuſmodi Prælatis Eccleſiaſticis non Regularibus quos BENEDICTVS collaudatus noſter XIV. ad interveniendum Synodo non obligat loc. cit. *Cap.* 1. *in fine* Niſi curæ Animarum onus ſecum ferant & Viſitatori quantum ad curam eamdem ſubiaceant cumulative ſaltem vicinioris, ut adnotavimus

vimus nos *tom.* 1. *dub. xii. tract.* 2. *num.* 12. Quatenus vero Regulares hujusmodi Prælati sive Abbates sive Superiores quicumque Episcopali magis aut minus potiantur jurisdictione intra terminos tamen Diœcesis Episcopalis, de subjectione eorum circa accessum ad Synodum Episcopo Diœcesano nisi exempti quoad hoc specialiter comprobentur, paulo ante fuit dictum & ad instar etiam aliorum non Regularium debemus concludere cum Eminen. Petra *tom.* 5. ad Constit. pluries citatam 4. Calixti III. *sect. ii. ser. serv.* & plene nos differuimus itidem *tomo dicto* 1. *dub.* 12. *n.* 39. *distinctius n.*40. quæso legendo. Quatenus demum quæratur, An Regulares ad mandata sive Decreta facta in Synodo obligentur & teneantur? Brevissime indicatum est superius in hoc ipso numero ante §. I. & clarius cum eadem brevitate replicatur. Obstringi Regulares Constitutionibus Synodalibus in iis quæ respiciunt curam Animarum, administrationem Sacramentorum Sæcularibus, & jurisdictionem Episcopi delegatam in aliis insuper si debeat evitari scandalum, sed non semper sub gravi; Servare item tenentur festum indictum & interdictum promulgatum ab Episcopo non tamen jejunium in Synodo vel extra demandatum, nisi alias urgeret consuetudo aut vitandum uti supra scandalum. Ita etiam BENEDICTUS in folio residens Petri: *lib. viii.* de Synodo *num.* 5. 6. & 7.

21 Regulares itidem prædictos qui curæ Animarum præficiuntur posse & debere cogi etiam juris remediis ad interveniendum conferentiis casuum conscientiæ deducitur ex pluribus S. C. C. decisionibus. Primo namque de Curatis omnibus indifferenter id sancitum habetur in una S. Angeli, & Bisacciarum Visitationis liminum 15. *Apr.* 1590. *in responsf. ad* 3. & 4. *lib. decr.* 4. necnon in Civitatis plebis 22. Septembris 1691. *decr. lib.* 41. ubi aliæ resolutiones. Sed magis specifice quoad Curatos & Vicarios indeffinite Parochialium Monasteriis unitarum quod accedere ii tenentur ad dictam Congregationem ubi casus conscientiæ de more discutiuntur & resolvuntur & renuentes possint compelli juris remediis, legatur in Lauden. Jurisdictionis *die* 1. *Decembris* 1691. *decr. lib.* 41. *confirmata die* 21. *Septembris* 1692. Pœnæ autem non intervenientium variæ juxta variationem Diœcesum & consuetudines assignatæ sunt. In Larinensi namque Decretorum Synodalium de anno 1732. die 30. Augusti approbavit Sacra Congregatio C. mulctam duorum Carolenorum sublata suspensione a celebratione Missæ per unum diem quæ imponebatur; in fol. publ. resp. ad 1. pag. 153. In Salernitana item ejusdem anni 1732. 27. Septembris approbavit mulctam quinque Carolenorum: in fol. publ. pariter ad 1. Tom. V. Thesaur. resol. ut pariter insinuavimus *tom.* 1. *dub.* 13. *sect.* 4. *n.* 55. §. 1. An deinde conferentiæ eidem interesse obligentur cœteri Regulares saltem munus Confessarii exercentes; negativa pars videlicet eos nequaquam teneri nec posse cogi per Episcopum esto demorentur in Conventibus Episcopi Visitationi subjectis vigore Decreti *Ut in parvis* resolutum legitur per S. C. in Foro-sempronien. 12. *Maii* 1683. *decr. lib.* 35. & in alia Acquipendii Visitationis liminum 12. *Martii* 1718. *Decr. lib.* 68. Observandum nihilominus principaliter occurrit Concilium Romanum ultimo sub Benedicto cl. mem. XIII: celebratum, de quo mentionem fecimus item tom. 1. l oc. cit. ubi secluso scilicet tit. XV. dicti Conc. Cap. IX. præcipitur Episcopis ut in Civitatibus & Diœcesi cogant ad interveniendum Conferentiæ dictæ casuum conscientiæ per unum diem in quacumque hebdomada omnes de Clero Sacris initiatos Canonicos Parochos & Confessarios sub pœna pœcuniariæ mulctæ &c. etiam Regulares sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus, dummodo tamen lectiones morales casuum Conscientiæ in eorum Conventibus non peragantur. Qua de re Regulares etiam Parochi & Animarum curam quocumque titulo secum ferentes ab interveniendo hujusmodi conferentiis in praxi excusatos se arbitrantur, eo quia lectiones morales & discussiones casuum conscientiæ ad normam Constitutionum Clementis VIII. & Urbani item VIII. etiam publice exerceantur in eorum Conventibus, quorum aliquibus Sæculares Ecclesiastici quoque pro libito intersunt; Et ulterius Moralem Theologiam instituti Lectores Clericos eosdem Sæculares in Monasteriis præcipue in quibus studia erecta vigent solent edocere. Quamvis BENEDICTUS actu Ecclesiæ toti Præsidens XIV. in sæpe memorata Constitutione *Firmandis* 6. *Novemb.* 1744. inter actus jurisdictionales qui competant Episcopis respective super Parochos Regulares connumerat illum cogendi eos ad interveniendum Diœcesanæ Synodo, de quo numeris præcedentibus actum est, & alterum conferentiæ solitæ casuum conscientiæ adsistendi ibi §. *Ad personalem* unde consultius accurrent Parochi. Quod iti-

itidem advertimus in *tom.* 1. *Cap. V. dub.* 13. *n.* 114. §. *un. in fin.* Quoties immo invitentur ad conferentiam casuum conscientiæ in Episcopo vel alibi exercitam præter Parochos Lectores Superioresque Conventuum ad præstandum obsequium Episcopo accedere non detrectent & ut non dissentiantur equum sanciunt licet non obligentur in jure, At Capitulis annualibus Parochorum quod debeant omnino interesse Parochi etiam Regulares sancivit S. C. C. in Larien. 3. *Aprilis* 1631. *lib.* 18. *decret. fol.* 408. De quibus Capitulis seu Congregationibus generalibus Parochorum aliorumque curam gerentibus animarum late differitur in fol. Congregationis Conc. 2. *Aprilis* 1729. in causa Treviren. Jurisdictionis in Thesaur. resol. tom. 4.

§. Un. Cum versemus hic circa jura competentia Parochis & privilegia quibus fruuntur Regulares, nec non circa parendum signanter Episcopis in iis quæ sint propria Parochorum, reincidit occasionaliter quæsitum breviter actum in Tom. I. dub. 13. sect. VI. n. 113. §. II. An nimirum benedicere puerperas, scilicet Mulieres post partum ad purificationem accedentes in propriis Ecclesiis excipere sit ita proprium Parochorum respective, ut nequeant Regulares curam Animarum minime gerentes in Ecclesiis non Parochialibus eorum id adimplere? Esto respondeat negative Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 76. *citatus* a P. Matteucci in offic. Cur. *Cap.* 36. *n.* 18. Qui ultimus tenens affirmativam rationibus Pignatelli satisfacit: cum adsit in contrarium declaratio S. C. C. in Aquensi Parochialium 19. *Maii* 1704. *in respons. ad* 10. *&* 11. *dub. decr. lib.* 58. confirmata *die* 17. *Aprilis* 1709. *decr. lib.* 59. Et quamvis S. R. C. in generali Decreto de anno 1703. ad tertium dubium rescripserit: Benedictionem Mulierum debere fieri a Parochis; censuit tamen ibidem non esse de juribus Parochialibus, ut legenti patet apud dictum Matteucci n. eodem 18 Proinde attendendam esse consuetudinem non est dubium quæ etiam in Urbe viget ex adnotatis in tom. 1. loc. cit. Quod Puerperæ nempe pro habenda benedictione adeant quamlibet Ecclesiam sibi bene visam licet non Parochialem tum Sæcularium tum Regularium, ut in terminis quoque reperitur decisum per S. Concilii Congregationem in Dershonen. jurium Parochialium 7. *Septembris* 1720. *in resp. ad* 7. *decr. lib.* 70. Quidquid clamitet contra Monacellus qui novissima Decreta alioquin post ipsa emanata non intuitus *part.* 1. *tit.* 11. *form.* 18. *n.* 10. 11. *&* 12. substinet Benedictionem Mulierum in casu competere privative Parochis, atque deinde *tom.* 3. *form.* 5. *n.* 63. lamentatur quod P. Lezana ab eo citatus & alii DD. Regulares tueantur causam propriam, quasi deberet imputari ad culpam tueri causam justam & obiicere contra obiicientem consuetudinem claris fultam Apostolicis Decretis; Ultra quam quod laborat is in falso supposito nam potestas excipiendi & benedicendi puerperas non competit tantum Regularibus sed Rectoribus quibuscumque Sæcularibus in eorum Ecclesiis quibus minime Cura Parochialis sit adnexa pro libito accedentium mulierum eligendis, ut in cit. Dershonen. & nos indigitavimus simul tom. 1. loc. cit. Benedicere vero Sponsos in Ecclesiis propriis possunt quidem Regulares de licentia Parochi, secus autem sine ea resistente Tridentino addita declaratione S. C. C. in supracitata Aquen. 19. *Maii* 1708. *in respons. ad* 7.

82 Ultra usque nunc resolutas quæstiones controversiæ majoris fortasse momenti oriri non cessant propediem non sine tribunalium perturbatione inter Ecclesiasticos Parochos videlicet aliosque Ecclesiis Sæcularibus Præfectos & Regulares, nec non inter Ecclesias Parochiales aliosque reciprocos Sæculares, nec una vice inter Regulares ipsos & Regulares circa ea quæ vocantur funeralia, sepulturas nimirum Cadaverum omniaque illa quæ dictam Sepulturam circumstant atque concernunt. Quamvis autem Regulares secundum usum loquendi hic citentur in genere; nihilominus qui ordinant qui lites promovent qui prætensa jura defendunt sunt Prælati signanter locales aut alii nomine ipsorum; ideoque de Superioribus atque Prælatis Regularibus agentes opportunum duximus circa magis scitu necessaria & magis obvia in hac materia attenta communi praxi non effugere sermonem. Ut itaque cum ordine debito procedamus primo loco de electione tractabimus Sepulturæ. 2. De delatione & associatione cadaverum. 3. De funeribus ipsis seu emolumentis funerum ac quarta funerali, sistendo præsertim in Sanctionibus ac Decretis recentioribus Sanctæ Sedis juxta variam propositionem dubiorum, absque extensione superflua doctrinæ, quæ contra expressam legem non evincunt in casibus præsertim quorum resolutio pendet prorsus a positivo. Sic ergo eligere Sepulturam in qualibet Ecclesia sibi bene visa possunt Sæculares quicumque pubertatis

annos

annos egressi, taliter ut quoties alibi tumulentur eorum cadavera exhumanda & Ecclesiis in quibus expresse fuerit Sepultura electa sint restituenda, juxta Decretum vetus Alexandri III. *Cap. V. ex parte & Cap. VI. Cum liberum sit de Sepult.* nec non Bonifacii VIII. *in Cap. Animarum eodem tit.* concordantibus declarationibus S. C. C. in Lunen. Sarzanen. restitut. Cadaver. 28. *Novembris* 1711. *lib. decr.* 61. & in Soran. Funerum 14. *Aprilis* 1723. *decr. lib.* 73. *& in Thesaur. resol. tom.* 1. *pag.* 304. & adhuc recentius in Nussana Sepulturæ 28. *Januarii* 1736. *in respons. ad* 11. *fol. publ. pag.* 10. Absque eo quod admittentes prætextus in contrarium pro non exequenda certa voluntate eligentis: Propter quod cadaver illius qui elegerat Sepulturam in Ecclesia Dominicanorum sub prætextu quod horum Ecclesia foret interdicta sepultum in alia *restituendum esse dictæ Dominicanorum Ecclesiæ* stante nullitate interdicti respondit Sac. Cong. C. in Adrien. Processionis & interdicti 6. *Julii* 1709. *decr. lib.* 59. Cadaver item tumulandum in Ecclesia expresse electa Capuccinorum & tumulatum in Cathedrali sub motivo litis pendentis; transportandum esse a Cathedrali ad eamdem CapuccinorumEcclesiam cum associatione eorumdemmet Religiosorum, responsum fuerat in Æsina funerum 2. Decembris 1702. *Ad primam decr. lib.* 52. Immo aliis expressis juribus videtur prævalere quandoque electio facta a vivente Sepulturæ sibi bene visæ, itaut voluntas eligentis quantum sit possibile fine non defraudetur intento. Hinc Cadaver in Ecclesia Monialium tumulatum, eo quod vivens in ea ibi sibi elegerat Sepulturam, non esse exhumandum, sed imposterum servanda esse decreta Sacræ C. Episc.& Regul. prohibentia tumulationem secularium in EcclesiisMonialium rescripsit S.C.C. in Lunen.Sarzanen.Restitutionis Cadaveris 28. Novembris 1711. *decr.lib.* 61. Quamvis ex alia parte electione prævia deficiente eadem S. C. jussit Cadaver pistoris Monialium habitantis in Cortili Monasterii muris circumdato sepultum in Ecclesia earumdem Monialium, exhumari & deferri ad Ecclesiam Parochialem ibi tumulandum & restitui proprio Parocho omnia emolumenta. In Barchinonen. jurium Parochialium 14. *Januar.* & 13.*Maii* 1713. *decr. lib.*63. Quamvis pariter plura vigeant SacrarumCongregationum Decreta quantum ad Seculares degentes etiam in Monasteriis Regularium ibique decedentes; nisi tribus conditionibus alibi explicatis fulciantur, quod tumulari debeant in Ecclesia Parochiali ut habetur in Senen. 17. *Novembris* 1691. *lib. decr.* 41. ubi aliæ citantur resolutiones & fusius nos indicavimus *in tom.* 1. *Cap.* 4.*dub. X. sect. V. n.* 69. per integrum quæso legendo. Tamen constito de electione Sepulturæ in eorumdem Regularium Ecclesia rite ibidem tumulari posse & debere est incontroversum, absque defraudatione semper quartæ funeralis debitæ respective Parocho: ex sancitis per S. C. C. in Astensi jurium Parochialium 27. *Novembris* 1717. *decr. lib.* 67. sed aperte per Constitut. Benedicti piæ mem. XIII. 8. *Julii* 1725, ut plenius infra.

23 De electione vero præhabita debet sufficienter constare; cum alioquin jura Parochorum sint attendenda, absque eo quod contra ipsa valeat sola præsumptio. Genuensis in prax. *Cap.* 76. *num.* 8. At quando & quomodo sufficienter constet de electione eadem per probationes assignat Card. Petra *tom.* 2. ad Constit. 2. Honor. III. *n.* 20. *& seq.* & uberius P. Matteucci in Offic. Cur. Cap. 49. recensens ad propositum responsa S. C. C. n. 30. ex Pignat. *tom.*1. *consult.*17. præcipue ad V. *Quod valide eligatur Sepultura coram duobus testibus*: & ad VI. *Quod electio sepulturæ per nutus & signa, in casu, quo quis loqui non possit sit valida: dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis. Die* 13. *Februarii* 1666. In confirmationem quorum legitur declaratio recentior item S. C C. quod Sepulturæ electio probata per duos testes formiter examinatos & cohærentes attestationi superadditæ per Confessarium defuncti fuerit valida; ideoque omnia emolumenta percepta a Parocho restituenda forent Regularibus in quorum Ecclesia defunctus tumulari decreverat & debuerat. Ita in Tudertina electionis Sepulturæ 4. *Julii* 1722. cum confirmatione *in decisis* 21. Novembris ejusdem anni *decr. lib.* 72. & in Thesaur. resolut. *tom.* 2. *pag.* 238. Et licet ad probandam sepulturæ electionem, simplices etiam attestationes admitti dixerit aliquando Rota in Fanen. Juris tumulandi 2. *Martii* 1733. §. *Ejusdem quoque*: coram Eminentissimo Calcagnino; Verum ad concludendum minime sufficere nisi habito fundamento veritatis ex alio capite, nempe ex depositione jurata Confessarii aut alterius testis omni exceptione majoris in forma probante, sive constito etiam de consuetudine in casu. Amostaz *de caus. piis lib.* 6. *Cap.* 8. *n.* 35. Sperell. *decis.* 88.

sub n. 10. Absque eo quod satis sit per adductos testes adhuc formiter examinatos probare propositum saepius proprio ore defuncti dum viveret replicatum sepulturae talis eligendae, seu voluntas expressa disponendi tempore debito de tali sepultura, scilicet in hac vel illa Ecclesia; propositum namque eligendi non est eligere sicuti propositum vovendi non est vovere, ex animadversis per Ventrigliam in prax. *tom.* 1. *adnot.* 5. *n.* 45. Genuesem in prax. *Cap.* 61. *n.* 8. Gavant. in Man. Episcop. Verb. Sepultura *n.* 20. Panimoll. *decis.* 5. *adnot.* 3. *n.* 55. ibi. *Electio Sepulturae cum concernat praejudicum Ecclesiae Parochialis debet probari per testes qui debent deponere de speciali sepulturae electione & non de proposito eligendi, ut vere de sepulturae electione constare dicatur &c.* & convenit Matteucci dicto *Cap.* 48. *n.* 31. Hinc in Viglevanen. funerum habita sub die 18. Maii 1743. ad primum dubium. *An constet de electione sepulturae ita quod sit locus exhumationi Cadaveris & transportationi ejusdem ad Ecclesiam S. Bernardini?* S. C. C. rescripsit. *Negative* Et cum pro parte P. Procuratoris Generalis Minorum de Observantia replicata fuerit instantia simul cum corroboratis probationibus praetensae electionis sub die 27. Junii anni subsequentis 1744. Ad propositum quaesitum - *An standum vel recedendum a decisis quoad electionem sepulturae & exhumationem Cadaveris in casu?* Iterum responsum prodiit. *In decisis & amplius*; non etenim constitit de electione effectiva sepulturae in casu, sed de proposito dumtaxat eam eligendi in Ecclesia Sancti Bernardini Patrum Minorum de Observantia, ut in folio & exhibitis scripturis. Alias Regulares electione deficiente nequeunt arbitrarie dare cadaveribus Sepulchrum in propriis Ecclesiis licet amicorum dum viverent licet familiarium, esto item alimenta in eorum Monasteriis suscieperent: ex Senen. 1691. 17. Novembris & nos numero antecedenti comprobavimus. Immo esto ordinaverint Saeculares in testamento sepeliendum cadaver cum habitu Regularium debere adhuc tumulari in Parochiali, nisi electionem sepulturae in Ecclesia Regulari pariter testati sint: declaravit itidem S. C. C. in eadem Senen. in respons. ad dubium IX. apud Patrem Matteucci *Cap.* 48. *n.* 31. Quod procedit similiter quoties esset in Ecclesia Regularium erecta Confraternitas cum propria sepultura pro confratribus decedentibus, adeo ut nequaquam ibi tumulari quirent, nisi eamdem sepulturam viventes signanter elegissent. Sic in Decretis S. C. C. apud Matteuccium loc. cit. ad VII. dubium. Nihilominus laudatus ipse Auctor pro sepeliendis Cordigeris utriusque sexus paulo ante adduxerat resolutionem contrariam S. C. Episcop. eodem *Cap.* 48. *n.* 21. his quae sequuntur verbis. *Quod ubi adest sepultura communis pro cordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum ubi est erecta Confraternitas sepeliantur in ea; ubi vero non est talis sepultura moderentur sicut caeteri Saeculares & sepeliantur in Parochiali Ecclesia si non sibi elegerint aliunde sepulturam.* In Senogallien. 22. *Novembris* 1580. ex Lantusca item Theatr. Regul. *V. Confraternitas n.* 12. qui citat regestum S. C. Episc. fol 1. & concordat P. Didacus ab Aragonia in dilucidat. *tr. vii. Cap.* 6. *n.* 21.

§. Vn. Sed quantum ad hoc idem quod asseritur pro Cordigeris emanatum decretum difficultas occurrit non mediocris; datum namque ambo Doctores Lantusca & Matteuccius scribunt de dicto mox anno 1580. & ex alia parte Cordigerorum primus institutor eorumque Archiconfraternitatis erector constat extitisse Sixtus famosus V. in sua Bulla: *ex Supernae dispositionis la* 13. *t.* 2. *Bullar. de anno* 1585. 13. *Calen. Decembris an.* 1. *Pontificatus*. Quomodo ergo potuit jactatum decretum relatum afficere Cordigeros non adhuc institutos, immo ante annos quinque quã primus institutor Syxtus ad solium fuerit Pontificale evectus, nisi confundatur Cordigerorum Archiconfraternitas cum Ordine Tertiariorum contra sensum Doctorum, ipsiusmet Matteucci qui distinctionem hujusmodi sodalitatum in antiquitate & institutione rite assignat *Cap. XV. n.* 3. & 9. Arridet magis per consequens communis sententia in hac de sepulturis materia, quod Confraternitates omnes sive Confratres eorum quicumque subsint juribus Parochialium, ita quod in eorum Parochialibus respective Ecclesiis sepeliri debeant nisi formiter alibi tumulari decreverint vel sepulturam praelegerint, vel nisi sepultura communis pro ipsis Confratribus in Ecclesia respective ubi est erecta Confraternitas extet legitime assignata eo pacto quo tetigimus *tom.* 1. *dub. xiii. sect. V. n.* 112. Legitime autem assignata dicitur eadem communis sepultura confratribus, quando assignatio contingit cum licentia & auctoritate Episcopi, vel Constitutiones continentes eamdem assignationem sepulturae communis sint ab Ordinario approbatae & confirmatae ad normam Constitutionis Clementis

tis VIII. *Quæcumque* 7. Decembris anni 1604. & licet statutum Vrbis seu Romani Cleri absolute improbet sepulturam per Confratres & pro confratribus absolute electam Cap. iii. §. 22. in addit. non addit tamen clausulam esto esset sic electa de consensu Episcopi: & ut in Vrbe Emin. Vicarii; ultra quamquod statutum hoc extra Vrbem non obligare est indubitatum. Circa sepulturam deinde Tertiariorum virorum prout important Ordinem a Cordigeris distinctum diximus alibi in hoc ipso *tom. 2. dub. 17. sect. 3.* De Tertiariis autem fœminis si observent conditiones præscriptas in Decreto S. C. C. apud Matteucci offic. Cur. *Cap. 52. sub n. 3. §. V.* statuitur quod decedentes sine electione sepulturæ & sepultura earum communis in Ecclesia Ordinis, cujus habitum gesserint reperiatur, possint in ea sepeliri, sin minus in Parochiali. Nec contra hoc vim facit declaratio alia Sacræ Congr. Conc. in Salernitana jurium Parochialium *de anno* 1702. 19. *Augusti* in responsione *ad* 4. Videlicet quod Oblatæ in Conservatoriis & aliæ mulieres ibi degentes & morientes non electa sepultura debeant tumulari in Parochiali intra cujus fines situm est Conservatorium, esto sepultura communis reperiatur ibidem. Responderetur etenim, quod Oblatæ hujusmodi & mulieres in Conservatoriis collegialiter degentes non præsupponuntur Tertiariæ de quibus in casu. Namque asserta privilegia concessa leguntur fœminis in domibus respective propriis demorantibus cum conditionibus assignatis, minime collegialiter in Conservatoriis absque Clausura, quæ ex alibi dictis, Sancta Sedes licet toleret aut permittat, numquam positive approbavit post Bullam Sancti Pii *Circa Pastorales de anno* 1596. 4. *Cal. Julii* ad tradita per Card. Petram *tom. 3. edit. Ven. pag.* 73. *n.* 44. *& pag.* 174. *n.* 28. ubi Decretum allatum in Salernitana per integrum refert; prout videndum Decretum item S. C. Episc. die 20. Decembris 1616. ubi mulieres Tertiariæ collegialiter viventes in privilegiis recensitis declarantur non comprehendi §. *VI.* Matteucc. *in Cap. cit.* 51. *sub n.* 3. Quatenus autem pro Oblatis illæ acciperentur Mulieres quæ Monialibus inserviunt & in domibus habitant a Monasterio sejunctæ extra septa, non est dubium quod pro iis observandum foret decretum editum in Spoletana jurium Parochialium 19. *Aprilis* 1692. Nempe hujusmodi Mulieres Monialibus inservientes extra Clausuram, si infirmentur Sacramenta suscipere a proprio Parocho & decedentes absque electione Sepulturæ tumulari debere in Parochiali. Et quoties sepulturam de facto elegerint alibi, associanda fore earum Cadavera a Parochis nequaquam a Cappellano Monasterii: in respons. *ad* 2. 3. *&* 4. *decr. lib.* 42. necnon in Ulixbonen. Occidentali 19. *Septembris* 1722. *ad* 3. *&* 4. *decr. lib.* 72.

24 Secus resolvendum veniret, quoties Mulieres intra septa Monasterii Clausuram profitentes demorarentur tamquam veræ commensales, aliquæ decederent, sepultura non electa: eo quia in decretis Parocho favorabilibus quantum ad inservientes Monialibus apponitur clausula *« Extra tamen septa demorantes*, ut videre est in Barchinonensi signanter 14. *Januarii* 1713. *lib. decr.* 63. allegata superius n. 22. prope fin. Verum difficultas emergit præcipue de puellis educandis & intra septa Monasterii Clausuram profitentis morientibus, de quibus aliqualiter tactum est in *tom. 1. Cap. V. dub. XIII. n.* 112. An scilicet sepeliendæ sint in Parochiali Ecclesia quoties sepulturam neutiquam elegerint? Partem autem Parochorum in hoc casu tuetur cum aliis a se citatis Pignatellus *tom. 7. consult. 63. per tot.* videlicet debere omnino earum Cadavera ad Ecclesiam Parochialem deferri, eique adhæret sententiam mordicus pro iisdem Parochis propugnans Matteuccius in Offic. Cur. *Cap. 32. n.* 8. *&* 9. & cum ipsis Doctor Dominicus Ursaya *tom. 7. part. 2. discept. 4. n.* 23. Oppositum tamen evidenter decisum apparet per Sacram Cong. Conc. in Pinnen. Sepulturæ *die* 6. *Julii* 1737. Cum siquidem Puella educanda mortua in Monasterio Clausurato Sanctæ Claræ Pinnæ absque præelectione sepulturæ tumulata fuisset habitu Monialis induta in Ecclesia exteriori earumdem Monialium, atque hinc Ecclesia Collegiata & Parochialis intra cujus fines Monasterium sistebat reclamasset & duo propterea forent proposita dictæ S. Cong. sequentia dubia.

I. An liceret tumulari cadaver Mariæ Nolli in Ecclesia Monialium S. Claræ Civitatis Pinnæ? Et quatenus negative.

II. An sit locus exhumationi, & respective restitutioni Cadaveris Una cum funeris emolumentis favore Ecclesiæ Collegiatæ & Parochialis S. Joannis Evangelistæ ejusdem Civitatis in casu. Iismet, habita prius informatione Ordinarii rescriptum fuit.

Ad I. Affirmative. Ad II. Decisum in primo

primo & amplius . Inter fol. publica ejusdem anni pag. 122.

Pro quo facit doctrina Passerini de stat. Rom. *tom.* 2. *q.* 2. 187. *art.* 1. *n.* 896. Pellizar de Monialib. *Cap.* 10. *sect.* 3. *sub sect.* 1. *n.* 233. Marchetti de sepul. *tit.* 28. §. 2. *n.* 29. & *Cap.* 12. *discept.* 130. *n.* 70. & *seq.* Ea cum dicta ratione, quia jus Parochi non extenditur ad ministranda Sacramenta intra Clausuram Monialium; proinde neque ad sepulturam inibi decedentium, nec adest ullum decretum in favorem Parochorum quantum ad morientes intra Clausuram ut notat Marchetti loc. cit.

§. Un. Porro regulariter verum est, quod in Ecclesiis Monialium nisi cura Animarum sive Parochia eis sit adnexa, cadavera Sæcularium tum Virorum tum Mulierum sepeliri prohibentur, ut supponebatur n. 22. Et habetur expresse in Lonen. Sarzanen. S. Cong. Conc. 28. Novembris 1711. Et in pluribus aliis S. C. Episc. præsertim in Mantuana 15 *Martii* 1697. & in Canen. 11. *Martii* 1706. allegatis item in Romana Emolumentorum Funeralium S. C. C. fol. publ. sub die 16. Junii 1731. in Thesaor. resolut. tom. 8. Quatenus non accedat licentia S. Congregationis & Monialium Copulative, ut autumat Monacelli *tom.* 1. *tit.* XI. *form.* 23. *n.* 5. Aut licentia S. Sedis simul cum ea Superioris Religionis cui jus sepeliendi non competeret in alio simili casu, secundum statutum Cleri Romani in additione confirmata per cl. mem. Clementem XI. *Cap.* 3. *de jur. eligendi sepulchr.* §. 1. In quo tamen ultimo casu, quando scilicet, obtenta necessaria permissione & licentia Cadaver in Ecclesia Monialium aut alterius Religionis incapacis sepeliretur, integrum funerale spectaret cum omnibus emolumentis ad Parochialem Ecclesiam: saltem in Urbe ex ipsamet citata additione ad statutum; non obstante quod Ecclesia Monialium, in qua contingeret tumolatio Cadaveris, antiquitus extitisset Parochialis; ut post acrem decertationem rescriptum fuit in prædicta Romana emolumentorum funeralium exposita in publico folio die 16. Junii 1731. & resoluta deinde die 28. Julii ejusdem anni in lib. Thesaur. resolut. *ubi supra pag.* 131.

25 Alter titulus potest competere Regularibus sicut & aliis tumulandi Cadavera Sæcularium in propriis Ecclesiis, nempe si Sæculares proprium sepulcrum in eis extruxerint, vel ipsummet effodi curaverint & propriis insignibus distinctum destinaverint Sepulturam, quod non admittit controversiam; adeo ut in Ecclesiis ipsis Regularium, jure tumulandi carentium, quoties de licentia S. Congregationis sepultura extruatur, non pro solis ipsis tumulandis, qui personaliter structuram sive sepulchrum fabricandum ordinant, sed & pro successoribus omnibus, nisi alibi sepulturam eligant, censeatur valere dispensatio sive impetrata licentia. Sic resolvente S. C. C. in Fanen. erectionis sepulturæ 6. *Maii* 1719. videlicet, quod sepulchri erectio facta in Ecclesia Capuccinorum de licentia *S.C. Episc. non sit restringenda ad ipsam personam erigentis, sed intelligenda pro tota familia* in respons. *ad* 1. *dub. decr. lib.* 69. Insuper, decedente quolibet absque electione sepulturæ in suppositione, quod plurium Ecclesiarum prætensiones insurgant pro habendo Cadavere, prævalere inter alias titulum sepulchri erecti pro tota familia in aliqua ex prætendentibus Ecclesiis, sancitum reperitur per Sacram Con. C. in Aretina juris sepeliendi 15. *Septembris* 1703. Cadaver siquidem Sacerdotis & Capellani Cathedralis defuncti non electa sepultura in domo rurali Parochiæ alienæ, & tumulatum in Cathedrali loco depositi: cum prætenderetur a Cathedrali eadem, cujus is Capellanus extiterat, a Parocho intra cujus Parochiæ limites sita erat domus ruralis, & a Patribus Sancti Dominici ratione sepulturæ majorum dicti Sacerdotis in eorum Ecclesia extructæ, transportandum esse ad Ecclesiam Dominicanorum in sepulchro majorum tumolandum, una cum omnibus emolumentis funeralium, respondit d. S. Cong. *decr. lib.* 53. Verum foret necesse, ut de dicto sepulchro majorum ubi regulariter Cadavera illius familiæ reconderentur certo omnino constaret; cum alioquin jus certum Parochiæ sic alterius juri dubio in casu esset præferendum. Quapropter Cadaver sepultum in Ecclesia Regularium exhumandum esse & restituendũ Parocho cum omnibus emolumentis, eo quod Regulares non sufficienter probarent existentiam Sepulchri majorum in propria Ecclesia ordinavit eadem S. C. in una Civitatis Castellanæ Sepulturæ 12. *Januarii* 1709. Licet propter lapsum temporis ab inchoata controversia cadaver relictum fuerit ubi tumulatum jacebat ut ibi Decret. *lib.* 59.

26 At difficultas relevat ardua circa impuberes quos, concordant jura & Doctores, non posse sibi sepulturam eligere apud Cardin. Petram *tom.* 2. *ad Const. jam cit.* Hon.

*Hon. III. sect. un. n.*3. Utrum Parentes eorum possint ad libitum in Ecclesia sibi bene visa eos jubere seu destinare tumulandos ? Cum alioquin vel in Parochia, vel in Sepulchro Majorum cœteris ut mox diximus præferendo reponi deberent, ex recensitis etiam per Patrem Matteucci *Cap.* 48. *Offic.cur.n.*22. Et plane quamvis in Parochiali existeret Sepulchrum specialiter pro impuberibus designatum, quod eo omisso licitum absolute foret Parentibus jubere filios hujusmodi deponi in Sepulchro majorum habetur clare in Novarien. S. C. C. 15. *Martii* 1704. *ad* 1. *Decret. lib.* 54. Generaliter autem de hinc quod possint Parentes eligere ad beneplacitum sepulturam filiis impuberibus, exponitur perspicue in textu per rescriptum Lucii III. Cap. *De Uxore* 7. *de Sepultur.* & *Cap. Licet Pater in* 6. *eod.tit.* & quamquam in dicto Capite *Licet* sermo sit signanter de Patre impuberis, in textu primo Cap. *De Uxore* quæsitum & resolutio procedit de Parentibus in plurali, pro quibus venire Patrem & Matrem non est dubium; propterea ad Matrem extendi etiam alterum Caput *Licet Pater in* 6. sentiunt cum communi Passeriu. de Stat. hom. *qu.* 187. *art.* 4. *n.* 279. Sperell. *decis.*89. *n.* 7. & 9. contra paucos adductos per Geminian. in dicto Capite. Et consonant plura S. Cong. Episc. Decreta in quibus itidem hujusmodi facultas tribuitur & declaratur competere non Patri singulariter & præcise, sed Parentibus in plurali, ut videre est apud cit. P. Matteucci n. d. 14. Prout novissime pariter facto quæsito Sacræ Congregationi eidem Episc. in una Salinen. funerum *An pro Infantibus & impuberibus liceat Parentibus in plurali eligere Sepulturam in Ecclesiis Regularium? Die* 8. *Junii* 1731. responsum fuit *Affirmative* ut in regest. ejusdem 11.

§. I. Tota difficultatis vis in hoc articulo reducitur ad consuetudinem, quæ ut conditio necessaria videtur signari in utroque adducto Capite *de Sepult.* ad hoc ut possint eligere Ecclesiam ad libitum parentes pro sepeliendis impuberibus filiis. In primo namque Cap. *De uxore* clare legitur *Standum esse consuetudini*. Et in Cap. *Licet Pater* apponitur item aperte conditio Patri electori. *Si talis est consuetudo* addita ulteriori provisione quod *si consuetudo desit sepeliatur impubes in sepulchro majorum*. Laudatus quoque Matteucci cap. cit. 48. binas affert ad propositum declarationes, unam de anno 1649. & anteriorem aliam absque ulla ambiguitate exigentes, ut ait, consuetudinem ad hoc ut electio sepulturæ pro impuberibus sit in potestate parentum: ibidem n. 35. Quæ quidem consuetudo utpote principale fundamentum potestatis in casu indiger speciali probatione: ad tradita per Sperellum decis. 89. n.201. & cum agatur de tollendo jure Parochiali debere concludenter demonstrari per actus univocos & diuturno tempore non interruptos inuunt Mans. *consult.* 168. *n.* 52. & *consult.* 308. *per tot.* Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell. qu.* 9. *n.* 84. *seq.* Canter. *variar. resolut. part.* 1. *Cap.*4. *n.*120. *Thesaur. decis.* 189. *n.* 3. Gratian. *dec. March.* 148. *n.* 10. Rot. *dec.* 4. *n.* 10. & *seq.* post Bouden. *de jurisdict.* & *dec.* 89. *n.* 3. cor. Cerro & in recent. *dec.* 419. *n.* 22. *part.* 19. Pergitque deinde Matteuccius loc.cit. ad consuetudinem inducendam respectu Patris eligentis sufficere asserens annos decem, quia Patri assistit jus; at respectu Matris requiri annos quadraginta, utpote jure destitutæ ibi sub *n.* 25. §. *Et cum duo.* Quodque consuetudo ex parte Matris utpote in Cap. *licet* non comprehensæ debeat concludi ex æquitate tantum per continuatam & non interruptam quadragenariam aperte sustinet Emin. Petra *tom.* 2. *ad Constit.ii. Honorii III. sess. un. n.* 120. Medic. de Sepult. *qu.* 8. *n.* 20. Marchett. item de Sepult. §. 6. *n.* 147. Amostaz de caus. piis *dub.* 6. *Cap.* 9. *n.* 63. Sperell. *decis. cit.* 89. *n.* 17. & *seq.* Panimoll. *decis.* 5. *adnot. vii. n.* 28. sic allegati Doctores.

§. II. Ego revera in præsenti articulo non ausim impugnare necessitatem absolutam consuetudinis quæ Parentibus assistat ad hoc ut valide disponant de Sepultura impuberum natorum, cum in utroque Canone sive capite *tit. de sepult. ipsa attendenda* exprimatur, & necessariam item propugnent Doctores numero plures & nomine excellentes. Nihilominus contraria opinio, subdere non nequeo, quod nequaquam censenda sit prorsus improbabilis; itaut citata capita hisce temporibus habeantur ut antiquata; eo quia in declarationibus & dispositionibus novissimis hujusmodi conditio, scilicet consuetudo tamquam adeo necessaria non legatur & vigeat in praxi dispositio & indubitata electio parentum non habita super consuetudinem quæstione aut consideratione, cujusmodi opinionem aperte item profitentur Doctores numero & nomine non despiciendi: Ventriglia *de elect. sepult. adnot.* 52. *n.* 13. Samuel de Sepult. *tr.* 1. *disp.* 6. *controv.* 1. *concl.* 4. Peyrin. de privil. *tom.* 3. *in fin.* Murga *disquis. mor. tom.* 1. *tr.* 7. *sect.* 2. *disp.*

cultatem sive jus eligendi impuberibus natis sepulturam & nullatenus patria facultas, quæ cum sit de jure civili introducta non extenditur ad electionem sepulturæ quæ est *quid spirituale per Cap. Quæsta 13. qu. 2. §. ii.* Hic autem est in proposito dictum aliud juxta præmissa secundo loco examinandum. Pugnat namque in primis hujusmodi assertum cum supposito Cardinalis Petræ & aliorum sentientium post mortem impuberis prolis cessare in parentibus jus eligendi illi sepulturam, eó quia non viget amplius & verificatur in iisdem Patria potestas super qua fundatur electio prætensa ut mox visum est. Ultra quamquod si sola consuetudo tamquam fundamentum unicum prætensæ potestatis sit attendenda nihil inquam probaret contra jus Parochorum habentium fundatam intentionem in casu, permissio namque & tolerantia eorum nullum tribueret robur soli consuetudini contra se, per textum in *Cap. cum jamdudum de præbend.* Rot. coram Ludovisio *dec.* 162. *n.* 10. *& seq.* & coram Benincas. *dec.* 252. *n.* 15. & in Recentiori *dec.* 218. *n.* 12. *part.* 16. *& decis.* 217. *n.* 17. *part.* 17. cum necessum sit consuetudinem ipsam ex altera parte fulciri aliquo jure, quod non posset esse in casu nisi naturale, scilicet patria potestas ad evertendum dictum jus certum Parochorum circa sepulturas: ita ut constaret quod contradicente Parocho & Parentibus e contra sepulturam impubi proli eligentibus, cadavera ipsa impuberum alibi quam in Parochiali Ecclesia inspecto eligentium jure tumulata sint; Patav. de controv: Patrum *alleg.* 32. *n.* 20. Rot. coram Buratt. *decis.* 254. *n.* 20. & coram Cerr. *dec.* 180. *n.* 4. & cor. Roxas *dec.* 71. *n.* 9. & coram Molin. *dec.* 227. *n.* 12. *& dec.* 963. *n.* 51.

§. II. Insuper responderent contrarii assertores instantes Patriam potestatem non semper fundari super jus civile, sed in multis & fere omnibus casibus super jus naturale ut in præsenti; cum ex vi paterni imperii super filios naturaliter sibi competentis Pater omnia & quæcumque disponat de ipsis, ea præcipue quæ disponendi ipsimet filii sicut incapaces utpote impuberes: ex animadversis item per Passerinum signanter *n. cit.* 277. Nec generaliter esse verum replicarent quod Patria potestas non extendatur ad opera etiam spiritualia, per filios præcipue adhuc impuberes exequenda ut sunt Communio in Paschate, annualis confessio, accessus ad Ecclesiam gratia audiendi Sacrum & instructionibus capiendis circa misteria fidei aliaque spiritualia exercitia non omnia hic individualiter inferenda, ad quæ ineſt parentibus cura & obligatio filios signanter minoris ætatis impellendi ab eisque circa eadem obedientiam exigendi. Et quidem quoties eligere præcise sepulturam esset actus simoniacus de quo præcise loquitur Cap. citat. *Quæsta* 13. *qu.* 2. contra eos qui ad dandum pretium pro sepeliendis cadaveribus alios cogunt, simoniam ultro committerent & dantes & accipientes pretium quomodocumque in hoc casu, ac ulterius sepulturam medio justo sine pretio eligentes pro se ipsis, cum non esset differentia circa objectum. Nil juvant ergo ad propositum verba & arbitrariæ interpretationes, nisi claræ adducantur decisiones quæ statuant legem. Et quidem fateor vim specialem facere decisionem hac in re opportunam S. Congr. Episc. de anno 1742. confirmantis sententiam Episcopi Albinganensis quæ fuerat, quod cadaver cujusdam filiæ impuberis sepultæ in Ecclesia Fratrum Minorum Reformatorum in Civitate Sancti Romuli contradicente Parocho, licet jubente & ordinante Matre in defectu absentis Patris, exhumaretur & una cum emolumentis funeris Ecclesiæ Parochiali restitueretur. Attamen advertendum, quod in eadem controversia probatum extiterit concludenter pro parte Parochi, ipsummet esse in possessione per consuetudinem nullatenus per contrarios etiam testes infirmatam impertiendæ licentiæ toties quoties cadavera impuberum in Ecclesiis alienis a Parochia etiam de ordine & jussione parentum sepelienda, dari probatur: & in casu cum petita de facto fuerit licentia pro parte Matris quæ sepulturam impuberis filiæ in dicta Ecclesia Patrum Reformatorum ordinaverat, ipsemet Parochus publice contradicens & protestans de violentia cum denegaverit, ut in scripturis typis datis innotescit evidenter. His non obstantibus quotiescumque clara prodeat decisio atque Apostolica sanctio quod pro electione sepulturæ dandæ impuberibus requiratur ex parte Parentum non interupta consuetudo & quadragenaria ex parte Matris, & nulla habeatur electio hujusmodi peracta post obitum impubis prolis, parendum sibi esse noverint Regulares. Cæterum si afferatur statutum Romani Cleri, qui est cœtus cujuscumque generis Parochorum ordinans infantes atque impuberes decedentes sub patria potestate, nec sepulchrum proprium majorum scilicet in peculiari Ecclesia successive possidentes, debere absolute sepeliri in

in Parochialibus respective propriis non obstante contraria jussione parentum, esto confirmatione Apostolica fulciatur hujusmodi cœtus statutum; extra Urbem neutiquam obligare perspicuum est.

28 Ut claudamus deuique hunc de electione sepulturæ articulum, non est omittendum, exeundo etiam de sepulchro impuberum, assertum Patris Didaci ab Aragogonia quod generaliter in casu quo defuncti sibi sepulturam non elegissent poterunt ipsorum hæredes & testamentorum executores aut alii qui funeris curam habent sepulturam eligere etiam in Ecclesia quorumcumque Regularium, qui elevata cruce poterunt recto tramite cadaver ad propriam Ecclesiam deferre & sepelire etiam invito Parocho quoties hic monitus noluerit venire. Hoc autem dictum nequaquam potest absolute sustineri, & Parochi exclamarent usurpari proria eorum jura; nisi tamen Conventio cum ipsis supponatur, quam hæredes ipsos inire fas esset, aut militaret in favorem hæredum consuetudo non interrupta, quod totum ex præfatis eruitur & per contrariam praxim attentis Decretis novissimis confirmatur. Quod si quis inducat aliquem aut morti proximum aut adhuc viventem ad eligendam peculiarem sepulturam medio voto juramento aut pacto, incidet in mortale peccatum inobedientiæ erga Summum Pontificem, contra mandatum scilicet expressum Bonifacii PP. VIII. sub pœna maledictionis æternæ vel sit Clericus sæcularis vel quicumque Regularis, *ut in Cap. Animarum de sepulturis in 6.* & ulterius nempe Regularis excommunicationem incurrit Papæ reservatam ad textum Clementinæ *in Cap. Cupientes* de pœnis præter nullitatem electionis ut ibi. Circumstantiæ vero requisitæ pro incurrendis hujusmodi pœnis explicantur accurate a laudato Matteuccio in sæpedicto *Cap. 48. num. 28. & 29.* Ubi inter alias assignat quod inductio debeat sequi ex parte eligentis *medio voto* juramento aut pacto, ex parte autem suadentis respectu & in utilitatem Ecclesiæ propriæ alienæ nequaquam, ut aperte textus tum in *Cap. Animarum de sepult. tum in Clementina de pœn.* Nihilominus invenitur adhuc amplior prohibitio in terminis generalioribus contra impedientes electionem sepulturæ quam intenderet declarare & perficere aliquis sui compos in Ecclesia sibi bene visa, absque eo quod fiat mentio de jurejurando pacto & voto, & absque eo quod restringatur inductio ad commodum & utilitatem Ecclesiæ propriæ. Et profecto declaratum legitur per Sacram Congregationem Concilii in Lauden. funerum 2. Maii 1711. *Quod Parochus impediens electionem sepulturæ in Ecclesiis Regularium possit puniri prout de jure.* Puniri autem prout de jure est ad normam *d. Cap. Animarum & Clementinæ.* Per consequens si quis alter etiam Regularis impediret absolute sepulturam alias volitam a principali in propria Parochia, quod obnoxius item foret punitioni non esset dubitandum, esto non interveniret juramentum &c. Defraudaret enim indebite & artificiose ut supponitur jus competens Parocho: juxta textus *in Cap. ex parte 5. & Cap. cum liber 6.* de sepult. Fagnan. in *Cap. Paternitatei n. 4. & seq. eod. tit.* Amostaz de caus. piis *lib. 6. Cap. 2. n. 15. & seq.* Barbos. de offic. Paroch. *part. 3. Cap. 26. n. 34.* Rot. *dec.* 552. *n. 5. & dec.* 398. *n.* 1. cor. Caprara; necnon specialis prohibitio circa hoc legitur in statutis Urbis seu Romani Cleri. *Cap. 3. stat. 24. in addit.*

29 Sunt modo resolvenda dubia circa secundum articulum in hac materia expositum *n. 22.* circa videlicet delationem & associationem cadaverum. Et ut etiam in hac parte cum ordine procedamus quæretur primo. Quis aut quinam ad associanda cadavera ad sepulchrum debito de jure sint vocandi? Cui sane quæsito est obvia responsio, indeclinabiliter secundum jura & praxim vocandum fore Parochum sive Curatum intra cuius Parochiam situm est domicilium defuncti, sed præter ipsum esse alios de necessitate invitandos ubicumque cadaver tumuletur, esto in Ecclesia ipsa Parochiali, non legi expressum in jure. Immo cœteros quoscumque non aliter intervenire posse nisi specialiter fuerint ab hæredibus defuncti libere invitati, habetur ad textum in *Cap. 1. de sepultur. Clement. Dudum §. Verum eod. tit.* Card. Petra ad Const. Apost. *tomo 3. pag. 399. n. 23.* Pignattell. *consult.* 205. *num. 26. tom. 4.* & firmavit Rota in Ruben. *juris tumulandi* 27. Aprilis 1731. *§. Prætenso* coram Emin. Rezzonico. Hinc licere hæredibus ipsismet solum vocare Parochum ad associanda cadavera tumulandorum tam in Ecclesia Matrice quam in Ecclesiis aliis in quibus fuerit electa sepultura, rescripsit S. C. *in Nullius* Montis Casini 26. Januarii 1726. *ad 9. in fol. publ. Thesauro resolut. tom. 3.* Quem nihilominus Parochum associandum semper fore saltem Præsbytero altero cum quo per viam unitus incedat laudabiliter sancitur in statuto Cleri Romani in Appendice *n.* XI.

XI. ℣. *Per la prima*. Quatenus tamen alios Præsbyteros vocare voluerint hæredes addidit consulto S. eadem Congr. præferendos esse illos Ecclesiæ Matricis: attenta æquitate, sed in numero ipsis hæredibus bene viso, ibidem *ad* 9. *& decr. lib.* 76. quod prius resolutum fuerat in Ebredunen. jurium Parochialium 25. Junii 1695. Nimirum hæredes defunctorum *habere arbitrium vocandi ad funus præter Parochum quosquot voluerint*, *decr. lib.* 45. vel neminem nisi solum Parochum, ut colligitur item ex resolutione C. S. R. in Vaden. 2. *Aug. ad primum dubium*, apud Patrem Matteucci Offic. Cur. *Cap.* 10. *n.* 3. juxta doctrinam pariter Barbosæ de Offic. & potest. Paroch. *part.* 3. *Cap.* 26. *n.* 57. & ad Conc. Trident. *Cap.* 13. *sess.* 25. *de reform.* Nicol. in flosc. *V. Sepultura* Marchetti *de sepult. tit.* 40. *n.* 1. *& seq.* Ursayæ *tom.* 7. *part.* 1. *disput.* 6. ubi decisiones ad idem Rotales & alias declarationes cumulat. Prout habetur decisum quoque per Sacram Congregationem Episcop. & Regul. in alia Cotronen. juris funerandi 3. Aprilis 1707. apud dictum Ursayam *tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 12. *n.* 89. Et recentius in Ruben. juris tumulandi 6. *Junii* 1723. in regest. ejusdem an. = Præsertim quod Regulares, quoties in eorum Ecclesiis Cadavera sepeliantur, *esse ad libitum hæredum & disponentium convocationem Cleri, & Fratrum quos ipsi voluerint*, non obstante Synodali statuto in contrarium, decisum fuerat pariter per S. C. Episc. in Albinganen. 25. *Novembris* 1663. quæ sub die 27. *Martii* 1664. idem confirmavit sub his verbis = *Demum auditis partibus, reque mature discussa. S. Cong. decrevit, Ponente Eminentissimo Ilcio, standum esse in decisis*; in regest. Ac dehinc in Novarien. 15. *Maii* 1704. proposito inter alia, nono dubio = *An in prætensa associatione Cadaverum sint per hæredem defuncti in æquali numero convocandi tot Sacerdotes Sæculares, quot convocantur Fratres Reformati*? S. C. C. rescripsit item *Ad nonum negative*, etsi ageretur de vocandis pro æquali numero Mansionariis Cathedralis vel cœteris de Capitulo ejusdem. Ut perspicue in allata Veden. S.C.R. quod pariter firmavit Rota apud Cecupinum *tom.* 2. *decis.* 10. *n.* 4. Atque distinctius recentiusque in Rubensi supracit. juris tumulandi 27. *Aprilis* 1731. *S. Et merito*. ibi. *In associatione Cadaverum, quæ tumulantur extra Ecclesiam Parochialem excepto Sacerdote per Capitulum destinato* ad exercitium curæ actualis, *cæteri Capitulares accedere nequeunt*: *nisi ipsum Capitulum fuerit ab Hæredibus defuncti expresse invitatum*; *alias enim in ipsius Capituli arbitrio resideret gravando hæredes duplicatis expensis elusoriam reddere facultatem eligendi sepulturam in Ecclesiis Regularium, ex Sacrorum Canonum dispositione Christifidelibus impertitam*; *& ita per indirectum infringere privilegia ex Summorum Pontificum providentia Regularibus concessa*. Ita S. Rota.

30 Præmissis non obstantibus in Urbibus non paucis & locis etiam quoad hoc attendi consuetudinem experientia docet, nimirum quod secundum inveteratum usum vocentur ad funera sive ad associanda Cadavera tot Præsbyteri Sæculares una cum Parocho, quot sunt Regulares, ad quorum Ecclesiam defunctus efferatur: quamvis eo casu lex de Quarta funerali, de qua infra, non adeo stricte & præcise servetur quatenus peculiares conventiones & concordiæ sint attendendæ; cœterum incumbat onus Parochis æqualem numerum prætendentibus probare coram legitimo Judice immemorabilem; ut laudatus Matteuccius advertit *Cap.* 20. *n.* 4. In supposito, quod a Regularibus aliisve fieret resistentia. Quicquid autem contingat secundum aliquorum non amplius controversum usum locorum aut præhabitas conventiones; quotiescumque evocatus Parochus vel solus vel comitantibus Præsbyteris, quod ad ipsum spectat determinare viam intonare psalmos & functiones explere usquedum Cadaver perveniat ad Ecclesiam alienam, puta Regularium, ubi sit tumulandum decrevit S. C. C. in supra cit. Ebredunen. Jurium Parochialium 25. Junii 1695. ad 6. decr. lib. 45. Ipsique competit præcedentia in via supra Regulares etiamsi in horum Ecclesia sit Cadaver deponendum. In d. Ebredunen. ad septimum. Et in alia Insularum Canariæ jurisdictionis 30. *Julii* 1694. *ad* 3. *&* 4. *decr. lib.* 44. Item quod possit in casu Parochus per viam deferre stolam pluviale & aspersorium non tamen cum illis ingredi Ecclesias Regularium licet ibi nullas functiones peragat, sed si velit dare ultimum vale defuncto id exequi debeat extra Ecclesiam sistendo ad fores ejusdem, tradunt Samuel. de sepult. controv. 5. conclus. 14. n. 30. Cardin. de Luca de Regular. *disc.* 65. *sub n.* 7. Et de præeminent. *disc.* 22. *num.* 5. Vener. in Episcop. exam. *lib.* 6. *Cap.* 3. *n.* 4. Barbos. ad Concil. *sess.* 24. *de reform. Cap.* 13. *n.* 33. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 48. *n.* 3.

Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 4..*n.* 10. Ad normam resolutionum. S. C. Rit. in Eugubin. 12. *Martii* 1612. & 5. *Julii* 1614. In Sulmonen. 8. *Augusti* 1629. Necnon S. C. C. in Ebredunen ubi supra ad 9. & 10. in citata item Lauden. Funerum 2. *Maii* 1711. *decr. lib.* 61. *fol.* 382. Atque in Volaterrana 16. *Martii* 1726. *ad* 4. & 5. *decr. lib.* 76. & *tom.* 3. *Thes. resol.* Uniformiter ad Constitutionem simul Clementis X. *la* 57. §. 2. *tom.* 6. *Bullar.* Esto allegetur in contrarium consuetudo & ingressus intra Ecclesiam non excedat tres vel quatuor passus, ut in dicta Lauden. quae juxta dictamen resolvit traditum ab Alexandro PP. VII. in Constit. *la* 93. *Bullar. tom.* 6. §. 1. ibi. *Et ita impositorum servari mandavit non obstante contraria consuetudine.* Idque sancitum pariter refert per plura S. C. Episc. & Regul. decreta, decisionesque plures S. Rotae &c. D. Ursaya *tom.* 4. *qu.* 2. *discept.* 6. legendus *a n.* 1. *ad* 37. & *a n.* 53. *ad* 128. Ubi enixe intentum probat, & prius acriter idem defenderat *tom.* 2. *part.* 1. *discept.* 8. *n.* 1. *ad* 7. in Brictanen. 16. *Maii* 1717. Nihilominus militare contra dicenda infra §. II. Hic adnectendae sunt plures S. C. R. resolutiones circa praefata.

31 Advertunt itidem Doctores non pauci, quod licet nequaquam militent relatae dispositiones contra Parochum & Capitulum Cathedralis, cui honor specialis deferendus per Sacra Jura, attamen sensus Sacrarum Congregationum, necnon Sacrae Rotae semper fuerit, in praefatis ipsismet dispositionibus Parochum & Capitulum Collegiatae etiam comprehendi, ex adnotatis per Ursayam *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 14. *n.* 13. cum praesertim id inveniatur in terminis resolutum per S. Cong. Episc. & Regul. in Sutrina ultima Februarii 1708. Eminen. Corsino qui postmodum fuit Clemens XII. clarae mem. Ponente. Ubi ad dubium.

I. *An Archipraesbytero Collegiatae Roncilionis sive soli, sive cum Capitulo liceat ingredi cum stola & Cruce erecta Ecclesiam RR. PP. Carmelitarum?* Responsum fuit. *Negative*, & dubio.

II. *An, & usque ad quem locum possit associare Cadaver tumulandum in dicta Ecclesia?* Pariter responsum prodiit. *Usque ad januam exclusive.*

Consonatque in iisdem terminis S. Rotae decisio quoad *Collegiatam* Terrae Joviae in Baren. juris tumulandi 12. *Januarii* 1733. coram Emin. Aldrovando nempe, quod *Archipraesbyter, seu Vicarius Curatus Capituli, sive etiam Parochus associans Cadavera sepultura tradenda in Ecclesia Regularium teneatur illa dimittere ad fores earumdem Ecclesiarum, ibique ultimum vale ipsis dicere ultimamque impertiri benedictionem &c. absque eo quod usurpare sibi possit ingressum in easdem Ecclesias, minusque ullum jus in ipsis peragendi exequias, aliasque funebres functiones, quarum libera facultas residet poenes Regulares, in quorum Ecclesiis sepultura sunt tradenda eadem Cadavera.* Addita animadversione, quod si nequeat Parochus, aut quivis alter ingredi occasione funerum Ecclesiam Regularium cum erecta Cruce & stola; juxta praedicta, tanto magis, prohibitus & censeatur ingressus cum Pluviali; hujusmodi siquidem solemne indumentum non potest negari signum saltem praeeminentiae & dignitatis, si non jurisdictionis: eo modo quo animadversum fuit de Crucis delatione & elevatione ante Praelatos Saeculares ingredientes Ecclesiam vel Conventum Regularium in *tom.* 1. *Cap. II. dub. VII. sect. III. n.* 20. §. *I.* Et clare inhibeatur Parochis in casu ingredi Ecclesiam Regularium, nisi postquam remiserint Cadaver ante januam in manus & sub possessionem Regularium ipsorum, & tunc respective Parochus sive Collegiatae Praepositus ingredi valeat, *sed tamquam persona privata & sicuti caeteri de populo* per plura S. C. Episc. decreta in Turritana signanter 24. *Novembris* 1617. in Cremonen. 31. *Julii* 1646. apud Pignattellum *tom.* 3. *consult.* 48. *n.* 37. & 38. Et iterum in Placentina 16. *Decembr.* 1661. apud Panimoll. dec. 1. adnot. 10. *n.* 21. & 22. Legatur tamen sequens §. II. doctrinam horum infirmans & num. sequens 32.

§. I. At etiam quantum ad hunc articulum ingressus in Ecclesias Regularium cum Cruce & stola occasione associandi Cadavera non desunt exceptiones & contrariae resolutiones; nimirum, quotiescumque in favorem Parochorum probetur immemorabilis, quae tamen concludenti vigeat demonstratione, ut videtur resolvere S. Rituum Cong. in Andrien. 12. *Februarii* & 2. *Martii* 1729. necnon ad relatum Cardinalis S. Georgii in eadem repetita Andrien. 5. *Julii* 1731. Panimoll. loc. ubi supra n. 23. Praecipue si assisteret Parochis conventio & reciproca concordia cum iisdem Regularibus, ut contigit in causa Parmensi 21. *Martii* 1720. ubi ad primum dubium. *An licitum fuerit Parocho occasione associationis Cadaverum ad Ecclesiam PP. Reformatorum in illam ingredi cum stola & Cruce?* Responsum fuit. *Affirmative.*

tive. Et repropofita dicta causa *die 5. Novembris* 1721. Replicatum fuit *In decisis & amplius*. Probaverat etenim Parochus in casu immemorabilem quoad cœteros Regulares, & ultra dispositionem Synodalem super hoc ab omnibus indifferenter acceptam, transactionemque, in praxi exercitam, quod Regulares etiam cum propria Cruce ingrederentur Parochialem Ecclesiam occasione associandi Cadavera inibi tumulanda, ut legere quis potest apud Ursayam licet lamen tantem super decisione causæ sibi contraria *tom. 4. part. 2. discept. 6. n. 70. seq.* Cum adnotatione tamen conditionis additæ in Constitutione Synodali eodem n. 70. ibi *Poterunt Parochi ingredi Ecclesias cum stola & Cruce dummodo Ecclesiam ingressi nullum super Cadavere officium peragant*. Quod idem statutum fuit per S. C.C. in Tranen. funerum 17. *Junii* 1702. in qua, cum attentis peculiaribus circumstantiis prodierit declaratio, quod Canonici Curati aliique Præsbyteri associantes Cadaver in Ecclesia Regularium tumulandum, *possent eandem Ecclesiam ingredi*, addita fuit conditio. *Non tamen aliquod funus, sive exequias super illud peragere decr. lib. 52.*

§. II. Videtur equidem super hunc eumdem articulum peculiariter relevare pro Collegiatis eorumque Parochis emanata noviter resolutio S. ejusdem Cong. Concilii in causa Viglevanen. funerum ultimo terminata sub die 17. Junii an. 1744. *Cum neque propositum fuisset dubium ibi tertium? An occasione associationis Cadaverum ad Ecclesiam Sancti Bernardini PP. Minorum de Observantia Civitatis Mortaræ liceat Præposito Collegiatæ accedenti tam cum Clero quam sine Clero ingredi ejusdem Januam cum stola pluviali & Cruce erecta in casu?* Prius prodierat rescriptum sub die 18. Maii 1743. Ad III. *Dilata & coadiuventur probationes super consuetudine*. Ac deinde examinata iterum causa auditis dicentibus partibus fuit decisum sub die mox cit. 17. *Junii* anni subsequentis 1744. Ad III. *Affirmative*. Non obstante prætensione pro parte Fratrum quod constaret evidenter de defectu necessariæ immemorabilis pro Collegiata in casu, ut videre liquet in folio publice distributo dato die 18. Maii 1743. Nihilominus observandum cavetur quomodo neque ex scripturis & documentis exhibitis constaret de immemorabili pro parte Fratrum; nam de ingressu cum stola & Cruce in similibus casibus immo respectu ejusdem Collegiatæ non una vice deponebant aliqui testes; Hinc interveniret specialis consideranda circumstantia; ultraquamquod satis apparuerit talis ingressus fuisse mere materialis non titulo exercendi super ca daver functiones ullas Fratribus omnino remissis. In qua sane suppositione ingressus scilicet mere materialis neque Crucem neque stolam importare jurisdictionem in ipsismet Episcopis, tactum est in citat. *tom. 1. dubit. VII. num. 20. §. 1.* Et revera quæstio in hoc sensu est de præjudicato prorsus ideali.

32 Porro difficultas obvenit specialis circa Crucem elevandam in via scilicet in itinere perficiendo usque ad Ecclesiam ad quam defertur cadaver. Utrum tum Regulares tum Parochus & intervenientes Confraternitates possint propriam singillatim erigere Crucem vel potius sub unica determinata incedere omnes teneantur. Ad rem autem P. Matteucci in Offic. Cur. cap. 20. n. 9. nonnullas affert Sac. Congreg. Rit. decisiones. Quod debeant omnes sub unica incedere Cruce, quæ sit Crux ejus Ecclesiæ vel Secularis vel Regularium ad quam de facto Corpus tumulandum defertur; nisi tamen interveniat associans funeris comitivam Capitulum Cathedralis; tunc etenim omnes sub hujus unica Cruce debent pergere ad dictam Ecclesiam tumulantem consuetudine in contrarium non obstante, & referuntur edita hujusmodi Decreta de anno 1645. 21. Julii de anno item 1664. & iterum 22. Decembris anni 1697. ex Monacello item *part. 1. tit. 5. form. 7. n. 38.* Sed advertendum quod in Decreto primo de anno 1645. excipitur non tantum Capitulum Cathedralis sed etiam Collegiatæ media dictione disjunctiva *vel*: ibi *Nisi intervenerit Capitulum Cathedralis vel* Collegiatæ *quo casu sub una duarum respective Cruce omnes incedere debent prædicta consuetudine non obstante* apud dictos loc. cit. Inveniturque idem recentius resolutum per S. C. Episc. *in Nullius Atinen.* juris sepeliendi *die 2. Aug.* 1709. In qua propositis quatuor dubiis; primo circa quartam funeralem solvendam de quo inferius. Secundo. *An Patres Reformati Sancti Francisci Atinæ in associatione cadaveris ad propriam Ecclesiam possint incedere sub propria Cruce vel potius incedere teneantur sub illa Ecclesiæ Collegiatæ & Parochialis*. Tertio. *An possit Capitulum ejusdem Collegiatæ & Parochialis Ecclesiæ cum stola & Cruce ingredi Ecclesiam dd. PP. in eaque* Functiones aliquas facere circa cadaver *antequam Sepulturæ tradatur; seu potius debeat tantum dare ultimum vale & quatenus*. Quarto. *An dictum ulti-*

mum

mum vale conſiſtat in ſimplici benedictione Cadaveris recto tramite introducendi in Eccleſiam Regularium vel potius in recitatione alicujus Pſalmi vel alterius Orationis? Reſponſum fuit ad primum; dicetur infra. Ad ſecundum. *Negative quoad primam partem & quoad ſecundam affirmative in caſu de quo agitur quando Canonici accedant Capitulariter*. Ad tertium *Negative quoad primam partem & quoad ſecundam affirmative* quoad ingreſſum & ultimum vale. Ad quartum. *Vale conſiſtere in ſimplici benedictione*. Cum autem fuiſſet cauſa repropoſita die 7. Septembris 1710. reſcriptum fuit apertius. *Capitulo licere ingredi cum ſtola & Cruce in caſu de quo agitur nullum tamen peragere officium circa cadaver in Eccleſia & ultimum vale eſſe dandum extra Eccleſiam* Urſaya teſte *tom.* 3. *part.* 1. *diſcept.* 31. Nec relevat additum ab ipſomet Auctore ibi n. 58. Quod S. Congregatio habuerit Terram Atinæ pro Nullius Diœceſis & hoc ſuppoſito mandaverit illius Capitulum & Canonicos frui debere illis prærogativis quæ competunt Capitulis Cathedralium. Hoc etenim gratis aſſeritur; cum præſumendum immo ſit innotuiſſe præſtantiſſimis S. C. Judicibus Civitatem Atinæ prius Nullius Diœceſis fuiſſe ſubjectam Epiſcopo Aquinati ab Innocentio cl. mem. XII. die 11. Aprilis 1698. ut idem Urſaya in præſentatis Scripturis publicaverat *n.* 3. *citatæ diſceptationis*. Ultraquamquod ſatis conſtat legentibus qualiter in propoſitis dubiis agatur *de Eccleſia Parochiali & Collegiata*, ex quo pariter deducitur quod Capitulis Cathedralium ſimul & Collegiatarum tamquam exceptis in caſu ultra elevationem propriæ Crucis per viam permittatur ingreſſus in Eccleſias Regularium cum Cruce erecta & ſimul ſtola, ſervatis tamen limitationibus appoſitis per Decreta de non exercendis ſcilicet functionibus & quoad Collegiatas probatas immemorabili vel peculiari circumſtantia impellente in caſu.

§. Un. Cœterum quod regulariter in aſſociatione cadaverum teneantur omnes & ſingulæ Communitates accurrentes incedere ſub una Cruce Eccleſiæ tumulantis quæcumque illa ſit pluries deciſum invenitur, ut ad evidentiam probat cit. Urſaja *tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 31. *n.* 9. *ad* 30. Allegans inter alia Statutum Cleri Romani in Urbe a Sanctiſſimo in forma ſpecifica confirmatum cap. 5. §. 7. Quod videlicet omnes procedant ſub una tantum Cruce illius Eccleſiæ ad quam Cadaver defertur, nec alia erigatur Crux ſub quovis prætextu vel conſuetudine ſive ſit propriæ Parochiæ ſive Regularium ſive Laicorum Confraternitatum ſive etiam Capitulorum Collegiatarum etiam inſignium & Patriarchalium. Quod profecto ſtatutum excludit quarumcumque Collegiatarum prætenſiones in Urbe erigendi Crucem propriam in caſu. Nihilominus obſervandum quomodo Capitula Collegiatarum inſignium Romæ Patriarchalium ſignanter, in praxi numquam ad aſſociandа cadavera conveniunt. Unde non currit ratio ejuſdem Auctoris *diſcept. d.* 31. *n.* 13. Quod ſolitum ſervari in Urbe debeat inſpici veluti Regula in univerſo Orbe, quia hoc eſſet æquum cœteris paribus & verificato ſuppoſito & quando pro aliis Diœceſibus in Orbe non vigerent diſtinctæ conſuetudines & propriæ leges, ex generaliter traditis per Thomam de Thomaſſett. ibi floribus leg. *ref.* 43. Menoch. de arbitr. *caſ.* 84. *n.* 6. Marc. Ant. Var. reſolut. *lib.* 3. *reſol.* 39. *n.* 34. Franc. Vin. *deciſ.* 255. *lib.* 2. Sed præſcindendo a Capitulis Cathedralium &c. Debere Eccleſiarum Parochialium Rectores &c. convenire ſub unica Cruce Eccleſiæ illius ad quam adſportatur cadaver licet ſit Regularium, deciſum ſignanter habetur per Sacram Congregationem Conc. in una Sabinen. funerum. Ubi ad III. quæſitum. An in aſſociatione Cadaverum ad Eccleſiam PP. Carmelitarum Archipresbyter debeat ſub ſola Cruce dictæ Eccleſiæ tumulantis incedere vel poſſit propriam elevare & ſub utraque incedere in caſu, reſpondit: Ad tertium *Affirmative ad primam partem negative ad ſecundam* 29. *Januarii* 1735. inter fol. publ. pag. 9.

33 Ad Parochum diximus quod ſpectat equidem determinare viam per quam deferendum ſit cadaver ad Eccleſiam ubi ſepultura demandetur, ſed addimus quomodo via poſſit quandoque eligi non recta per plateas ſcilicet & vicos in circuitu, dummodo cauſa hujus ſtipendium majus non exigatur ut in Trojana S. C. C. 21. *Maii* 1701. *ad* 1. *decr. lib.* 51. Pater vero Matteucci *cap.* 20. *cit. n.* 8. adducit Decretum S. C. Rituum editum *de anno* 1671. 19. *Decembris* per quod expreſſe jubetur quod tumulandi in Eccleſiis Regularium nequeant prius adſportari ad Parochialem *licet hæredibus Defunctorum contradicentibus & ad dictam Parochialem prius effective transferri volentibus*. Verumtamen quantum ad dictam primam partem Decreti quod non debeant videlicet

licet cadavera deferri prius ad Parochialem usque ad tempus sepulturæ alibi destinatæ, quatenus id prætendat Parochus, mandatum expresse legitur per Sacram Cong. pariter Concilii in Mantuana 17. *Aprilis* 1706. Proposito namque quæsito. *An cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda antequam ad eas deferantur asportari debeant ad Parochialem d.* S. Congreg. rescripsit Negative *lib.* 56. *Decretor. pag.* 122. asserta consuetudine non obstante, confirmavitque deinde in Lucana funerum 14. *Martii* 1722. *Ad primum decr. lib.* 72. *ac in* Thesaur. resol. *tom.* 2. *pag.* 238. nec non in Volaterrana 16. Martii 1726. dec. libr. 76. Et ultimo in Tolentina pariter funerum cum proposito dubio. *An Cadavera debeant directe deferri ad Ecclesiam in qua fuerit electa sepultura absque præcedenti delatione ad Parochialem in casu?* S. eadem Congregat. 6. *Februarii* 1734. replicavit *Affirmative & amplius: inter fol. publ. dicti anni pag.* 27. Propterea ceram aliaque emolumenta recepta a Parocho occasione dictæ delationis & expositionis in Ecclesia Parochiali restituenda esse Ecclesiæ Regularium in casu (præscindendo a quarta funerali de qua in subsequentibus) jussit S. C. in præfata Lucana 14. *Maii* 1727. *ad secundum*.

§. I. Quantum tamen ad aliam partem Decreti S. Congregationis Rituum mox adducti per Patrem Matteucci, nempe quod nequeant Cadavera prius asportari ad Parochialem: *etiam hæredibus contradicentibus & ad ipsam Parochialem deferri volentibus*, invenio oppositum declaratum deinde per Sacram Congregationem Concilii si defunctus ipse id disposuerit: in Trojana funerum 21. *Maii* 1701. *ad secundum: decr. lib.* 51. Nimirum non licere Parochis &c. deferre cadavera ad propriam Ecclesiam pro officiando &c. ante illius delationem ad Ecclesiam funeris *nisi aliter disposuerit defunctus*: ac postmodum quod hæredes in Volaterrana supracitat. 16. *Martii* 1726. videlicet posse tamen defunctum dum viveret *vel Heredem* cum disiunctione demandare ut cadaver antequam ad Ecclesiam Regularium deferatur, asportetur ad Parochialem, & eo casu posse etiam Parochum super cadaveribus ad suam Ecclesiam transportatis exequias vel alias funebres functiones peragere, cum conditione adhuc quod in eodem casu præviæ asportationis debeantur Parocho intortitia quæ circa cadaver ponuntur, ut in respons. *ad tertium* ibi *decr. lib.* 76. & tom. 3. Thesaur. eo die & an. Quæ nullatenus conciliari queunt, nisi afferendo quod S.R.C. ordinaverit quid generaliter & regulariter servandum; verum posse dari casum exceptione dignum, nempe quod sit æquum permittere oppositum præcipue quoties non lædantur neque diminuantur emolumenta debita Ecclesiæ tumulanti; super quæ prætendunt ut in plurimum Parochi in hujusmodi procuratis transportationibus. Propter quod taxata habetur portio in casu Parochis concedenda ut in allata responsione ad tertium attentis etiam generalibus Decretis S. C. Episc. & Reg. Quod non possint Parochi gravare hæredes in casu quo cadavera sepeliantur in Ecclesiis Regularium plusquam si sepelirentur in Parochiis aut aliis Sæcularibus Ecclesiis ut per extensum, refert laudatus Matteucci *Cap. d.* 20, *n.* 6. Quibus potest addi decisio pariter S. C. C. videlicet quod Parochi Sæculares non possunt prætendere majorem partem funeralium pro cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis Regularium quam pro tumulandis in Ecclesiis Sæcularibus: Insularum Canariæ Jurisdictionis 30. *Julii* 1694. *ad tertium decr. lib.* 44. Et in Trojana pluries citata funerum 21. *Maii* 1701. *ad* 7. *decr. lib.* 51. Ad normam Apostolicarum Constitutionum Urbani VIII. la 22. & Clementis X. la 56.

§. II. Quod pariter Parochus nequeat prætendere in associatione candelam majorem illa quæ datur Superiori Regulari, neque peragere functiones ullas quæ peraguntur a Regularibus in horum Ecclesia occasione tumulandi cadaveris juxta præhabita. Et quod in casu nolit accedere ad associandum cadaver post monitionem ipsi factam, possint Regulares sine ejus interventu cadaver sepeliendum ad propriam Ecclesiam deferre. Hæc & alia ad propositum continentur in Novarien. Funerum & jurisdictionis *die* 15. *Martii* 1704. per integrum relata a P. Matteucci loc. cit. n. 13. At de non expectando Parocho prius admonito in casu, habetur signanter in recentiori Nuscana Funeris 17. *Decembr.* 1729. *lib. decr.* 79. & Thesaur. resol. *ejusdem an. tom.* 4. Insuper in dicto casu signanter Sepulturæ legitime electæ in Ecclesiis Regularium, quod possint hi renuente Parocho prius admonito & invitato accedere ad associandum cadaver asportare illud absque ejusdem Parochi interventu ad Ecclesiam propriam *postquam expectaverint per horam*, legitur expressius in Tusculana Funerum 24. *Julii* 1734. *ad secundum in fol. publ. ejusdem anni pag.* 332. Addendum

dum e converso in favorem Parochi quod loquendo de Oblatis Mulieribus non servantibus conditiones Tertiariarum a S. Pio V. præscriptas & de commorantibus in Conservatoriis absque clausura, jus sepulturæ spectat ad Parochum ipsum intra cujus Parochiæ limites Conservatorium situm est; proinde exercenda sint per eundem omnia jura Parochialia privative etiam quoad Capellanum ejusdem Conservatorii, ex decisis per S. C. C. in Salernitana jurium Parochialium 19. Aug. 1702. decr. lib. 52. Item quod occasione delationis Cadaverum ad Ecclesiam exteriorem Monialium Capuccinarum, de quibus agebatur, sub gubernio Ordinarii loci existentium jus funerum cum Cruce & stola privative quoad Confessarium dictarum Monialium spectaverit ad Parochum quoque & quod valeat hic in eadem Ecclesia explere etiam Anniversarium in animæ suæ suffragium a defuncto relictum, declaravit ipsamet S. Episcoporum Congreg. Conc. in Novarien. 23. *Augusti Anni 1727. ad X. & XI. dub.* in Thesaur. resol. tom. 3.

§. III. Hic non regit tamen casus quoties Cadavera cum debitis licentiis in Ecclesiis Monialium exemptarum, scilicet quæ sub directione Regularium vivant, sepeliantur: Cum etenim Regulares in Ecclesiis propriis functiones funeralium cœteraque officia circa Cadavera sepulturæ mandanda peragendi jus possideant, ex præmissis num. 31. §. I. & late probatis per Ursayam *tom. 1. part. 1. discept.* 8. ubi & Sacrarum Congregationum decreta & Summorum Pontificum Bullas conglomeratosque Doctores ad intentum producit *n. 1. ad* 10. Idemmet jus per consequens occasione cadaverum tumulandorum in Ecclesiis Monialium sibi subditarum competere ipsismet Regularibus, evidens est per rationem & per Decretum S. C. C. sub die 19. Martii 1639. Emanaverat siquidem ab eadem S. C. de anno 1626. resolutio sequens. Quoties cadavera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferantur officia mortuorum, ac reliqua quæ in hujusmodi ministerio adhiberi solent, non a Canonicis neque a Clero obiri ac peragi debere. Hinc facta supplicatione pro parte Ordinariorum & Capitulorum quorumdam Sacræ eidemmet Congregationi ut declarare dignaretur. *An sub prædicto decreto etiam Ecclesiæ Monialium Regularibus subjectarum comprendantur?* enunciato die 19. Martii anno 1639. supplicata Congregatio censuit: *Supradictum decretum habere locum etiam in Ecclesiis Monialium Ordinis Mendicantium, ut in lib. decr.* 16. *fol.* 163. ultra Doctores in terminis allegatos per cit. D. Ursayam *d. discept.* 8. *n.* 12. Qui auctor prætendit item non valere in contrarium consuetudines, ibi. *n.* 20. *& seq.*

34 Nonnulla insuper inveniuntur præscripta Regularibus occasione associandi hujusmodi tumulanda cadavera. Nimirum: Quod teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem quoties vocentur ad associandum Cadaver ad ipsam destinatum, ibique expectare Parochum per tempus arbitrio Episcopi determinandum. Ita in supracitatis Ebredunen. jurium Parochialium 21. Julii 1695. *decr. lib.* 45. & Volaterrana 16. Martii 1626. ad primum *lib. decret.* 76. & in Thesauro *resol. tom.* 3. Et quod non possint expectare per viam sed ante Januam Ecclesiæ Parochialis, esto cadaver sit sepulturæ mandandum in propria Ecclesia, habetur in Tudertina Funerum 8. Augusti 1716. *decr. lib.* 66. Putarem nihilominus non fore prohibitos ingredi Ecclesiam ibique expectare Parochum præsertim pluvia cadente ac sæviente frigore tempore hyemali. In dictaque Ebredunen. additur, quod in associatione cadaverum tumulandorum in Parochiali Regularium Superiores nequeant per viam deferre stolam, nisi adsit consuetudo in contrarium 21. Junii 1645. Consuetudo tamen fere ubique locorum vigere constat, quod Parochi ipsi sive Sæculares, sive Regulares curam Animarum gerentes cum stola & aspersorio gestando per Clericum cadavera sepelienda in propriis Ecclesiis comitentur. Sicuti etiam in locis civitatibusque plerisque neque est dimissa consuetudo, quod tam Parochus Sæcularis cum suis Presbyteris quam Regulares ad domum defuncti hora concordata conveniant. Quod si Regulares vocentur ad comitandum cadavera tumulandorum extra propriam Ecclesiam permittitur eis sub propria Cruce se conferre ad Ecclesiam viciniorem domui defuncti, dummodo in actuali associatione cœteris omnibus intervenientes incedant sub Cruce Ecclesiæ tumulantis S. C. C. in Aquensi jurium Parrochialium 19. Maii 1708. ad 12. & 13. *decret. lib.* 58. Non potest negari tamen plura usui quotidiano juxta variationem locorum ad evitandas controversias in rebus minimi ponderis solere permitti & permutari.

35 Porro quod præcipitur, signanter Regularibus post Constitutionem Benedicti piæ mem. XIII. quæ incipit. *Romanus Pontifex*

fex die 8. *Junii* 1725. & habetur impressa ad calcem Concilii ultimo celebrati Romani sexta in ordine. Et id de quo in præsenti materia peculiarem nequimus evitare tractatum est solvere Quartam funeralem sic dictam Parochis: non obstantibus quibuscumque privilegiis aut concordiis conventionibus consuetudinibus etiam immemorabilibus quibus expresse Benedictus in dicta Bulla derogavit, præservatis tamen concordiis conventionibus & consuetudinibus illis, quæ faveant Parochis pro obtinenda portione pinguiori quam sit Quarta. Ad cujus quidem Constitutionis tramites plures dehinc prodierunt S. C. C. declarationes adversus Regulares prætendentes vigore privilegiorum a dicta Quartæ solutione se esse immunes. Ut in repetita Volaterrana 16. *Martii* 1626. *ad V. Mantuana* 8. *Februarii* 1727. In Nonantulana; seu Eugubina 24. *Maii ejusdem* 1727. Et quia peculiarem prætendebant exemptionem PP. Capuccini declaravit item S. C. etiam ipsos in allata Benedicti Constitutione comprehendi: in Pisaurien. 15. *Maii* 1728. & in Oritana funerum 12. *Februarii* 1729. Quæ referuntur in fol. publice distributo *die* 18. *Maii* 1737. in Lunen. Sarzanen. Quartæ funeralis: Ubi renuentibus iisdem PP. Capucinis contribuere Capitulo Cathedralis Quartam hujusmodi funeralem, sub prætextu; quod Constitutio Benedictina non fuerit acceptata in ditione Januensi, nec esset in usu; post datam in contrarium informationem ab Episcopo Sarzanensi proposito dubio: *An Fratres Capuccini teneantur tradere Parochis Quartam cera accensæ in associatione Cadaverum, quæ ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur* & intortitiorum, quæ accenduntur circa Cadaver in eorum Ecclesia expositum? Responsum fuit *Affirmative* in d. fol. pub. *pag*. 98. Quia pariter autumabant Patres Minimi se non teneri ad solutionem dictæ Quartæ vigore transactionis vivente adhuc Sancto eorum Fundatore initæ inter ipsos & Episcopum Consentinum: decrevit primum S. C. C. ipsosmet quidem esse exemptos etiam post Constitutionem relatam Benedictinam a præstatione Quartæ funeralis, sed in Diœcesi Consentina dumtaxat: sub die 14. *Martii* 1733. ad I. inter *fol. publ. ejusdem anni pag*. 60. Attamen ad novum recursum Parochorum Diœcesis Consentinæ & iteratum quæsitum. *An sit standum vel recedendum a decisis dicta die* 18. *Martii* 1733. Sacra ipsamet Cong. *sub die* 30. *Julii* 1735. resolvit.

Prævio recessu a decisis, teneri ad solutionem Quartæ funeralis. Absque eo quod juvet sepeliri a Regularibus Cadaver cum habitu propriæ Religionis in morte tantum petiti & obtenti; ut (cum debitis tamen exceptionibus) præcautum est alibi & jam pridem decisum legitur in una Calaguritana funerum 8. *Junii* 1701. *ad* 1. nempe Parocho domicilii defuncti & tumulati in Ecclesia Societatis Jesu deberi Quartam funeralem, esto defunctus indutus fuerit habitu Societatis in articulo mortis & tamquam unus de propriis Religiosis in eorum Ecclesia tumulatus *Decr. lib*. 51. Prout replicatum fuit debere Parochos percipere omnia emolumenta funeralia ab Ecclesiis eiusdem Sociatatis occasione sepulturæ Parochianorum proinde ac percipiunt ab aliis Ecclesiis Regularium. Item in Calaguritana funerum 18. *Novembris* 1702. *decr. lib*. 52.

§. 1. Præfata autem Benedictina Constitutio de solvenda utcumque Parochis Quarta funerali Regulares urget in Italia dumtaxat & Insulis adjecentibus ut legenti est evidens, allegaturque in Concilio ipso Romano ultimo tit. VIII. Cap. V. cum imposito ibi onere Episcopis ut pro illius observantia invigilent etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Extra Italiam igitur quænam praxis? Disposuerunt Apostolicæ Sanctiones plures, quod quarta pars funerum etiam a Religiosis solveretur Parochis respective attentis horum oneribus: non uniformiter tamen juxta varietatem temporum regionum & consuetudinum introductarum in extrav. Benedicti XI. *In cunctis* de privil. in 6. aliaq. Bonifacii VIII. *Super Cathedram* de Sepulturis & Clementina *Dudum* pariter de sepult. Verumtamen plures item Summi Pontifices deinceps ab hujusmodi solutione Religiones sensim fere omnes Mendicantium exemerunt cum expressa derogatione præfatarum sanctionum Clementinæ signanter allegatæ *Dudum*, nimirum Martinus V. Eugenius IV. ac plures Sixtus IV. Religioni Prædicatorum, Nostrumq. Ordini Minorum Nicolaus V. ac Julius II. Carmelitis, necnon Leo X. Ordinem Minimorum sub pœnis contra Parochos qui dictam Quartam portionem quovis prætextu & colore exigere & apud se retinere præsumerent ut in Bulla præcœteris Leonis X. incipien. *Exponi Nobis* pro Minimis. Cum exurgerent nihilominus in dies inter Regulares quartam præstare renuentes Parochosque exigentes horummet funerum portionem lites

ob consuetudines signanter ab alterutra partium in casibus adductis, placuit Concilii Sacrosanctr Tridentini Patribus super hoc figere Regulam, quod nimirum ubicumque locorum vigeret consuetudo eo tunc a quadraginta annis ante dicti Concilii promulgationem solvere Cathedrali sive Parochiali cuicumq; Quartam dictam Funeralium, ea a Regularibus etiam quibuscumque servaretur, videlicet solutio continuaretur antiqua non obstantibus privilegiis esto Maris Magni sess. 29. cap. 13. de Reformatione. Ex quo deducunt Auctores, quod ubicomq; locorum a Conventu sive Familia vel Hospitali vel domo licet privilegiatis ab anno 1523. scilicet quadragesimo ante Concilium solutio quartæ erat in usu, ea deinceps indeclinabiliter adimpleretur, sin minus; ita quod dictum spatium ante Concilium puta per annos quadraginta minime soluta esset Parochis quarta seu numquam fuisset adimpleta in locis vel antecedenter existentibus vel post dictum annum de novo extructis dicta solutio; nulla vigeat ejusdem solutionis imposterum obligatio; & ita universaliter deinde observandum esse concludunt per Regiones & loca extra Italiam, quod scilicet ubi non adsit hujusmodi consuetudo a Concilio taxata nequaquam solvatur Quarta sive solvi debeat portio funerum in casu extra Italiam ubicomque Constitutio Benedicti non cogit aut obliget quacumque non obstante instantia, seu prætensione Parochorum, pro quo non est necesse adducere Constitutionem S. Pii V. *Et si Mendicantium*: a Gregorio XIII. Successore revocatam ac si non emanasset, cum satis perspicue declaretur atque confirmetur Concilii Decretum per Clementem VIII. in Constitutione incipien. *Quod semel*, & Paulum V. in alia incipien. *Decet Romanum Pontificem*, apud Cherubin. Tom. 3.

§. II. Quod si quæras: An post annum mox relatum 1523. consuetudines nihilominus possint introduci & stabiliri de novo in Conventibus & Domibus Regularium vel præexistentibus vel noviter extructis solvendi quartam seu portionem in casu funerum Parochis loquendo extra Italiam ubi Constitutio Benedicti non obligat? Respondet negative P. Didacus ab Aragonia *tract. 7. cap. 7. n. 7.* addens fore resistendum Parochis dictam portionem exigentibus quamvis consuetudo ipsam solvendi evasisset quadragenaria, quia contra mores & privilegia Regularium non currit nisi centenaria præscriptio, ut jam præmiserat *tract. 1. cap. 5. n. 9.* Verum huic Doctrinæ contraria est praxis; nam ubique fere locorum extra Italiam solutio Quartæ vel portionis nomine Quartæ venientis in consuetudine fundatur non solum quoad substantiam sed & quantum ad quantitatem & qualitatem &c. teste etiam Van-Espen *parte 2. Juris Canonici tit. XXXVIII. Cap. 8. n. 29. & seq.* Qui Auctor in dubiis circa hanc materiam favendum esse Parochis subdit, utpote adsistant ipsis antiqua jura ex *Cap. 1. de Sepult.* signanter, quoties consuetudo per concordata firmetur, juxta Decretum per Bonifacium VIII. *Capit. final. de pact. in 6.* nec videtur posse dissentire ipse Aragoniensis, qui *tract. eodem 1. Cap. V. num. 6. & 7.* atque deinde *numer. 10.* asseverat Privilegia negativa ut illud non solvendi Decimas & ut esset in casu non solvendi Quartam amitti per non usum & fortius per usum contrarium, quem *n. 11.* reducit ad plures actus oppositos privilegio, præcipue si absque potestate succedant, ex Roder. *tom. 3. qu. 36. art. 3.* Suarez *lib. 8. de leg. Cap. 35. n. 6.* Portell. *V. Privileg. Cessatio n. 60.* hisque potest addi eruditus Gueber *tract. 1. disp. V. sect. 4. dist. 3. & 4. a n. 32. & seq.* Cœterum extra controversiam est, quod non usus seu contrarius usus in pecoliaribus circumstantiis vel etiam concordia a quolibet peculiari Monasterio initæ solvendi Quartam non præjudicet reliquis, cum privilegium nequeant deperdere, nisi Religiosi dumtaxat & Conventus ii qui vel expresse vel tacite saltem abrenuntiaverint eidem: Abb. in *Cap. 1.* de foro Compet. cum communi. Hæc inquam extra loca ad quæ Constitutio non extenditur Benedictina.

36 Ut autem ad Italiam signanter redeamus supposita præsertim post editionem relatæ Bullæ indeclinabili obligatione in omnibus Regularibus intra eam & adjacentes Insulas solvendi Quartam, opportune quærendum obvenit, quid pro Quarta Funeralium accipiatur in casu. Ad quod quæsitum patet responsio ex nomine ipso Quartæ, nimirum quod pro ea intelligatur quarta pars eorum, quæ vocantur funeralia. At pro funeralibus nititur probare P. Matiheuccius debere accipi illa lumina, quæ cum funere deferuntur circa Cadaver a domo defuncti ad Ecclesiam Offic. Cur. *Cap. 42. n. 3. excipiens tamen n. 5.* Candelas, quæ gestantur præ manibus a Regularibus in associatione Corporis, utpote nullatenus no-

nomine Funeralium compræhensas, & significanter id valere pro Fratribus Minoribus probat ibidem *n.* 6. Verum hisce temporibus videtur servanda generaliter consuetudo & attendi in hac materia non nequeunt recentiora Decreta. Funeralia namque vere dicuntur & pro iis intelliguntur quidem intortitia, quæ accendontur prope & circa Cadaver in ejus depositione ad Ecclesiam, ut declaratum fuit in Tudertina a S. C. C. 24. *Maii* 1728. ad primum. *lib. decret.* 78. *& in Thesauro resol.* ejusdem anni. Verum hæc non tantum, sed venire etiam pro Funeralibus quorum item Quarta debetur Parochis ea intortitia & lumina, quæ accenduntur in Ecclesia circa Funus castrum doloris & in Altaribus decrevit pariter S. C. C. in Mantuana 8. *Februarii* 1727. *tom.* 4. *Resol.pag.* 15. & deinde in Pisaurien. 15. *Maii* 1728. *eodem tom.* 4. *resolut. pag.* 183. At clarius in Oritana 12. *Febr.* 1719. Licet prætenderent Capuccini, cum quibus vertebatur lis non esse consuetudinem de Quarta solvenda cereorem delatorum per viam neque accensorum in Ecclesia tempore funeris resolutum fuit pro Parochis; assisteret siquidem his sensus verbalis Constitutionis Pontificiæ jubentis solutionem Quartæ = *Non obstantibus privilegiis & consuetudinibus*. Et quia ad evitandam fortasse præstationem pinguioris Quartæ Regulares non omnem ceram in medium afferebant fuit decisum deinceps quod candelas omnes ab hæredibus ipsis distributas teneantur iidem accendere in Altaribus Ecclesiæ occasione funerum & officiorum. Ita S. C. C. in Mediolanen. Quartæ funeralis 9. *Septembris* 1730. ad 7. in Thes. resol. *tom.* 5. *pag.* 43.

37 Ex quibus colligitur clare quomodo post recensitam Bullam Quarta funeralium Parochis intra Italiam sit contribuenda a Regularibus indeclinabiliter tum cereorum qui deferuntur per viam quum eorum qui tempore funebris functionis in Ecclesiis accenduntur; nec juvant in contrarium privilegia aut consuetudines. Quoties vero ultra consuetudinem accedant transactiones explicitæ vel implicitæ inter Parochos & Regulares attentis circumstantiis impellentibus & commodo hinc & inde reciproco: in casu servandas eas fore & posse permitti declaravit S. C. in Fabrianen. 9. Februar. 1732. *ad* 2. *inter fol. publ. d. an. pag.* 43. Immo si consuetudo relevaret immemorabilis inducens implicite pactum solvendi reciproce Quartam funeralem inter Parochos & ipsos Regulares, ut probatum extitit vigere inter Patres Conventuales & Parochum quemdam, debere effective hanc reciproce solvi firmavit Rota, ut refertur in Spoletana Quartæ funeralis S. C. C. 13. Aprilis 1720. *decr. lib.* 70. Quia pariter solent quandoque hæredes distribuere fanalia funeralia sic dicta Regularibus, ac in eorum Ecclesiis accendere tempore funerum, sed postea partem eorum saltem reassumere & hinc Parochi prætendant omnium accensorum quartam, quod deberetur eis quarta dumtarat eorum quæ remanent apud Regulares, ut iterata prohibitione, ne dicti Parochi exigant occasione cadaverum tumulandorum in Ecclesiis eorumdem Regularium quartam in majori quantitate quam præstetur ab Ecclesiis Sæcularibus, sancivit merito S. C. in Faventina quartæ funeralis 18. Junii 1735. inter fol. publ. *pag.* 90. Doctrina itidem Patris Matteucci Offic.Cur. *Cap.* 20. *n.* 6. quod nomine funeralium nequaquam veniunt candelæ quæ a fratribus præ manibus gestantur, loquendo signanter ut n. præcedente de fratribus Minoribus: hisce temporibus videtur pati etiam difficultates attenta Constitutione piæ mem. Benedicti derogante privilegiis & consuetudini in contrarium, quatenus signanter e converso consuetudo exigendi etiam propriam portionem Quartæ in favorem Parochorum comprobetur, ut in dicta Bulla; Cum siquidem in Mediolanen. Quartæ funeræ habita die 9. Septembris 1730. ad sedandas controversias inter Parochos & Regulares in quorum Ecclesiis sepultura electa constaret resolutum fuisset; attenta consuetudine Parochis favorabili, *divisionem esse faciendam pro medietate*, sed iterum ad instantiam Regularium proposita fuisset causa per duo dubia.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis die 9. Septembris 1730.*

II. *An & quomodo dividendæ sint candelæ quæ in manibus gestantur accensæ a Regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris vel exequiarum & officiorum.*

S. C. C. die 12. Junii 1731. respondit.

Ad primum. *In decisis &c.* Ad secundum *divisionem faciendam esse pro medietate; & amplius.* Inter fol. publ.

Quamvis alioquin fatendum sit candelas hujusmodi a fratribus singillatim delatas fere nullibi per Parochos prætendi exigi. Quod specialiter in Urbe servatur.

38 Cæterum consuetudo contribuendi Parochis quartam pinguiorem sive quartam partem quarta majorem, proculdubio Intelli-

telligenda & explicanda venit sano modo & praecise pro iis & quantum ad ea in quibus viget. Et prius per Constitutionem saepius repetitam Benedicti praecipientis solutionem quartae, non obstantibus consuetudine immemorabili & privilegiis abrogari privilegia concessa Regularibus simulque consuetudines his favorabiles, non autem exemptiones, quatenus competant sive vigore immemorabilis sive privilegiorum aliis Ecclesiis Saecularibus censuit S. C. C. in Sancti Miniatis quartae funeralis 17. Martii 1729. decr. lib. 79. & Thesaur. resol. tom. 4. quod hic casualiter cavetur. Prout ex alia parte consuetudo quae in dicta Constitutione favore Parochorum praeservatur exigendi pinguiorem partem funeris, quod non sufficiat pro obligandis etiam Regularibus ad praebendam etiam pinguiorem partem quatenus probetur tantum quoad Ecclesias tumulantes Saeculares, sed opporteat ut de eadem consuetudine peculiariter doceatur quoad Ecclesias ipsas Regulares in quibus facta fuerit revera cadaverum tumulatio, declaraverat jampridem S. item Congregatio in Eugubina supracitata 24. Maii 1727. cui fuit addita declaratio praesens de Mente Sanctitatis suae explorata per Sacrae Congr. Secretarium ut constat ex fol. Congregationis habitae die 15. Maii 1728. in Pisaurien. Quartae funeralis *lib.* 78. *decr. pag.* 237. & in Thesaur. resol. ejusdem ann. *pag.* 183. In qua itidem Pisaurien. resolutum legitur = *Standum esse in decisis quantum ad Capuccinos*, videlicet: *hos teneri ad solvendum Parochis quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferantur ac medietatem cerae & intortitiorum, quae accendantur circa cadavera exposita in eorum Ecclesiis ante humationem*; prout fuerat alias responsum. Eo quia de medietate contribuenda funalium circumstantium cadavera probata fuerat tantum consuetudo, & non quantum ad medietatem cereorum associantium in itinere. Cum autem pro parte Capuccinorum obtenta fuisset nova audientia: responsum iterum prodiit -- *In decisis & amplius*, 14. Maii 1729. in Thesaur. *tom.* 4. *pag.* 301. Ex quo proinde generaliter deducitur, quod praeservatio consuetudinis magis favorabilis Parochis in Constitutione relata intelligi debeat in terminis attenta praxi: veluti si Parochi illius vigore solitii fuerint obtinere medietatem cereorum, qui deferuntur per viam a Regularibus, nequaquam praetendere queant medietatem etiam cereorum, qui accenduntur circa cadaver & castrum doloris, si nulla quoad hanc partem faveat Parochis ipsis consuetudo, & sic e converso & quantum ad omnia alia, quae nomine funeralium possint venire, prout per Secretarium ipsum de ordine S. Congregationis humiliter requisitus Pontifex Benedictus Constitutionis conditor, propriam quoque mentem explicavit: Ex fol. publ. in d. Pissaurien. *Maii* 1721. Quoties deinde probata remaneat consuetudo praestandi medietatem omnium emolumentorum Parochis pro parte Regularium: hosinet non posse se retrahere ab antiqua & solita praxi habetur etiam in supracit. Mediolanen. 9. *Septembris* 1730. ad *p. & seq. dub.* inter fol. publ. & Thes. resol. *tom.* 5. *pag.* 43.

39 Aliqua remanent dilucidanda quantum ad Parochos qui non raro sunt etiam Regulares & quoad minus casualiter sed opportune. Quaeritur nempe: An Parochi ipsimet possint cogere haeredes defuncti ad explendum Funerale juxta qualitatem & gradum personarum. Super quod dubium erudite differit Rota in Romana Funeralium 15. Junii 1699. coram Molin. *dec.* 22. *num.* 9. signanter & 10. ad ornatum post Monacell. *tom.* 4. concludens posse Episcopos respective determinare & taxare funeralia congrua atque requisita: S. C. C. respondit in Pisaurien. 20. Septembris 1728. *Ad Episcopum qui auctoritate S. C. procedat*; Eaque resolutio confirmata fuit sub die 15. Maii 1728. prout tertio. *Standum esse in decisis & amplius*, legatur item rescriptum in Pisaurien. 18. Maii 1729. *tom.* 4. Thes. resol. *pag.* 301. Similiter in alia Montis Casini 26. Januarii proposito dubio -- *An haeredes defunctorum possint assignare circa horam Cadaveris quantitatem cerae sibi bene visam*. Sacra Congregatio responsum dederat: Esse statuendam taxam ab Ordinario auditis interesse habentibus ipsamque taxam transmittendam ad ipsammet S. Congr. nec non die 11. Decembris 1728. perstitit in decisis, *ut in decr. lib.* 78. & *tom.* 4. Thesaur. resolut. Unde perspicue colligitur non posse Parochos ex se super hujusmodi re decernere, sed adeundum Episcopum & prudentem ac congruam taxam ab ipso determinatam esse servandam. Et quia in associatione cadaverum magis qualificatorum induebantur Parochi Pluviali ad distinctionem aliorum in quorum funere sola ab eis adhibebatur stola, sed pro Pluviali summam pleniorem sibi solvendam exposcebant hujusmodi lucrum S. C. reprobavit cum in Viglevanen ultimo supra cit.

cit. 27. Julii de anno 1744. ordinavit quod Præposito associante Cadaver in casu & solemniter induto Pluviali pro quo scutum præstandum instituerat deberentur emolumenta juxta solitum excepto emolumento prætenso Pluvialis tom. 13. Thesaur. resol. d. die & anno. Quatenus itidem prætendatur a Parochis jus sepulturæ sic dictum pro tumulatis in Ecclesiis Regularium hoc esse ipsis solvendum, sed in quantitate per Episcopum assignanda sancitum fuit in Ampurien. Quartæ Funeralis 6. Julij 1716. decr. lib. 66. Quam quidem consuetudinem exigendi aliquid jure sepulturæ ultra id quod ratione Funeralium solvi consuevit, esse observandam quoad sponte dantes & non retardata Sepultura ob non solutionem, dummodo etiam sit legitime præscripta; abolendam vero si prætendatur titulo exactionis obligatorio etiam a non sponte præbentibus decrevit S. C. C. in Ortonen. 8. *Aprilis* 1634. *lib.decr.* 15. Et in Acharuntina 15. *Maii* 1638. *lib.* 16. Super quod luculenter Rot. paulo ante cit. in Romana Funeralium 15. *Junii* 1699. coram Molines *n.* 11. ad 18. Immo quod nequeat Parochus ullam exigere retributionem pro associatione cadaverum ad sepulturam nisi peracta functione præcipitur in jam allegata Ebreduneni. Jurium Parochialium 25. Junii 1695. ad 1. decr. lib. 45. Et tanto minus licere Parocho pro decimis non solutis a defuncto dum viveret impedire ejus sepulturam, præscriptum de hinc legitur in Trojana repetita Funerum 21. *Maii* 1701. *ad nonum decr. lib.* 51.

40 Verum enim vero quoniam adhuc Quartæ funeralium nomine aliquid venire necne potest controverti & non tantum inter hæredes & Ecclesiasticos sed inter Ecclesiasticos ipsos Parochos videlicet & Regulares in quorum Ecclesiis cadavera tumulentur super his oriri dissidium: ideo breviter addemus nomine dictæ Quartæ accipi frumentum quod detur a consanguineis defuncti Ecclesiæ tumulanti, quod tamen debet supponi præstitum titulo funeris vel pro exequiis in funere fieri solitis S. C. C. in Tudertina funerum 13. *Augusti* 1718. *decr. lib.* 68. ut in Thesaur. resolut. *tom.* 2. *pag.* 99. Non autem compræhendi pannum album appositum elatæ Cruci & minus sudariolum quo operiuntur manus defuncti, sancitur in eadem Tudertina. At in alia Albanensi funerum 20. *Februarii* 1721. cum prætenderet Parochus retineræ patinam sive discum quo utebatur in administranda extrema unctione nec non sudariolum quod in associatione cadaverum Cruci appendi consueverat proposito in S. Congregatione dubio. *An sit permittenda receptio sudarioli & disci?* Eadem rescripsit *Quoad sudariolum dilata & coadiuventur probationes & quoad discum permittendam ejus receptionem. lib.* 71. *decr. pag.* 64.

§. I. Difficultas major posset insurgere quoad opertorium feretri sive culcitram an intret nomine funeralium exigendorum a Parocho? Et profecto non licere Parochis cogere hæredes defunctorum ut opertorium Feretri a Parochiali Ecclesia veluti commodatum accipiant & pro eo certam pecuniæ summam persolvant, sed liberum esse hæredibus aliud quodlibet adhibere stragulum funebre tenent Ricc. *decis.* 124. *per tot.* Lanoro Var. Elucubr. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 220. Samuel de Sepult. *tr.* 1. *controv.* 10. *concl.* 7. *n.* 16. & *n.* 57. Ventrigl. in prax. *p.* 1. *adnot.* 31. *§. un. n.* 43. Gavant. in Manual. Episc. *verb. exequiæ n.* 15. & 25. Rot. post Antonell. de jur. & oner. Cleric. dec. 15. n. 11. Et quamvis Canonicam portionem deberi Parocho etiam de opertorio feretri quod culcitram vocant, tradunt Barbos. de off. & potest. Parochi *part.* 3. *cap.* 25. *n.* 44. Passerin. de stat. hominum *tom.* 2. *qu.* 147. *art.* 4. *n.* 495. Panimoll. *tom.* 1. *decis.* 5. *adnot.* 4. *n.* 29. Antonell. de regim. Eccles. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 4. Attamen proposito dubio apud S. C. C. *An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit exigere Carolenos decem pro delatione Culcitræ seu panni occasione tumulationis Confratrum defunctorum quatenus eadem culcitra seu pannus adhibeatur.* Responsum fuit ab eadem *Negative & amplius*. In Trojana Funerum 29. *Augusti* 1733. *inter sol. publ. ejusdem an. pag.* 170. In Cotronen. vero juris funerandi 3. Septembris 1707. cum propositum fuisset hoc dubium. *An retineri a Capitulo possit serica culcitra cum qua transportetur Cadaver, seu sit locus restitutioni*. Præfata S. C. rescripsit *Affirmative quoad primam & negative quoad secundam partem salva tamen consuetudine legitime probanda lib. decr.* 57. *pag.* 332. Et generaliter pannum cadaveri substratum pertinere ad funus ideoque deberi Ecclesiæ in qua illud sepeliatur, probant Oldrad. *cons.* 211. *n.* 7. Lanor. in elucubrat. *tit.* 2. *cap.* 17. *n.* 20. *&c.* Necnon de stragulo seu opertorio aureo sive serico sumptibus hæredum nobilium proviso, quod debeat acquiri Ecclesiæ tumulanti & in ejusdem ornamentum cedere, cautum fuit a Sancto Carolo in actis Eccles.

Eccl. Mediol. *part.* 1. *Conc. Provinc. tit. de funer. & exeq. & part.* 4. *instruct. de fun. ducendo pag.* 536. §. *Si vero propinqui*. Sed prudentissima dispositio similis quantum ad hoc legenda est in stat. Cleri Romani Pontificia auctoritate confirmato *Cap.* 6. §. 30. *pag.* 54. & ultro in addit. §. *Expressum* ut etiam in d. Trojana 29. *Aug.* 1733. *fol. publ. pag.* 170.

§. II. Nec silendum quod Pater Didacus de Aragonia loco cit. n. 9. mallet eximere a solutione Quartæ Mulieres Tertiarias quæ degunt in propriis domibus ad normam Decreti Sac. Cong. prius tom. 1. allegato, eo quia jurisdictioni Episcopi minime subiiciantur ex suppositione quod sepulturam in Ecclesiis Regularium quorum habitum gerant habuerint; attamen præsumptionem ejusmodi prorsus excludi per Benedictinam Bullam jam probatum fuit in Tom.I. Dubit. XI.Sect. VI. n. 38. Si sermo ad Tertiarias Italianas limitetur. Extra deinde Italiam quatenus ex iis Tertiariis in propriis domibus reperiantur verificatis omnibus requisitis quæ vivant, non posse non attendi consuetudines legitimas, jam dictum est & doctores omnes præcipue Ultramontani concordant. Consuetudines autem in casu contra Regulares a prætendentibus Parochis debere probari quadragenarias, verum & juxta Concilium & Bullas saltem illative. Posset namque interpretari consuetudinem quadragenariam ante Concilium fuisse adductam exemplariter quod declaratur a praxi, absque eo quod sit necesse ut subdit statim laudatus Auctor cum per se citat. Matteuccio probare semper quadragenariam hanc viguisse ante Tridentinum; evaderet namque consuetudo probanda plusquam bis continuam hisce temporibus contra probabilitatem & rationem; cum per integrum proximum cursum quadraginta annorum sufficienter interpretetur Collegium Monasterium Domus sine aliorum præjudicio proprio juri abrenuntiasse in casu, ex mox adductis & communi doctrina de sufficientia quadragenariæ in controversiis quibuscumque suscitatis Arg. cap. ult. de consuet. contr. cap. auditis de præsumpt. Ab. cap. ult. n. 11. de consuet. Imola in Cap. Treguas n. 13. ibique Fagnano n. 40. ad 63. de Tregu. & pace. Rot. in una Gerun. administ. 13. Maii 1630. &c. addita consideratione quod consuetudine veteri non solvendi in casu non obstante, non repugnet introduci contrariam ob circumstantias exortas. Videatur Reinffestuel de consuet. §. 8. n. 190. seq. Hæc omnia extra Italiam; nam alias evertit quæcumque dubia Constitutio Benedicti derogans consuetudinibus Privilegiis &c. Pater vero Matteucci scripserat antequam Constitutio eadem Benedictina in lucem prodierit, ideoque Decretis anterioribus præcipue intra Italiam attendendis se subscribit, & extra Italiam in Regionibus Galliæ Hispaniæ Germaniæ firmissimam vigere praxim in consuetudinibus decursis radicatam non negat. Doctrinæ super his omnibus possent proliziores afferri, sed ad quid atramentum fundere sine necessitate? Cum nihilominus tandem decisionibus quas plene adduximus doctrinis confirmantibus, super doctrinis ipsis standum sit. De aliis vero articulis qui possent agitari quantum ad Sepulturas quatenus non agatur in præsentiarum nihil vel parum iis afficiuntur Regulares.

DU-

DUBITATIO XXI.

DE MONIALIBUS QUAM POTESTATEM SUPER IPSAS PRÆSEFERANT REGULARES PRÆLATI.

Plura dicta sunt de Monialibus in Dubitatione XI. Tom. I. ubi de potestate Episcopi super ipsas, earumque Monasteria; sed quia non omnia enucleata sunt quæ ad regimen earumdem Prælatis Regularibus competens revera pertinentia sunt propterea hic Dubitatio consulto additur peculiaris. Monialium itaque antiquissimum institutum sive Virgines sive Viduæ forent Deo dicatæ vel in privatis Domibus vel in communi Conventu sive Monasterio degentes ab initio sicut & illud Monachorum sub ditione Episcoporum acquievisse novimus & diserte probat Thomasinus *tract.* 1. *lib. III. cap.* 40. & ultra usque ad 50. non sine eruditione perspicua & distincta etiam serie, in quibus ista portio Gregis Christi illustrior, ut eam Cyprianus collaudat, in Ecclesia continuo floruit. Quamvis autem usque ad Patriarchæ D. Benedicti tempora sub gubernio & directione respective proprii Episcopi vel Præsbyterorum per hanc dignitatem electorum, vixisse eas omnes referat diligens Auctor; quando tamen cœperint aliquæ inter ipsas Monachorum tuto regimini de facto comendari præcise non assignat: nisi quod ante Gregorii Magni sæculum id evenisse ex ipsius Sancti Doctoris momentis colligitur, ut alibi ostensum est, deduciturque antiquitas subjectionis ex cap. *in Decimo* 18. qu. 2. & cap. *Cum causam* 27. de elect. nec est præsentis indaginis velle super hac re protrahere quæstionem. Hoc pro certo adnotare sufficit, quod si & quatenus tentaverunt Regulares Monialium curam a se prorsus abdicare, ut conatos fuisse non semel legitur in horum Chronicis, Minoritas: Sedes Apostolica speciali præcepto ad eam retinendam ipsos obstrinxerit. D. Bonav. &c. Sanctor. *super Constit. cap. XI. stat.* 6. Sicut & nuper posse in conscientia Monialium sibi concreditarum & instituti respective proprii gubernio Prælatos Regulares abrenuntiare, probat eum Miranda & Sanctoro, addens item S. Rotæ decisionem P. Lezana tom. 5. ad Mare Magnum Carmelitarum §. 35. *n.* 265. & fusius nos infra sect. seq. Ideoque quam improprie oblocuti sit Monacellus part. 1. tit. 6. form. 19. n. 26. quod expediat nimirum ex quolibet motivo *non tantum* sed ex officio absque ulla causa Moniales e regimine Regularium proprii Ordinarii eripere etiam resistente ultima testatoris voluntate sufficienter Dub. d. XI. sect. 2. art. 8. & supra tract. 1. conquæsti sumus, & rursus veniet reprobandum.

His opportune animadversis ut sermonem de potestate quam præseferunt Prælati Regulares super Moniales exemptas proprio re-

gimini reſpective ſubjectas ordinatim aſſumamus . Quatuor , ad normam ab Auctoribus paſſim fere omnibus adhibitam tractatus quantum ad religioſos viros, a nobis præſtabuntur eos & per proprias diſtinguemus ſectiones . Primum de poteſtate eorumdem Prælatorum circa Viſitationem Monialium & Monaſteriorum . Secundum de poteſtate directiva in caſu extra Viſitationis actum . Tertium ad quæ ſe extendat Prælatorum ipſorum poteſtas coercitiva circa Moniales . Quartum tandem de poteſtate abſoluta erga ipſas, breviſſimo quantum eſt poſſibile utentes ſtilo . Proinde ſit .

SECTIO I.

Utrum & quomodo Prælatus Regularis reſpective poſſit & debeat viſitare ſibi ſubjectas Moniales?

SUMMARIUM.

1 *Moniales alicui Ordini Regulari adſcitæ iiſdem gaudent privilegiis ac Religioſi ejuſdem Ordinis, niſi conditioni earum repugnent. Idem extenditur ad Moniales Ordinis cujuſpiam Regulam profitentes etſi ſub Ordinarii poteſtate degant* §. *Un.*

2 *Demandetur Prælatis Regularibus viſitatio Monaſteriorum proprio regimini ſubjectorum & Monialium inibi degentium. Et quamvis quoad Clauſuram viſitator delegetur Epiſcopus, tamen etiam quoad Clauſuram ipſam viſitant Superiores proprii, examinatur ſignanter decretum S. C. circa duo dubia* §. *I. II.*

3 *Expenditur Bulla* Felici *Alexandri VII. quoad peragenda a Prælato Regulari in actu Viſitationis Monaſterii comparative ad Epiſcopum.*

4 *Quomodo Regularis Prælatus viſitet etiam perſonaliter Moniales, & quomodo valeat ingredi Monaſterium in aliis caſibus præterquam titulo præciſo viſitandi.*

5 *Bulla Alexandri VII.* Felici *obligat intra Italiam & Inſulas adjacentes: Unde extra illam & Inſulas &c. tenentur Prælati Regulares obſervare Sanctionem præcipue Gregorii XIII. ubique vigentem, quæ explicatur quoad aliqua.*

6 *Explicatur ultro Bulla* Felici; *& illa ſimul Gregorii XV.* Inſcrutabili, *quod poteſtas tradita ibi Epiſcopis ſuper Monaſteria exempta &c. non extenditur ad Prælatos quoslibet inferiores &c. prout etiam neceſſitas ingrediendi intelligitur moralis; cujus interpretatio remittitur præcipue judicio Epiſcopi.*

1 Unum itidem eſt in præſentiarum advertere pro ſolutione dubiorum opportunum, immo & neceſſarium. Qualiter Moniales ſub regula cujuſcumque Ordinis degentes, privilegii ſcilicet exemptionis participes, gaudeant omnibus item aliis privilegiis & gratiis, quæ Religioſis viris ejuſdem Ordinis elargiuntur per Apoſtolicas Sanctiones Summorumque Pontificum Conſtitutiones & Decreta, quatenus ſexui & ſtatui earumdem non repugnent: contra Monacellom qui liberrimo calamo præſcribit contrarium ex ſola citatione Rotæ *dec.* 48. *n.* 8. *cor. Zirat.* Prævalet namque literalis diſpoſitio Pontificis in Bulla Aurea ad verbum legenda §. 4. apud Lezanam *tom. V.* Ultra alia citata privilegia hoc idem ſonantia; tum Syxti ejuſdem IV. tum Bonifacii VIII. Leonis X. Clementis VII. quæ referuntur item per Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regul. qu.* 55. *art.* 13. & 14. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 1. *diſp.* 17. *qu.* 1. *a n.* 49. & jur. Abbatiſſ. *diſp. item* 17. *fere per tot.* juxta Doctores etiam antiquiores D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 3. Palaum in 4. *diſt.* 38. *qu.* 2. *n.* 17. Sylveſt. *V. Religio* 3. *qu.* 3. *diſt.* 3. Angel. *V. Novitius n.* 6. Et inter moderniores Bordon. *Oper. moral. tom.* 2. *reſol.* 52. *n.* 365. Pignatelli *tom.* 4. *conſult.* 177. *n.* 4. Cardinalem Petram *tom.* 2. *ad Conſtit.* 3. Cœleſtini III. *n.* 25. 26. 27. obi plures alios citat, nec non Rot. expreſſos in Herbopolitana Monaſterii 27. *Februarii* 1712. §. *Abſque eo*, cor. Anſald. qoodque aperte invenitur conceſſum Monialibus Carmelitarum Excalceatorum per Gregorinm XIII. in Conſtit. *In* 64. §. 9. *tom.* 2. *Bullar.* Clementem VIII. in Conſtit. incipien. *Cum dudum* 23. *Martii* 1594.

§. Un. Quinimmo hujuſmodi prærogativam gaudendi privilegiis ſuorum Ordinum extendunt Auctores ad Moniales alias quæ Regulam aliquam Sanctorum Fundato-

rum

rum profitentes subijciuntur nihilominus locorum Ordinariis, praecipue si prius sub obedientia Praelatorum propriae Religionis extiterint, eo quia praeter amissionem exemptionis in casu privilegia alia Religionis professae non deperdant. Ita cum Tamburin. de jur. Abbatiss. disp. 17. qu. 2. & aliis per se adductis Lezana *tom.* 5. ad Mare Magn. Carmelit. §. 65. *n.* 385. De qua sententia non est amplius ambigeodum utpote firmata per Decretum S. C. super Indulgentiis &c. die 28. Julii 1701. approbatum a Clemente fel. rec. XI. die 22. Septembris ejusdem anni. Nempe Monasteria omnium Sanctimonialium, quae a cura & gubernio fratrum suorum Ordinum sub immediata jurisdictione Episcoporum translata sunt seu imposterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia & indulgentias quibus antea gaudebant amisisse seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis & indulgentiis uti & frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent. Proinde examinandum venit assertum P. Didaci Aragonien. in tract. VII. suae Dilucidationis *Cap.* 5. *n.* 15. nempe quod Moniales Tertii Ordinis quae tria vota essentialia solemniter emiserunt & sub Clausura vivunt, ab obedientia tamen Regularium sunt abstractae & Ordinariis Locorum subjectae, Privilegiis Ordinum, quorum habitum gestant respective minime gaudent, nisi habeant speciale privilegium communicationis. Quoties enim gauderent privilegiis ac si Regularibus subiacerent non potest argui quin gaudeant iisdem licet ad Obedientiam & sub potestate Ordinarii translatae vi allegati decreti sub Clemente XI. in terminis generalibus afficientibus omnes & quascumque Moniales editi, esto speciale privilegium communicationis non superaddatur & idem additur ad doctrinam D. Ruperti Gueber de privileg. Religios. *tract.* 1. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 23. si & quatenus decretum relatum ad notitiam ejusdem minime pervenisset. Quae omnia affert pariter Ursaya sparsim in octo tomis cum aliis ultro citatis, prout juxta opportunitatem replicabimus infra; ex quibus item de consequentia nomine Monachorum seu Fratrum propriae Religionis, venire Moniales in favorabilibus praecipue & in iis, quae non repugnant sexui, concludit rationabiliter Emin. Petra citans Peyrin. Pasqualigum, Pelizar., Murgam, & Pignatellum, eo quia sexus foemineus in masculino includatur in non repugnantibus: ibi *ad Const.* 3. Celestini III. *d. n.* 27.

At quia Eminentissimus idem suam sententiam limitat in favorabilibus non autem in odiosis, considerare est ultro necesse quod aliqua occurrunt odiosa sive onerosa impraescindibilia a statu Monialium quae sub obedientia Praelatorum Regularium degunt Constitutiones videlicet generales pro omnibus delictorum poenis & statuta respective Ordinum & Capitulorum in iisdem celebratorum, dummodo sexui minime repugnent: ut forent in casu jejunia servanda in Vigiliis Sancti Fundatoris aut alicujus specialis Festi veluti Immaculatae Sanctae Virginis Matris Dei, precibus fundendis Deo pro Superioribus defunctis & hujusmodi: ex animadversis item per Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *de variet. Relig. Cap.* 12. Mirand. in tract. de Monial. *qu.* 9. *art.* 4. *&* 5. *& qu.* 5. *art.* 5. Bordon. *resol.* 38. *n.* 3. dummodo tales Constitutiones & leges specialiter eis intimentur, qua conditione expleta nulla potest relevare difficultas: Tambur. de jur. Abbatiss. *disp.* 12. *quaesit.* 2. *n.* 3. *&* *disput.* 13. *qu.* 4. *n. signanter* 9. Sed de hoc proponetur formiter quaesitum *sect. iii. n.* 55.

2 Post traditam hujusmodi utcumque necessariam notitiam quaesitum sive titulum expositae sectionis aggredimur respondentes. Quod competat revera Superioribus Regularibus potestas visitandi Monasteria omnia Monialium proprio Ordini subjectarum & hoc jure ordinario, cum vere eaedem subditae eorum sint modo haud diverso, ac subijciantur Ordinariis locorum Moniales sub horum regimine constitutae. Adsunt Bullae Summorum Pontificum quae Monasteria Monialesque in eis commorantes curae & vigilantiae Praelatorum Regularium subjiciunt atque enixe commendant, consequenter earummet Visitationem iis demandare dignoscuntur quae est praecipua pars injunctae curae, colligiturque ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *Cap.* 9. *de Regul.* Ubi postquam Monasteria Sanctimonialium Sedi Apostolicae immediate subjecta jussit Sancta Synodus ab Episcopis tamquam ejusdem Sedis Delegatis gubernari, subdit = *Quae vero a deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus reguntur sub eorum Cura & custodia relinquantur*. Sicut ergo quae propriae Curae subsunt vel delegantur Monasteria Visitare valent & tenentur vi adimplendae ejusdem Curae Episcopi per Sacros Canones, ita & Superiores respective Regulares & Moniales & Monasteria visitabunt quae pari custodiae & eorum curae relinquuntur. Et ne superflua repetamus quoad dictam

ctam curam correctionem per conſequens Viſitationemque Monialium Superioribus earum Regularibus commiſſam; Pater Lezana perlegatur breviter & erudite diſſerens *tom.* 5. ad Mare Magnum Carmelitarum §. 65. *n.* 384. Prout etiam quantum ad Viſitationem in ſpecie Monialium Praelatis Ordinis Minorum ſubjectarum perpendantur quae luculenter item ſcripſit P. Sanctorus ſuper Conſtitut. *Cap. cit. XI. ſtat.* 6. Hic dumtaxat replicandum obvenit quod licet Ordinario loci competat jus viſitandi Moniales quoque a Regularibus directas, *quoad clauſuram* ut in relata *dubit. xi. tom.* 1. *ſect.* 1. *per tot.* tamen idem jus non denegatur Superioribus Regularibus cumulative, ita quod iſti pariter in actu Viſitationis clauſuram obſervare non poſſint & debeant pro bono regimine ſibi ſubjecti Monaſterii, ex deciſis per S. C. C. de anno 1608. *lib. decr. II. fol.* 31. & attenta Conſtitutione Alexandri PP. VII. *Felici la* 156. *in tom.* 5. *Bull.* Ad tradita fuſe per Cardinalem Petra *tom.* 5. *ad Conſt.* 4. Calixti III. *ſect. II. n.* 145. *per tot.*

§. I. Verumtamen, quia in iſta Viſitationis cumulativa poſſunt oriri diſſidia tum ex parte Epiſcopi ingredientis clauſuram tum Religioſorum ſive Sanctimonialium praetenſionibus ejuſdem Epiſcopi obſiſtentium, recolenda ſunt quae diximus *tom. cit.* 1. *dub.* XI. *ſect.* 1. & ea videnda quae ſuperaddit P. Matteucci in Offic. Cur. *Cap. xi. V. Clauſura Monialium* ſignanter *n.* 10. Quantum ad ſolutionem dubiorum per hujus Decretum S.C.C. ſub die 19. Januarii 1686. Sed decretum aliud ſignanter praeter allegata itidem a Cardinali Petra dicto *n.* 143. quod tradidimus quidem *tom. cit. I.* quantum ad aliqua praecipua iterato eſt hic conſiderandum. Praecipitur itaque in hoc decreto, quod Epiſcopo ingredienti ad Viſitandas Moniales Monaſterii ſubjecti Patribus Coeleſtinis ac item egredienti debeantur honorificentiae praeminentiae & actus reverentiales a Miniſtris Officialibus Monaſterii & a Confeſſario ejuſdem tantum. II. Quod Moniales non teneantur tradere Epiſcopo librum Regularum, bene quidem ſubire ſingillatim examen ad crates quantum ad clauſuram. III. Quod Epiſcopus poſſit ſolus ingredi & Viſitare clauſuram cum ſuis Conviſitatoribus abſque interventu Abbatis. IV. Quod Epiſcopus poſſit Viſitare ultra exteriora menia Chorum interiorem, Dormitoria, Cellas aliaque loca pro Clauſurae cuſtodia. At quia ſpeciali indigent examine duo quae ſuperſunt quaeſita & ipſis data reſponſa in eodem Decreto, eadem hic ad verbum repetemus. Quaeritur.

V. *An poſſit Epiſcopus occaſione Sacrae Viſitationis habere ſermonem ſpiritualem praedictis Monialibus, tam intra, quam extra ſepta Monaſterii?*

VI. *An poſſit Epiſcopus nedum viſitare Altaria Capellas Eccleſiarum praedictorum Monaſteriorum in quibus beneficia aliaque onera Miſſarum inſunt. Verum etiam & Tabernaculum cum Altari Majori.*

S. C. C. In Aquilana juriſdictionis ſub die 31. Julii 1723. reſpondit ad I. II. III. IV. uti ſupra.

Ad V. *Affirmative*. Ad VI. *Negative*: lib. decr. 73. & in Theſaur. reſol. tom. 2.

Mature autem dixi ponderanda haec duo ultima reſponſa in Decreto, praecipue quintum, in quo declaratur eſſe liberum Epiſcopo habere ſermonem ſpiritualem ad Moniales tam intra, quam extra ſepta Monaſterii. Et profecto intelligendum obvenit in hac parte decretum uniformiter ad decretum aliud praevium de anno 1686. ſub die 19. Januarii. Quod videlicet poſſit Epiſcopus viſitans *convocare* Moniales omnes *in Choro, aut alio loco & ad eas ſermonem habere in reſp. ad dub. viii.* Ubi non poteſt non conſiderari tamquam ſpeciali nota digna illa particula *omnes*. Ne videlicet ulla Monialis lateat, ideoque deligenter ſe certiorare tenebitur bonus Epiſcopus an adſint de facto *omnes* priuſquam ſermonem incipiat, ſicut & ſub oculis habere ibidem eos quos ſecum duxit intra Clauſuram, & ſerio advertere an praeter eos quiſvis de ſua familia in illa confuſione relinquendi officinas ut ſermoni interveniant tum Moniales tum Educandae, ſit ingreſſus, cuncti namque humanitatem ſecum ferunt tum Regulares tum Saeculares ſive Eccleſiaſtici ſive laici. De Viſitante Regulari ad propoſitum poteſt inde quaeri an valeat & ipſe ſermocinari Monialibus occaſione ingreſſus ſeu ipſius viſitationis intra clauſuram? Per Bullam etenim Alexandri VII. *Felici* praecipitur Viſitatori in caſu ut a viſitatione ſe expediat, & interim Moniales omnes congregentur in Choro ibique permaneant cum coeteris mulieribus & puellis uſquedum Viſitator ipſe cum ſociis è Monaſterio exierint: Ex quo apparet non poſſe hunc eaſdem in alio loco extra Chorum convocare. Niſi fere replicetur ſic in Choro congregatis valere & ipſum habere ſermonem; quia in allegata Alexandri Bulla prohibetur quidem ipſimet & Sociis ul-

ullam sumere in Monasterio corporalem refectionem; non vero quod valeat spirituali pabulo Sanctimoniales sermocinando recreare. Nihilominus tutius & prudentius acturos dixerim, tum Episcopum tum Regularem Superiorem; si è septis sive Clausura Monasterii cum comitatu exierint & tunc quantumlibet ad Crates Monialibus prædicent.

§. II. Circa resolutionem sexti propositi dubii pluries actum est in primo tomo, simulque conclusum; quod non debeat denegari Episcopis una cum reverentia obedientia simul in iis ad quæ jus eorum tum in visitando tum extra visitationem se extendit erga Regulares ipsos & a Regularibus directas Moniales, at sistere utrisque sit necesse in observantia legum, Apostolicarum scilicet Sanctionum & Sacræ Congregationis decretorum; Nimirum quantum ad Regulares sistere in inquisitione rectæ administrationis Sacramentorum Sæcularibus & pertinentium ad Clausuram respectu Monialium eis subjectarum. Ex famosa Constitutione Gregorii XV. *Inscrutabili* & adiectis ibidem responsionibus ad proposita dubia apud Monacellum p. prima in Appendice pag. 306. Nec silenda est hac occasione advertentia, quod a Visitatoribus cujuscumque Dignitatis, tum Ordinariis Episcopis scilicet vel Ecclesiasticis aliis Sæcularibus tum Regularibus Prælatis ac Superioribus quoad ingressum intus Monasteria servari omnino debeat, ut insinuatur etiam tom. 1. loc.cit. Constitutio Gregorii XIII.incipien. *Ubi gratiæ* dat. *Idibus Junii* 1575. cum alia declaratione ejusdem Pontificis incipien. *Dubiis quæ emergunt* dat. 23. *Decembris ann.* 1581. quæ quidem viget in Italia non solum atque Insulis adiacentibus, sed extra etiam & ultra Montes ubique, ut inferius num. seq.

3 Etenim; ut de Superioribus in specie Regularibus juxta expositum sectionis titulum hic tractemus: Modus visitandi Monasteria & Moniales præscribitur eisdem in præfata Constitutione Alexandri PP. VII. *Felici*, per extensum recensita a P. Matteucci Offic. Cur. *Cap. XI.* per §§. decem & tres sub *n.* 2. Et primo limitatur visitandi tempus: nempe quod semel tantum in anno visitatio adimpleatur, itaut eo anno quo unus ex Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitatione hujusmodi omnino abstineat: Superiores autem, pro quibus est edita & quos tangit Constitutio sunt Generales, Provinciales, Abbates & quicumque alii Superiores Regulares, quibus alioquin cura & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit; ut ibi §. I. Propterea quoties aliquis ex his Monasterium quodpiam jam visitaverit, alter licet majoris notæ nequeat Visitationem explere. Et sic eo anno, quo Commissarius Visitator ad Provinciam accessurus expectatur, provide a Superioribus Provincialibus visitatio eidem reservatur ab his nequaquam ante peracta. Sicut & quoties P. Generalis adveniat & honoris gratia a Provinciali sibi cedente ad Visitationem Monasterii Sanctimonialium invitatur, deinceps facultas visitandi pro eodem anno Provinciali nequaquam remaneat amplius. Deinde taxatur in Bulla comitantium numerus; nimirum, quod Visitatorem Generalem possint associare Religiosi ejusdem Ordinis dumtaxat duo, Alium autem quemcumque vel a Superiore Generali deputatum vel ex officio id muneris adimplentem, unus solummodo comitetur exclusis omnibus aliis esto dignitate & titulo præditis, per quod inhiberi colligitur, quod ultra præscriptos possit Superiorem visitantem comitari Superior localis vel Confessarius&c. Quamvis possit cum hoc observari statutum pro Monialibus Ordinis Minorum quod Superiorem quacumque de causa ingredientem Monasteria associet semper Vicarius vel Confessarius Monialium videlicet, vice illius, qui assumi permittitur unicus vigore Bullæ, sub pœnis ab iisdem statutis impositis in Capitulo generali Romano 1664. pro familia Cismontana *n.* 12. Quicumque vero eligantur attenta Bulla exemplaris vitæ & maturæ debent esse ætatis, atque in actu Visitationis a Superiore nullatenus separari, itaut eum aspicere & ab eodem aspici semper queant, ut ibi. Insuper assistere jubentur quatuor Moniales ex senioribus Monasterii durante tempore Visitationis, numquam separantes se a Visitatore & Sociis. Et quamvis quoad Socios Visitantis in casu aliqua variet P. Lantusca ex statutis Religionis pro Minoritis & ex aliis juribus pro Visitatoribus reliquis Regularibus in Theatr. Regul. *Verbo Clausura Monialium*: attamen standum esse Bullæ conditiones functionis hujusmodi rigorose præscribentis & ipse fatetur ibi n. 9. Ulterius mandat Pontifex ut Superior cui de jure interiorem Clausuram visitet per se ipsum & non per alium, & quatenus sit impeditus visitationem per ipsumse explendam differat, eamque cum diligentia absolvat intra unicum diem; congregatis interim, ut tetigimus supra in Choro

Monialibus, nec incipiat ante Ortum, neque terminet post Solis occasum. Itemque juxta jam dicta quod tum Visitator tum socii nullam sumant in Monasterio refectionem, de quibus omnibus perlegenti citatam Bullam satis liquet. Proindeque privilegiatus apparet comparative ad Superiorem Regularem Dominus Episcopus; hic namque ad libitum saltem quotiescumque duxerit necesse, Regularis autem una tantum vice intra annum visitandi habet facultatem; Episcopus per se aut Vicarium generalem specialiter deputatum ex ostensis *tom. 1. dub. IX. f. ct. 1. per nos*, & per Matteuccium *Cap. cit. XI. n. 9.* Regularis vero per se ipsum praecise; Episcopus item plures secum ducere Socios, Superior Regularis vix unicum valet & ad duos se extendere quatenus sit Generalis. Verum Regularis ipse Superior potest & debet Cellas suppellectilia & quaecumque omnia alia quae Regulam & Constitutiones concernunt omni cum diligentia visitando examinare; Episcopus autamen neque Cellas Sanctimonialium valet ingredi, nisi quatenus id exigat necessaria inspectio Clausurae. Uno verbo: Episcopi Visitatio respectu Monialium exemptarum sub Regularium regimine existentium limitatur & sistit in iis quae spectant ad Clausuram, ut diximus, aliis ad Praelatum Religionis sub cujus regula & directione vivunt seu ad ejus visitationem & inquisitionem pertinentibus. Sic unanimiter Doctores & S. Congreg. decreta per laudatum Matteucci relata in Offic. Curiae Cap. dicto XI. n. 10. 11. & 12.

4 Similiter extra dubium vergit; quod sicut potest Superior Regularis visitare Monasterium, ita & Moniales visitare in eodem demorantes, quae tamen personalis visitatio debet perfici ad Crates extra Monasterii Clausuram, ut mandat Pontifex in praefata Bulla *Felici*. At quia in eodem §. VIII. Bullae praecipitur quod Visitatio ad Crates fiat *per ipsummet Superiorem dumtaxat* veluti praemissum est, quoad Visitationem interioris Clausurae, ly *per ipsummet dumtaxat* intelligendum venit, quod nequeat alium delegare ad visitationem personalem, veluti nequit alium a se ad Visitationem Monasterii localem; sed ultra quod per talem Clausulam excluditur Socius: aliter namque, sicuti in Visitatione locali unus saltem admittitur Socius, ita admittendus videretur in Visitatione confidentiali cujuscumque subditae Monialis contra leges & contra fas. Quod si Superiores Regularium in hujusmodi Visitatione & Monasteriorum & Monialium non omnia in Bulla praescripta adimpleant, nullis privilegiis & exemptionibus tueri se poterunt, quominus ab Episcopo loci tamquam Apostolicae Sedis Delegato, quoties opus fuerit corrigi & puniri valeant; ut ibi & notat etiam Monacelli p. part. in Appendice pag. 184. n. 3. Nimis tamen benignus hac occasione Monacellus silet poenas Superiori delinquenti in casu inflictas a jure sive Constitutione eademmet praeter illas ab Episcopo imponendas ibidem §. 12. *Siquis vero praedictorum Regularium aliquod contra praesentium tenorem facere vel moliri praesumpserit, aut adimplere neglexerit ipso facto poenam excommunicationis & privationis omnium Officiorum quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia imposterum obtinenda vocisque activae & passivae, absque ulla declaratione incurrat*; Subdens deinde puniendum & corripiendum insuper ab Episcopo loci praescribitur praeterea modus in Bulla relata ingrediendi clausuram Superiori Regulari cui de jure in aliis occasionibus a Visitatione videlicet ibi: *Quod si ob clausuram aut aliam urgentem & necessariam causam opportuerit dictum Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi Septa Monasterii tunc non aliter ingrediatur quam cum praesentia Episcopi Dioecesani vel alterius personae Ecclesiasticae Saecularis boni exempli & maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae*: In quo sane §. plura obveniunt notanda. Primum quod causa ingrediendi praeter unicam praescriptam visitandi eodem anno debet occurrere urgens & necessaria; secundum quod sit indeclinabilis praesentia simul Episcopi Dioecesani vel alterius personae deputandae specialiter ab ipso; tertium quod persona deputanda debet esse Ecclesiastica Saecularis boni exempli & maturae aetatis per quod excluduntur Saeculares laici; Ecclesiastici etiam Regulares vitae minime exemplaris ac aetatis immaturae, quae colligitur ex sacris canonibus saltem quadragenaria; quartum Quod non per hoc prohibetur in causa peculiariter urgente ingredi Socius Regularis assignatus alias Superiori Monasterium introeunti occasione sive titulo annuae Visitationis; eo quia non apponatur verbis Bullae in casu dicto urgente assignandae personae per Episcopum dictio *dumtaxat* vel similis restrictiva. Unde manifestum est non esse in ullius potestate subanditos intellectus addere ubi verba sunt clara aut plus mutare de priori dispo-

dispositione quam sit expressum in posteriori. *Cap. Ad audientiam XII. de deo. cum gloss. Can.* 2. & 3. *dist.* 4. Abb. *cons.* 97. *n.* 1. *lib.* 2. Card. Tusch. *lit. V. conol.* 108. Barbos. *ax.* 122. *n.* 32. Deducitur item ex his nequaquam regere effatum a P. Matteucci cit. *Cap. XI. n.* 14. Quod nimirum Alexander PP. VII. casum necessitatis ad ingrediendum intra Clausuram pro Prælatis Regularibus limitaverit ad tempus Visitationis, cum in allegato §. Bullæ aperte distinguat Pontifex inter occasionem visitandi & alios necessarios casus ut distinctius in n. sequenti.

5 Porro duo adnotanda sunt præter jam dicta in Bulla eadem Alexandri VII. *Felici*. Primum, quod non obliget nisi intra Italiæ fines & Insularum adjacentium, ut legenti ipsammet constat §. 7. apud citatum P. Matteucci *Cap. XI.* & Patrem Lantuscham in Theatr. Regular. V. *Monialis n.* 3. Unde extra Italiam & adjacentes Insulas, potestas Superiorum Regularium in visitandis Monasteriis normam retinet & servat ab ordinationibus aliorum Summorum Pontificum præscriptam signanter per Gregorium XIII. in Bulla incipien. *Dubiis quæ emergunt* n. antecedenti allegata data sub die 21. Decembris 1581. ubi confirmatur Bulla altera ibi citata *S. Pii V.* quæ ambo Constitutiones ad unicum reducuntur præceptum, quod Prælati omnes indifferenter intra & extra Italiam ubicumque tum Sæculares tum Regulares quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, nequeant ingredi eorumdem Monasteriorum septa sive clausuram *nisi in casibus necessariis & a paucis iisque senioribus & Religiosis personis comitati* prout de Episcopis dictum est in *tom. I. Dub. XI. sect.* 1. ubi de pœnis quibus illi alioquin subjacerent. De Regularibus autem aliter se gerentibus additur hic qualiter omni officio & ministerio privatos, excommunicationi similiter ipso facto subjacere veluti Pontifex Gregorius ipse XIII. in recensita Bulla *Dubiis &c.* & apud Monacell. ubi supra Lezana post Sanchez & Gavantum *tom.* 1. *Cap.* 25. *n.* 15. 16. & 17. Prætereaque est evidens quod ultra Montes quo Constitutio Alexandri VII. *Felici* non pervenit ingressus Prælati Regularis ex motivo visitandi ad unam tantum vicem intra annum neutiquam limitetur, insuper quod possint associare ipsum tot personæ seniores & Religiosæ quot potest assumere Episcopus clausuram ingrediens ratione Bullæ Gregorii ubique vigentis, quia nimirum de utroque Prælato idem determinat atque disponit lex in casu absque distinctione juxta textum in Cap. *Si Romanorum* 19. *d. tr. Cap. consuluisti* 2. *qu.* 5. *Cap. Quia circa* 22. *de privil.* Barbos. *axiom.* 136. *n.* 1. & 4. cum innumeris. Reinfestuel *tit.* 2. *de Constit. n.* 384. *seq.* Et ita extra Italiam & insulas adjacentes locum habet ad propositum doctrina Patris Lantuschæ tit. *Clausura Monialium n.* 10. Videlicet quod Prælati Regulares possint in casibus necessariis clausuram ingredi cum duobus vel tribus sociis honestis: ex Roderico *tom.* 1. *qu.* 47. *art.* 7. & aliis. Sicuti etiam pro Religione Minorum statuta eorum quoad ingressum Superiorum &c. *Cap. XI.* §. 4. *n.* 12. in quantum Constitutioni cit. Alexandri non conformantur habent locum dumtaxat extra Italiam hujusque Insulas.

6 Alterum eadem occasione advertendum in hoc consistit, quod quando in Bulla *Felici*. Alexandri VII. Visitationem Monasteriorum concernente nec non in famosa Gregorii XV. *Inscrutabili* nominatur Episcopus Diœcesanus cui vel demandatur Monialium exemptarum cura in iis quæ spectant ad Clausuram vel punitio transgressorum Regularium, vice Apostolicæ Sedis delegatur, nomine ipsius nullus alius veniat intelligendus Prælatus inferior in Diœcesi propria Episcopali Ordine non insignitus, quamvis proprium territorium & jurisdictionem possideat quasi Episcopalem, ut alibi tactum est & docetur perspicue in dubiis appositis ad Constitutionem dictam *Inscrutabili* respons. ad dub. 4. apud Monacell. *part.* 1. *in Append. pag.* 307. Quia pariter repetitur in jure præcipue citatis Constitutionibus quod nequeant Superiores Prælati Septa Monasterii ingredi nisi in casibus necessariis, manifestum est apud Doctores casus necessarios præter illum Visitationis non debere accipi in necessitate physica sive extrema sed potius morali; nimirum secundum judicium prudens. Donat. rer. Regul. *tom.* 4. *tr.* 5. *de viol. Clauf. Mon. qu.* 19. *n.* 6. post Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 46. *art.* 4. Mirand. de Monial. *qu.* 2. *n.* 4. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 16. Sanchez in præcept. decal. *lib.* 6. *Cap.* 16. *n.* 4. Barb. de jur. Eccles. *lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 118. Et de potest. Episc. *part.* 2. *alleg.* 112. *n.* 48. Campanil. de divers. jur. Canon. rubr. 12. *cap.* 16. *n.* 25. Portell. dub. Regul. *V. Clausura Monialium n. ult.* Et Tambur. de jur. Abbatiss. *disp.* 24. *qu.* 2. *per tot.* Sed quis judicet de hujusmodi vera necessitate &c.

Ipsius-

Ipsiusmet Prælati judicio principaliter id remitti, qui cautius ageret adhibendo super hoc consiliarios si casus contingat ultra Montes quo Constitutio Alexandri VII. *Felici* non pervenit. Cum alioquin intra Italiam & adjacentes Insulas non possit declinari judicium etiam Diœcesani Episcopi, utpote debeat & ipse vel per sona ab eo specialiter deputanda intervenire ingressui ut dicebamus. Cœterum ad incurrendam excommunicationem, aliasque pœnas utpote gravissimas in Bullis tum contra Prælatos Sæculares tum Regulares latas, requiri semper temeritatem quæ redoleat dolum & delictum positivum; a quo propterea excusat diversa opinio licet ratio verisimilis: eo quia contra præsumentes insistant dictæ Bullæ, notat inter alios Cardin. de Luca de Canon. disc. 27. tit. 18. Exceptis tamen casibus peculiaribus in quibus specialiter prohibeatur ingressus sub aliquo prius prætenso titulo Prælatis quibuslibet etiam extra Italiam & ultra Montes, ut de facto prohibitus legitur in *Salisburgen. Clausuræ* per S. C. C. Prælato sive Superiori Regulari ingressus in Clausuram Monasterii occasione peractæ electionis Abbatissæ ad effectum eam publicandi Monialibus in Refectorio eisque faciendam exhortationem &c. Non obstante consuetudine in contrarium: sub die 10. Januarii 1711. lib. decr. 61.

S E C T I O II.

Ad quæ se extendat potestas directiva Superiorum Regularium circa Moniales sibi subjectas etiam extra actum visitandi?

S U M M A R I U M.

7 *Ad fundanda nova Monasteria Sanctimonialium etiam sub cura Regularium necessarius est consensus Ordinarii ubique locorum sed non vi doctrinæ addictæ ab Ursaya.*

8 *Ante fundationem Monasterii in quo Moniales arctam & rigidam paupertatem profiteantur quomodo requiratur prævia assecuratio substentationis ipsarum; quæ nequaquam includantur in prohibitione possidendi immobilia in cap. 3. sess. 25. Trident. de Regul. afficiente Capuccinas & fortius Regularis & strictioris observantiæ.*

9 *Sequitur demonstratio quod in Cap. Tridentini 3. sess. 25. nequaquam comprehendantur sed potius excludantur Monachæ.*

10 *De multis quæ possunt inquiri circa potestatem Prælati Regularis erga Moniales subjectas, sicuti inquiruntur de Episcopis remissive. Episcopus autem potest prætendere explorationem Puellæ admittendæ ad habitum & professionem privative. Et alia privative Prælatus Regularis.*

11 *Advertuntur aliqua circa ingressum tum Episcopi tum Prælati præsertim Regularis intra Clausuram tempore electionum & plura remissive: sancita autem in sess. 25. Conc. de Regularibus & Constitutiones fundatæ super dictam sessionem, non admittunt consuetudinem in contrarium, & extenduntur ultra Montes, nisi in iis exprimatur limitatio.*

12 *Circa ingressum Confessarii intra Monasterium in quibus casibus permittatur & de ejusdem Confessarii habitatione. Quantum ad ingressum quorumcumque aliorum* remissive.

13 *Quantum ad egressum Monialium e Monasterio remissive. At explicatur in casibus inevitabilibus ad quos pertineat dare licentiam: ubi de Bullis Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV.*

14 *De accessu ad Monasteria & collocutionibus prohibitis cum Monialibus plura, quæ Regulares percutiunt. Quomodo salvetur posse Superiores & Confessarios absolute alloqui. Circa Regulares Religiosos urgent decreta. Ubi d. inhibitione BENEDICTI XIV. reprobatur Ursaja.*

15 *Concedere atque subscribere licentias alloquendi Moniales a Regularibus directas & ingrediendi Monasteria inservientibus ad quos pertineat. Ubi de facultate Confessarii, etiam quoad celebrandi sacrum in Cappella Infirmariæ Monialium.*

16 *De Regularibus accedentibus ad celebrandum in Ecclesiis Monialium plura scitu digna. Et a quo deputentur hujusmodi Capellani?*

17 *Confessarii Monialium tum Ordinarii tum Extraordinarii eliguntur & deputantur a Prælatis Regularibus in Monasteriis sibi subjectis; indigent tamen approbatione Episcoporum, quacumque polleant dignitate.*

18 *Approbatio hujusmodi Confessariorum Monialium exemptarum; per Constitutionem signanter* Inscrutabili *præcepta, quod sit necessaria adhuc ultra Montes, atque in Hispaniæ Regnis ostenditur.*

19 *Alia adnotantur quoad Confessarios Monialium, tum ab Episcopo approbandos, tum petitioni Monialium etiam in particulari concedendos ser. ser.*

20 *Adducitur Constitutio novissima BENEDICTI XIV. circa Confessarios extraordinarios*

narios concedendos Monialibus, & iisdem sub cura Regularium degentibus assignandum una vice intra annum vel Sacularem vel alterius respective Religionis; additis aliis ordinationibus.

21 *Potest insuper Episcopus exigere redditionem rationis administrationis bonorum Monasterii etiam subjecti Regularibus, non obstante consuetudine qualibet in contrarium. Et quamvis administratio sit penes Moniales ipsamque Abbatissam.*

22 *Concionatores Monialium subditarum eliguntur & deputantur a Prælatis Regularibus; sed benedictionem tenentur petere ab Ordinario. Alia remissive.*

23 *De Conservatoriis Mulierum; esto sint Tertiariarum, quod subduntur Episcopo. Et quid, si Conservatoria ipsa erigantur in Monasteria Clausurata. Alia quantum ad Tertiarias. §. I. & II.*

24 *Pro Monialibus Ordini Seraphyco subjectis edita statuta legibus communibus aliorum Monasteriorum conformantur. Nonnulla tamen speciali subjiciuntur examini & quatenus opus sit moderantur & corriguntur; prohibentibus novissimis decretis.*

25 *Nonnulla alia examinantur in statutis Ordinis Minorum pro Monialibus circa collocutiones, fabricas & redditionem rationum esto bona administrentur per Moniales &c.*

7 PLura de potestate directiva Superiorum Regularium respective circa Moniales eorum regimini subjectas retulimus in tom. 1. *dub. XI.* agendo de hujusmodi potestate in Episcopis sparsim per sex distinctas Sectiones, prout inferius in occurrentibus articulis signanter citabimus; propterea hic compendiosius rem tractabimus, vel declarando ea quæ majori indigent explicatione vel addendo præcise quæ pro Regularibus in specie desiderantur. Incipientes itaque a fundatione novorum Monasteriorum etiam sub Regularium cura satis insinuatum inibi, quænam revera conditiones requirantur contra improprias locutiones Monacelli & Doctoris Ursayæ; sect. II. n. 7. ad 10. ut tangitur item superius ante numerum 1. in titulo Dubitationis, atque hic opportune replicamus, quod consensus Ordinarii pro nova erectione Monasterii Monialium in sua Diœcesi sit indeclinabiliter necessarius, etiam ultra Montes ubilibet, sed nequaquam ex vi doctrinæ adductæ per Ursayam *tom. 4. part. 2. disc. V. n. 34.* ubi is allegans Navar. in Sum. Bullar. *comment. 80. & 81.* una secum asserit privilegia quamvis amplissima Regularium fundandi Monasteria absque dicto consensu Ordinarii fuisse revocata per Constitutionem Urbani VIII. incipien. *Romanus Pontifex* sub die 28. Augusti 1624. quæ confirmat alias Clementis VIII. incipien. *Quoniam est* . 23. Julii 1703. & Gregorii XV. *Cum alias* 17. Augusti 1622. per extensum apud Monacell. part. 1. in append. pag. 295. 296. & 297. Etenim evidens est in ipsismet citatis Bullis sermonem & dispositionem vigere de domibus Conventibus & Monasteriis Religiosorum virorum, nec de Monialibus ullam fieri mentionem quod relinquo legentis & intelligentis judicio ne tempus insumam. Nec id affirmare audet Monacellus ubi articulum tractat *tit. 6. form. 19. part. 1. a n. 27.* Verius ergo sistendum est in literali dispositione Tridentini *sess. 25. de Regular. cap. 3. in fine*: ibi *Nec de cætero similia loca erigantur* nempe loca & Monasteria tum Virorum tum Mulierum ibi expressa: *sine Episcopi in cujus Diœcesi erigenda sunt licentia prius obtenta*. Addito item Decreto S. C. Episc. & Regul. mandantis in specie quod Monasteria Monialium non erigantur nisi Ordinariis locorum consentientibus &c. Apud Navar. in Lucana Regular. V. *Monasteria* n. 6. Barbos. de jur. Eccles. lib. 2. Cap. 12. n. 7. & 11. & in Collect. Bullar. V. *Monasteria Monialium n.* 2. Gavant. in Man. Episc. V. *item Monialium Monasteria*; necnon continua accedente praxi quod nequaquam erigantur Monasteria de novo, nisi de licentia expressa S. Congregationis quæ vel sit Episcoporum vel & Concilii super informationem Ordinariorum respective prærequisiti regulariter una cum informatione favorabili, eorummet præsupponi consensum minime sit dubitandum. Rot. decis. 97. coram Celso per tot. Cum alioquin in casu irrationabilis negationis S. C. consensum ipsa supplere.

8 Præcavendum pariter in erectione Monasteriorum Monialium, quoties strictam & rigorosam paupertatem absque possessione immobilium profiteantur aut profiteri decernant quocumque nomine tandem nuncupentur sive Capuccinæ sive primæ Regulæ sub B. Coletæ reformatione ex quotidiana mendicatione conviventes, quod prærequiratur nihilominus assecuratio prudentialis eleemosynarum pro alimentis & sustentatione earumdem in eo numero in quo attenta qualitate loci intra Monasterium antument cohabitare, ex traditis per Barbos. ad Conc. Trident. *Cap. 25. sess. 25. de Regul. n.* 18. & de offic. & potest. Episc.

Episc. *part.* 3. *alleg.* 98. *n.* 2. & 3. Sanchez ad præcept. decal. *lib.* 7. *Cap.* 23. *n.* 1. Et ex prax. item continua Congregationis Episcop. quæ licentiam extructionis hujusmodi Monasteriorum concedere non consuevit nisi habita prius omni meliori modo assecuratione præfata, & per plura Decreta ejusdem Congregationis ostendunt Nicolius in flosculis. V. *Capuccini n.* 6. Barbos. & Sanchez loc. cit. & testatur Monacelli *part.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *n.* 23. *seq.* Sub regimine & cura Ordinarii Regulariumve Monasteria fundentur. Prætendere autem quod hujusmodi Moniales sub Regula signanter S. Claræ magis rigida & arcta Capuccinæ vel alio nomine appellatæ, sint bonorum immobilium prorsus incapaces, ut nititur probare laudatus Ursaya *tom.* 3. *part.* 2. *disc.* 5. *præsertim n.* 2. & 19. Ex eo præcise quia per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Regul. veniant nomine Capuccinorum quibus interdicitur ibi bonorum immobilium possessio, & est contra rationem & contra eumdemmet allegatum Tridentini textum ut adhuc magis dilucidabitur inferius. Paupertas siquidem Capuccinorum & pariformiter Fratrum Regularis & Strictioris Observantiæ capax nequaquam est similis assecurationis pro victu & manutentione independenter ab incerta mendicitatis providentia, ut pluries S. C. decrevit juxta adnotata *Dub. XVII. sect.* IV. *n.* 43. *seq.* & 47. Nec similia Decreta leguntur de Monialibus ullis &c. Propterea præfatæ Moniales nequeunt asseri pari passu currere cum iis, quoties agatur de paupertate & legali incapacitate. Ultra quamquod, si probaret ratio ex allegato textu Concilii, cum inibi excludantur a possessione rerum immobilium Capuccini quidem sed ac cum eis Fratres Minores de Observantia, opporteret in suppositione quod comprehenderentur Moniales Capuccinæ sub nomine Fratrum Capuccinorum, comprehendi etiã sub appellatione Fratrum Minorum Regularis & strictioris Observantiæ Moniales omnes sub horum cura & regimine institutæ; & sic vigore Tridentini etiam hujuscemodi Monialibus remaneret interdicta possessio rerum immobilium sicuti Fratribus dictis, & æqualis hinc & inde relevaret incapacitas, idque quantum dissonum sit veritati quisquam novit.

9 Immo textus idem Tridentini perlectus & consideratus contrarium potius suadet. Cum namque ibi Cap. 3. Sancta Synodus *de omnibus domibus & Monasteriis tum Virorum tum Mulierum* aperte decernat & his omnibus generaliter concedat bona immobilia possidere & apponat inde exceptionem *non Virorum & Mulierum*, ut prius in universali præmisit, sed limitatam & præcisam pro fratribus. ibi -- *exceptis domibus Fratrum Capuccinorum Sancti Francisci & eorum qui Minores de Observantia vocantur*. Intrat proinde hic famosa regula, *quod exceptio non debeat ampliari ultra expressa sed ubi non adsit posita non sit a Regula recedendum*. l. L. dissentientium. C. de divortiis. L. illam C. de Collationibus. Paris. de resignat. benef. *lib.* 6. *qu.* 7. *n.* 45. *Cap. item*. *Quia circa* 22. *de privileg.* Intrat pariter regula alia quod præsumendum revera sit noluisse Concilium comprehendere in odiosis Moniales, quia facile eas nominare potuisset & non nominavit: sicut expresserat immediate prius in concessione favorabili *ex l. dissentiente C. de repud. Cap. illa* juncta Gloss. *in Sede* Vacant. Menoch. *cons.* 30. *n.* 8. Armendaraz in proem. de leg. Navar. *tit.* 150. Reinffestuel. tit. de Constit. §. 16. *n.* 405. & §. 17. *n.* 420. & 417. Non excludimus autem per hoc fiduciam in Domino & divinam ejus Providentiam in Virginibus seu Monialibus quærentibus primario Regnum Dei & minime super temporalia sollicitis, ita quod abrenuntiatio quæcumque rebus immobilibus ac etiam quibusque elemosynis esto solum moraliter certis non sit actus virtutis ad majorem perfectionem tendens: verum prætendimus unice, id per Tridentinum non præcipi in allegato Capitulo: sicuti fore adhuc commendandam S. C. diligentiam, quoties ante novi hujusmodi Monasterii constructionem nullam securitatem de congrua Monialium sustentatione exquirat. Si quæratur deinde non de nova institutione & extructione Monasterii, sed de translatione ejus de uno ad alium locum attentis noviter emergentibus causis: sicut & de translatione peculiarium Monialium de uno ad aliud Monasterium, satis dictum est quantum ad Moniales quoque Episcopos Prælatosve Regulares earum *tom.* 1. *in allegata dub. XI. n.* 11. 12. & 13.

10 Porro alia quæ de Episcopo inquiruntur possunt etiam dubitari de Prælato Regulari. An & quomodo huic competat jus respectu Monialium in sibi subjectis Monasteriis, puta quoad numerum taxandum inibi degentium consideratis domorum redditibus, quoad receptionem puellarum pro simplici earum educatione, nec non pro recipiendis iisdem ad habitum & dehinc ad professionem; signanter quantum

tum ad explorationem præviam earum voluntatis, juxta Concilium Bullas & Decreta. Verum hæc omnia sufficienter fuerunt tradita de Prælato quoque Regulari ex incidenti, cum principaliter de Episcopo sive Ordinario loci respective resolvebatur in *dubit. allegata XI. nn. 5. & 6. & sect. iii. n. 13. & 14.* Quibus tamen addendum quoad explorandam formiter & publice voluntatem excipiendarum ad habitum & professionem posse Episcopum prætendere privativam, ex declaratione S. Congregationis Episc. in Pennen. ubi *ad IV. An privative ad ipsum Episcopum utpote delegatum pertineat exploratio voluntatis circa professionem?* Responsum fuit = *Affirmative: die 4. Febr.* 1707. & deinde die 4. Aprilis ejusdem anni, necnon die 17. Aprilis anni posterioris 1711. quoad hoc dubium perstitum fuit *in decisis*: teste Ursaya *in tom. 3. part. 1. disc. 14. n. 13. & 99.* Prout ante in Olomucen. 11. *Julii* 1665. per Sacram Concilii Congregationem statutum fuerat quod nequeant Regulares Superiores puellas habitu Regulari induere neque ad professionem admittere in Monasteriis sibi subjectis, absque dicto prævio examine Episcopi *lib. dec.* 24. Similiter de Superioris Regularis facultate circa electionem Abbatissæ sive Priorissæ in Monasteriis proprii regiminis, habitus est sermo in dicta dubitatione XI. simul cum exploratione potestatis Episcopi in ordine ad dictas electiones itidem in Monasteriis exemptis *sect.* 2. per tot. cum repetita hic observatione; qualiter confirmatio Abbatissæ sive Priorissæ pertineat privative in Monasteriis subjectis ad Prælatum Regularem per Tambur. de jur. Abbatis. *disp. 29. quæst.* 1. *n.* 1. Lavor. *Variarum &c. tit. 4. Cap. 24. n. 43.* Gavant. in Manuali *V. Monialium Offic. n.* 40. & Panimoll. adducentem declarationem S. C. decr. 84. ad n. 4. & 81. sicuti spectat ad Superiores Regulares privative diem electionis in casu præfigere. Pignatelli *tom. 8. consult. 12. n. 1. seq.*

11 Iis tamen, quæ proposuimus in *tom. 1. dub. cit. XI. sect. 2. signanter n.* 19. addenda est adnotatio, quod si permissio detur Episcopis in aliquo casu respectu sibi subditarum Monialium ingrediendi clausuram ante electionem ad impediendas subornationes vel absurda similia evitanda, non possit eadem negari facultas in iisdem circumstantiis quantum ad Moniales proprii regiminis Superiori item Regulari, quia de utroque currit par ratio; prout de utroque indifferenter id asserit Eminentissimus Petra ad Constit. XVI. Martini V. *n. 6. tom.* 4. Attamen non posse Prælatum Regularem signanter, sicut cautum est in fine sectionis præcedentis, sed nec Episcopum etiam ultra Montes, ingredi Monasterii septa ad exhortationem faciendam vel publicandam in Refectorio aut alibi secutam electionem, debemus fateri attenta prohibitione adducta in Salisburgen. Clausuræ *die* 10. *Januarii* 1711. cum ad quæsitum super hoc porrectum respondit S. C. C. *Negative & amplius*. Et licet quæsitum ipsum Prælatum tangeret Regularem, *an posset ingredi? &c.* Nihilominus Episcopum item non potest non afficere prohibitio, cum una & eadem censeatur actio publicatio electionis & electio ipsa cui Episcopus vel alter Superior qui præsit, jubetur extra Clausuram sistere & nullatenus Monasterii septa ingredi per Tridentinum *sess. 25. de Regular. Cap. viii.* ibi = *Episcopus sive alius Superior Clausura Monasterii non ingrediatur sed ante cancellorum fenestrellam vota singularum audiat, vel accipiat*. Quatenus vero prætendantur actiones diversæ electio & promulgatio, resistit adhuc Constitutio superius jam allegata Gregorii XIII. *Dubiis*, in qua prohibetur absolute & ubique Superioribus tum Episcopo tum Regulari ingressus in Monasteria, præterquam in casibus necessariis. Publicatio autem peractæ electionis non censenda venit casus ita necessarius, quia expleri possit ad Crates, ut notat etiam loco ubi supra Eminentissimus Petra. Propterea subdit jure merito ibi laudatus Doctor, quod omnia quæ Regularibus tum viris tum mulieribus præcipiuntur in *sess. dicta 25. de Regularibus*, vel Episcopis supra Regulares Monialesque in eadem sessione conceduntur aut delegantur, nequaquam possunt tolli aut infirmari per contrarias consuetudines etiam immemorabiles; cum bis derogetur quantum ad omnia & singula ad Regulares &c. pertinentia & in ipsamet sess. 25. contenta, ut ibidem *Cap.* 22. Proinde Constitutiones item omnes Summorum Pontificum in Concilio eademque ejus sessione 25. fundatas: Nempe S. Pii V. Gregorii XIII. quoad regimen ipsummet Monialium earumque Clausuram signanter, nullam non admittere consuetudinem in oppositum ubilibet etiam ultra Montes concludit Purpuratus solers loc. cit. *a n. 7. ad fin.* Super quod, nempe super extensione Constitutionum Apostolicarum in hac materia, etiam ultra Montes, qua-

tenus non ſpecificetur limitatio intra Italiam, ut in adducta Bulla Alexandri VII. *Felici*; adhuc ultra Montes ſpeciales non deſunt declarationes ſignanter præter quam in repetita Salisburgenſi in antiquiore Olomucen. 11. *Julii* 1665. Nempe quoad Clauſuram Monialium etiam exemptarum Ordinis Ciſtercienſis quod Epiſcopus poſſet eam viſitare ad præſcriptum Conſtitutionis Gregorii XV. *Inſcrutabili lib. decr.* 24. Præterea quantum ad electiones in Monaſteriis tum ſubjectis Epiſcopo, tum etiam exemptis de qualitatibus eligendarum, necnon ſuffragium ſive votum ferentium Monialium, duratione Abbatiſſarum &c. in Officio, explanatum eſt ſatis in dicta *dub. XI. ſect.* 3. *n.* 17. 18. & 21. Prout etiam de neceſſitate vocandi Epiſcopum ad aſſiſtendum electionibus, ſi velit, etiam in Monaſteriis per Regulares directis, & quomodo ſe poſſit & debeat gerere Epiſcopus in caſu, ſat tradidimus ibi ſect. 3. num. 20.

12 Ingreſſus pariter in Clauſuram, de quo numero præcedenti agebamus, ultra Regularium Superiores poteſt conſiderari quantum ad Monialium Confeſſarios, quibus ſane quando & quomodo ſit permiſſus ad normam celebris Bullæ *Felici*; habetur apud P. Matteucci *Cap. cit. XI.* Et inſinuavimus nos in præfata *Dub. XI. to.* 1. *ſect.* 4. *n.* 22. & *ſeq.* At quia ibi Advertebatur ex verbis Bullæ, quod numquam Confeſſarius ingrediatur ſine Socio, perſpicuum eſt quod caſus neceſſitatis excipiatur, veluti ſi Socius foret abſens & periculum eſſet in mora pro Sacramentis adminiſtrandis, prout etiam pluribus in locis conſuetudo vigere contraria comperitur, quatenus duo Moniales ex provectioribus Confeſſarium vice Socii comittentur in hiſce occurrentibus caſibus, numquam ipſum oculari ſaltem inſpectione deſerentes. Pro quo etiam facit, quod nequeat prohiberi Confeſſario Clauſuram ingredi neceſſitate urgente, in quacumque hora de nocte. Proptereaque edictum Epiſcopi præcipientis quod in nullo caſu Confeſſarius ipſe aut Medicus ſive Chirurgus ingredi quiret Monaſterii ſepta abſque ſpeciali licentia, reprobatum invenitur per S. Cong. Epiſc. in Ferrarien. 10. *Febr.* 1593. referente Nicolio in floſcul. *V. Clauſura n.* 35. Poteſt inſuper dari caſus, in quo Monaſterium debeat ingredi Confeſſarius ad aſſociandum Epiſcopum pro deportanda aliqua Reliquia vel impertienda indulgentia decumbenti Moniali, veluti reſolutum aliquando legitur per S. C. C. Epiſcopus namque habens facultatem elargiendi benedictionem Apoſtolicam conſtitutis in mortis articulo, quod non teneatur equidem, quoad Moniales eam committere Confeſſario ordinario, veruntamen in eo caſu quod debeat ingredi Monaſterium non niſi aſſociatus Confeſſario eodem Monialium atque uno probo Sacerdote, reſponſum fuit in Mazarien. 10. *Maii* 1727. *ad* 4. *in Theſaur. reſolut. tom.* 4. *pag.* 57. Quibus additur, quod valeat itidem Confeſſarius Regularis ingredi Monaſterium ad celebrandum in Cappella infirmariæ, dummodo adhibeat Clericum approbatum cum licentia Epiſcopi. Sic S. C. C. in Bononien. *indultorum* 17. *Maii* 1714. *ad v. & viii. dub.* Apud Card. Petra *tom.* 5. *ad Conſtit.* 19. *Sixti IV. n.* 19. Similiter, ultra allegata ibi, quod nequeat Confeſſarius habitare in Ædibus Monaſterio ſibi concredito contiguis ad normam Conſtitutionis præfatæ, addenda eſt declaratio S. C. C. quod neque ſit licitum iiſdem habitare in Manſionibus ſitis intra atrium Monaſteriorum muro circumdatum & habens portam, quæ clauda.ur. Ita in Bononien. 17. *Septembris* 1722. *ad* 1. *tom.* 2. *Theſaur. pag.* 230. Quamvis experientia doceat, quod quando domus Confeſſarii, intus atrium Monaſterii clave obſerandi de nocte ſit totaliter a Monaſterio ipſo ſejuncta, illamet permittatur. Ut videre quis poteſt circa Monaſterium inter alia Sanctorum Coſmæ & Damiani trans Tyberim in Urbe ſub regimine Patrum de Obſervantia, & notat pariter Cardinalis Petra quantum ad Regium Monaſterium Sanctæ Claræ Neapolis, cui contiguum eſt unitumque vix parietibus ſegregantibus Monaſterium etiam Fratrum de Obſervantia Reformatorum, ubi, & Confeſſarii & alii Officiales Monialibus inſervientes de die ac de nocte demorantur, eſt; Ad Conſtit. 2. Bonifacii VIII. *n.* 9. *tom.* 3. Licentiæ dehinc ingrediendi Monaſteria Monialium aliis perſonis præterquam Confeſſariis quoad Moniales tum Epiſcopo tum Regularibus ſubjectas, a quibus & quomodo ſint concedendæ, habetur diſtincte in ſæpius citata *dub. XI. ſect. IV. n.* 24. & 25.

13 Poſtmodum, quoad egreſſum Monialium quarumcumque Clauſuram profitentium è Monaſterio proprio, ſufficiens traditur notitia eodem loco *tom.* 1. *ſect.* 4. *n.* 26. Quando nimirum & quibus de cauſis poſſit permitti ab Ordinariis. Ordinariorum autem appellatione non una vice venire

Epiſco-

Episcopos non tantum, sed inferiores quoque Prælatos, qui ordinariam possident jurisdictionem in materia sibi adaptabili, ac propterea non esse excludendos generaliter Prælatos Regulares respectu suorum subditorum habentes quasi Episcopalem, probat per congesta jura Auctoresque innumeros Barbos. de Appellat. *V. Ordinarii* 176. *n.* 1. 2. *&* 3. At in casu resistere legem in contrarium quis dicet: nam per Tridentinum *sess.* 25. *Cap. V.* Cura Sanctimonialium in omnibus pertinentibus ad Clausuram confertur Episcopis & in aliis Sanctionibus & decretis non paucis nominantur & specificantur Ordinarii locorum: igitur Prælati Regularium, esto in genere venirent & includerentur in appellatione Ordinariorum, videntur specialiter excludi. Patet, hoc non obstante, quod in Tridentino Episcopi & Ordinarii locorum si nominantur in decretis ullis habeant in casu facultates ut Sedis Apostolicæ Delegati, nec exprimitur pro ipsis privativa quantum ad Sanctimoniales exemptas & a Superioribus Regularibus directas, propterea relinquitur potestas ordinaria Regularibus iisdem saltem cumulative, ut hauritur ex Tridentini ipsamet *Sessione* 25. *Cap.* 7. *& Cap.* 9. *in fin* ex animadversis item per laudatum Matteuccium *Cap. xi. n.* 1. Ideoque in hujusmodi egressibus prætensis quandoque Monialium è Clausura propria, an urgeant causæ præcisæ eximentes pro eo tunc a licentia necessaria alioquin Sedis Apostolicæ? Æquum fore arbitrarer, quod unus & alter Superior, loquendo de Monasteriis per Regulares gubernatos, Episcopus scilicet & Regularis ipsi simul convenientes examinarent, hoc utique servato, quod licentia Ordinarii loci deberet indeclinabiliter intervenire, exceptis casibus repentinis, in quibus vix tempus permitteretur egredienti per arreptam fugam se salvandi, jure naturali licentias tunc supplente, ut videre est apud Lezanam egregie & prudenter super hæc differentem *tom.* 1. *Cap.* 25. *n.* 20. 21. *&* 22. nec reticere fas est quod nequeant Episcopi cujuscumque consuetudinis prætextu licentiam concedere citra vel ultra Montes Abbatissæ vel aliis Monialibus Clausuram alias profitentibus e Monasteriis egrediendi ad bona eorumdem respective visitanda & vel per breve tempus extra Claustra demorandi: ut in Olomucensi jam pluries allegata S. C. C. *ad dub.* 12. *decret. lib.* 24. sed & specifice memorandum, qualiter BENEDICTUS actu Ecclesiæ Clavum gubernans XIV. Sanctimonialium Deo dicatarum profectum in corde gerens, eo quia in Portugalliæ & Algabiorum Regionibus sub emendicatis titulis e Monasteriis egredi atque extra ipsa moram trahere non verebantur, per Constitutionem incipien. *Cum Sacrarum Virginum* absolute eisdem præcepit in Clausuram inappellabilem regressum egressumque imposterum severe prohibuit sub data *die* 1. *Junii* 1742. Immo ad propositum magis in distincta Constitutione incipien. *Salutare*: omnes Constitutiones Sanctionesque alias de clausura Monialium rigide servanda præcedenter emanatas renovans revocat insuper facultates extraordinarias omnes permittendi ingressum & egressum e Monasteriis generaliter sublata etiam Legatis & Nunciis Apostolicis quacumque super hoc auctoritate *sub die* 3. *Januarii* 1743.

14 De accessu item ad Monasteria & allocutione cum Monialibus abunde diximus in eadem *dubit. XI. sect. IV. n.* 27. 28. *&* 29. videlicet de pœnis accedentium & colloquentium sine licentia, & de facultate competente quibus de jure hujusmodi licentias concedendi. His addo quod jure inspecto seu attentis inhibitionibus in jure scripto expressis, salvari vix possit Superiores Regulares cujuscumque gradus Confessariosque tum ordinarios tum extraordinarios, Visitatores Ordinarios pariter & delegatos permissionem possidere alloquendi Moniales: Abbatissa Priorissa & Officialibus Monasterii neque minime exclusis extra actum Confessionis aut Visitationis. Eo quia omnes etiam præfati in istis terminis subjiciantur pœnis contra colloquentes in casu absque necessaria licentia per Constitutionem editam ab Alexandro PP. VII. *Sacrosancti* 30. *Martii* 1658. quæ ad verbum refertur a P. Lantusca tit. *Allocutio* n. 5. in Theatr. Regular. Et Quamvis laudatus Auctor recenseat ibidem n. 7. Decreta plura Sac. Cong. prohibitioni mox allegatæ contraria & concedentia tum Superioribus etiam localibus tum Confessariis licentiam alloquendi Moniales in qualibet absolute occasione, quæ decreta affert quoque P. Matteucci in Offic. Cur. *Cap.* 3. *n.* 13. *ad* 16. Tamen urgere non cessat replica quod Decreta favorabilia Superioribus & Confessariis circa allocutionem prætensam tempore antecedenti Constitutionem Alexandri emanaverint, videlicet de Anno 1640. & 1641. ut apud hosce Auctores videre liquet. Alexandri vero prohibens Sanctio ab iisdem relata prodierit longe

post de anno 1658. uti supra; Unde standum fore posteriori ultimae dispositioni decisioni & jussioni Pontificiae nemo possit ambigere ex communi doctrina Sylv. opusc. 3. de declar. Card. n. 11. fol.283. Pignatell. *consult.*107. *n.*14. *tom.* 1. Pithonus *discept. Eccles.* 43. *n.* 11. Nec non Rota in Milevitana *Decretorum* 2. *Martii* 1707. *§. fin. cor.* Ansaldo; hoc non obstante advertunt Auctores quod Constitutio Alexandri edita fuerit pro Monialibus Urbis in specie earumque quiete ut clare exponitur ibi. Unde in hisce odiosis nullatenus extendatur ad omnes ubicumque Moniales, juxta doctrinam signanter Honded. *cons.* 95. *n.* 98. *lib.* 1. Farinac. *in fragm. part.* 2. *lit. E. a n.* 115. Tiraquell. de retract. *in praefat. tit.* 62. *&* 63. atque ex cumulatis per Rot. *dec.* 83. *n.* 38. cor. Priol. *& decis.* 5. *n.* 4. cor. Emerix Jun. Ulterius non erit abs re in ipsa eadem Constitutione considerare prohibitionis terminos non enim ibi subiiciuntur praecepto & poenis absolute Superiores & Confessarii alloquentes cum Monialibus, praeterquam in actu visitandi & Confessiones audiendi; sed ii *qui alloqui praesumpserint*; ut ibi *qui praesumptionis* terminus ut alias adnotatum fuit secum fert temeritatem dolum & plenam malitiam excludentem omnem ignorantiam vel putatam conniventiam Superioris majoris. Ad tradita per Cajetanum in Sum. V. *Excommunicatio Cap.* 81. Navarr. *in Manual. cap* 27. *n.* 24. *& in Cap. Statuimus n.* 61. Sanchez. *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 38. *Thesaur. in prax. part.* 2. V. *Censura cap.* 7. §. *limita tertio* & Suares *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 19. Ita quod in casu Superior vel Confessarius nequaquam diceretur praesumere collocutionem dictam cum Monialibus extra praefatos actus, quoties apprehenderet id sibi permissum vel tacite concessum. Quae quidem consideratio opportune cadit etiam pro Superioribus & Confessariis omnibus Monialium Romae demorantibus quos passim videmus extra occasionem dictorum actuum Moniales alloqui sibi concreditas; Ideoque aut propter Conniventiam S.Sedis & Cardinalis in Urbe Vicarii aut permissionem tacitam sive generalem licentiam quoties Monasteriis & Monialibus praeficiantur; quod sibi id concessum autumant, concludere necesse est; caeterum judicio Sanctae Sedis eorumque quibus de jure rem dimittere protector. Hoc unum meminerint Regulares omnes praescindendo a Superioribus & Confessariis quod prohibitiones quascumque contra accedentes ad Monasteria & colloquia cum Monialibus habentes a praedecessoribus Pontificibus prolatas atque in Sacrarum Congregationum Decretis expressas Benedictus Regnans XIV. se confirmare declarat & intendit in sua Bulla *Pastoralis Curae* sub die 5. *Augusti* 1748 §. *Ac demum* Quamvis deinde in tractatu de Synodo limitet peccata & poenas ad Regulares accedentes sine licentia Episcopi: consulenda quae diximus *tom.* 1. *Dub.* XI. *sect.* 4. *n.* 28. Doctor autem Dominicus Ursaya tom.3.part. 2. disc. 14. n. 91. opinatur plures dari casus in quibus absque licentia Episcopi loci valeat Regularis Superior non solum alloqui Moniales suo regimini subjectas sed earumdem ingredi Monasterium. Verumtamen quantum ad ingressum, nisi sint casus urgentissimae necessitatis dilationem non patientes, quod resistit intra Italiam praesertim Constitutio famosa *Felici* ibi §. 2. apud Matteucci *Cap. XI. n.* 2. evidenter liquet. Auctores namque quos ibi laodatus Ursaya suo more congerit, quatenus Bullae contradicant: potest quis se certiorare quod illios editionem praecesserint.

15 Qui debeant insuper licentiam impertiri accedentibus ad Monasteria sub gubernio Regularium existentia ut Moniales ipsas alloqui valeant discussum pariter & resolutum fuit in d. *distinct.* XI. *n.* 27. 28. *&* 29. Unum hic superaddam, quod cum Magnus Prior Religionis Hierosolymitanae praetenderet a suo Vicario specialiter deputato subscribi licentias alloquendi Moniales, celebrandi in earum Ecclesiis, atq. ingrediendi clausuram Medicis aliisque inservientibus Monasterio propriae Religioni subjecto adversus Episcopum Pennen. praetendentem in hujusmodi licentiis privativam, proposita fuere Sacrae Congregationi Episcop. & Regular. duodecim dubia: inter quae tria prima ad rem nostram quae sequuntur.

I. *An Episcopo Pennen. tamquam Sedis Apostolicae Delegato privative quoad Vicarium Monasterii Sancti Joannis a Sacra Religione Hierosolymitani, sive ejus Magno Priore deputatum, spectet licentiae concessio volentibus ad Crates alloqui Moniales?*

II. *An etiam volentibus celebrare in Ecclesia Monasterii?*

III. *An ita quoque privative ob ingressum in clausuram Medicorum aliorumque inservientium.*

Cumque S. C. sub die 4. Februarii 1707. respondisset ad omnia tria in favorem Episcopi *Affirmative* reproposita tamen causa sub

sa sub die 4. *Aprilis* ejusdem anni prodiit ab eadem S. C. Episc. rescriptum sequens.

Ad I. II. & III. dubium *Prævio recessu a decisis subscribi debere conjunctim ab Episcopo & Vicario magni Prioratus quatenus Vicarius resideat &c.* Iterumque recurrente Episcopo ad repropositam causam *sub die* 17. *Aprilis* 1711. fuit pariter ab ipsamet S. C. resolutum. *Circa prima tria dubia licentiam subscribi debere ab Episcopo & Vicario Religionis quatenus iste resideat in loco.* Nihilominus adhuc non acquiescente Episcopo & contra dictorum primorum trium dubiorum novam tentante audientiam fuit a præfata Congreg. Episc. ultimo responsum. *Nihil de nova audientia* apud Ursayam *tom.* 3. *part.* 2. *discept.* 14. *n.* 99. & *n.* 129. In quibus tamen resolutionibus observandum occurrit aliud esse quod Episcopus subscribat cumulative licentias Medico & inservientibus ingrediendi clausuram, aliud quod Episcopus ipsosmet Medicum inservientesque approbet: nam quantum ad horum approbationem: Ad dubium VII. ibidem: *An debeant prius ab Episcopo approbari alii inservientes præter Confessarium.* Sacra Congregatio rescripsit. Ad VII. *Negative.* Si sermo tamen sit in specie de Confessario Monasterii licet Regularibus subjecti, quod minime liceat eidem signare licentias ingressus in Monasterium independenter ab Episcopo, sed tantum pro personis ab eodem Episcopo, nominatis absque eo quod valeat easdem impedire. Similiter quod valeat Episcopus præcipere Confessario ne signet aut per se solum concedat licentias collocutionum tam cum Monialibus quam Educandis ad Crates statuitur per S. C. C. in Bononien. indultorum 17. *Maii* 1704. relata per Cardinalem Petra *tom.* 1. *ad Constit.* 19. *Sixti IV.* Ubi etiam proposito dubio sæpius tacto: *An idem Confessarius possit celebrare Sacrum in Capella infirmaria Monasterii?* Rescriptum legitur: Ad quintum *Affirmative dummodo inserviens Sacrificio approbetur ab Episcopo*,

16 Accedit hic quod neque velle videtur Monacellus Regulares ingredi Ecclesias Monialium scilicet ad celebrandum, sed quamvis posuerit in indice absolutam prohibitionem deveniendo tamen ad probationem *part.* 1. *titul.* XI. *form.* 23. se explicat, quod Regulares non debeant inservire pro Capellanis ordinariis in Ecclesiis illarum, nisi urgente penuria Sacerdotum Sæcularium, nec ullum Decretum allegat præter Auctorem Nicolium in Flosculis *V. Regularis n.* 2. Qui ibi scribit esse quidem præferendos Presbyteros Sæculares Regularibus in munere Capellani, sed pro arbitrio Episcopi in Ecclesiis Monialium sibi subditarum.] Amplificat deinde Monacellus Decretum sive approbationem S. C. Episc. super provisione Patriarchæ Veneti, quod onus Missarum celebrandarum secundum mentem Testatoris in Ecclesia Monialium transtulerit ad Ecclesiam ipsorummet Regularium. Verum hujusmodi provisio rationabili non debet fine carere; vel etenim intendere potest occasionem oblatam Capellanis Regularibus Moniales alloquendi, vel quietem non turbandam Monialium ipsarum ex conglomerata celebratione, ut assignat Pignatellus *tom.* 4. *consult.* 177. *n.* 5. & 6. vel commodum ipsorum Religiosorum, qui in propria Ecclesia oneri celebrandi sacrificia supplentes non essent ad Ecclesias Monialium alias dissitas transmigraturi. Si primus admittatur finis, ultraquamquod occasio alloquendi Moniales non magis præberetur Regularibus quam accurrentibus ad celebrandum Sacerdotibus quibuscumque aliis Sæcularibus, hujuscemodi periculo invenitur jam provisum per antiquam Epistolam S. C. Episc. eodem de anno 1592. a Monacello allegatam, in qua prohibitio relevat Cappellanis in specie Regularibus, ne cum Monialibus in casu collocutiones ineant, ac per tot repetita decreta alibi exarata, in quibus observantia prohibitionis alloquendi Sanctimoniales sub indictis pœnis cuicumque Regularium rigorose mandatur. Turbatio deinde quietis in Monialibus ob conglomerata sagrificia tum ratione multitudinis celebrantium tum accurrentium ad audiendum, non minus contingere posset ex affluentia ipsorummet celebrantium sæcularium quam Regularium Presbyterorum. Commodum deinde Regularibus quoties satisfacerent oneribus Missarum in propria Ecclesia & non in dissitas, quam potitur forent, Monialium, fateor quod proveniret, dummodo expensæ candelarum hostiarum & vini compensarentur; sed ut quid mentem testatoris immutare, devotionem peculiarem erga Ecclesiam & ejus Altaria volitam forte destruere, & provisionem odiosam in uno casu ad omnes alias ampliare, contra fas. Concludendum ergo, quod sufficiat Capellanum in casu approbari a Superiore Monasterii respective, quod concedere non abnuit Monacellus in dicta formula *n.* 4. juxta rescriptum S. C. C. in Hieraceu.

26. Jannarii 1692. ad IX. *lib. decr.* 42. Hinc esse in libertate Superiorum Regularium deputandi & approbandi ad id muneris proprium subditum, admissa tamen semper cautela quod debeat is esse moribus præstans, ad nutum variabilis, & nullatenus Moniales allocuturus (neque Sacristiæ ipsi Præpositam absque licentia) contra eumdem Monacellum id concedentem in sua formula. Fatetur item laudatus Auctor, Concilium Aquilejense sub Clemente VIII. de anno 1596. interdicens *Can.* 20. Missarum celebrationem in Ecclesiis Monialium sine licentia & approbatione Episcopi, afficere Sacerdotes Regulares non tantum sed & Sæculares. Videndus tamen est & considerandus Concilii Canon in quibus sit editus circumstantiis,& an ubilibet habeat locum & observetur etiam in Urbe? Unum ad propositum noto, quod Religio Minorum jam ab antiquo supplicaverit Sanctæ Sedi, ut concederet privilegium transferendi Capellanias ab Ecclesiis subditarum Monialium ad illas ipsorum Fratrum, quoties obligatio celebrandi Missas per fratres esset imposita a Testatoribus in Ecclesiis determinatis earummet Monialium, quodque privilegium hujusmodi jam pridem concessum confirmaverit eis Clemens VIII. in Constit. *Ex debito* la 105. sub additis & expressis inibi circumstantiis. Quod in Monasteriis in quibus degant Octoginta Moniales, duo quotidianæ Missæ celebrentur diebus ferialibus & tres in festivis; in quibus autem demorentur pauciores numero quinquagenario, una quotidiana Missa in feriali. bus & duo celebrentur in diebus festis. Quas tamen ordinationes neutiquam observari præcipue in Urbe animadvertit Matteucci.

17 Non est dubium etiam inesse Superioribus Religionum respective potestatem deputandi pro Monialibus proprio regimini subjectis & approbandi Confessarios prout expresse sancitur in Bullis Mare Magnum nuncupatis, apud Lezanam *tom. V.* Quæ sane potestas fuisse confirmata colligitur per Conc. Trid. *sess.* 25. *Cap. ix.* dum Prælatis ipsis mox dictis Moinalium sibi concreditarum relinquitur tota cura, ibi: *Moniales quæ a deputatis in Capitulis generalibus vel ab aliis Regularibus reguntur sub eorum cura & custodia relinquantur &c.* Et de ea quantum ad hunc articulum scilicet instituendi & approbandi Confessarios tum ordinarios tum extraordinarios pro Monialibus sibi subditis prælatis Regularibus competente de jure, late disserunt Armendaraz *in addit. alleg.* Navar. *lib.* 4. *tit.* 2. *lit.* l. §. 1. Sorbus in Compend. privil. *V. Moniales* §. *Quod præter* Barbos. in Collect. ad Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regul. Cap.* 19. *n.* 4. Azor. *tom.* 1. *instit. lib.* 13. *Cap.* 9. *qu.* 2. Compil. in divers. juris Canon. *in rubric.* 12. *Cap.* 16. *n.* 5. Et præsertim pertinere hujusmodi deputationem Confessariorum tum ordinariorum tum extraordinariorum pro Monialibus ad earum Regulares Prælatos privative, docent adnot. a Zypeo de jur. nov. *lib.* 3. *Cap.* 3. Casped. de exempt. *dubit.* 345. *n.* 2. Pelizar. *tom.* 2. *tr.* 10. *sect.* 3. *n.* 165. & 257. Verumtamen ultra deputationem & approbationem Prælati proprii Regularis, indigere pro audiendis Confessionibus Monialium adhuc proprii Ordinis quoscumque prædictos sive ordinarios sive extraordinarios approbatione Episcopi sive Ordinarii loci respective vigore Constitutionum Apostolicarum & attenta universali praxi, ostensum est breviter & sufficienter in sæpius *citata dubitat.* XI. *tom. 1. sect. V. numero* 30. ubi citatur specialiter Lezana *tom.* 1. *Cap.* 25. *numero* 46. Adeo ut ipsimet Superiores quatenus audire Sanctimonialium subditarum Confessiones velint, necesse sit ut ab Episcopis respective approbentur, ut in celebri Constit. Gregorii XV. *Inscrutabili ad dub. vii. & viii.* apud Monacell. *part.* 1. *in append. pag.* 307. Cujus approbationis necessitatem extendi quoque ad Generales ipsos Religionum notant Sellus in select. Canon. *Cap.* 30. *n.* 18. & Barbos. *supra cit. n.* 17. Quamvis opportune advertat fore contra fas, quod Generalis quispiam exponeretur examini ad Episcopos locorum ad hunc effectum, cum supponatur omnibus conditionibus in gradu distincto præditus atque specialiter idoneus. P. Bordonus *resol.* 5. *n.* 1. multa etenim licent, sed non omnia expediunt. Cœterum in Urbe Generales ipsi Religionum quantumvis spectantium facultate excipiendi Confessiones tum Monialium tum Sæcularium si careant, examini se præsentant equidem, sed præ honore eis deferendo sedentes in examinatorum ordine quempiam alterum comparentem pro approbatione ad munus Confessarii interrogant, & sic ordinationes Apostolicas honorifice adimplent.

18 Ad deludendam autem prætensionem exemptorum ultra Montes, quod illuc Constitutiones aliquæ Pontificiæ signanter celebris Gregorii XV. *Inscrutabili* in materia nimis odiosa non pervenerit, non semel declarationes S. C. C. signanter prodierunt

dierunt in casu de quo agitur, scilicet necessitatem præcipue talis approbationis Confessarii Monialium, etiam sub regimine Abbatum aliorumve Superiorum Regularium; & profecto ultra Montes pro valide excipiendis Confessionibus renovantes & præcipientes, ut in Uratislavien. Germaniæ 30. Januarii 1723. *decr. lib.* 73. *pag.* 32. & in Thesaur. resol. *tom.* 2. Non obstante consuetudine in contrarium quam Abbas Cistercien. *contendebat immemorabilem*; ut ibi. Et antiquius in Cadurcen. Galliæ 14. Julii 1658. ubi ad secundum dubium ita legitur rescriptum. *Confessarios etiam extraordinarios Monialium etiam Regularibus subjectarum post Constitutionem* Gregorii XV. *hac de re editam nullatenus posse earum Confessiones audire nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur, non obstante quacumque contraria consuetudine lib. decr.* 19. *pag.* 60. At quia in Regnis Hispaniæ præsertim prætendebatur consuetudo in contrarium invalescere, quantum ad Constitutionem contrariam in casu famosæ Bullæ *Inscrutabili*, utpote inibi non acceptata, erat ab executione suspensa, accedente tanto magis Urbani VIII. diplomate de anno 1626. jubentis supersederi ab executione memoratæ Constitutionis *Inscrutabili*, in Regnis signanter Lusitaniæ donec vel a se vel a successoribus aliter provisum fuisset, propter quod laudatus P. Lezana non una vice repetit, pro Hispaniæ Regnis eamdemmet Bullam non cogere. Hinc superaddendum impræsentiarum suspensionem executionis præfatæ Bullæ & in Regno Lusitaniæ fuisse sublatam tempore ipsiusmet Urbani per S. C. C. in Coninbricen. illius Regni sub die 16. Julii 1639. cum ibi executio Bullæ expresse fuit demandata, ut in lib. 16. decr. pag. 235. & generaliter ubique locorum per Bullam Clementis X. *Superna* de anno 1670. §. 4. ubi item §. 9. derogatur cuicumque consuetudini etiam immemorabili: Sed attenta præsertim pro Regnis Hispaniæ in casu de quo agitur Constitutione Innocentii fel. rec. XIII. incipien. *Apostolici Ministerii* sub die 13. Maii 1723. in qua §. XVIII. habetur ad verbum = *Meminerint quoque Regulares* (dictorum Regnorum) *se excipere non posse confessiones Monialium, tametsi eorum regimini & gubernio subditæ sint, nisi ultra licentiam suorum Prælatorum Regularium, præcedat examen coram Episcopo Diœcesano faciendum ejusque specialis quoad Confessiones dictarum Monialium approbatio, remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili.* Quam Constitutionem in iisdem terminis deinde Benedictus piæ memoriæ XIII. in sua Bulla quæ incipit *In Suprema* sub die 23. Septembris 1724. in appendice ad Concilium Romanum *numero* XIII. *pag.* 220. Proinde recentius in Pharaonen. jurisdictionis proposito III. dubio; *An Eminentissimus Ordinarius possit inhibere Regularibus ne sine prævia ejus approbatione excipiant Confessiones Monialium etiam subjectarum regimini ipsorum Regularium non obstante asserto Brevi Urbani* VIII. *atque prætensa consuetudine in casu*. S. C. C. sub die 14. Novembris 1733. respondit *Affirmative* inter fol. publ. ejusdem anni pag. 190. In reliquis accerrimas discussiones circa validitatem Bullæ *Inscrutabili* ejusque acceptationem in Regnis Hispaniarum apud Sac. C. in Urbe curiosis investigare remitto.

19 Nonnulla insuper reticeri nequeunt quantum ad approbationem & deputationem Confessariorum tum pro parte Episcopi tum Prælatorum Regularium necessaria. Nimirum quod non possit Episcopus Confessarium sibi præsentatum pro Monialibus sub Regularium cura degentibus approbare per breve tempus & ad intentum obligare examen, sed teneatur vel inhabilem reiicere vel idoneum repertum per totum triennium admittere, ex Decreto S. C. Episc. in Cathanen. die 4. Maii 1656. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 9. *form.* 6. *n.* 2. Quatenus vero Episcopus ipse renueret aut differret Confessarium Regularibus subjectum sibi præsentatum approbare absque justa causa, provisum invenitur per Decretum item S. C. Episc. dantis facultatem Ordinario viciniori quoad hujusmodi approbationem: sub die 16. Maii 1634. referente Nicolio in flosc. V. *Episcopus n.* 61. Provisivam hanc attamen nullibi esse in usu putarem propter difficultatem investigandi justitiam causæ, quam non teneretur aperire Ordinarius reprobans nisi Sacræ Congregationi: ex alibi dictis. Ultraquod Bulla Clementis *Superna* posterius edita de anno 1670. videtur absolute approbationem Confessariorum in casu Episcopo Ordinario in sua cujusque Diœcesi remittere ibi §. 4. Quamvis vero Confessarius Ordinarius in casu per triennium dumtaxat possit deputari & debeat inde per aliud integrum triennium saltem a tali munere in eodem Monasterio vacare, valet nihilominus in triennio vacantiæ pro extraordinario deputari ex Decretis quæ adducit Nicolius in flosc. V. *Moniales* n. 43. & V. *Confessarius* n. 36. Adnotandum insuper Monialibus in articulo

culo mortis conſtitutis Confeſſarium extraordinarium petentibus omnino eſſe concedendum, quamvis pluries eodem anno de Confeſſario extraordinario Monialibus ejuſdem Monaſterii fuiſſet in communi proviſum, ut mandavit S. C. Epiſcop. in Nullius 6. *Aprilis* 1647. Monacello teſte *part.* 2. *tit.* 15. *form.* 15. *n.* 10. Quo ſane præcepto ob identitatem rationis tenemur aſſerere tum Epiſcopum adigi tum Regularem Prælatum, dummodo Confeſſarius ab hoc concedatur in caſu etiam de licentia Epiſcopi ad normam Apoſtolicarum Sanctionum Bullæ ſignanter *Superna*: Neque per hoc conceditur facultas Superiori Regulari aſſignandi pro ſui libito Confeſſarium peculiarem Monialibus quibuslibet ipſum expoſcentibus licet ab Epiſcopo loci etiam approbatum, præter ordinarium & extraordinarium congruo tempore deputandis, nam expreſſe invenitur id prohibitum per Sac. Congreg. Epiſcop. in Januen. 9. Julii 1657. videlicet non poſſe Prælatum Regularem cui Monialium cura commiſſa eſt ſtante Conſtitutione *Inſcrutabili* aliquibus ex ipſis Monialibus licentiam concedere ad plures annos ſeu indeterminate duraturam confitendi ſacramentaliter peccata ſua Sacerdoti qui non ſit Confeſſarius ordinarius vel extraordinarius totius Monaſterii: apud Nicolium in floſcul. V. *Conf. ſſarius* n. 32. Verumtamen conſiderandæ ſunt clauſulæ *Ad plures annos & indifferenter duraturam*; Nam in ſuppoſitione Monialis ſcrupoloſæ vel alias moleſta nimis inquietitudine agitatæ, quæ conſolationem & ſpiritualem pacem nanciſci experiretur, quatenus conſcientiam ſuam experto & prudenti Confeſſario aperiret, non video quare Prælatus Regularis accedente Epiſcopi conſenſu nequiret adhuc non raro tribulatæ Monialis petitioni indulgere, cum nil emergeret contra Bullam *Inſcrutabili*, aliaſque inhibitiones ſive Summorum Pontificum ſive Sacrarum Congregationum, a quibus ſuper licentia & approbatione Ordinarii circa tempus & vices unice præmitur; eo magis quod deputatio eorumdem peculiarium Confeſſariorum pro conſolatione Monialium expoſcentium ſoleat per Epiſcopos paſſim in Monaſteriis non exemptis ad praxim deduci ſervatis alias ſervandis.

20 Super hoc eodem articulo tangente Confeſſarios Monialium quarumcumque, earum ſignanter quæ curæ & cuſtodiæ Prælatorum Regularium diſtinctarum reſpective Religionum ſunt concreditæ, ſpeciales relevant proviſiones a BENEDICTO Domino Noſtro XIV. in Solio Petri Sedente nuper emanatæ, quæ ideo hic non ſine neceſſaria recenſendæ ſunt claritate. In Conſtitutione itaque incipien. *Paſtoralis curæ* tom. 2. in Bullar. la 56. diſponit ſolers Pontifex quod Confeſſarius extraordinarius duabus vel tribus vicibus ac etiam pluries ut adhortando addit in Monialibus omnibus concedendus ac exhibendus, cui Moniales quæcumque ſingillatim coram ſe ſiſtere teneantur, ſed minime cœteras confiteri, quam regulam extendit ad omnes Mulieres ſive fœminas Religioſas in comuni vivētes licet abſque clauſura ibi §. *Porro* = Ordinarium negligentem quoad hoc ſupplendum fore a majori Pœnitentiario. Regularium vero ab ipſis Ordinariis locorum indigentiis & ſupplicationibus peculiaris Monialis pro obtinendo extraordinario, eſſe indulgendum, & in omnibus caſibus Confeſſarius extraordinarius debeat eſſe approbatus ab Ordinario loci ad audiendas Confeſſiones Monialium, ſub Innocentio PP. XIII. (refertur in Bulla) ſancitum fuiſſe poſt diligens & maturum examen; *Quod ſi neglexerint Superiores Regulares bis aut ter in anno Monialibus ſibi ſubjectis Confeſſarium extraordinarium exhibere, aut ſaltem ſemel in anno extra Ordinem proprium vel Sæcularem vel alterius Ordinis Regularem non deputaverint: in his caſibus pro ſui arbitrio & conſcientia hujuſmodi deputationem facere poſſint*. Et hoc decretum tamquam legem univerſalem ubique & ab omnibus obſervari præcipit Sanctitas Sua §. *Præſcriptum ſane*. Tempore extraordinarii deputati, quod nequeat Ordinarius accedere ad Monaſterium; tantominus Confeſſiones degentium intra Monaſterium vel quarumlibet Communitatem ſervantium audire. Simulque Confeſſarii extraordinarii qui vel communitati vel peculiari Moniali ſive de proprio Ordine ſive extra Ordinem fuerint aſſignati ad Monaſterium accedere nullatenus audeant & præſumant ſub quovis colore & prætextu etiam ſpiritualis curæ, ſub pœnis a prædeceſſoribus contra Regulares accedentes & colloquentes quomodocumque ſtatutis; quæ confirmat §. *Quia vero &* §. *Ac demum*. Hæc inquam eſt Conſtitutio ultimo edita ſub die 5. Auguſti ann. 1748. & ubicumque utique obſervanda. Plura de Confeſſariis Monialium vide tom. 1. dub. XI. ſect. 4.

21 Ultra poteſtatem ſupra Confeſſarios Monialium etiam exemptarum, ſi & quatenus Epiſcopis tamquam delegatis eo modo quo explicavimus attributam, poſſe hiſ-

hofmet exigere rationem administrationis redituum ipforum Monafteriorum licet exemptorum diximus dub. XI. fect. V. n. 32. Et hoc vigore Bullæ repetitæ *Inferutabili* Gregorii XV. Replicatur autem hic, neque quoad hujufmodi facultatem exigendi fcilicet dictam rationem adminiftrationis adverfus Bullam in cafu allegari poffe confuetudinem, etiam refolutum pariter invenitur in Pharaonen. *die* 14. *Novembris an.* 1733. Quando poft difcuffionem caufæ auditis partibus non obftante confuetudine ipfa in contrarium adducta: Ad dubium 2. ibi. *An liceat Epifcopo petere rationem adminiftrationis bonorum Monafteriorum Monialium Regularibus Ordinis Cifterciensis fubjectarum.* S. C. C. Refpondit *Affirmative*, inter folia publica dicti anni *pag.* 190. Tamen non poteft non infurgere difficultas. Utrum hujufmodi facultate valeat Epifcopus uti quoties adminiftratio in cafu fe teneat pœnes non perfonam fæcularem fed aliquam ex Monialibus immo ipfammet Prioriffam. Per Bullam namque *Inferutabili* fupponitur adminiftratio hæc incumbere Sæculari, qui propterea, fi deficiat in fidelitate aut follicitudine, poffit & debeat juxta mandatum Epifcopi rationem exigentis, deponi & ab officio removeri: ut patet Bullam legenti §. 5. Et ex alia parte, quatenus adminiftrationem gereret Abbatiffa præcipue aut Prioriffa, ipfam non poffe amoveri ab officio ante completum triennium vel refpective biennium, dictant Apoftolicæ Sanctiones Regulæ Monafteriorum & jura. Præter quod nititur probare oppofitum Doctor Urfaya *tom.* 3. *part.* 2. *difcept.* 14. *n.* 74. *& feq.* Nimirum non teneri ad redditionem rationis in cafu Prioriffiam &c. præcipue fi addatur confuetudo, quod Epifcopus numquam illam exegerit; ut ibi n. 88. profecto legendus. Hoc non obftante, Bullam fore obfervandam etiam in adducto cafu reddendæ rationis per Prioriffam aliamve in Monafterio quamtumvis diftincti gradus, concludere debemus, eo quia, quamvis nequiret removeri ab officio regulariter Abbatiffa & Prioriffa, neque dimitti e Monafterio Monialis adminiftratrix, fubjecta effet privationi hujus adminiftrationis quoties reperiretur in ea habere dolum. Simul & quia redditus extra Monafterium nequiret ipfa expendere, propterea aliqua extra ejufdem fepta coadiutrice & exeunte uti deberet, poffet ordinare Epifcopus, quod fidelior & attentior adhiberetur in cafu negligentiæ

& doli. Hinc in caufa Pennen. jurifdictionis, de qua quantum ad alios articulos fufe actum eft fuperius n. 15. propofito præter ibi fignata altero dubio n. XI. *An & quomodo in Monafteria fubjecto Religioni Hierofolymitanæ poffit fe ingerere Epifcopus circa redditionem rationis Prioriffæ*. S. Cong. Epifc. *die* 4. *Februarii* 1707. refcripfit. *Ad XI. affirmative. Ad formam Bullæ Inferutabili*, Ac deinde acrius agitata eademmet Caufa & repropofita die 4. *Aprilis* eiufdem anni 1707. atque iterum *die* 17. *Aprilis anni* 1711. Quoad idem dubium XI. S. ipfa Cong. iterato ftetit. *In decifis*; ut apud cit. Urfayam d. *difcept.* 14. *n.* 13. *&* 99.

22 Per idem refolvitur dubium quantum ad Monialium Concionatores fpectat, namque horum electio & deputatio in Monafteriis eorum regimini fubjectis ad Prælatos Regulares pertinere, eo ferme pacto quo poffunt in Ecclefiis proprii Ordinis alios ad hujufmodi munus deputare. Ex Trident. *Cap.* 2. *feff.* 5. *de Reform.* Ventrigl. *tom.* 1. *adnot.* 48. *n.* 66. *feq.* Lantufc. in Theat. Regul. *V. Prædicator n.* 3. *& feq.* Barbof. in Sum. Apoftol. decif. *Collect.* 213. *n.* 16. & eft communis. Attamen teneri Concionatores electos & deputatos a Superiore Regulari fe præfentare Epifcopo loci ab eoque benedictionem petere juxta præmiffa in *tom.* 1. *dub. X. fect.* 3. *n.* 39. non difputamus, & colligitur item ex cit. Bulla *Inferutabili* §. 6. & alia Clementis X. *Superna* §. 3. Matteucc. Offic. Cur. *Cap.* 12. *n.* 1. *ad* 5. Quod in terminis fpecificis Monialium Regularibus fubjectarum confirmatum fuit pariter in ipfa Pennen. Jurifdict. in refponf. ad VI. dubium fic expofitum. *An Confeffarius Ordinarius & Concionator prædicaturus Monialibus Ordinis Hierofolymitani debeat prius ab Epifcopo approbari?* Refcripfit namque S. C. *Ad III. Affirmative quoad Confeffarium*; & teneri *Concionatorem petere benedictionem ab Epifcopo* 4. *Februar.* 1707. & iterato 4. *Aprilis* ejufdem anni, necnon 17. *Aprilis ann.* 1711. Ut mox præmiffimus de aliis dubiis n. præcedente 21. Idemque replicandum venit quoad Capellanos deputandos fcilicet in Ecclefiis Monialium fibi fubjectarum a Prælato Regulari, amovibiliter tamen, cum rigorofa inhibitione in dicta occafione celebrandi in earum Ecclefiis non alloquendi Moniales. Ut ordinatum invenitur, ex item fuperius relatis ab anno ufque 1590. Apud Lezanam *tom.* 1. *cap.* 25. *n.* 40. Ultra recentiores additas prohibitiones fub pœ-

tis gravissimis, quas memoravimus plures in 1. & etiam in hoc secundo tom. De fundatione novorum Monasteriorum sub cura Regularium abunde dictum tom. 1. dub. XI. sect. II. *n.* 7. *& seq.* & replicatum est in hic ipsa dubitat. IX. sect. 2. n. 7. Circa fabricas Monasterii jam fundati extendendas aut ampliandas superaddentes *dub. XI. sect. V. n.* 33. *&* 34. satis pariter actum est.

43 De Conservatoriis deinde si loquamur sic communiter appellatis Mulierum sive Virginum, quaecumque solent positive approbari per Apostolicam Sedem, licet permittantur & tolerentur attentis circumstantiis, juxta alibi dicta & fuse tradita per D. Ursayam *t.* 7. *discept.* 17. *n.* 12. *&* 18. *part.* 2. *& tom.* 8. *part.* 2. *disc.* 6. *n.* 10. non est dubium, quin subjiciantur in omnibus & per omnia Episcopo loci, sicut & in functionibus & juribus Parochialibus proprio Parocho, praeterquam in aliquibus quantum ad Parochum quae specificantur in Salernitana S. C. C. 19. *Augusti* 1702. per extensum adducta a Cardinale Petra *tom.* 5. ad Constit. 1. Urbani IV. *n.* 21. *&* 22. quae solet utique in aliis decisionibus subsequentibus citari pro exemplari regula. Ut autem ad propositum descendamus, quia Conservatoria plurium specierum in dies instituuntur cum assignatis novis Constitutionibus, specialiter inquirendum hic cadit, an Conservatoria illa foeminarum sive Virginum directioni & jurisdictioni privative Episcopo etiam subjiciantur quae signanter Regulari alicujus Tertii Ordinis sint professae, puta earum quae vocantur Sorores de poenitentia S. Dominici & Sancti Francisci ac Tertii Ordinis Servorum B. M. V. &c. Et revera, quatenus tria vota substantialia emittant simulque Clausuram servent habendas ipsas esse ad instar aliarum Monialium vel sub cura Ordinis distincti vel exemptarum. Immo non amplius Conservatoria sed Monasteria Sanctimonialium nuncupari debere nullus ambigit, ut evidens est de multis quae post Bullam S. Pii *Decori* ad Clausuram redacta quatenus sub directione & gubernio Regularium ab initio fundata extiterint atque instituta, in eodem statu sub cura scilicet Religionis ejus cui primum fuerint addictae perseverent; propterea cum iis perinde ac cum coeteris Monasteriis a principio Clausuram profitentibus pari passu ac ratione procedendum esse, concludunt Peyrin. *tom.* 1. *privileg. ad Constit. Sixti IV.* §. 7. *n.* 31. Barbos. in collect. decis. *collect.* 700. *n.* 4. Pascuc. in *prax. part.* 1. *Cap.* 3. *n.* 57. Murga *disquis. Cas. tract.* 7. *sect.* 2. *disquis.* 8. §. 8. Ex Const. VIII. S. Pii V. incipien. *Circa*. Limitando itaque sermonem ad Mulieres in hisce Conservatoriis degentes, quae nec tria substantialia vota emittant nec Clausuram perfecte observent easdem quamvis Tertiariarum Regulam aliquam respectivam professas, subjici omnimodae jurisdictioni Ordinarii ostendit Cardinalis de Luca *de Regular. disc.* 1. *n.* 127. *disc.* 50. *n.* 13. & de jurisdict. *disc.* 45. *n.* 8. uniformiter ad ea quae in p. tom. *dub. XI. sect. VI.* cauta sunt *num.* 35. *&* 36. Immo, licet tria vota solemniter emittere praetenderentur etiam clausurae perfectae se subjiciendi, nisi prius de immutatione Conservatorii & variatione legitima ejusdem in Monasterium plene constaret, non posse Tertiarias easdem sic collegialiter viventes se eximere a jurisdictione Ordinarii, declaratum fuit in Lauden. S. C. Episcop. sub die 3. Augusti 1702. sub die 8. Septembris ejusdem anni & 27. Junii 1704. apud Ursayam *tom. viii. part.* 2. *disc.* 6. Nec non in Lauden. pariter S. C. C. sub die 15. Aug. 1709. asserente Cardinali Petra, *tom.* 4. *ad Const.* 5. Mart. V. *n.* 20. Addito recentiori decreto S. ejusdem Con. gregationis Conc. quod citavimus d. *dub. xi. n.* 36. de an. 1723. 30. Januarii in Thesaur. resol. *tom.* 2. *pag.* 272. ubi advertendum quod agebatur de Conservatorio in Monasterium non erecto, ut patet ex additione solitae clausulae: ibi -- *Citra tamen approbationem S. Cong. quoad dictum Conservatorium*. Quae vero conditiones desiderentur ad hoc ut Conservatorium in Monasterium clausuratum legitime erigatur refert ex auctoribus D. Ursaya *discept. d.* 6. *n.* 18. *& saepe tom. viii.* laudandus sane, praeterquam quoad assignatam conditionem *n.* 25. *&* 26. ubi agit caudatarium Monacello, impugnato *dub. xi. sect. ii. n.* 7. *seq.* Sed conditiones ad dictam erectionem necessarias prudenter expendit Archiepiscopus Bracharen. in suo voto ad S. Congregationem delato die 18. Octobris 1708. apud praefatum Doctorem Ursayam *tom.* 7. *part.* 2. *discept.* 18. *n.* 17. *seq.* De Tertiariis inde in propriis domibus privatim demorantibus, in quibus subjiciantur jurisdictioni Episcoporum & Parochorum & in quibus sint exemptae, privilegiis nempe Religionum, quibus sunt addictae quomodo & cum quibus conditionibus fruantur ad sufficientiam pariter tradidimus in dub. d. XI. sect. VI. n. 37. Uniformiter ad

tradita

tradita per Patrem Lantuscam in Theatr. Regul. *V. Tertiariae* Cardinalem Petram *tom.* 4. *ad Constit. XV.* Martini V. per tot. & P. Matteucci in offic.; Cur. *Cap.* 52.

§. I. Verumtamen quoad hujusmodi Tertiarias in propriis domibus cum voto simplici Castitatis demorantes, non examinare nequeo iterum hic propositiones plures, quas libero nimis calamo exarare non dubitat in Dilucidatione privilegiorum &c. P. Didacus ab Aragonia *tract.* 7. *Cap.* 5. aperte nimirum asserit ibi *n.* 9. quod Tertiariae in Congregatione viventes cum voto simplici Castitatis non includantur in Constitutione Sancti Pii V. *Circa Pastoralis* edita de anno 1566. die 9. Julii. Idque probat ex praevia Bulla Leonis X. *Dum intra* ubi dicuntur gaudere privilegiis exemptionis &c. Mulieres quae emisso voto simplici castitatis demorantur in domibus consanguineorum privatis &c. ergo a fortiori deducit ipse debent privilegiis gaudere cum eodem voto viventes in Congregatione, & declaratum esse subdit per Sacram Congregationem in Pistorien. 20. Decembris 1616. Hoc autem manifeste deprehenditur falsum. Nam Constitutio D. Pii *Circa Pastoralis*, quae debet magis attendi utpote posterior ad illam Leonis X. *Dum intra*. Domos & quascumque Congregationes Mulierum improbat aboletque in quibus non emittatur votum solemne ad instar aliarum Monialium profitentium sub clausura, juxta Decretum Bonifacii VIII. *Periculoso*. Ita & taliter quod votum solemne nempe castitatis, ut patet evidenter ex contextu, in iis requirat, & de hinc obligationem distinctam tamquam ex dicto voto solemni ortam vivendi sub clausura, omnesque professiones imposterum aliter emissas & acceptatas irritat verbis praegnantibus & annullat: nec est necessaria alia probatio praeter literalem Constitutionis lecturam. Et est etiam falsum quod Decretum S. Cong. de anno 1616. admittat Congregationes sive Conservatoria Mulierum in communi conviventium cum voto simplici castitatis; quinimmo frui privilegiis &c. explicat & distinguit Viros collegialiter viventes & mulieres quae cum voto simplici castitatis in domibus degant privatis, improbans atque excludens juxta Bullam Pianam a praetensa exemptione & privilegiorum concessione eas quae collegialiter & in Congregatione convivant, ut apud Matteucc. loc. cit. & per nos relata *tom.* 1. *dub. XI. sect. VI. n.* 35. *&* 36. Vbi etiam & alibi aperuimus motivum, propter quod Sanctus Pontifex Pius Tertiarias refutaverit collegialiter viventes non tantum eas quae in propriis domibus vitam celibem privatim ducant: per quod omnino ruit argumentum a fortiori laudati Auctoris. Addit item hic *n.* 13. ejusdem Capitis facultatem recipiendi ad habitum & professionem hujusmodi Tertiarias inesse primario Superioribus Ordinum respective de quorum licentia dumtaxat possit privative sequi receptio, nec sit necessaria licentia Ordinarii; At ego e contra lego in Decreto S. C. C. relato per extensum in alio Decreto S. C Episc. jam citato sub die 20. Decembris 1616. §. V. ibi. Sac. Cong. C. decernit, ut sequitur *Superioribus Regularibus sufficienti facultate ad id a Sancta Sede Apostolica suffultis libere Mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere: Non autem ad HABITVM admittendas & recipiendas esse, nisi probatae vitae ac moribus praeditas ac in aetate saltem quadraginta annorum constitutas quae de proprio habeant: unde sufficienter vivere possint & non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis habitent, & ab ORDINARIO loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat nisi de praedictis praevio examine diligenti sibi constiterit*: apud Matteucci. *Cap.* 52. *sub n.* 3. §. *V.* Sed neque potest substineri quod eadem licentia deficiente non reddatur invalida receptio aut professio, prout concludit Aragonius ibidem *n.* 13. Verba siquidem dicti decreti exprimuntur modo imperativo, videlicet, *non admittendas & recipiendas esse nisi &c.* quae idem sensum sonant ac non debere nec posse admitti. Vltraquamquod lis quae principaliter controvertitur consistit in dubio, an sine tali licentia & non verificatis conditionibus in decreto expressis possint Tertiariae in casu frui praetensis privilegiis atque exemptionibus: ut evidenter ostendit decretum. Quamvis ergo non posset negari valida emissio voti simplicis castitatis, tamen privilegium exemptionis non competere pro certo praefatis contra dispositionem citati ejusdem decreti praescribentis conditiones pro exemptione & privilegiis consequendis. & tantominus Episcopus ipse exemptionem permitteret unquam in casu non impertitae per se licentiae & admissionis illarum ad habitum absque praescriptis conditionibus, super quo sibi sufficere allegaret sine dubio literale S. C. decretum & apertam declarationem. Vnde irratio-

nabilia ex parte Religiosorum deberent profecto quantum ad hoc evitari litigia, signanter pro exclusione licentiæ Episcopi *quæ non petenda tantum, sed impetranda jubetur in casu*: ibi *in Decreto* §. *V.* Cum alias concederet quisque circa vestium colorem, patientiam longiorem & hujusmodi accidentia, non esse insumendum tempus & atramentum relative ad præmissa in *tom.* 1. *dub. xi. sect. VI. jam allegata n.* 37.

§. II. Duo alia tangit P. Didacus ab Aragonia loc. cit. nempe *n.* 14. Quod nempe Tertiariæ votum simplex castitatis emittentes quoad suas Domos Oratoria Capellas & Ecclesias si quas habent a jurisdictione Ordinarii sint exemptæ. Et aliud *n.* 17. ibi. *Quod Fœminæ quæ velit fieri Soror Tertii Ordinis cujusvis Religionis dari potest legatum pro Monachatu relictum, si emittat votum castitatis*, licet in domo propria maneat, quia in dicto casu dicitur aliquo modo fieri Monialis. Primum namque assertum potest equidem sustineri quoties loca Capellæ Oratoria & Ecclesiæ essent & reputarentur sub ditione & possessione Religiosorum principalium directionem super Tertiarias exercentium, juxta Apostolicas Sanctiones Nicolai IV. in Bulla *Supra Montem* & alia incipien. *Apostolica Sedes*, Leonis X. *Dum intra* & S. Congregationis decreta in Faventina, 18. Julii 1717. Attamen si loca Oratoria Capellæ Ecclesiæ ubi congregentur Tertiariæ signanter præseferant aut induant quovis modo formam Collegii, nec Regulares respective Dominos aut possessores appellent, atque separata ab Ecclesiis Oratoriis Capellis sub ditione eorumdem Religiosorum existentibus communiter habeantur, difficultatem experirer ad concedendum quod a jurisdictione omnimoda Ordinarii eximerentur attentis iis, quæ in hac materia congeruntur *tom.* 1. *dub. xi. sect. vi. n. signanter* 36. Alterum de legato relicto pro Monachatu concedendo fœminæ voventi simplicem castitatem in habitu Tertiariæ, quatenus ultima voluntas legantis explicite vel implicite deprehenderetur intendere pro Monachatu professionem solemnium votorum & statum perfectionis sub clausura, neque regere absolute dicendum est, & contra Dianam & quoscumque alios Doctores, nisi dispensatio & declaratio Sedis Apostolicæ adduceretur in favorem Tertiariæ prætendentis legatum dictum; quatenus siquidem prævideat Testator quod voluntas sua quoad hoc non foret adimplenda, verisimiliter, immo pro certo bonis propriis non se spoliasset minime privato arbitrio legatum subjiciens in opere deterioris perfectionis insumendum, sic ratiocinantibus ad propositum Redenasc. *cons.* 7. *n.* 9. *lib.* 1. Gratiano *discept.* 96. *n.* 41. & *discept.* 558. *n.* 21. Rot. cor. Cavall. *decis.* 186. *n.* 1. & coram Buratt. *dec.* 377. *n.* 4. & coram Cerro *dec.* 164. *n.* 7. & 8.

24 Occasione qua actum est hic de Monialibus in genere, differere aliqualiter non erit abs re de iis in specie quæ a Prælatis Ordinis Seraphici signanter gubernantur, quomodo & qualiter in earum regimine se extendat horum directiva potestas? Verum prolixius trahere sermonem, proponendo dubia & quæsita quantum ad hunc articulum extra necessitatem omnino duco, dum statuta pertinentia ad earum regimen dictis usque nunc de aliis gubernio Prælatorum Regularium subjectis leguntur conformia, tam quoad ingressum in Monasterio Superiorum Confessariorum, aliorumque Officialium in casibus necessariis, ut *Cap. xi.* Compilat. Sambuc. §. 4. per tot. tum quoad allocutionem prohibentium cum ipsis: ibi §. 3. Quoad Clausuræ custodiam §. 5. De qualitatibus & obligationibus Confessariorum §. 17. De puellis recipiendis ad habitum & admittendis ad professionem, nec non exploratione voluntatis earum ad Episcopum pertinente, §. 19. & 20. de electione Abbatissarum, sive Præfectarum, earumque qualitatibus §. 9. sicuti de numero Monialium præscribendo §. 8. & de redditione rationis circa administrationem bonorum Monasterii §. 7. Super quibus omnibus erudite differit P. Sanctorus Constitut. *Cap. XI. statut. VI.* & *seq.* Nonnulla adnotatio dumtaxat quæ specialem videatur mereri considerationem, aut correctionem in iisdem statutis Religioni propriis & a citato Doctore explicatis. Et primo incumbere quidem Provincialibus Ministris Monasteria omnia & Moniales quascumque eorum regimini subjectas opportunis temporibus visitare, ut in statutis cit. *Cap. XI.* §. 2. *n.* 2. quod probat esse præceptum Provinciales dictos obligans prælaudatus Sanctorus stat. VI. ab init. Attamen recolenda sunt quæ præmisimus *dub. XI. sect.* 1. & superius in hac dubitat. *sect.* 1. *n.* 3. *seq.* quomodo hæc facultas, & quoad vices eam adimplendi, & quoad formam sit restricta hisce nostris temporibus per Constitutionem replicatam Alexandri VII. *Felici*, apud Matteucci in offic. cur. d. *Cap. XI.* Intra Italiam tamen ejusque Insulas. Item notan-

tandum, non posse per Statuta Confessarium ingredi septa Monasterii nisi superpeliceo una cum Stola superindutum & non cum aliis quam cum socio sibi per Capitulum aut Superiorem deputato, sub pœnis inibi expressis §. *IV. numero* 11. Quam tamen obligationem non adigere Superiores in casibus necessariis ingressuros, ostendit opportune Pater Sanctorus *Cap. XI. statut. VII. dicto tertio quæst. quinta.* Plures etiam addit ibi causas laudatus Auctor ingrediendi Monasteria independenter ex parte Superiorum, & Confessarii quas vocat necessarias; sed post Bullam allegatam *Felici* extra Italiæ fines requiri consensum Episcopi assignantis Superioribus ingredientibus personam a se electam, constat ex pluries dictis; Et pro parte Confessarii attendenda esse Decreta noviter edita, nullus contradicit. Quod si Decreta clara non ostendantur, non est profecto in arbitrio Doctoris cujuspiam peculiares obligationes addere Confessariis ipsismet tum Sæcularibus tum Regularibus. Cum cautela tamen quod prudenter sit consulendus semper Episcopus in casibus dubiis; ipsi namque principaliter cura clausuræ demandatur præcipue pro celebranda Missa in Infirmaria, de quo superius n. 12. atque etiam pro funere explendo super defunctis Monialibus, ut insinuat non sine doctrinæ soliditate P. Sanctorus *Stat.* 7. *ỳ. Tertio de officio.* Qua occasione subdere non est incongruum pro Monialibus nostri Ordinis in casu extare privilegium vetus Gregorii PP. IX. incipiens *Vestris piis* datum Calendis Junii ann. 1235. *Quod Confessarius eum uno altero fratre piis moribus & ætate maturo ingredi valeat Monasteria etiam pro sepeliendis corporibus Sororum decedentium.* Apud Gubernatis in Orbe Seraphico *tom.* 2. *pag.* 293. Immo quod pro Monialibus universis id ordinet Concil. Mediolanen. 1. sub Sancto Carolo. Nimirum quod Moniali moriente Confessarius cum Socio ingredi possit ad Corpus sepeliendum sed cito exeant part. 3. tit. de Præfect. Cœterum prævalent Decreta novissima si ostendantur authentica cum repetita advertentia quod Bulla Alexandri VII. *Felici*, esto concluderet casum funeris agendi tamquam non necessarium pro ingressu, non obligat extra Italiam, quod minime notat P. Didacus ab Aragonia dicto Cap. 7. n. 9. Addo proinde ex ipsis inspectis statutis, causas necessarias præcise permittendas pro ingressu cujuscumque in Monasterii septa esse illas dumtaxat, quæ per Monialesmet expleri non possunt, ut consulto præscribitur in Sambuc. §. 4. *cit. cap.* 11. *n.* 8. ibi: *Quæ per Moniales commode fieri possunt per exteros viros vel Mulieres fieri nullatenus Præfecta permittat.* Similiter sicut directio quantum ad recipiendas Novitias & dotes earum assecurandas, circa etiam Novitiarum educationem dependet a peculiaribus Religionum & Monasteriorum Constitutionibus, non potest aliquid in jure determinatum pro omnibus assignari; ita circa Novitias Clarissarum signanter seu Monialium Fratrum Minorum directioni subditarum adsunt distinctæ ordinationes in cit. Statutis *dicto cap.* 11. de Monial. §. 19. & 20. Solummodo reflectunt ad rem Auctores quomodo Decreta tum Sixti V. tum Clementis & Urbani VIII., pro recipiendis & educandis Novitiis Religionum nequaquam afficiant & obligent Moniales, utpote nec indirecte in iis legatur verbum de Monialibus ipsismet; Et in odiosis fœminas nequaquam comprehendi nisi specialiter nominentur saltem implicite ad verborum sensum absque improprietate reduci atque pertinere interpretentur. Est communis Doctorum sensus: *ex Cap. Generali simul & gloss. de Elect. in* 6.

25 Nonnulla alia adnectere non omittam quæ sicut sapienter ad obturandum os loquentium iniqua, sancita fuisse constat in Statutis Religionis nostræ pro recto Monialium gubernio, ita etiam exacte observari. Et primo notandum quod uniformiter ad decreta Apostolicæ sedis sub pœnis gravissimis, videlicet suspensionis privationis Officiorum, juris suffragandi & carceris collocutio cum Monialibus districte inhibeatur Fratribus quibuscumque, signanter §. 3. *n.* 7. ibi — *Qui vero aut prædicationis causa vel pro Missis celebrandis de mandato Superiorum ad Monasteria accesserint non poterunt cum Monialibus loqui sub iisdem pœnis. Addita pœna perpetuæ inhabilitatis ad omnia Ordinis officia obtinenda iis qui privatas cum Monialibus collocutiones nostræ sive alterius Religionis sub quolibet prætextu habuerint.* Quã Sancta Fratrum Statuta. Præterea quod novas Fabricas extruendas scilicet superædificandas jam fundatas & erectas Monasteriis de quibus superius n. 72. & in tom. 1. dub. XI. sect. 2. n. 34. caute præcipitur pro Monasteriis sub regimine Minorum in stat. cit. §. V. n. 1. Superioribus ibi. *Neque quicquam intus ædificari concedant nisi per eos prius diligenter recognitum & necessarium & opportunum esse judicetur.* Quia itidem in præhabitis

pro

pro Monialibus sub regimine Regularium generaliter viventibus asseruimus clausuræ custodiam & curam cumulative cum Episcopis ad Prælatos eosdem Regulares pertinere, replicare opportunum arbitror qualiter hujusmodi cura vigilantia & visitatio rigorose Superioribus Ordinis Minorum sub se Monasteria habentibus injungitur per Ordinis specialia statuta *cap.* 11. §. 5. *n.* 5. & seq. Quæ quidem statuta egregie exponit P. Sanctorus loc. cit. ubi supra §. VII. ℣. *Dico quinto*. Cum ostensum denique sit superius n. 21: Rationem administrationis bonorum reddendam esse Episcopo non tantum quatenus eam exigere prætendat ut Apostolicus Delegatus, sed Superiori item Regulari & Ordinario quoties sub ejus gubernio vigeant Monasteria; id peculiare inculcat in Ordine statutum d. Cap. XI. §. VII. per tot. ubi juxta resolutionem S. Congregationis jubetur quod hanc teneantur rationem reddere non tantum exteri Sæculares aut Religiosi, sed Moniales ipsæ quatenus administrent immo Præfectæ & Abbatissæ sub pœnis taxatis ut infra. *Si Abbatissæ aut quævis Monasteriorum Præfectæ & aliæ ipsorum bonorum administrationes renuerint Superioribus vel iis quos ipsi deputaverint singulis annis de acceptis & expensis & totius administrationis rationem reddere, statim suo priventur officio & suffragiorum jure perpetuo careant* §. *VII. n.* 9. Ad quod propositum legenda egregia laudati P. Sanctori doctrina occurrentia explanantis dubia loc. cit. Cœtera inferius quatenus necessitas occurrat adnotabuntur.

SECTIO III.

Quantum se extendat potestas coercitiva Prælatorum Regularium circa Moniales.

SUMMARIUM.

26 *Possunt & debent Prælati Regulares coercere Moniales sibi subditas ad observantiam Regulæ & Constitutionum si vere Prælati sint ad observantiam præcipue votorum Paupertatis Castitatis & Obedientiæ. Et quid si omnes fere Moniales cujuspiam Monasterii obedientiæ contradicerent*. §. II.

27 *Replicatur quantum ad Moniales profitentes arctiorem paupertatem an teneatur Prælatus Regularis impedire relaxiorem in casu?*

28 *Valent Regulares Prælati adigere præceptis Moniales subditas ad exacte servandam clausuram. Et an possit contra transgredientes addere excommunicationem reservatam?*

29 *Possunt pariter Prælati censuris & aliis pœnis a jure latis declarare obnoxias tum Abbatissam tum Moniales, prævii tamen datis defensionibus, sicut & pœnas & censuras infligere quoties in jure & Constitutionibus sint comminatæ aut eorum arbitrio relictæ*.

30 *Utrum Abbatissa sive Priorissa sit in rei veritate suspensioni subjecta? & declaratur*.

31 *Potestas coercitiva potest exerceri ab Abbatissis iisdem in Moniales subditas & quomodo. An possit hæc præcipue in virtute Sanctæ Obedientiæ & Spiritus Sancti hinc inde controvertitur: verum sententiæ facile conciliantur*. §. I.

32 *Potest & debet obligare Abbatissa Moniales subditas ad interveniendum Choro. Ubi ad recitationem Divini Officii obligentur in communi Moniales ipsæmet. Quæ autem Choro non intersunt an teneantur recitare horas privatim? Militant pro affirmativa & negativa rationes* §. I. & II.

26 NOn est dubitandum, posse Prælatos Regulares, immo & teneri intra limites observantiæ proprii instituti respective coercere Moniales per præcepta & punitiones cohibendo, quatenus opus sit, non minus ac reliquos sibi subditos Religiosos viros: Quod clare colligitur ex Tridentino *sess.* 25. *Cap.* 1. *de Reform.* ibi: *Regulares omnes tam Viri, quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt præscriptum vitam instituant & componant*: addito inde præcepto Superioribus quod & ipsis omnem curam & diligentiam adhibeant ut a subditis tum Viris tum mulieribus circa omnia ea, *quæ ad perfectionem Religiosam & observantiam votorum & præceptorum, communem vitam, victum, vestitum &c. pertinent, non recedatur*. Insuper teneri Moniales ipsas propriis Prælatis Regularibus obedientiam præstare, eo modo quo cœteri obligantur Religiosi Viri, eo quia ad instar eorum emiserint obedientiæ votum, quod ad omnia se extendit quæ non sunt contraria legi Dei & Regulæ propriæ, sive quod professæ sunt instituto, ostendunt communiter Doctores cum Suarez *tom.* 4. *de Religion. lib.* 1. *de variet. Relig. Cap.* 12. Actum autem præcipiendi Monialibus non posse exerceri per Vicarios, utpote non vere Prælatos, nec jurisdictionem habentes, per consequens neque teneri ipsis obedire Moniales, advertit cum aliis Miranda *tom.* 2. *qu.* 21. *art.* 2. Verum distinguere est ne-

necesse, an Vicarii hujusmodi Prælatorum locum teneant & indipendens exerceant gubernium erga Religiosos sibi subditos, in quo casu jurisdictione potiri erga Moniales non minus ac super illos conceduntur; secus autem, quoties Prælatus verus adsit a quo Vicarius ipse dependeat, sicut in aliis vicibus traditum est & distinguit Passerinus de elect. *Cap. 6. qu. 1. n. 6. seq.*

§. I. Valent itaque Prælati respective præcipere Monialibus (juxta Tridentini præscriptum de invigilando super Observantiam votorum) Religiosæ cultum paupertatis & sic circa livella, ut ajunt, aut redditus peculiari Moniali assignatos disponere, ut apud depositarias publicas asserventur & omnino in necessarios usus de licentia Abbatissæ & Priorissæ aut Præfectæ expendantur, attentis maxime circumstantiis quæ proinde adducuntur perspicue a Lezana *tom. 1. Cap. VI. n. 21. & seq.* Sed præcipue incumbit Regulari Superiori procedere contra abusum donariorum, sive consistant hæc in operibus quibusdam propria manu artefactis, *quæ donationes* vocantur, sive sint dulcia, confectiones, aut munuscula, cibariorum scilicet a Monialibus quandoque subtractorum ut exteros alant com Monasterii detrimento, circa quorum prohibitionem tamen necessaria est etiam prudentia in Prælato & opportune legendus P. Sanctorus super Constit. *Cap. XI. stat. jam cit. VII. ℣. Dubitatur septimo de munusculis.* Circa Castitatis solemne votum ultra expressam obligationem Regulæ non desunt in unoquoque Monialium Instituto etiam sub regimine Prælatorum Regularium peculiares ordinationes, ad hoc ut Deo sacratæ Virgines maculandi puritatem neque periculum subeant aut occasiones ullas. Veluti de non introducendis pueris cojuscumque ætatis, de non alendis bestiis intra septa, de non recipiendis literis exterorum, de non scribendis pariter ad exteros Epistolas, de non retinendis aut legendis libris prophanis; ultra prohibitas allocutiones, prospectus vetitos &c. & etiam intra Dormitoria & Cellas ipsarummet familiaritatem nimiam. Super quæ omnia qooties Regularis Superior cui de jure, abusus irrepentes compererit vel in visitando vel per ad se delatas querelas, certum est quod valeat præceptis adjungere comminatas pœnas & deinde pœnis condignis, si carcerationes nil juvent delinquentes effictive punire ad normam earumdem Constitutionum, quarum plures legi super hæc omnia præmere legitimas assignando punitiones ad normam citati Tridentini, ultra ea quæ addit P. Lezana *tom. 4. Verbo Moniales n. 4.* De obedientia iude, quam præstare tenentur Moniales propriis respective Regularibus Prælatis, mox dictum est prope initium hujusmet numeri 26. attento voto per ipsas emisso, in quibus insuper obedire debeant distributive loquendo habetur distincte apud Lezanam *tom. 1. Cap. 1. per tot.* ubi de obedientia Religiosorum: exceptis iis quæ sexui non aptantur. Sed quantum ad Moniales in specie fuse apud P. Petrum Franciscum Lombardi in suo opere de Monialibus *part. 1. Cap. item 1.* Quomodo vero Prælati valeant contra inobedientes procedere dictant Constitutiones diversæ, quas pro variis respectivorum Ordinum Monasteriis perlegi, & pro Monialibus signanter Sanctæ Claræ docet laudatus Petrus Lombardi d. Cap. 1. pag. 49. n. 13.

§. II. Quod si Monasterium fere integrum præceptis Superiorum resisteret vel Moniales omnes aut paucis ademptis se inobedientes ostenderent Prælatis propriis contumaces atque rebelles. Respondet P. Sanctorus in hoc extremo casu expediens fore ut Religio qualibet gubernio earum abrenuntiaret easque refutaret dirigendas veluti oves deperditas atque indeclinabiliter errantes, quæ dimissio & renuntiatio censenda equidem esset tamquam ultimum supplicium Rebellibus debitum, præcipue id asserens quantum ad Moniales Ordini Minoritico subjectas atque indomabiles. Super Constit. *Cap. 11. stat. 6. per tot.* At pace boni Auctoris adeo grave reputaretur minime crimen rebellio Monialium adversus Regulares, neque tremendum adeo supplicium abrenuntiatio illarum gubernio, quasi in re aut in nomine præjudicium eis inferretur hisce præcipue temporibus, si placito attendamus Monacelli, qui ab aliis innominandis livorem haustus sine causa etiam & contra Testatorum ultimas voluntates subtractionem Monialium e gubernio Regularium laudabilem atque bono publico expedientem prædicat *part. 1. tit. 6. form. 19. n. 21. & seq.* sufficienter tamen reprobatus a nobis tom. 1. Dub XI. sect. 2. n. 8. & seq. Subdo itaque ad propositum breviter, esse quidem in potestate Sedis Apostolicæ pro libito gubernium & regimen Monialium a Regularibus ad Episcopos transferre; attamen si sermo sit de iis signanter quæ sub regimine Fratrum Minorum sunt institutæ, non posse sic absolute ab ipsis Fratribus atque Superioribus Ordinis dimitti

& sub

& sub potestate abrenuntiari Ordinariorum. Cura etenim Monialium harum, quae alias de facto a dictis Fratribus abrenuntiata fuerat, fuit illisinet a Sancta Apostolica Sede per positivum praeceptum injuncta in satis nota Bulla Eugenii IV. *Ordinis tui la* 14. *tom.* 2. *Bullar.* ad tenorem dispositionis ab eodem Pontifice indictae in praecedenti Constitutione *Licet n.* 18. Ideoque inconsulta Sancta Sede quae aliter disponat nequaquam esse in potestate Superiorum licet ordinis media dimissione & dicta abrenuntiatione voluntarie sibi latu transgredi praeceptum, ut re mature discussa firmavit Rota in Ulixbonen. *decis.* 577. *per tot.* coram Rambaldo repetita in recent. decis. 476. part. 4. tom. 2. quae omnia fideliter refert. Card. Petra tom. 4. pag. 308. n. 1. seq. Attento generali Decreto *in Cap. Cum tempore cum gloss. de Arbitris ex* Donat. *tom.* 4. *tr.* 2. *n.* 1. *& seq.* & quoad Moniales a Minoribus directas Sanctorus Const. Cap. 11. Stat. VI. Nec praetereundum fine, nota quod Moniales omnes quae tentarent ab obedientia Praelatorum Ordinis Minoritici in specie se subtrahere, excommunicationem ipso facto & Abbatissae respective privationem incurrerent officiorum, per Bullam Eugenii IV. incipien. *Adeo quae; sub anno* 1437. Orb. Seraph. *tom.* 2. *pag.* 726. Insuper quod omnes cujuscumque Dignitatis qui attentarent pariter subtrahere Moniales dictas Ordinis Minorum subjectas ab obedientia & dependentia erga ejusdem Religionis Praelatos in excommunicationem quoque ipso facto inciderent toties quoties, juxta Bullam alteram Sixti IV. incipien. *Dudum &c. sub die* 27. *Aprilis* 1475. apud Petrum Lombardum *part.* 2. *pag.* 161. *n.* 8. Haec profecto reperiuntur scripta.

27 Quaeritur autem hic opportune. An Superiores Regulares in Minoritico Ordine valeant sibi subditas Moniales quae strictiorem Regulam Sanctae Clarae vel Reformationem B. Coletae profiteantur sive Capuccinae quocumque demum nuncupentur nomine ad vivendum de eleemosinis quotidianis obstringere absque ulla prorsus possessione rerum immobilium ad instar Fratrum Capuccinorum oecuon Regularis & strictioris Observ. S. Francisci? Et respondetur ultra ea quae circa hunc articulum adnotavimus in sect. praecedente n. 8. & 9. Revera Moniales cujuscumque vel strictissimae observantiae & Regulae neqnaqnam venire nomine Fratrum, qui in *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regularibus* a possessione bonorum immobilium & annualium redditnum excluduntur, immo intrare omnes & quoscumque repetimus in dispositione communi ipsiusmet Concilii Sessionis & Capitis quod omnes cujuscumque professionis Regulares tam Viri quam Mulieres valeant bona praefata immobilia & annuos redditus in communi possidere, ut egregie differit & probat allegatis aliis Emineo. Petra *tom.* 3. ad Constit. XII. Innocentii IV. *sect.* 1. *n.* 2. *ad* 7. Quidquid in contrarium afferat trahens dentibus Concilii verba Doctor Dominicus Ursaya *tom.* 3. *part.* 2. *discept.* 3. *n.* 19. *seq.* Quod nempe ut sustinet hic Auctor, Moniales strictioris Observantiae Sancti Francisci vel Sanctae Clarae quae sub nomine Capuccinarum aut Recollectarum per ora diversa vagantur (juxta descriptionem eruditam Cardinalis Petrae ibi n. 1. & seq.) debeant intelligi nomine Fratrum Capuccinorum aut Observantium. Cum omnem dubitandi occasionem abstulerit S. C. C. per declarationes plures in una Sancti Severini de mense Julii usque ab anno 1547. *lib.* 5. *decr. pag.* 5. & in Florentina 29. *Aprilis* 1591. *lib.* 7. *pag.* 10. Necnon perspiciendis verbis in Papien. 27. *Junii* 1626. videlicet: *In exceptione Fratrum Minorum de Observantia quae habetur in Cap.* 3. *sess.* 25. *de Regular. non comprehendi Moniales S. Clarae, sed eas esse capaces bonorum, & haereditatum lib. decr.* 13. *pag.* 37. Attenta regula communiter accepta inter Doctores paulo superius memorata; quod nomine Fratrum in odiosis non veniant regulariter Sorores & Moniales. Signanter in terminis Monialium Sanctae Clarae; quod nequaquam in appellatione Fratrum Minorum contineantur, quia alio jure vivunt, docent Bartol. *in l. Quicumque n.* 27. *C. de fugit.* Fagn. *in Cap. ut filii n.* 29. *de fil. Presbyt.* Rot. *decis.* 48. *n.* 8. cor. Zaratta, de quo tamen in favorabilibus foret disputandum, & quantum ad intelligentiam individualem Capitis relati 3. Tridentini nomine Fratrum Observantium & Capuccinorum nullatenus in eo venire Moniales Sanctae Clarae, ultra allatas declarationes C. C. habetur ex Doctoribus congestis per Eminentissimum Petra loc. cit. qui consulto adhuc notat: loqui Doctores de Monialibus Sanctae Clarae professis juxta primaevam Regulam in instituto rigore, nequaquam ab Urbano IV. mitigatam ibi *sect.* 1. *n.* 9. Haec autem repetimus quantum ad obligationem dictarum Monialium rigidam observandi paupertatem minime ab eis contractam vigore Tridentini Concilii in dicto Cap. III. in quo non compreheu-

prehendi satis est evidens. Cœterum adhæreo post Concilium Tridentinum vigere in Ecclesia Monasteria Sanctimonialium Clarissarum, quæ præcipuam primam antiquam Regulam Sanctæ Matris pro Damianitis editam & per Innocentium IV. in Bulla incipien. *Solet annuere*, confirmatam rigide observant, abrenuntiantes privilegiis, ipsiusque Tridentini concessionum possidendi immobilia, veluti Recollectas in Gallia & in Italia Capuccinas nuncupatas experientia demonstrat; ut in *Urbe* Monasterium Capuccinarum, necnon in Januensi Civitate, atque aliis Civitatibus & locis Monasteria plura. Quamvis nec erectio novorum Monasteriorum a S. Congregat. permitti soleat, nisi assecuratio præcedat de victu & sustentatione in eis degentium non per personas privatas, sed Confraternitates aut loca pia, quæ facultates possideant sufficientes ad illarum alimentum aliis eleemosynis deficientibus, ut datis pluribus decretis ostendit Nicol. in flosc. *V. Monasterium n. 7.* simulque *Verbo Capuccini n. 6.* & post ipsum laudatus Petra *sect. cit. 1. n. 10. ad 14.* Per quod patet item, non parum differre Sanctimoniales easdemmet a rigidiore paupertate Fratrum Regularis & strictioris observantiæ, necnon Capuccinorum, quorum professioni præfata assecuratio victus & substentationis prorsus repugnat: ex dictis superius *sect. 1. n. 8. circa fine.* & alibi *dub. XVII. sect. IV. n. 43. seq. & 47.* fuit probatum. Nihilominus ad rem nostram; quoties Prælati Regulares sub proprio gubernio Monasteria mox dicta Recollectarum aut Capuccinarum, sic nuncupatarum perfectam abdicationem bonorum stabilium profitentium ac conciliari indulgentia abrenuntiantium retineanr, eo magis, si Constitutiones paupertatis professæ in iisdem terminis ab Apostolica Sede sint confirmatæ quod rarius eveniet, quod valeant hortari efficaciter easdem, nisi etiam præceptis salubrioribus obligare ad perseverandum in dicta observantia, nemo dissentit. Quoties namque experentia compertum sit, quod per probabilem assecurationem alimentorum (absque receptione dotum in utile Monasteriorum) investiendarum aut aliorum redditium quirent Sanctimoniales juxta taxatum numerum in dictis respective domibus sufficienter ali: si vellent ultra proprietatem dotum & bonorum stabilium per legata aut hæreditatem acquirendorum admittere, profecto id foret relaxationi in materia paupertatis profanæ locum præbere, ad quam impediendam sub gravi obligatione Prælatos Regulares obstringi sustinent Lezana *tom. 1. Cap. 18. n. 15. & 80.* & in terminis Card. Petra *tom. 3. pag. 62. n. 7. 8. & seq.* Saltem placitum Sanctæ Sedis aut SS. Congregationum securius foret exquirere; in appositione præcipue, quod rigidioris paupertatis Constitutiones ab ipsa Sancta Sede, ut dictum fuit, approbationem reportassent ex communi dictamine *Cap. Reform. dist. 22.* Abb. in *Cap. Cum decessissent n. 2.* Felin. ibi *n. 4.* Navar. *lib. 1. Consultat.* de Constit. *Cons. 8.* Lez. *Cap. 8. n. 22. tom. 1.* Fagnan. & alii adducti ab Anacleto Reinffestuel tit. de *Constit. §. 21. n. 540. & seq.* Alioquin in materia voti paupertatis ita debent se gerere Superiores, ut neque Monialibus abusus contra earum Regulas & instituta permittant, sed neque supra id, quod Constitutiones ipsæ obligant, velint conscientias earum gravare, considerata item imbecillitate sexus & consuetudine modo vivendi earum accomodata, salva tamen semper substantia voti. Ut advertunt Lessius de just. & jur. *lib. 2. Cap. 41. n. 74.* Cordub. in Reg. S. Franc. *Cap. 10. qu. 2. punct. 6.* Lezan. *pu. 1. Cap. 25. &c.*

28 Deinde quia præmissum est, Clausuræ custodiam pertinere quidem jure delegato ad Episcopos quoad Monasteria Monialium exemptarum vigore Conc. Trident. *sess. 25. Cap. 5. de Regul.* & Constitutionis signanter Gregorii XV. *Inscrutabili*, sed non per hoc fuisse spoliatos Regulares Prælatos respective jure ordinario invigilandi super dictam Clausuram, quæ ante Concilium ipsis unice commissa legebatur, ut de hujusmodi vigilantia & custodia cumulative cum Episcopis extat declaratio S. C. C. in Fossanen. 31. *Augusti* 1658. relata per P. Cajetanum de Alexandr. *Cap. 7. §. 1. q. 8.* & in alia Regien. apud Nicol. *Verbo visitatio ordinaria*. Propterea rite deducitur; posse Prælatos ipsos Regulares pro dictæ Clausuræ custodia exactiora præcepta imponere opportuna & necessaria quæ præfecto obligent Moniales ad parendum vigore voti obedientiæ, quam Superioribus respective promiserunt ex decr. S. C. Episc. in Tolentina 19. *Aprilis* 1626. apud Patrem Richeider *tr. 5. n. 5.* & Monacelli *part. 1. tit. 11. form. 11. n. 10.* Cum plurimæ de facto non desint Moniales, quæ votum Clausuræ explicite non emittunt & ad eamdem servandam hoc non obstante præcise ligantur vi præcepti lati per Bonifacium VIII. ab anno 1299. in celebri *Cap. Pe-*

riculosa de stat. *Regul. in 6.* confirmati per Tridentinum *sess. 25. cap. 8. cit. de Regul.* & districte injuncti a Sancto Pio in sua Bulla *Circa Pastoralis* 29. Maii 1569. Et per alias Successorum Summorum Pontificum Sanctiones. Quamvis si de Clarissis sit sermo ad Clausuram specialiter adigerentur ex motivo voti, quod ab initio emittere profitebantur etiam ante Bonifacii VIII. decretum, ut liquet vel ex nomine vetustissimo ipsarum, quo antonomastice pauperes inclusæ vocabantur, & per Regulam prius ab Alexandro III. inde ab Urbano IV. confirmatam & declaratam *Cap. I. & IV. &c.*

§. Un. Sed quæres, utrum ad Custodiam magis attente servandam Clausuræ possint Prælati Regulares obligare sibi subditas Moniales sub poena excommunicationis etiam reservatæ? Respondetur primo; posse Prælatos Regulares generaliter præceptis propriis obstringere Moniales subditas eo modo, quo valent Episcopi Moniales item non exemptas: exceptis iis in quibus Episcopis ipsis confertur potestas delegata etiam super exemptas *privative*: qualis judicatur potestas explorandi voluntatem puellarum admittendarum ad habitum & si quid aliud specifice exprimatur; Concilium nimirum sicut Episcopis, Regularibus item Superioribus hujusmodi auctoritatem generaliter & indeffinite tribuere ex æquo legitur *sess. 25. de Regul. Cap. 9.* ibi. *Monasteria vero, quæ a deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis REGULARIBUS reguntur sub eorum cura, & custodia relinquantur*: & advertit Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. Cap. 9. n. 1.* cum communi: Attamen hanc eandem facultatem debere regulari secundum leges & statuta Religionum est etiam indubitatum: juxta dicta *dub. 16. sect. II. & dub. 17. sect. prima n. 2.* quantum scilicet ad ea quæ edicere queunt Superiores respective vel pro tota Religione vel Provincia vel pro peculiari Conventu & tempore proprii gubernii tantum valitura signanter in odiosis, nisi per totum Capitulum generale aut Provinciale & fortius per Sedem Apostolicam confirmentur, ut locis citatis. Idcirco in his quoque circumstantiis posse Prælatos præcipere custodiam exactam clausuræ sub excommunicationis poena ubi occurrat indigentia, debemus fateri. Non autem sub poena excommunicationis, aut censuræ reservatæ, nisi concurrant etiam circumstantiæ expresse ad reservationem requisitæ per notissimum Decretum sub Clemente VIII. de casibus reservandis, quod quidem Decretum S. Congreg. Episcop. Urbano postea pariter VIII. approbante, ampliavit ad censuras sub die 7. Julii 1617. apud Felic. Potest. *n.* 3002. ad tradita item per nos dubit. XVII. sect. 2. Eadem siquidem currit paritas de Monialibus subditis ac cœteris Religiosis ex notatis alibi a nobis & animadversis per Patrem Lezana ad Mare Magnum Carmelitarum *tom. V. n. 385. & 386.* Quod si quæratur generice hac occasione an casus reservati in Ordinibus respective obligent etiam Moniales sub eorumdem Ordinum regimine conviventes? Respondet Bordonus. Affirmative, quatenus tamen iisdem Monialibus intimentur & innotescant resol. 38. n. 6. Tamburinus pariter de jure Abbatiss. *disp. 13. quæst. 4. n. 6. & 19.* Ego tamen adderem hanc reservationem in genere Monialibus parum aptari, eo quia sciscitandum occurreret a quo deberent absolvi? non a Confessario usuali & ordinario; non enim essemus amplius in suppositione casuum reservatorum: Ergo vel ab ipso Superiore habente facultatem vel ab alio deputando, quod maximam pareret confusionem nisi Confessario ipsi Ordinario delegaretur potestas in genere & institueretur etiam Monialium veluti pœnitentiarius, & tunc perinde se haberent casus ac si non essent reservati. Sed quoad hæc prudentiæ Superiorum nec non statutis Religionum & Monialium respective, perpensis signanter casibus speciali nota dignis, libenter me remitto, ut clarius infra *sect. seq. n.* 33.

29 Hinc quæritur quantum ad potestatem coercitivam Prælatorum Regularium in casu: an possint privare officio ab eoque deponere & suspendere Abbatissas sive Priorissas aut Præfectas, nec non privare voce atque subjicere censuris a jure latis Moniales? Respondetur primo & replicatur, posse Prælatos hosce generaliter quicquid in Moniales non exemptas valent quoad hujusmodi imponendas pœnas Episcopi, vel sint Abbatissæ Officiales aut simplices subditæ; Eo quia respectu exemptarum & proprio regimini subjectarum succedunt loco Episcopi, ut jam dictum est & manifeste constat ex Constitutionibus non paucis erudite citatis per P. Lezanam *tom. 5.* in Mar. Magn. Carmelitarum *n. 384. & 385.* Dicitur secundo posse declarare, pœnis hujusmodi obnoxias ac etiam excommunicationi aliisque censuris, quoties sunt latæ a jure & per Regulam sive Constitutiones, ultra illas per se ipsos comminatas & inflictas, ut n. præcedente. Et ratio est, quia Judex quispiam debet de reatu qui suppo-

nitur

nitur in re gravi & pœna sententiam edere vel deffinitivam vel declarativam in casu. Et nonnisi Superior legitimus, cum ad talem sententiam pronuntiandam sit inhabilis respectu Monialium Abbatissa aut alia Præfecta; ex notatis per Cardinalem Petram *tom.* 3. *pag.* 198. *n.* 12. & *pag.* 202. *n.* 51. *seq.* & respectu Abbatissæ &c. si casus daretur de reatu hujus, minus sint habiles ipsæ Moniales, atque Judex foret incompetens quicumque alter jurisdictione carens, videlicet non legitimus Prælatus. Ad textum *in l. Ait Prætor* §. *& ita loquitur ff. Nautæ &c.* Panormit. *in Cap. Monachi de sent. excommun.* & latius *in Cap. Significasti de for. compet. Addita Cap. Si Papa de privil. in* 6. Passerinus de elect. *Cap.* 26. *n.* 141. Non potest tamen in hisce casibus non formari aliqualis processus prævius audita simul Moniali imputata de reatu cui pœna sit adnexa prout de jure, juxta notissimam naturalem regulam, quod nemo possit condemnari ad hujusmodi pœnas graves nisi de delicto constet & defensæ ejus audiantur: Farinacc. *qu.* 39. *n.* 15. 84. & 143. Guazzen. *defens.* 29. *Cap.* 4. *n.* 1. & *seq.* cum communi. Quod si inhabilitates & alia impedimenta canonica, propter quæ prætenderentur Moniales ineligibiles deducerentur positive ad quæstionem & controversiam, clarum est etiam Judicem competentem in prima instantia fore Superiorem Regularem respective attenta exemptione, ex D. Th. 2. *dist.* 44. *in fine ad* 3. Sylvestr. *V. Obedientia qu.* 8. & 10. *dicto* 2. Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 63. *n.* 6. servata tamen generali regula in casu controversiæ, de interpretatione magistrali non legali per Superiores facienda, quoties Pontificiis sanctionibus, si quæ adducerentur in casu, foret apposita clausula: *sublata &c.* Pro quo videndus Barbos. *clausula* 175. & Lezana *V. Prælatus n.* 11. & 12. Porro censuras quas possunt incurrere Moniales a jure recenset Monacellus *tom. iii. tit. iv. per tot.* ubi irregularitates item quibus sint subjectæ, licet & ipse fateatur irregularitatis notam esse ipsis impropriam & potius incapacitatem aut inhabilitatem in casibus fore appellandam. Verumtamen non distingueret laudatus Auctor nisi datis occasionibus sibi bene visis, inter subjectas Ordinariis locorum & inter exemptas, per consequens a quibus sententia declarativa, quatenus opus sit ferri debeat, prorsus silet, quamvis omnes fere censuræ & pœnæ ab ipso relatæ ad forum fori exterius spectent, vel ad illud possint deduci; revertendum igitur est ad jus commune quoad hujusmodi coercitivam potestatem in propriis legitimis Prælatis residentem, in Episcopis sane respectu sibi subjectarum, & in Regularibus loco Episcopi succedentibus respectu exemptarum, nisi in jure etiam quoad exemptas tribueretur Diœcesanis Episcopis sive Ordinariis locorum specialis facultas, perspectis item Decretis novissimis signanter circa clausuram. Lezana *V. Exemptio Regularium n.* 11. *ad* 14. Idemque dicitur quoties in jure censuræ & pœnæ non exprimantur ipso facto incurrendæ, aut vage comminentur per sententiam deinde Judicis legitimi pronuntiandæ, aut arbitrio & facultate Judicis ipsiusmet remittantur, cum sancitur videlicet, quod valeat Prælatus cui de jure censuris aut remediis juris procedere & inobedientes coercere. Valet siquidem in casibus sic expressis censuras adhibere Superior legitimus & proprius qui venit nomine Ordinarii in genere Prælati, quatenus in Constitutionibus, Sanctionibus & Decretis non specificentur Episcopi, sive Ordinarii cum addito *locorum*, eisque facultas delegetur in casu per Sedem Apostolicam etiam in ordine ad exemptas, ut habetur revera in Bulla signanter *Inscrutabili*: quoad citatam custodiam clausuræ & nonnullis aliis S. C. decretis

30 Solet ad propositum etiam inquiri. Utrum Abbatissa sit revera suspensioni tamquam censuræ subjecta? Eo quia non tantum Ordinis, sed etiam jurisdictionis spiritualis sit incapax: *ex Cap. de Monialib. de sent. excomm. Cap. Nova de pœnit. & remiss.* D. Th. 4. *dist.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *ad* 1. D. Antonin. 2. *part. tit.* 16. *Cap.* 7. §. 2. Sylvester Verbo Abbatissa *n.* 1. & *alii* Summistæ, Navarr. *Cap.* 27. *n.* 6. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 5. & *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *Cap.* 1. *n.* 3. Pelyzar. de Monialib. *Cap.* 4. *sect.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 16. &c. At generaliter in jure suspensionis supponitur capax, quia non una vice imponitur aliquid Superioribus indeffinite utriusque sexus, sub pœna suspensionis simul ac aliarum censurarum, immo in Pontificiis Sanctionibus indicuntur expresse pœnæ suspensionis ipsis Abbatissis non semel ac Priorissis, ut in Bulla *Decori* S. Pii V. in Bulla Gregorii XIII. *Ubi gratiæ*. Utpote jurisdictio aliqua spiritualis non soleat negari ipsismet Abbatissis ab Auctoribus saltem ministerialiter, ut explicabimus infra & hinc suspensioni posse dici

dici subjectas concludunt Pirrhus in jus Can. *lib. 5. tit. 39. n. 206.* & post ipsum Monacellus *tom. 3. pag. 19. n. 56.* Insuper, sicut eis aliquid sub pœna suspensionis imponitur a jure, ita præceptum ab homine posse iisdem injungi sub eadem suspensionis pœna addunt. Layman. *lib. V. tract. V. qu. 3. Cap. 1. n. 1.* citans Henriquez. Quod quidem ex statutis Ordinum & Constitutionibus usualibus Monasteriorum aperte confirmatur, in quibus suspensio vel imponitur, vel comminatur vel Superiorum relinquitur arbitrio. Signanter in Constitutionibus Monialium Religioni Minoriticæ subjectarum, punire eas graviter in quibusdam casibus Superioribus demandatur, cum facultate expressa suspendendi ab Officio *Cap. XI. §. XI. n. 2.* sententias conciliat nihilominus Anacletus Reiffenstuel advertens hanc suspensionem potius esse ab officio Œconomico ejusque exercitio, quam ab actibus Ecclesiasticis, quorum Monialis vel Abbatissa revera non est capax; proinde non posse proprie dici censuram *de sent. Excom. §. 6. n. 164.* Verum de hoc num. sequenti. Pro nunc quomodocumque vocetur aut queat contingere hujusmodi impositio pœnæ, ad ejus executionem rarissime deveniendum consulunt ratione & æquitate dicti Doctores, attentis cofusionibus recursibus, immo scandalis, quæ eventura pro certo experientia docet, potius expectandum tempus confirmationis opportunum, quando per vota Monialium immerita Præfecta posset & deberet deponi; sic Superiore eis insinuante præcœteris; Ut signanter in Regula Clarissarum habetur *Cap. 11. & Cap. 18.* Nec reticendum quantum ad potestatem coercitivam Prælatorum respectu Monialium subditarum in Religione Minorum; qualiter Abbatissa sive Præfecta possit visitari corrigi institui & destitui a Patre Generali Ordinis ex concessione speciali Eugenii PP. IV. in Bulla *Ad stratum*. Apud Confectium *fol. 28.* Prout refert P. Lantusca in Theatro Regolarium tit. *Abbatissa n. 7.* Potestas dicta tamen deberet semper intelligi servato juris ordine ubi sit necesse; simulque tot posteriores Bullæ & Sanctiones non possent non attendi.

51 Potestas hæc eadem coercitiva quæ competit Prælatis Ordinis quod exerceri possit proportionaliter in subditas ab Abbatissis & Priorissis &c. tenent Doctores communiter, eoquia se habeant veluti Matres familias gerentes gubernium temporale & politicum & œconomicum potiori jure quam Matres respectu filiorum, cum eis potestas quoad hujusmodi gubernium competat ex vi Regulæ & Constitutionum per Sedem Apostolicam confirmatarum & proinde quod jure gravi obligentur subditæ ad ipsis parendum sub mortali. Sotus *in 4. dist. 20. qu. 1. art. 2.* Portell. *dub. Regul. V. Abbatissa* Lezana cum aliis *tom. 1. cap. 26. n. 8.* & in hoc nullus fere dissentit. Gravis tamen viget controversia an possit Abbatissa præcipere Monialibus in virtute Sanctæ Obedientiæ ac in virtute Spiritus Sancti? Et communis sententia negat, quia hujusmodi præcipiendi modus supponit potestatem Ecclesiasticam & jurisdictionem spiritualem cujus mulieres ut pluries dictum est sunt incapaces non tantum ratione sexus sed conditionis; cum jurisdictio spiritualis exigat Statum Clericalem. Ita cum D. Thoma *in 4. dist. 25. qu. 2. art. 1. ad 2.* Rodriguez *tom. 1. qu. Regul. qu. 15. art. 1.* Victoria in Sum. Sacram. *de clavib. n. 325.* Passerin. de elect. Can. *cap. 9. qu. 8. n. 56. &c.* Affirmant vero plures alii præsertim recentiores sustinentes esse Abbatissam capacem jurisdictionis etiam spiritualis dummodo non sit circa ea quæ exigunt Clericalem Ordinem saltem tonsuram; in reliquis posse præcepta ad spiritualem profectum edicere, quemadmodum pro spirituali profectu Sororum sive Subditarum tenetur invigilare, immo earum professionem quæ est actio spiritualis valet excipere. Quod confirmant; nam status Clericalis minime requiritur ad potestatem dominativam directivam & coercitivam cui potestas clavium non sit adnexa; ut constat ex monumentis antiquorum Patrum quorum plurimi Abbatiali superioritate leguntur insigniti, quamvis Clericali vel tonsura minime initiati, prout neque hisce temporibus repugnat Laicum conversum in aliquibus Religionibus cum omnibus facultatibus muneri de jure competentibus Superioratum gerere localem ut in Religione Minorum ac etiam generalem ut in Religione præ cœteris Sancti Joannis de Deo hospitaliorum. Quod si fiat effugium, ad sexum, ratione cujus & non ex solo deficiente status Clericalis repugnet gubernium spirituale & potestas jurisdictionis Abbatissis, replicant harum fautores verificari repugnantiam circa potestatem jurisdictionis pariter pertinentis ad claves, sed nullibi inveniri in jure hujusmodi repugnantiam in Mulieribus quoad potestatem dominativam simpliciter & directivam, quæ spiritualis potest

test esse utique absque respectu ad Claves. Ita probabiliter Lezana *tom. 1. cap. 26. n. 9. & 10.* Et absolute P. Sanctorus super Constit. *cap. 11. stat. 7. assert. 11.* Castropalao *tom. 3. art. 26. disp. 4.* Diana *part. 5. tr. 9. resol. 16.* quos allegat & sequitur Felix potest. *tom. 1. part. 1. cap. 2. n. 307. seq.* Matteucc. *Offic. Cur. cap. 50. n. 28.* Ubi etiam affert pro se legem videlicet Cap. *Indemnitatibus de elect. in 6.* addens Abbatissatum esse officium Ecclesiasticum post Monacellum *tom. 2. pag. 190. n. 1.* qui Abbatissatum dignitatem Ecclesiasticam appellat ex eodem Cap. *Indemnitatis de elect.* Præ cœteris autem rem erudite tractans Cardinalis Petra *tom. 3. ad Constit. VII. Urban. IV.* in Abbatissa dignitatem probat fortius quidem in perpetua cujusmodi non desunt plures in Germania præsertim, sed proportionaliter quoque in temporanea triennali vel biennali, quomodo obligantur quælibet passim in Italia, eo quia unicuique competat administratio rerum Ecclesiasticarum & præeminentia in gradu respectu Monialium & aliquando etiam Clericorum, propter quod possit dici in aliquo sensu Prælata prout talis nominatur in Cap. *Dilecta de majorit. & obedient.* & per Gloss. in Clementina *Attendentes de stat. Monach.* & in aliis: Fagnan. *in Cap. 1. de fil. Præsbyt. n. 28. 56. & 57.* Ideoque concludit Emin. præfatus ibi n. 15. posse revera Abbatissam præcipere Monialibus subditis in virtute Sanctæ Obedientiæ & Spiritus Sancti cum Azorio instit. mor. *tom. 1. lib. 13. Cap. 10. qu. 7.* Gonzalez *in d. Cap. Dilecta n. 4.* & Rot. *dec. 827. & 840.* coram Buratto.

§. 1. Porro hæc controversia fere ad nomen reducitur. Etenim negari non potest quod jurisdictionis vere & plene spiritualis sit directe & proprie fœmina incapax, ex allegatis juribus. Cap. *Nova de pœnit. & remiss. Cap. de Monial. de sent. excom.* & D. Thom. 4. *sent. dist. 21. ubi supr.* Verum aliqualem jurisdictionem indirectam & semiplenam nequimus eidem non concedere ex cap. mox cit. *Dilecta de majorit. & obed.* ubi asseritur quod possit suspendere, non tamen suspensione quæ sit censura & quod sit peccatum mortale non ei obedire, exponitque gloss. quod valeat suspendere ab officio & beneficio Moniales & Clericos sibi subditos inobedientes & sic conferre Ecclesias seu beneficia & instituere seu deputare Clericos in Ecclesiis sive Monasteriis: legatur gloss. ad d. *Caput Dilecta* Caput autem *Indemnitatibus de elect. in 6.* secundum verba adducta a P. Matteucci *n. dicto 28.* ℣. *Respondetur tamen &c.* nihil facit ad rem, ut est legenti evidens; bene quidem aliquid probant subsequentia verba ejusdem capitis §. *Sane* ubi expresse habetur quod dum Superior inquirat de objectis antequam electionem confirmet, poterit *Electa in temporalibus & spiritualibus Ministrare*. Hinc facile concordantur sententiæ concludendo, quod si ad aliquas actiones se extendat Abbatissa in quibus jurisdictio spiritualis exercetur licet semper absque ordine ad claves, tunc se gerat veluti ministerialiter & per commissionem sibi datam vel a Superiore vel per leges quæ intendant ipsam semper substituere quoad executionem vice & loco legitimi Prælati sive Superioris plenariam possidentis potestatem jurisdictionis spiritualis in casu, ut quis perpendendo colligit ex Cap. d. *Dilecta de major. &c. & Cap. Indemnitatis d. §. Sane de elect.* uniformiter ad doctrinam D. Th. loc. cit. *in 4. dist. 25. qu. 2. art. 1. qu. 1. ad 2. ubi ait. Abbatissa non habere Prælationem Ordinariam sed quasi ex commissione* post quem Passerin. de stat. hom. *tom. 2. qu. 186. art. 8. n. 92. & seq.* & de elect. Canon. *Cap. 9. n. 56.* Lezana *d. Cap. 26. n. 10.* Grass. dec. aur. *part. 1. lib. 4. Cap. 5. n. 6.* & subscribit Felix Potestas loc. cit. *n. 202.* Sic itaque poterit non solum Monialibus imponere penitentias a Constitutionibus taxatas juxta speciem & numerum transgressionum, sed proprio jure arbitrarias cogendo eas ad observantiam Regulæ & statutorum: Vasquez 1. 2. *disp. 166. Cap. 4.* Card. Petra *tom. 3. pag. 198. n. 11.* cum reliquis, itemque non tantum ad spiritualem profectum præceptis adigere subditas sed in virtute Sanctæ obedientiæ ac Spiritus Sancti præcepta corroborare, quod est propositum attenta ratione pro omnibus Abbatissis & Monialibus concludente; sed probat id specifice pro Monialibus Ordini Minorum subjectas P. Sanctorus Constit. *Cap. 11. stat. 7. dubit. 11.* ℣. *Respondeo 2.* Immo habetur expresse in Constitutionibus ipsis generalibus Ordinis conditis de anno 1639. die 11. Junii apud Gubernatis *tom. 4. cap. 9. pag. 62.* Necnon Clericos beneficiis providere ut dicetur infra, instituere & destituere in aliquibus casibus, juxta præfata & explicationem datam a P. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. Cap. 9. n. 13.* Atque isto modo jurisdictionem acquirere in eosdem Clericos jure consuetudinis legitime præscriptæ, ut vult Pirrhus in jus Can. *lib. 5. tit. 11. & 34.* adductus a Mo-

a Monacello *tom. 3. tit. 4. pag. 191. n. 11.* Nec non provisiones statuere opportunas secundum DD. quos Monacellus ibidem allegat; Quamvis nullatenus posse suspensionem quæ sit censura aut excommunicationem ferre conveniant omnes: nec aliquid sub excommunicationis pœna aut suspensionis quæ sit censura jubere cum sit jurisdictionis hujusmodi spectansis ad claves omnino expers. Ex citatis juribus uti supra præcipue ex Cap. *Monialibus 33. de sent. Excom. & Cap. Tanta de excess. Prælat.* Sot. *in 4. dist. 20. qu. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 6. de pœn. Cap. 2. n. 4.* Azor. *instit. mor. lib. 13. cap. 10. ℣. Quarta probatur* & Barbos. *in Cap. Dilecta de major. & obed. n. 5.* & cum omnibus usquemodo citatis Rota in Nullius Hispalen. 21. Febr. 1707. cor. Molines, signanter id probat egregie P. Sanctorus cit. *Cap. XI. stat. 7. dicto XI. ℣. Respondeo primo.*

§. II. Merito tamen advertit ibidem laudatus Auctor non esse prohibitum Abbatissis publicare excommunicationem latam a Prælato quia tunc non jure proprio *sed jure delegato* ait ipse quamvis melius diceretur jure *alterius & ministerialiter* censuras censeretur ferre, cum Avila *part. 1. dub. 6. & aliis* Emus vero Petra post quam propositum validis rationibus & auctoritatibus autumat ostendisse *d. tom. 3. ad Constit. VII. Urbani IV. n. 51. ad 55.* movet dubium *an per se ipsam* ex privilegio Papæ posset Abbatissa excommunicare? Cum præcedenter concesserit quod privilegio Apostolico existente valeat excommunicare interdicere & suspendere subditos Clericos per Vicarium & substitutum Ecclesiasticum, de quo latius sect. seq. Et utique resolvit probabiliter dubium pro parte affirmativa sistendo in Potestate absoluta Papæ super quidquid legi Divinæ & naturali non repugnat; ut (asserit ipse) in casu, at secundum leges & communem Ecclesiæ usum id non fieri nec fieri debere concludit, & melius sicuti nec factum unquam legitur ibi n. 58. & seq. quod additur ad simplicem ornatum,

32 Inter observantias reliquas, ad quas obligare potest & debet Abbatissa Moniales subditas relevat profecto illa, quod interveniant Horis Canonicis in Choro: Sot. *de just. & jur. quæst. 5. art. 3.* Ledesma *part. 2. tract. 9. cap. 4. concl. 7.* Paris de Hor. Can. *cap. 3. dub. 24. n. 3.* Layman. *3. part. tract. 18. quæst. 21. & 22.* Hac itaque occasione inquirimus ultro pro elucidandis controversiis per Moderniores introductis: An Moniales Professæ censeantur obligatæ revera ad recitandum Divinum officium in Choro prius, ac etiam nisi Choro intervenient extra Chorum? Prima obligatio, quod nempe Chorales in Monasteriis teneantur in conscientia ad divinum recitandum Officium communiter in Choro, injuncta & sancita legitur in Concilio utroque *Maguntino* sub Leone IV. cap. 17. in Concilio Colonien. 3. titul. de Offic. & cant. & in Concilio Cabilonen. 3. cap. 59. & clare colligitur ex Clement. 1. de celeb. Mis. cap. *Dolentes* necnon in Concilio Mediolanen. ita & taliter, quod esto qualibet Religiosa Choralis omnibus Horis recitandis in Choro sub mortali simpliciter & absolute intervenire non obstringatur, tamen si intentionem coleret sive propositum non interveniendi, aut quoties ex defectu sui non compleretur Choralium Assistentium numerus necessarius, aut habitualiter & ut in plurimum recitationem in publico Choro omitteret ut levis momenti lucris ob temporale emolumentum incumberet, sive Abbatissæ ad Chorum vocanti obedire mediis excusationibus ac insubsistentibus & emendicatis prætextibus renueret, eo pejus si Chorum relinqueret ut vanis collocutionibus vacaret ad Crates, quod gravi culpæ obnoxiam se redderet reatu affirmat & probat Magister Richeider in sua practica conscientiæ pro Religiosis Claustralibus fœminis *tract. 6. n. 5.* qui citat Cajet. Sanchez. Faustum, Filiuccium, Bonacc., Dian., Layman, Conradum ut videre est apud ipsum & Petrum Franciscum Lombardum super Regulam Clarissarum editam Italico idiomate Taurini de an. 1717. in part. 1. pag. 249. Numerum autem necessarium Monialium ad hoc ut obligatio adimpleatur recitandi Horas Canonicas in publico Choro sufficere quaternarium videlicet Sororum Choralium quatuor recitantium docent Diana *part. 7. tract. 11.* Miscel. resol. 5. Caramuel. in Regul. S. Benedicti dis. 101. dub. 6. Pelliz. tract. 5. de Mon. *cap. 8. sect. 1. quæst. 22. n. 49.* immo non desunt qui necessitatem præcisam reducant ad tres; verumtamen numerum licet in rigore legis sufficientem, nequaquam sufficere in ordine ad Deum scrutantem renes & corda, ita ut Monialis Deo dicata, quæ absq. vel mediocri incomodo potens est ad eum laudandum cum aliis convenire in Choro, possit pro libito aliis temporalibus inutilibus exercitiis applicare impune, notant communiter Doctores & præcitati & alii

sed

fed fpecialiter in terminis pro Monialibus Seraphici inftituti ordinant Conftitutiones Generales Religionis in tom. 4. Orbis Seraphici cap. 3. apud Patrem de Gubernatis pag. 54. & in Sambuc. cap. XI.

§. I. De Monialibus deinde, quæ Choro non interfint occupationibus neceffariis aut utilibus detentæ, an teneantur nihilominus officium Divinum recitare privatim? Non defuerunt Doctores eas ab hac obligatione eximentes, quod abfque gravi culpa recitationem in cafu Divini officii extra Chorum poffint omittere, inter quos duodecim enumerat & nominat Philippinus de privileg. ignor. in appendice *cap. 4. n. 269.* attamen multo plures, immo communiter hifce temporibus Doctores fuftinentes affirmativam partem, nimirum quod Moniales Choro non intervenientes teneantur fub mortali Officium recitare privatim, refert diligenter P. citatus Richeider tract. 6. n. 63. necnon P. Clemens de Janua in adnot. Regulæ Clariffarum *cap. 8. n. 10.* Paterque Felix Poteftas in primo præcept. Decalogi *cap. 3. n.* 429 adducit Paftoralem Archiepifcopi Panormit. afferentis, quod opinio negans obligationem in Monialibus recitandi privatim, quatenus Choro non interfint Officium Divinum effe Patris mendacis commentum. Quod fi afferantur in contrarium Regulæ refpective feu Conftitutiones fere Monialium quarumcumque, in quibus recitatio Divini Officii, Choralibus impofita continetur, attenta declaratione & proteftatione ibi adjecta: *ad gravem culpam minime obligare*, & præcipue fi Regula, atque Conftitutiones ab Apoftolicis confirmationibus robur accipiant, ut verificatur de facto quantum ad Regulam Clariffarum & Sororum Minorum in qua Eugenius Papa IV. per Bullam incipient. *Ordinis tui dat. Nonis Februar.* 1456. atque Julius II. *in Conftitutione fub die* 10. *Aug.* apud Rodriguez tom. 1. ordinant, quod nil in ea contentum obliget fub peccato mortali exceptis quatuor fubftantialibus votis & iis, quæ electionem & depofitionem Abbatiffæ concernunt; itaut profeffio aliter facta aut intendens ad alia præter expofita obligationem extendere, minime quantum ad talia adjuncta valeat aut teneat; & fic cum recitatio Divini Officii a Monialibus adimplenda in Regula ipfa inferta perlegatur quod fub culpa gravi non obliget fit manifeftum. At hanc prætendunt eludere inftantiam, qui in Monialibus obligationem adftruunt diftinguendo inter diverfa recitandi divinum Officium motiva: unum fiquidem quod fit aut poffit effe Regula etiam diplomatibus Pontificiis confirmata, aliud ftatus Ecclefiafticus cui funt adfcitæ Moniales, obligatio autem non urgeret eas in cafu ratione & ex motivo Regulæ five Conftitutionum, quarum transgreffio in genere culpam non fecum ferret mortalem, bene vero ratione proprii ftatus Deo dicati & Ecclefiaftici diftinguentis illas a Perfonis in feculo Laicis, quem ftatum & obligationem per confequens in ipfo fundatam Regula modificata non variaret, & exemplificant de aliis ordinationibus in Regula qualibet refpective contentis, velut foret præceptum de non extrahendis, aut donandis Monafterii rebus in quantitate notabili, quod obligaret fub gravi nequaquam ex vi Regulæ, fed ratione damni illati mortalem culpam inducentis etiam præfcindendo a Regula, ut arguit P. Lombardus in Regula Minoriffarum *Cap. 6. n. 25.* poft Azorium *tit. de juftitia & jure quæft. 5. art. 3.* Navarr. in Manual. *Cap. 25. n. 96.* Lezana *part. 1. Cap. 13. n. 8.* Quantum deinde ad Moniales Clariffas id autumant indubie decifum dicti Auctores Clemens de Janua in adnotationibus & loco citato Lombardus per ftatutum generale Ordinis in Orbe Seraphico *tom. 4. pag.* 584. ubi declaratur quod omnes & fingulæ Religiofæ *profeffæ quæ aliquibus Horis non conveniant in Choro obligantur fub pœna peccati gravis ad recitandas Horas quibus in Choro non interfuerint*, referente eodem Petro Francifco Lombardo *Cap. d. 6. n. 25.* videturque confonare ftatutum generale Sambucanum. *Cap. xi. §. 15. n. 2. Ab Ordinariis Horis & oratione nulli fas fit abeffe, nifi publici muneris ratio excufet aut neceffitas Præfectæ probata cogat, & tunc abfentes officium Divinum ad præfcriptum recitare teneantur.* His non obftantibus P. Sanctorus, qui perperam a nonnullis pro opinione hac obligante citatur, oppofitum rotundis verbis afferit prius de Monialibus Clariffis una cum Corduba, videlicet quod nequaquam peccent quoties vel proprio munere præpeditæ, vel legitima & probata alia caufa impellente vel retrahente non adfiftant Choro, fi tunc Horas omiffas in eodem Choro privatim non recitent. Quod affertum dehinc ampliat ad omnes Moniales cujufque inftituti, nifi in Regula vel a Regula ipfa præcipiatur hujufmodi privata recitatio fuppleus defectui recitationis in Choro, fuique fundamentum afferti adducit nimirum, quia nec ratio-

rationem nec textum inveniat pro dicta obligatione convincenda. Ita Constit. Cap. XI. sub dicto XIII. V. *quaeritur*. Ad aliud autem statutum, quod dixi Sambucanum etiam ab eo allegatum respondet quod ibi taxatur & praecipitur absentibus a Choro recitatio divini officii *ad praescriptum* scilicet quoties per Regulam praescribatur, quod non contingit in casu ibidem.

§. II. Ego in hac re perplexus fateor statuta Monialium generaliter recitationem Divini officii demandare, nec esse dubitandum censeo, quod hujusmodi praeceptum communitatem afficiat, quoties Moniales hujus & alterius Monasterii ad recitandum illud in Choro obligentur in numero & eo pacto, quo paulo ante explicatum est. Fateor item Doctores multoplures subscribere sententiae quod Moniales nequaquam Choro intervenientes etiam ex legitimo impedimento teneantur horis quibus non interfuerint privatim recitando satisfacere etiam sub gravi, attenta quantitate officii omissi, cui opinioni etiam adsistere Regulas indiscriminatim Officii recitationem jubentes & praecipue Constitutiones pro Clarissis editas & supra adductas, non potest negari. Verum ex alia parte illa protestatio Regulis & Constitutionibus si apponatur quod illae non obligent ad peccatum, aut cum gravi peccato. Et praecipue si talis protestatio & declaratio sit de mente Summi Pontificis cadatque sub ejus expresso mandato ut evenit quoad Regulam Clarissarum, in qua recitatio divini Officii Monialibus praescribitur & continetur, notabilis est objectorum relevatio; cum magis incomparabiliter debeat attendi Pontificis expressum placitum, quam statuta fratrum, quos oculis clausis ferme clarius condere ipsa statuta & de hinc revocare non perpendendis omnibus a principio persaepe experimur. Nec ratio cui Pater Petrus Lombardus cum aliis per se citatis innititur, nimirum propter statum Ecclesiasticum in quo sunt constitutae Moniales addictae Choro sive Chorales tantae appareat firmitatis, ut debeat opinio obligationem sustinens in casu alteri neganti praevalere; nam arctius statui suo inherent Ecclesiastico tonsurati, quam Moniales, & tanto magis qui Ordinibus Minoribus sint initiati, qui tamen ratione hujusmodi strictioris vinculi ad recitationem horarum canonicarum minime sunt obligati. Nihilominus dubium in re non parvi momenti mihi praestantioribus doctrina & auctoritate viris relinquo libenter decidendum, suadens solummodo permutationem ex aliqua causa nimirum infirmitatis oculorum debilioris capitis aut difficilis pronuntiationis, facilius Monialibus fore concedendam, puta in recitationem Officii Sororibus laicis seu conversis in Monasterio assignati, nempe Orationis Dominicae & Salutationis Angelicae pluries repetendae ad proportionem pro qualibet hora, sive in orationes alias praesertim vocales, quia fas est fieri permutationem in aliquod consimile juxta concessionem expressam Innocentii PP. IV. pro Monialibus signanter Regulam Sanctae Clarae profitentibus sub directione Fratrum Minorum per Bullam la 10. ibi = *Et qua occasione rationabili non possunt legendo dicere horas suas liceat eis sicut aliae Sorores dicere Pater noster*. Apud Pelizarium & Felicem Potest. ubi supra *n.* 430. Quod latius insinuat P. ipse Petrus Franciscus Lombardus loc. cit. n. 26. Modus pariter & ordo recitandi Divinum Officium praecipue in Choro pro cujus observantia tenetur invigilare praeceptisque & correctionibus, quatenus opus sit ad ipsas Moniales sobditas, Abbatissa sive qualibet Praefecta, diligenter describitur atque insinuatur a praecitato Auctore in prima parte sui ejusdem Operis Cap. 6. per totum.

S E C T I O IV.

De Potestate absolutiva Praelatorum Regularium in ordine ad easdem.

S U M M A R I U M.

33 *Praelati Regulares deputant Confessarios Monialium proprii Ordinis qui tamen approbantur ab Ordinariis locorum. Confessarii item Regulares ab Episcopo deputati ad Confessiones excipiendas Monialium sibi subjectarum debent licentiam & placitum Praelati proprii obtinere.*

34 *Moniales Episcopo subjectae obstringuntur casibus ab eo reservatis, sicuti regulata a Praelatis Ordinum reservatis in Religione quoties statui non repugneat; non tamen puellae aut aliae Mulieres non professae. Reservatis quoad Clausuram ligantur Moniales etiam exemptae si de iis fiat mentio. Et nonnulla pro Monialibus Sanctae Clarae* §. un.

35 *Praelati Regulares iisdem quibus fruuntur facultatibus absolvendi Religiosos subditos possunt uti pro absolvendis Monialibus a reservatis Papae &c. sicuti privilegiis Ordinum respective quibus adnectuntur gaudent quoad hoc ipsa Moniales signan-*

gnanter Clarissæ sive sub regimine Fratrum Minorum.

36 *Examinatur potestas Prælati Regularis absolvendi Moniales subditas a casibus specialibus. & primam adducitur violatis clausuræ Monialium sub prætextu licentiarum quoad permittentes & admittentes, etiamque si violatio contingat ad malum finem pro quo affertur S. C. C. Decretum* §. un.

37 *Declaratur Decretum cum suis responsionibus; & repetitur primum posse Prælatos Regulares absolvere subditos ab ingressu in Monasteria Monialium ad malum finem extra Italiam & in Urbe immo id posse simplices Confessarios nisi aliud obstet.*

38 *Etiam ubique locorum & absolute valent Prælati Regulares absolvere subditos a casu violationis Clausuræ Monialium, a cæteris reservatis in Decreto Clementis* VIII. *immo a reservatis ultimo per Clementem* XI.

39 *Nentiquam prodesset absolutio obtenta in foro conscientiæ quo minus posset cognosci & puniri delictum deductum ad forum fieri. Nec si decretum emergeret novum a Sancta Sede, neque quoties reservaretur casus ab Episcopis loci quibus prudentia commendantur.*

40 *Valens itaque absolvi Regulares ingredientes Monasteria ad malum finem a propriis Prælatis sive Delegatis quatenus casus sit reservatus intra Claustra, tanto magis si ingressus non contingat ad malum finem a simplicibus quoque Confessariis: stylus Curiæ retunditur.*

41 *Ex dictis de Religiosis viris colligitur posse Prælatos Regulares absolvere Moniales sibi subditas in casu violationis Clausuræ contra Mattaeucci, cujus rationi satisfit.*

42 *Bulla S. Pii incipiens* Decori; *sicut alia incipiens* Circa Pastoralis, *non faciunt ad rem contra ingredientes Clausuram & cooperantes ad egressum &c. sicuti impertinent ad intentum adnotationes additæ a Monacello & nulla de reservatione ad propositum fit mentio in Bullis.*

43 *Explicatur quomodo Moniales delinquentes in casu violationis clausuræ quoad ingressum excommunicationem incurrant, an sit reservata?*

44 *Quoties violatio Clausuræ ex parte Monialium contingat propter egressum non potest absolvi Monialis egrediens si casus sit publicus & qua ratione; Potest tamen probabilius in casu occulto, atque in casu eodem publico in solo conscientiæ foro secundum aliquos.*

45 *Repetitur posse ex vi privilegiorum Regulares Prælatos absolvere Moniales subditas ab omnibus casibus & censuris reservatis Papæ, sicut inesse pariter subditis Monialibus in hac re passim &c.*

46 *Quando nequeant Prælati Regulares absolvere etiam subditas in casu egressus e Monasterio & in aliis casibus in materia Clausuræ? Et per extensum adducuntur verba Constitutionis* Inscrutabilis *pro Episcopis.*

47 *In suppositione quod Regulares & Moniales exemptæ incidant in casus & censuras reservatas Episcopo soli tamquam delegato Apostolicæ Sedis & facta Regularium & Monialium mentione quomodo deberent hæ & illi absolutionem procurare.*

48 *Adducitur casus, in quo Episcopus potestatem absolvendi denegaret & additur quod specialis mentio in reservatione non requiratur, quatenus Moniales sint subjectæ Regularibus.*

49 *An Prælati Regulares possint absolvere subditos, qui introducant mulieres intra Conventus septa & Confessarii Regulares etiam prædictas ingredientes mulieres?*

50 *Expenditur item & magis declaratur stylus Curiæ, ejusque vis.*

51 *Adducuntur & declarantur Statuta plura in Minoritica Religione concernentia violationem Clausuræ Monialium.*

52 *Perpenditur item Statutum contra Religiosos introducentes Mulieres in Conventus, & ampliatio pœnarum contentarum in Bulla S. Pii contra introducentes mulierem aliquam in Ædiculas Confessoriorum, & an habeat locum reservatio?*

53 *Respondetur Patri Sanctoro afferenti stylum Pœnitentiariæ absolventis Religiosos ad se recurrentes pro casu introductionis mulierum intra Conventus & affertur nova doctrina.*

54 *Valent item Prælati Regulares absolvere Moniales subditas ab excommunicatione Canonis ob percussionem etiam enormem alicujus Monialis aut Clerici, attentis innegabilibus privilegiis.*

55 *Examinatur casus abortus procurati in se a Moniali & an incidat in excommunicationem Canonis, reprobaturque doctrina Monacelli.*

56 *Resolvitur iterum & plene quæsitum, an Moniales veniant nomine Monachorum, sive Religiosorum Virorum: tenere nimirum in favorabilibus, quæ Monialibus aptari possunt nequaquam in odiosis nisi in lege explicite aut implicite saltem includantur.*

57 *Quod veniant Moniales nomine Religiosorum etiam in odiosis quoties explicite nominentur, non est dubium, quando vero comprehendantur implicite in prohibitionibus dilucidatur; afferuntur deinde casus plures seu censuræ repugnantes Monialibus.*

58 *Possunt pariter Praelati Regulares dispensare cum Monialibus subditis in quibuseumque dispensare valent cum Religiosis viris; incidit dubium an indigeant dispensatione pro Abbatissatu consequendo illegitima bigama vidua & ex maculato genere.*

59 *Necessitas dispensationis quatenus sustineatur in dictis casibus, hujusmodi potestatem residere in Praelatis Regularibus respectu Monialium subditarum pariter sustinere tenemur, ut distincte hic examinatur.*

60 *An, in quibus & quomodo valeat Abbatissa ipsamet dispensare cum mulieribus Subditis, an possit & quomodo benedicere atque sermocinare Monialibus?*

61 *Plura alia occurrunt, quae Abbatissae competere non est dubium scilicet inire contractus, conferre beneficia, excipere vota solemnia Monialium per privilegium; sed in his omnibus salvatur, quod jurisdictionem spiritualem, cujus est incapax minime exerceat.*

62 *Abbatissae non repugnat immo competit quandoque possessio territorii vere avulsi & separati & tunc potestas circa aliqua spiritualia non potest eidem denegari, non autem vera jurisdictio, quae a potestate distinguatur.*

33 Quamvis Praelati Regulares per se solos nec concedere aliis facultates audiendi Confessiones Monialium eorum regimini subjectarum, sed nec ipsimet earum confessiones excipere valeant absque Episcopi Dioecesani approbatione, aut licentia ut praemissum alibi fuit ex Constitutionibus *Inscrutabili* atque *Superna*, attamen quod potestas absolvendi subditas sibi Moniales per seipsos vel Confessarios specialiter deputatos atque formiter approbatos eis insit à jure negabit nemo, ut habetur in *Mari magno Sixti IV.* pro Carmelitis §. 62. & expressius pro Monialibus sub regimine Fratrum Minorum in Bulla Sixti ejusdem IV. incipient. *Ut Eternae Beatitudinis* in Orbe Seraphico *tom. 2. pag.* 749. ita quod nisi Supremimet Pontifices Gregorius XV. Clemensque X. in citatis Constitutionibus per subsequentia Decreta pluries confirmatis & declaratis juberent approbationem ulterius obtinendam ab Ordinariis locorum, sufficiens foret pro Monialibus alicui Ordini respective addictis deputatio & approbatio confessarii habita à Praelato Ordinis ejusdem legitimo, juxta D. Barbosam in collect. ad Conc. Trident. *sess.* 25. *Cap.* 10. *de Regul. n.* 4. Azor. item *tom.* 1. *instit. lib.* 13. *Cap.* 9. *quaest.* 2. Campanil. *in divers. jur. can. rubr.* 12. *cap.* 16. *n.* 5. Hinc eodem pacto itaque quo est necessaria approbatio Episcopi pro excipiendis confessionibus Monialium in Confessario Regulari, debere praesupponi approbationem etiam proprii Provincialis, vel alterius legitimi Superioris quoquo nomine vocetur pro Monialibus ipsis ultra approbationem pro Saecularibus in Confessione audiendis, insinuat merito cum aliis Tambutinus de jur. Abbatiss. *disput.* 16. *quaest.* 2. *n.* 3. & non tantum quoad ordinarios, sed Confessarios extraordinarios etiam, ut ibidem laudatus Auctor num. eodem 3. propter eamdem rationem jurisdictionis Praelato proprio competentis, immo extendi hanc eamdem necessitatem approbationis praecedenter obtinendae a Praelato proprio Regulari ad Confessarios tum ordinarios tum extraordinarios pro excipiendis non tantum Confessionibus Monialium ejusdem Ordinis sed alterius adhuc & Ordinario ipsi subjectarum, subdit P. Lantusca afferens Decretum Sacr. Congreg. Episcoporum sub die 3. Septembris 1638. in Theatro Regularium *V. Jubilaeum n.* 2. cui adhaeret P. Petrus Franciscus Lombardus alias citans super id Pontificias ordinationes in Regola S. Clarae *part. 2. Cap. 6. n. 2. per tot.* Quamvis in pluribus casibus hanc approbationem praeviam Confessariorum a propriis Superioribus pro Monialibus non subjectis eidemmet Ordini sed sub regimine Ordinarii loci sufficere tacitam aut implicitam, ita ut Superior respective Regularis conscius quod Ordinarius loci pro audiendis Confessionibus Monialium illi subjectarum & non exemptarum Religiosum sibi subditum in extraordinarium praesertim deputaret, sufficiens foret quod non dissentiret, cum omnes Bullae & ordinationes praecipientes approbationem necessariam etiam proprii Praelati Regularis pro Monialibus, clare sonent de Monialibus subditis eidem Regulari Praelato approbatio vel in genere pro excipiendis confessionibus Monialium non exceptarum quarumcumque cum licentia proprii Praelati, in Confessariis ultra approbationem & deputationem Ordinarii loci insinuant habitualiter praesupponi, ut apparet signanter in Bulla Leonis X. apud Rodericum *in supplemento pag.* 42. *tom.* 1. *quaest. Regul. quaest.* 62. *art.* 11. & Urbani VIII. Constitut. *In specula* die 19. Julii 1630. apud Donat. *tom.* 3. *tract.* 5. *quaest.* 11. *num.* 6. & dictat continua praxis.

34 Casibus reservatis ab Episcopo, conveniunt Doctores, quod sint obnoxiae Moniales ejus

ejus subditæ. Donatus cum aliis *tom.* 4. *tit.* 13. *qu.* 34. Necnon Moniales exemptæ & a Regularibus gubernatæ quod ligentur casibus reservatis in propria Religione respective, ut superius diximus quatenus earum statui & conditioni non repugnent. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3436. cum communi: unde exemptas nullatenus afficiant casus reservati ab Ordinario. Idque observandum quantum ad puellas quoque aliasque mulieres intra Clausuram horum Monasterium degentes, utpote ratione loci exemptas ab Ordinarii jurisdictione advertit Donatus *t.* 3. *tr.* 5. *qu.* 33. *n.* 2. Et ipsemet Felix Potestas *n.* 3297. post Turanum de Confess. *n.* 12. *pag.* 113. Addita advertentia simul quod nec Puellæ educandæ nec Novitiæ ligentur reservatione casuum sive Episcopo sive Regularibus subjiciatur Monasterium in quo demorantur, esto casus ipsi pro Monialibus specificentur reservati, eo quia non veniant nomine Monialium in odiosis: Bordon. *resol.* 4. *n.* 1. *& seq.* Felix Potest. *part.* 2. *n.* 1450. Quoties vero Episcopus casus reservaret tangentes Clausuram obligare etiam Moniales a Regularibus directas quatenus de his fiat specialis mentio, unanimiter tradunt Doctores, quia eidem principaliter per Concilium Tridentinum Clausuræ cura demandatur *sess.* 25. *Cap. Periculosa* de Regul. & in casu operaretur veluti Sedis Apostolicæ Delegatus. Ex repetita pariter Bulla *Inscrutabili* etiam cum derogatione privilegiorum. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 2. Felix Potestas *num.* 3436. cum reliquis.

5. Un. Duos autem præcipue casus reservari in Constitutionibus generalibus nostri Ordinis confirmatis per Summos Pontifices Urbanum VIII. & ven. mem. Innocent. XI. pro Monialibus subjectis eidem; observant P. de Gubernatis in suo Orbe Seraphico *tom.* 4. *Cap.* 3. *pag.* 58. citatus per P. Petrum Franciscum Lombardum in reg. S. Cl. *part.* 2. *Cap.* 6. *n.* 5. Nempe = *Quoties qualibet Monialis arripiat conservet aut recipiat vestem aut aliam quamcumque rem Consororis demortuæ.* Quod intelligitur absque licentia Abbatissæ & Præfectæ = *Et quoties Monialis aliqua alterius Religiosæ famæ injuste notabiliter detrahat*. Pro quorum sane absolutione recolenda sunt quæ diximus in genere de absolutione casuum reservatorum pro Monialibus super sect. præced. n. 26. in fin. Quod si revera casibus in Religione reservatis juxta formam decreti Clementis VIII. subjiciantur Moniales quatenus in eos inciderent, non posse Confessarios Superiorem, cui de jure & in Religione Observantium Provincialem non adire juxta dicta alibi & absolvendi facultatem petere, est absque controversia. Atque in casu quo non obtineret a Superiore denegante posse nihilominus Moniali delinquenti absolutionem impertiri, tradidimus sufficienter quantum ad Religiosos viros superius *Dub. XVIII. sect. ii. n.* 10. *&* 11. Ex declaratione Urbani PP. VIII. addito Decreto sub Clemente VIII. apud Felicem potestatem *tom.* 3. *n.* 282. Nisi ut forte viget communis praxis, Confessario Monialium subjectarum Regulares Prælati auctoritatem absolvendi illas in foro conscientiæ a reservatis, quoties occurrerint, ultro concedant, ut Sectione præcedente tetigimus num. cit. 26. Sed adnotare tenemur in proposito. Quomodo hæc eadem decreta Clementis VIII. atque Urbani pariter VIII. nullatenus afficiant juventque non exemptas, eo quia Regularibus propriæ sint directa & specifice pro Regularibus edita: Pelizar. citans alios a *n.* 49. *cap.* 10. de Monialibus; non enim privilegia quibus Sanctimoniales sub cura Regularium professæ fruuntur præjudicium afferre queunt juribus Episcopi absolutam super sibi subjectas potestatem præseferentis per Doctores allegatos a P. Cajetano de Alexandris in opere Cura totalis *Confessarius Monialium Cap.* 6. §. 8. *qu.* 12. Propterea que dicendum quod si Moniales etiam exemptæ delinquant in casibus reservatis ab Episcopo in ordine ad Clausuram, supposita mentione earum adjecta in reservatione, teneatur quidem Confessarius pro iis absolvendis petere ab eodem Episcopo reservante facultatem; at in casu quo is negaret nequaquam valeat eas absolvere pro illa vice, eo quia decretum Urbani appellat Prælatos Regulares & Confessarios ab his institutos & dependentes; non autem Prælatos tangit Sæculares atque Ordinarios locorum. Ita Doctores quibus subscribit Felix Potestas *tom.* 1. *num. cit.* 3436.

35 Privilegia autem omnia, quibus gaudent Prælati Regulares absolvendi proprios subditos a reservatis Sedi Apostolicæ, prout ostensum fuit in Dubit. XIX. sect. III. n. 22. De quibus inter alios fuse Donatus *tom.* 2. *part.* 1. *tr. II. qu.* 17. *per tot.* nec non *tom.* 4. *de Monial. tr.* 13. *qu.* 35. *n.* 2. sentiendum est sine dubio ad favorem Monialium ordini alicui Regulari respective adjectarum extendi: sicuti privilegiis reliquis ejusdem respective Ordinis

cui subijciantur frui ipsasmet, per plures Pontificias Constitutiones sancitum expresse legi non una vice diximus & in hac signanter materia absolutionum replicamus. Nempe pro Cistercensis Ordinis per Innonoc. VIII. Const. 9. *Ad Romanum* Pro Monialibus Congregationis Monachorum S. Mariæ Trullensis Pauli V. Constit. 29. *Quæ Regulares* Pro Monialibus Sancti Dominici: Sisti IV. Constit. 19. *Sacri*. Et præcipue pro Monialibus Sanctæ Claræ per Patres de Observantia directas relevat expressissime declaratio, seu potius specialissimum diploma Sixti IV. incipient. *Ut æternæ Beatitudinis* in Orbe Seraphico *tom. 2. pag.* 749. legendum. Itemque ad rem nostram, posse Moniales Sanctæ Claræ absolvi plerumque per proprios Confessarios, intellige a Prælatis debite approbatos & deputatos in principalioribus solemnitatibus anni ibi recensitis a quibuscumque censuris & criminibus; concessit Leo X. ut refert Tambur. de jure Abbatissar. *disp.* 17. *qu.* 7. *n.* 234. & Mirand. q. Reg. *tom.* 1. *qu.* 20. *art.* 21. Hæc verumtamen privilegia & alia in eadem materia absolutionum; an suffragentur Monialibus non exemptis non obstantibus præmissis dubitant Doctores, quoniam leguntur directa Prælatis Regularibus cum restrictione ad subditas eorum, quamvis non deessent eo tempore Monasteria Monialium Episcopis subjectarum, ex adnotatis per Patrem Clementem de Janua super Reg. Clariss. *ad Cap.* 12. *n.* 5. Sed quoad hoc decreta novissima debere observari concludimus juxta generalem regulam, quod posteriora derogent prioribus; præcipue si de prioribus fiat mentio. *l. Sed & posteriores ff. de legib. pacta novissima, ubi Dec. C. eod. tit. l. Clari, ubi* Baldus *C. de fideicom.* §. *posteriore* Rot. *decis.* 197. *n.* 2. & 3. *part.* 4. rec. Cajetan. *dec.* 186. *n.* 2. Duran. *dec.* 291. *n.* 22. Sylv. *opusc.* 3. *de declar. Card. n.* 11. *fol.* 283. Armandaraz in proœm. addit. *ad rerumpub. leg.* Navarr. *n.* 7. Seraph. *dec.* 1271. *n.* 1. Pignatel. consult. 107. *n.* 14. *tom.* 1. Pirh. disc. Eccles. *t.* 3. *n.* 11. addita decis. Rotæ in Milevitana decret. 1707. 2. Martii §. *fin.* cor. Ansaldo. Vnde opportunius descendemus ad aliquos peculiares casus, super quos solet cadere difficultas. An Prælati Regulares possint Monialibus sibi subditis vel per seipsos ser. fer. vel per deputatos Confessarios absolutionem impertiri.

36 Et primo replicabimus distinctius quæ dubit. XI. de potestate Episcopi super Moniales præmisimus, sect. 4. a n. 22. quantum ad ingressum in Monasteria egressumq. earumdem Monialium & allocutiones cum ipsis. Dictum siquidem ibi fuit, quod excommunicationem reservatam Papæ incurrant tum ingredientes tum cooperantes ingressui sive Moniales sint sive alii Superiores aut Officiales modo explicato, dummodo ingressus & admissio ingredientium fuerit *sub prætextu licentiarum.* A qua tamen censura, incursa sub prætextu dicto per Moniales sive Superiorissas esto tantum permittentes sive admittentes, possint singulas absolvi per Prælatos proprios aut Confessarios ab his deputatos, quia Pontifex Gregorius nempe XIII. in sua Bulla *Ubi gratiæ* 24. *Junii* 1575. non tangit privilegia Regularium. Posse etiam Episcopum mittere Confessarium simplicem Regularem a se approbatum ad absolvendas ab hac censura Moniales non exemptas & sibi subditas in foro conscientiæ dumtaxat, quamvis esset deducta ad forum contentiosum: addit ultra ibi dicta Donatus citans plurimos *tom.* 1. *part.* 2. *tr.* 4. *qu.* 33. & 34. cui videtur subscribere Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3492. & qua ratione? Non alia certe, nisi quia per privilegium concessum a Paulo III. Jesuitis apud Felicem Potestatem n. 3459. in quo alii Regulares communicant datur facultas Confessariis Regularibus absolvendi quoscumque fideles exteros utriusque sexus undequaque ad se convenientes a quibuscumque peccatis & reservatis censuris exceptis paucis ibi: propterea cum Moniales alterius Ordinis sive Episcopo subjectæ considerentur ut exteræ respectu hujusmodi Confessariorum, non est unde negetur iis facultas eas absolvendi ser. fer. in casu. Quam tamen facultatem non habent præfati Confessarii simplices respectu Religiosorum & Monialium ejusdemmet Ordinis in quo respective propter absolutionem consequendam a reservatis Papæ, oportet tum Religiosas tum Moniales habere recursum ad Prælatos proprios qui talem facultatem possident per privilegium privativum, quatenus vel ipsi absolvant vel aliis facultatem committant, ut ingeniose observat Passerinus *de el. & Can. cap.* 26. *qu. cit. n.* 44. Et latius P. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 27. 28. & 29. de quo etiam infra.

§. Un. Considerandum autem obvenit Decretum S. C. C. sub Clemente VIII. inter sex reservatos casus adnumerans *violationem Clausuræ Monialium ad malum finem* quod licet Decretum editum de anno 1601. & repetitum cum moderatione de

ne de anno 1602. reservat omnes dictos casus sex intra Italiam dumtaxat & extra Urbem ut explicatum fuit in *tom. 1. dubit. X. sect. III. n.* 36. Et videre quis itidem potest apud Cardin. Petra *tom. 5. ad Constit.* 19. *Sixti IV. a n.* 7. admittit nihilominus rationabile dubium. An casus specialis de quo agitur *violationis nempe Clausuræ Monialium ad malum finem* etiam sine prætextu licentiarum remaneat reservatus intra Italiam saltem & extra Urbem etiam respectu Regularium? Insuper cum habeamus indeffinitam declarationem S. C. C. absque limitatione intra Italiam in Sabinen. 3. *Julii* 1632. *quam ex lib.* 14. *decret. pag.* 637. opportune adducit Monacelli part. 2. pag. 191. Propositis etenim ibi tribus quæstitis.

I. *An violantes Clausuram Monialium ad malum finem non tamen prætextu licentiarum incidant in excommunicationem soli Summo Pontifici reservatam.*

II. *An admittentes hujusmodi violantes in Clausuram sint excommunicationi obnoxii*:

III. *An Decretis conciliaribus & Constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus obstet contraria consuetudo etiam post Concilium introducta*: Præfata Congregatio rescripsit.

Ad I. *Esse reservatam Summo Pontifici*. Ad secundum *Superiores admittentes hujusmodi violatores in Clausuram esse Excommunicationi obnoxios*. Ad tertium *Decretis Conciliaribus & Constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus nullam consuetudinem obstare.*

Hinc habet locum ultra præcedentia dubium pariter. An si quis Regularis violaret clausuram non tantum intra Italiam sed & ubique locorum ad malum finem, aut Superiores admitterent alios intra Clausuram possint & a quibus absolvi?

37 Præmittendum est itaque. Quomodo hæc allegata declaratio cum suo triplici rescripto intelligenda profecto sit relative Ad Decreta Clementis reservantis casum intra Italiam tantum & extra Urbem, nec indeffinite reservatio percutiat violantes clausuram ad malum finem ubicumque; ulterius quod nequaquam afficiat Moniales consentientes, sed dumtaxat personas ingredientes de facto ad malum finem, quia Monialis ibi se habet passive & ponitur ut terminus non ut subjectum, juxta doctrinam Pelizarii de Monialibus cap. 5. n. 26. aliorumque. Similiter quantum ad resolutionem II. Dubii nimirum *Superiores admittentes hujusmodi violatores in clausuram esse excomunicationi scilicet reservatæ obnoxios etiamsi non admittant prætextu licentiarum sed ad inhonestam finem*. Debemus equidem tenere Abbatissas vel alias Præfectas vere & proprie venire nomine Superiorum admittentium in casu violationis Clausuræ licet vox latina Superiores tum pro viris tum pro fœminis possit accipi; cum improprie intelligerentur Superiores viri alibi & ut in plurimum in loco dissito demorantes, nequaquam autem Moniales peculiares & subditas posse intelligi ex regulis communibus de odiosis non extendendis *Cap. Renovantes* 22. *destruct. Cap. odia de reg. jur. in* 6. Feder. *de sen. consf.* 25. *n.* 4. *in fin.* Gonzalez ad reg. VIII. Cancell. §. 6. *proœm. n.* 37. Reinffest. de Constit. §. 17. *n.* 427. Recolenda sunt item alibi recensita de privilegiis Prælatorum Regularium absolvendi proprios subditos a reservatis Sedi Apostolicæ signanter a contentis in Decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. de anno 1602. ut fuse in Dubit. VII. sect. III. & necessario explicabitur infra. Simulque qualiter in his privilegiis intrant Moniales proprii Ordinis Prælatis respective subjectæ ut luculenter Cardinalis Petra *tom. 2. pag.* 111. *n.* 25. *ad* 27. & uberius infra in proprio quæsito ibi n. 55. His adnotatis proponetur seu replicabitur formiter quæsitum novis emergentibus motivis licet casualiter de Prælatis Regularibus in ordine ad Religiosos subditos in genere & deinde in specie respectu Monialium subditarum. *Valent ne itaque Prælati Regulares absolvere revera proprios subditos a casu violationis Clausuræ Monialium ad malum finem?* Pro clariori intelligentia quæsiti neque potest omitti suppositio quod in Apostolicis Sanctionibus non invenitur contra Regulares specialis reservatio hujusmet casus, nisi quatenus exponitur reservatus generaliter pro omnibus fidelibus in Decretis pluries repetitis sub Clemente VIII. videlicet 1601. *die* 9. *Januarii & die* 16. *Novembris* 1602. apud Felicem Potestatem inter alios n. 3472. Quibus itidem potest addi Decretum aliud sub Clemente fel. rec. XI. *Quoniam Sanctissimus datum sub die* 13. *Maii* 1711. prohibens specialiter absolutionem hujusmodi casus. *Violationis clausuræ Monialium ad malum finem; quoties tamen casus fuerit publicus*. apud Cardinalem Petram supracit. *tom. 5. ad Constit.* 19. *Sixti IV. n. 7. & seq.* Quo pariter præhabito. Respondet ad quæsitum P. Matteucci in Offic. Cur. Cap. 38. n. 29. absolute & absque hæsitatione non posse

Præ-

Prælatos Regulares absolvere suos subditos ingredientes sine licentia clausuram Monialium, præsertim si ingressus sit ad malum finem, propter Decretum a se allegatum de facto & toties adductum Clementis VIII. sive S. Congregationis eo approbante de anno 1601. & innovatum subsequenter de anno 1602. si vero non quidem ad malum finem sed absque licentia sequatur ingressus, neque posse in casu Prælatos Regulares absolutionis beneficium propriis subditis impendere propter excommunicationem latam in Trident. *sess.* 25. *Cap.* 5. *de Regular.* quæ licet ibi non reservata sit tamen obtinenda absolute a Sancta Sede *attento stylo curiæ* ex Pignatello etiam *tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25. At hoc minime obstante respondetur melius cum communi inesse Prælatis Regularibus facultatem absolvendi proprios subditos a casu violationis clausuræ Monialium ad malum finem, sed tanto magis si non ad finem inhonestum contingat ingressus. Et evidenter probatur assertum prius quantum ad Regulares ingredientes cum fine inhonesto Monasteria Monialium, extra Italiam & intra Urbem vel ubicumque locorum ingressi dicta Monasteria, confiteantur tamen in Urbe vel extra Italiam: quippe cum in illis locis nimirum extra Italiam ubicumque & in Urbe Romæ casus nequaquam per Decretum Clementis cui totaliter innititur reservatio prohibetur absolvi ita, ut concedunt Doctores omnes qui intelligentiam latinæ linguæ callent posse *Confessarios quoslibet approbatos* ab hoc casu & quinque aliis absolutionem impertiri Sæcularibus quibuscumque, in Urbe inquam & extra Italiam. Igitur absque ullo motivo negantur eadem exceptione saltem nempe in Urbe & extra Italiam Regulares item gaudere, cum alias forent deterioris conditionis quam sæculares, quod nefas est dicere sistendo præcipue in dicto Clementis Decreto reservante, ubi conceditur quod ubique locorum extra Italiam & in Urbe pariter ab iisdem casibus omnes absque ulla limitatione Fideles absolvi queant; Quod si quispiam contradiceret sustinens casum hunc violationis cum cœteris in Decreto contentis esse contra Regulares signanter confessarios & pœnitentes reservatum adhuc extra Italiam atque in Urbe Romæ, teneretur id pro certo per documenta authentica probare ad generaliter tradita per Barbos. *axiom.* 198. *n.* 2. & 3. cum plurimis conglomeratis.

38 Verum enim vero adhuc absque ulla limitatione si accipiamus casum, nullibi debemus addere esse reservatum pro Regularibus, itaut neque Prælati aut signanter suos subditos ab eo absolvere extra Urbem etiam & intra Italiam per rationem communiter ab intelligentibus relevatam, quia scilicet, Decreta S. Cong. Episc. & Regul. toties allegata sub Clemente VIII. 9. *Januarii* 1601. & 10. *Novembris* 1602. nec non 7. *Januarii* 1617. & 17. *Decembris* 1618. auctoritate pariter Pauli V. & Urbani VIII. edita & confirmata in materia casuum reservatorum, quæ citat Matteuccius in Offic. Cur. *Cap.* 2. & fere omnia recenset ad verbum Eminentissimus Petra *tom.* 5. ad Constit. 19. Sixti IV. nullam mentionem faciunt de Prælatis Regularibus in ordine ad proprios subditos, ut alibi adnotavimus in dub. XIX. sect. II. n. 19. Immo decreta ipsamet prima sub Clemente VIII. ad quæ cœtera subsequentia referuntur, indirecte & illative Prælatos Regulares quoad absolutionem a sex casibus supra memoratis quantum ad subditos eorum videntur excipere. Expresse enim legitur ibi directa prohibitio: *Sacerdotibus omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus* AD CONFESSIONES AUDIENDAS PROBATIS. At Prælati Regulares ad audiendas Confessiones propriorum subditorum intra Claustra non indigent probatione; sicut alii extra a proprio Ordinario; ultraquamquod, loquendo de censuris, possunt etiam ab his absolvere extra Confessionem Sacramentalem suos subditos & absolvunt; igitur evidenter constat non feriri eosdem Prælatos dicta prohibitione percutiente Sacerdotes ad Confessiones audiendas probatos. Sic advertunt Peyrin. *tom.* 3. ad Bullam Sixti IV. *n.* 38. ex Portell. *V. Abbas & alii*. Donatus pariter *part.* 1. *tr.* 13. *qu.* 19. *n.* 25. Pellizar. de Monial. *Cap.* 9. *n.* 19. qui citat etiam Baldum in *V. Reservatio*. Vecchium de Novit. d. 7. Bordon. *resol.* 1. *n.* 17. *&c.* Quod si vera sit declaratio Sac. eiusdem Congregationis Episc. & Regul. relata per Naldum, Peyrinum & Bordonum loc. cit. Decretum de reservatione sex recensitorum casuum prohibere absolutionem quantum ad Sæculares dumtaxat, ut alias fuit ostensum, non remanet amplius; unde super hoc articulo disputemus. Peyrin. *d. tom.* 3. *n.* 35. Ex quo igitur valent Prælati Regulares absolvere suos ab omnibus illis sex casibus reservatis pro Sæcularibus in Decreto Clementis VIII. posse absolvere eosdem subditos a casu vio-

violationis Clausuræ inter sex connumeratio, directe concludunt Peyrin. *tom.* 2. ad Constit. S. Pii V. & Passerin. de elect. Can. *Cap.* 26. *qu.* 7. *n.* 66. Prout etiam adnotandum venit idem quantum ad Decretum S. Congregationis peculiaris approbatum a Clemente felic. rec. XI. sub die 13. Maii 1711. apud Petram *tom.* 5. *pag.* 31. in quo prohibetur & reservatur in Urbe quoque absolutio vel in solo conscientiæ foro a casu publico violatæ Clausuræ Monialium ad malum seu inhonestum finem, necnon a Præsbytericidio publico & a casu violatæ immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIII. ac etiam in casu occulto dictæ violationis immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica, adnotandum siquidem cadit, quod Decretorum hujusmodi novissimum dirigatur ibi: *omnibus & quibuscumque Præsbyteris tam Sæcularibus quam Regularibus in Urbe ad Confessiones audiendas deputatis*. Ac proinde cum Prælati Regulares ad audiendas Confessiones subditorum nequaquam ab ullo deputentur: habent enim facultatem a jure absolvendi ipsos a censuris signanter etiam extra Sacramentalem Confessionem, quod nullatenus in dicto Decreto comprehenduntur. Addita item consideratione, uti supra, quod hujusmodi casus reserventur quidem, sed non reservatione excludente specialiter ac tollente privilegium Regularibus Prælatis absolvendi suos a casibus & censuris sic reservatis Sanctæ Sedi, juxta probata in hoc tom. dub. cit. XIX. sect. II. *n.* 19. *& seq.* & replicatam doctrinam Passerini dicto *n.* 66. Attenta eo magis extensione expressa prohibitivi decreti sub Clemente XI. *ad Pœnitentiarios Basilicarum Urbis* ut ibi. Ex qua clare deducitur quod si voluisset dicta Congregatio aut Pontifex approbans comprehendere Prælatos etiam Regulares in ordine ad proprios subditos, utique eos expressisset: juxta generalem regulam *L. dissentiente C. de repud. Cap. Illa* juncta Glos. *ne Sed. Vacant. Cap. Quia circa* 22. *de privil.* Menoch. *cons.* 3. *n.* 8. Armendaraz. *in proœm. de leg.* Navar. *n.* 150. Barbos. axiom. 89. *n.* 1. *& seq.* Reinffestuel *lib.* 1. *tit.* 2. §. 16. *n.* 405. *&* §. 17. *n.* 410. & 427. Licet casus reservati a Clemente XI. inter Regulares sint fere metaphysici.

39 Non intendimus per hoc quod si violatio Clausuræ Monialium ad forum contentiosum deducatur contra delinquentem Regularem, quod absolutio impartita in foro conscientiæ a proprio Prælato per se ipsum vel per Delegatum eidem proderit, quatenus a Judice competente ad pœnas delicto debitas condemnaretur, ut alibi generaliter vel in aliis casibus similibus traditum est. *dub. XIX. cit. sect. II. n.* 20. *seq.* ex celebri Bulla *Superna* Clementis X. pro omnibus id statuente. Neque etiam, quoties novum decretum a Sancta Sede prodierit declarans expresse Regulares violantes in casu non impossibili licet rarissimo clausuram ad malum finem, nec ab ipsis propriis Prælatis absolutionis beneficium posse consequi, in dicto namque casu neque prætenderetur ullatenus facultas absolvendi in dictis Prælatis adhuc vigere, quia novissimis ordinationibus & in hac & in aliis materiis standum esse falsi sumus superius *n.* 35. in fine. Prout fatendum repetimus, quod si Episcopus censuram latæ sententiæ sibi reservatam apponeret contra graviter delinquentes circa clausuram Monialium, hæc percuteret quoque Regulares exemptos, ita ut a nullo possent absolvi etiam in foro conscientiæ nisi de licentia Episcopi, quoties tamen de iis in edicto fieret expressa mentio, ut declaratum refert a Sacra Congregatione Conc. in una Viterbien. alibi cit. *die* 26. *Junii* 1627. Monacell. *part.* 3. *pag.* 91. *n.* 11. Consecutive signanter ad facultatem traditam Episcopis procedendi in isto casu etiam per censuras, tamquam Sanctæ Sedis specialiter delegatis ex Tridentino *Cap.* 5. *sess.* 25. *de Regul.* & Constit. Gregor. XV. *Inscrutabili*. Qui tamen Monacellus reticet monitionem factam Episcopis in ipsomet decreto relato, ne absque necessitate gravissima tali extremo remedio utantur & non nisi cum prudentia, in casu, quo alia nil valeant operari remedia, ut fideliter advertit Crispinus in Visit. Pastor. *part.* 2. §. 42. *n.* 129. ex præhabitis per nos sufficienter *tom.* 1. *dub. XI. sect. iv. n.* 29. §. *ii. versus fin.* Et revera ipse Monacellus eodem *tom.* 3. *& fol.* 91. *a n.* 3. præcedenter advertit numquam Sacram Congregationem approbatam fuisse excommunicationem latam ab Episcopis ipso facto incurrendam in similibus casibus pro integerrime servanda clausura, ideoque sufficere, si censura sive excommunicatio exponatur in edictis comminatoria, eo quia excommunicatio latæ sententiæ sit gladius in extremis tantum periculis evaginandus, & quamvis scribat ibi laudatus Monacellus quantum ad edicta prohibentia accessus ad Monasteria & colloquia cum Monialibus contra quascumque personas in genere, ubi urgent abu-

abuſus, nihilominus etiam prudenter idem concludere deberet de Regularibus: attento ſignanter monito dato Epiſcopis uti ſupra a Supremo S. Congregationis Tribunali procedendi cum prudentia in occurrentibus caſibus per decretum relatum in lib. 13. pag. 382. Nec erit abs re ſuperaddere hic quæ a Sacra Congregatione Epiſcoporum in alio ſæpius memorato Decreto de ann. 1602. ſub Clemente VIII. circa reſervationem caſuum ad Ordinarios locorum conſiderandæ inſinuantur & diriguntur: ibi -- *Sed ne locorum Ordinarii ad quos caſuum reſervatio ſpectat ea in re modum excedant eadem S. Cong. illos utcumque magnopere admonendos cenſet ut non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire atrociorum tantum & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem non autem in deſtructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur; PROHIBET ETIAM, ne ſibi ſuperſlue reſervent caſus in Bulla Cœnæ Domini legi conſuetæ contentis neque alios SEDI APOSTOLICÆ SPECIALITER reſervatos.* Quod maxime adnotandum eſt in præſenti de caſu violationis clauſuræ Monialium inter reſervatos Sanctæ Sedi ſpecialiter connumerato. Apud Cardinalem Petram *tom. 5. ad Conſtit. 19.* Sixti IV. *n. 7.*

40 Ingredientes deinde clauſuram Monialium ſine licentia ſed non ad malum finem neque prætextu licentiarum, perſpicuum eſt incidere in excommunicationem ipſo facto latam per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. Cap. 5. de Regul.* Sed mirum eſt etiam nolle Patrem Matteucci loc. cit. quod poſſint ab hac abſolvi Regulares neque per proprium Prælatum, cum generaliter etiam reſpectu Sæcularium eadem cenſura minime Sanctæ Sedi reſervata ſit, ut fatetur ibi idem laudatus Auctor & cum communi ſuponit Felix Poteſtas *part. 2. tom. 1. n.* 3486. Stylus autem Curiæ quo uſque adeo extimulatur ipſe Matteucci, ut aſſerit in hoc & aliis caſibus adeundam eſſe Sedem Apoſtolicam etiam propter excommunicationes minime in jure reſervatas Papæ, reſpondetur quod adhibeatur quidem a Sac.Pœnitentiaria utpote omnium Ordinariorum & Confeſſariorum continente eminenter facultates quaslibet quantum ad abſolvendos volentes accedere, ſed neutiquam cogat omnes ad accedendum. Veluti ſi Religioſus quis etiam pro non reſervatis vellet recurrere ad ſolos Superiores, non proinde cogeretur ita ut requiret a Confeſſariis aliis deputatis abſolvi. Quod patet evidenter in caſibus diſtinctis: nam ſtylus Sacræ Pœnitentiariæ viget abſolvendi Religioſos Apoſtatas a cenſuris per eas incurſis, ut legitur in ſequenti Formula unius inter millenos alios abſoluti: *Sacra Pœnitentiaria audito dilecto in Chriſto Procuratore generali retroſcriptos Oratores Religioſos a cenſuris quibus propter hujuſmodi Apoſtaſiam quomodolibet innodati extiterant ejuſdemque Apoſtaſiæ nota, auctoritate Apoſtolica abſolvit cum pœnitentia ſalutari ſemel recitandi Pſalmos pœnitentiales &c.: Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, hac die 21. Maii* 1740.

Loco ✠ Sigilli.

M. Millinus S. P. Regens.

Franciſcus Petrucciolus S. P. Secretarius.

Et tamen nullus eſt ſanæ doctrinæ qui ambigat poſſe abſolvi ut de facto abſolvuntur paſſim Apoſtatas a propriis reſpective Superioribus. Stylum itaque Curiæ replicatur habendum ſane pro lege ubi lex alioquin eſt obſcura & ſaltem dubia nequaquam ubi perſpicienti & intelligere volenti eſt nimium clara, in quo ſuppoſito ſi excitatur dubium an ſit ſtandum in ſtylo curiæ vel potius in claro jure? Reſpondent Doctores prævalere ſaltem æquivalere clarum jus præcipue ſi quoad obſervantiam juris vigeat ſtylus quoque ſive conſuetudo & praxis, ut in caſu ingreſſus in Monaſteria &c. in quo certum eſt Regulares pro hujuſmodi abſolutione recurrere ad proprios Superiores, quatenus ſit reſervatus in Religione aut reſervatæ cenſuræ adnexus, vel ſimplici uti Confeſſario ſi nulla addatur in Religione reſervatio. Recurrentes autem ad Sacram Pœnitentiariam ſciendum eſt quod de propria impunitate cogitant ſi caſus innoteſcat tamquam publicus, ad obtinendam remiſſionem vel diminutionem pœnarum, vel etiam ut erubeſcentiæ conſulant quam recurrendo ad Superiores in Religione experirentur, ad hoc ut ab ipſis abſolutionis beneficium reportarent, quatenus cenſura Papæ alioquin reſervata incurreretur propter ingreſſum licet occultum ad malum finem. Habendo ſiquidem recurſum ad Sacrum Pœnitentiariæ Tribunal non neceſſario exprimeretur recurrentis nomen vel vage tan-

tantum indicaretur sub literis N.N. Ideoque libentius subesset reus ejus auctoritati quam proprii Superioris. Qui vero propter ingressum occultum non ad malum finem inhonestum Sacram Pœnitentiariam implorant sensus Concilii plene sunt ignari & Doctorum communem doctrinam prorsus nesciunt. Attenta igitur usque modo data doctrina evidenter constare repetimus, quomodo possint absolvi Regulares ab aliis ejusdem familiæ Religiosis Confessariis vel a proprio Prælato sive a per hunc delegato, quatenus casus intra Claustra sit reservatus propter ingressum in Monasteria ad malum finem, tanto magis si finis inhonestus desit. Quod itidem valeat absolvi subditus Regularis a Prælato proprio si ingrediatur Monasteria Monialium prætextu licentiarum, contra quem prætextum militant specialiter Constitutiones continentes reservatam censuram, ut proposuimus n. 36. & videre est apud Felicem Potestatem rem ex proposito tractantem *tom. 1. part. 4. cap. 5. a num. 3483. seq.* Ratio etenim utique urget eadem, quia videlicet non invenitur hujusmodi privilegium absolvendi proprios subditos a censuris quantumvis reservatis exceptis eis quæ per Summos Pontifices individuantur, Prælatis Regularibus ademptum, inter quas pro Regularibus etiam sive Confessariis sive Pœnitentibus non commemoratur aut legitur ea censura violationi adnexa cum expressa derogatione privilegiorum.

§. Un. Derogationem autem privilegiorum saltem in specie tum respectu Prælatorum, tum quoad subditos necessario requiri ad hoc ut prohibitio atque reservatio afficiat Regulares, absolute docent Navar. *titul. de privileg. trat. 7. & 12. & in cap. si quando except. 1. de rescript.* Felin. *in cap. accedentes n. 4. de præsumpt.* Suarez *lib. 8. cap. 38. n. 2.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 9. art. 6. & tom. 2. quæst. 77. art. 8.* Murga *loc. cit. num. 9.* Barbos. clauf. 83. n. 7. Ascan. Tambur. *tom. 1. disp. 16. quæst. 8.* & in Comachien. & Ferrarien. præpositurae & beneficii 15. Decemb. 1625. coram Rambaldo & in Toletana indulti 2. *Maii* 1625. coram eodem; Canonicus item Regularis Gueber *tract. 1. de privileg. disput. 4. sect. 2. n. 19.* quibus additur Pater Didicus ab Aragonia in Dilucidat. privileg. *tract. 1. Cap. 6. n. 4.* Illud tamen quod subdit laudatus Pater qualiter revocatio privilegiorum si contingat fieri per Apostolicam Sedem, debeat Regularibus etiam intimari juridice ad hoc ut ipsos obliget propter Constitutionem signanter Gregorii XIII. ibi memoratam in favorem Societatis Jesu, quod scilicet nulla revocatio privilegiorum eidem concessorum etiam in amplissima forma exarata dictis privilegiis præjudicet, nisi intimata fuerit in qua præservatione quod omnes Regulares communicent minime est æquum admittere. Responderem etenim sufficere intimationem & insinuationem talem ut Constitutio revocatoria privilegii nequiret non innotescere ipsismet privilegiatis, veluti contingit in reliquis ordinationibus Apostolicis, quoties in loco publico affiguntur, atque iis per manum Notarii publici subscriptis præcipitur fides adhibenda. Hujusmodi namque insinuatio sufficiens est item pro rudioribus, ut ex verbis Constitutionum propediem emanatarum perspicue & literaliter colligitur; quanto magis si loquamur de Doctis & intellectu perspicuo præditis, quales sunt ubique Regulares, cum sit equidem contra fas ad intimationem juridicam Summos obligare Pontifices in hujusmodi casibus: adeout dum velimus Regularibus privilegiatis favere Principi conferenti privilegium imponere onus non vereamur, juxta doctrinam Suarez *lib. 8. cap. 40. n. 3.* Portella *verb. privileg. revocatio n. 1.* Lezana *lib. 1. tract. 4. cap. 23. n. 28.* Intimatio ergo juridica in casu & eo magis per tres vices aut trinas litteras replicata, sublata est proculdubio per stylum Curiæ, cum ibi in revocatoriis litteris aut Constitutionibus Apostolicis quocumque modo privilegium in jure vel ab homine sit concessum aut in qualicumque forma revocetur, apponitur Clausula *perinde ac si revocatio aut Constitutio aut jussio aut prohibitio unicuique Personaliter intimata fuisset*, assignato tantum temporis spatio cuique juxta exigentiam. Tamen statuendum est quoque sufficienter hisce temporibus includi Regulares in Constitutionibus Sanctionibus ac Decretis quoties de iis fiat mentio, quæ profecto non negligitur, si opportune aut necessario facienda cadat; privilegiis item sufficienter & clare derogari, quoties opus sit quibuscumque non obstantibus, satis exposuimus absque eo quod detur locus distinctionibus alias traditis D. Gueber *tract. 1. dist. 1. sect. 11. n. 16. ad 21. &c.* qui idem tandem nobiscum concludit, cum quo pariter doctissimo Auctore concludendum est quoad totum articulum casualiter hic pertractatum, posse Prælatos Regulares absolvere suos respective subditos a casu violationis Clausuræ Monia-

lium quomodocumque accepto & explicato ob facultatem sibi traditam in genere per Summos Pontifices absolvendi eosdem a quibuscumque reservatis censuris & casibus, praescindendo ab inclusis in Bulla Coenae, quam solide cum aliis probat *tract. 3. disput. 1. sect. 3. n. 28. & seq.* eo quia non legatur dictus casus specialiter reservatus cum derogatione privilegiorum, ex eadem *sect. d. 3. n. 34.* quam quidem expressionem privilegiis derogantem Regularium tum quoad Praelatos tum quoad subditos necessariam ducunt Sanctorus super Constitut. *cap. 2. stat. 14. ℣. dico 4. seq.* Passerin. *de elect. can. cap. 36. quaest. 7.* Lezana *tom. 4. tit. privileg. Regular. n. 9. seq.* Anacletus Reinffestuel *tract. de privileg. §. 4. 5. & 6.* Spadonius 666. *n. 4. part. 1. recent.*

41 Hac data resolutione de Religiosis viris clare deducimus quid sentiendum sit quantum ad Moniales si proponatur de ipsis formale quaesitum. An videlicet Praelatus Regularis possit beneficium absolutionis impendere ipsis sibi subjectis violantibus Clausuram in casu? Cui quidem quaesito cito satisfacit P. Matteucci *Cap. cit.* 38. *n. eodem* 29. respondendo generaliter & absolute, *Non posse*: quamvis violatio foret occulta. Eo quia neque Episcopus & si Monialis secreto delinqueret in materia Clausurae potens est ipsam absolvere: ex Decreto S. Congregationis relato per Fagnanum. Quod nempe per Bullam S. Pii V. *Decori* hujusmodi facultas Episcopis legatur adempta, quam Bullam citaverat prius idem Matteucci *Cap. 9. n. 21.* A fortiori ergo: sic ipse deducit ea facultate carent Praelati Regulares. Nam Sanctus Pontifex absolvendum in dicta Bulla *sibi reservavit* ibidem *sub n. 29.* At quidquid sit de Episcopis, quibus in relato per Fagnanum decreto denegatur absolvendi facultas erga Moniales delinquentes in materia Clausurae, sed proprio subjectas gubernio ut patet in quaesito apud ipsum Fagnanum 1. in *Cap. Dilectus* de temp. ordin. n. 32. & 33. Sustinentibus alioquin contrarium fere Doctoribus omnibus apud Pignatelli *tom.* 10. *consult.* 100. *n.* 25. Monacell. *tom. 1. in Append.* ad Constit. 8. Sancti Pii n. 4. pag. 177. Felic. Potest. cit. *tom. 1. part. 4. n.* 3492. & 3511. Eo vel magis si in Bulla Piana non adsit derogatio Concilii Tridentini concedentis Ordinariis locorum hujusmodi facultatem in omnibus occultis *sess.* 24. *Cap. 6.* ex ipsiusmet Fagnani dictis ad Cap. allegatum *Dilectus n.* 30. saltem derogat Concilium in genere, de quo alias; loquendo nihilominus de Praelatis Regularibus substituendum est posse ipsos absolvere proculdubio Moniales sibi subditas in casu; non enim valet augumentum a fortiori quantum ad privilegia expressa non a minori ad majus, sed neque a majori ad minus quando sunt separabilia, ut ad praesens: ex regulis communiter acceptis. Barbos. *loc. com.* 67. *n.* 6. *loco* 68. *n.* 5. & *loc.* 73. *n.* 5. Passerin. *Cap. 26. cit. qu.* 7. *n.* 67. Reinffestuel de Constit. §. 17. *n.* 428. & 438. Nam certum est plures facultates ademptas Episcopis respectu subditorum Saecularium, vigere in Praelatis respectu Regularium sibi subjectorum. A multis etenim censuris possunt hi subditos absolvere Religiosos ut praeripiatur eis vagandi occasio, esto publicae sint, a quibus Episcopi nequeunt absolvere nisi in occultis per Doctores Patrem signanter Sanctorum recolendum super Constit. *Cap. 2. stat. 18. in addit. sub quaest. 6. ad 7.* necnon de poenis *Cap.* 18. *qu.* 3. ℣. *Primus est* & D.Gueber loc. cit. *sect. III. n.* 29. post med. *pag.* 548. Et ulterius cum in Bulla Coenae derogetur Conciliis intra quae adest declaratio comprehendi Tridentinum, quamvis de illo non fiat individualis mentio, ut Passerinus docet afferens decreta cum conglomeratis *Cap. 26. de elect. Can. n.* 37. & 38. non est dubium proinde hisce temporibus sublatam esse Episcopis facultatem absolvendi Saeculares subditos a casibus Bullae Coenae etiam occultis. Licet adhuc opinio vigeat non esse sublatam similem facultatem Praelatis Regularibus respectu subditorum; eo quia Constitutiones concedentes privilegium absolvendi illos a dictis casibus aliquibus tamen exceptis, asseruntur minime revocatae; praecipue illa Julii II. annullantis, quoad tale privilegium expressum, *vel ipsam Bullam Coenae, perinde ac si non fuisset, nec esset*. Apud Auctores superius allegatos Praelatis Regularibus favorabiles. Sed nec valet idem argumentum in favorem Regularium comparative ad Episcopos; non enim valet quis arguere: Possunt Regulares absolvere a casibus Papae reservatis; ergo a fortiori a reservatis Episcopo. Item extra Italiam possunt absolvere a casibus sex exceptis per Clementem VIII. ergo a fortiori extra Italiam poterunt absolvere a casibus reservatis Ordinariis locorum, esto uno eodemque decreto absolutio utraque prohibeatur, ut constat legenti decretum idem saepius citatum, apud Petram *tom.* 5. *fol.* 309. non inquam haec augumenta

valent

valent, cum simus in diversis atque separabilibus. Ideoque sistendo in verbis legum prohibentium specifice & individualiter unam non vero alteram facultatem, nequaquam allegare quis valeat, aut sufficiat, quod nequeant Episcopi locorum absolvere in casu proprios subditos Sæculares ad probandum, quod nec possint absolutionem præstare subditis sibi Religiosis Prælati Regulares; verum necesse erit adducere Sanctionem Canonem Bullam quæ hujusmodi facultatem vetet cum derogatione privilegiorum, de quibus alias constet. Cum non sit in potestate cujuslibet privati vel Judicis vel Doctoris spoliare ad libitum privilegiatos Regulares signanter, quibus cum prægnantibus clausulis privilegia ipsa concessa perleguntur, sed soli Sanctæ Sedi sive Summo Pontifici concedenti id reservatur; immo in quibuscumque dubiis eorum legalis interpretatio, congestis juribus & Doctoribus ostendit laudatus Cardinalis Petra *tom. 3. ad Constit. XII. Clementis IV. per tot.*

42 Ut tamen Constitutionem ipsam S. Pii V. quæ incipit *Decori* super quam fundat suam absolutam responsionem P. Matteucci examinemus, remitto intelligenti Lectori ejus considerare sensum etiam pure literalem apud Monacellum part. 1. pag. 276. in append. Qualiter nimirum sit edita præcise contra Moniales quascumque & cujuscumque Ordinis vel Ordinariis locorum vel cuicumque alteri Superiori subiectis, quæ sine necessariis licentiis sub quocumque prætextu & motivo, præterquam in expressis per dictam Bullam, è clausura Monasterii egrediantur *sub pœna excommunicationis sibi reservatæ*. Unde absque eo quod recurratur ad argumentum paritatis, quod nequeant videlicet Prælati Regulares absolvere in casu Moniales sibi subditas eo quia nequeunt Ordinarii locorum absolutionem impertiri sibi subjectis non exemptis, potest allegari absolute Bulla directe prohibens & indistincte in eodem casu facultatem absolvendi utrisque, nimirum tum Ordinariis locorum tum Superioribus aliis quibuslibet, ut legendo potest quis se certiorare. Insuper adnotationes quas ad ipsam Bullam Sancti Pii incipien. *Decori* apponit Monacellus loc. cit. pag. nempe 276. p. prima quamvis simul respicerent Bullam aliam incipientem *Circa Pastoralis* ejusdem Sancti Pontificis immediate ante ibi transcriptam, patet quod extra dictarum Bullarum intentum & timorem omnino exarentur. Adnotationes namque exagerant & exponunt excommunicationem quæ incurratur per ingressum in Monasteria Monialium (inspiciat amabo Lector) cum Bulla incipiens *Decori* evidenter sonet & sit condita contra Moniales ipsas sub quovis prætextu absque licentia *egredientes* & Bulla prævia *Circa Pastoralis*; necessitat præcise Moniales professas ad observandam clausuram reprobando Conservatoria non clausurata præsertim, nullatenus facit ad rem advertentia addita ibidem a laudato Monacello n. 6. quod nimirum censura non percutit cooperantes seu assistentes ingressui, sed Superiorem & Moniales quæ sine necessitate personas cujusvis ætatis & sexus in clausuram recipiunt & introducunt: citans S. C. C. in Monopolitana censurarum 20. *Julii* 1693. Bulla namque *Circa Pastoralis* nihil de hoc penitus judicat & alia incipiens *Decori* excommunicationi reservatæ subiicit Superiores licentiam exeundi Monialibus quomodocumque impertientes aliter quam ibi præscribitur, nec non concitantes in egressu aut earum receptatrices personas sive Laicas sive Ecclesiasticas. Lector videat quæso nec de ingredientibus aut introducentibus est ibi sermo &c. Introducentes autem in Monasteria Monialium quamcumque personam exteram sive Superiores sint sive Moniales incurrunt equidem excommunicationem reservatam sed vigore aliarum Bullarum sed signanter Gregorii XIII. *Ubi gratiæ* quatenus ingressus sequatur prætextu licentiarum, ex dictis per nos & adnotatis per Doctores communiter. Felix Pot. n. 3489. Quod si ingressus contingat etiam ad malum finem & non sub dicto prætextu excommunicationi subjacere reservatæ Superiores tantum & non Moniales subditas introducentes explicatum est item n. præcedente 37. propter Decretum S. Congregationis in Sabinen. de anno 1632. Et quoties denique ingrediantur Monasterium personæ cujuscumque sexus & ætatis absolute absque tamen prætextu licentiarum neque ad finem inhonestum, sicuti excommunicatio ut dictum est incurritur per Concilium Tridentinum sed nequaquam reservata, sic contra introducentes & excipientes adducuntur ab Auctoribus Decreta d. Sac. Cong. Pignatello signanter *tom. 6. consult.* 85. *n.* 293. in Taurinen. 10. *Julii* 1650. quem citat etiam Matteucci Offic. Cur. Cap. 32. n. 22. & in præfata Monopolitana 20. *Junii* 1693. quorum tamen nullum affertur authenticum, cum apud Auctores in hujusmodi citationibus Pignatellus signanter sit suspectus. Nihilominus quia etiam

etiam Monacellus Monopolitanam citat in addit. ad primam part. pag. 385. Excommunicationes in casu relatae & utcumque admissae gratis asseruntur reservari Sanctae Sedi. Prodierunt siquidem allata Decreta consequenter & relative ad Cap. 5. Trident. sess. 25. de Regul. ubi prout in ipsismet subsequentibus Decretis sive declarationibus de reservatione nulla fit mentio; quidquid demum afferatur de ingredientibus & ad ingressum cooperantibus contra ipsas sive Saeculares sive Regulares sive Moniales, immo nec a Patre Matteucci nec a Domino Monacelli potest allegari aut exponi repeto Bullae Sacti Pii incipiens *Decori* sed nec alia incipiens *Curae Pastoralis*, ut liquet utramque Bullam grammaticaliter intelligenti, cum una clausuram a Monialibus in genere observandam instituat ac praecipiat & Conservatoria foeminarum absque clausura uti supra reprobare videatur; alia autem contra Moniales quovis praetextu egredientes & cooperantes atque receptatores praecise sit edita, non vero contra ingredientes aut cooperantes ad ingressum, de quo in neutra fit ullatenus mentio.

43 Ut respondeamus modo directe ad quaestum propositum principaliter de Monialibus. An scilicet Praelatus Regularis possit absolvere sibi subditas a violatione Clausurae? Manifesto constat fore distinguendum. Vel enim Moniales delinquerent in materia Clausurae cooperando ad aliorum ingressum acceptando intra Monasterium & introducendo in ipsum. Vel crimen violationis clausurae consistit in egressu ipsarummet Monialium e Monasterii septis. Quantum ad ingressum jam notum est quod si hic contingat sub praetextu licentiarum, Abbatissa sive Praefecta & clausurae custodiendae deputata incurrit in excomunicationem Papae reservatam, quatenus permissive tantum & negative se habeant: Moniales vero coeterae si cooperentur positive eidem sunt obnoxiae censurae alias nequaquam, ex contextu ipsius Bullae Gregorii XIII. *Ubi gratiae* juxta veracem & propriam explicationem Felicis Potestatis n. 3488. a qua tamen excommunicatione habere facultatem absolvendi Praelatum Regularem respectu sibi subditarum tum Abbatissae tum coeterarum, conclusum est superius n. 40. in fine. Quia in Bulla circa derogationem privilegiorum Regularibus Praelatis competentiom erga etiam Moniales sibi subditas nullum fit verbum. Vel ingressus & introductio sequitur ad finem inhonestum, & eo casu diximus Monialem se habere mere passive & ut terminum non vero ut subjectum, & propterea non percuti censura inflicta per Decretum Clementis VIII. nisi ipsos ingredientes clausuram ad finem malum: & quamvis per declarationem S. C. C. introducentes incurrant etiam excommunicationem reservatam, sed Superiores tantum, ut in Bulla, accepi pro Superioribus in casu Abbatissas praesertim Priorissas sive Praefectas explicavimus, utpote ab ipsis proprium gubernium & superioritas Monasterii proprie exerceatur. Atque ab hujusmodi excommunicatione per Superiores qualescumque sint incursa, non esse adeptam potestatem absolvendi Regularibus Praelatis quibus Superiores Monasterii subiiciantur addidimus, quia talis privatio sive sublatio facultatis concessae per Summos Pontifices dictis Praelatis respectu subditorum utriosque sexus nullibi legitur expressa. Vel demum ingressus exterorum in Monasterii clausuram sequitur non ad malum finem neque sub praetextu licentiarum, sed voluntarie ob finem alium indifferentem. Et tunc incurri quidem ab ingredientibus ipsis cujuscumque generis conditionis sexus & aetatis excommunicationem ipso facto, vigore Concilii Tridentini *Cap. 5. sess. 25. de Regul.* replicamus, quam tamen dictum est ibi num. 40. perperam asseri reservatam, cum Concilium reservationem non addat. Quae sane ratio militat itidem pro Monialibus introducentibus in hoc casu, non enim est in potestate cujuscumque ipsis excommunicationem infligere, cum Concilium in eodem capite Moniales introducentes non nominet, quatenus vero aliae declarationes Congreg. tum Concilii, tum Episcoporum etiam Monialibus vel pueris introducentibus excommunicationem dictam *in Cap. 5. sess. 25.* appliceot, non est tamen unde colligatur hujusmodi censuram in casu fore reservatam, adeo ut Praelati Regulares nequeant Moniales subditas ab ea absolvere: attenta regula, quod reservationem censuris nequeat quis addere proprio marte, nisi eam vel ab homine scilicet Superiore legitimo, vel a jure appositam ostendere queat. Lezana videndus *tom. 3 titulo Casus reservati fere per tot. signanter n. 1. & 9. ad 16.* Felix Potestas *tom. 1. num. 3486.* Ad stylum Sacrae Poenitentiariae excipientis, & absolventis quotquot ad se recurrant, supra responsum est.

44 Supposito deinde, quod Moniales in casum violationis clausurae incidant per egressum

sum e Monasterio, notum est casui adnexas esse censuram aliasque pœnas expressas in Constitutione superius citata Sancti Pii V. in sua Bulla *Decori* apud Monacellum in appendice *part.* 1. *pag.* 276. & Felicem Potestatem *part.* 4. *tr.* 1. *n.* 3308. Bulla tamen hæc eadem si consideretur excommunicationem minime fulminat nisi contra egressum publicum aut publice delinquentes, ut patet initio ipsiusmet Constitutionis, ubi scandala memorantur & iis remedium afferre protestatur & in toto decursu ubi prætextus exeundi reprobat, qui sane publicitatem sonant & indicant. Vnde nec Episcopis nec Regularibus Prælatis in hac suppositione sublatam debemus affirmare facultatem absolvendi, quoties egressus esset secretus, non propter rationem per Felicem Potest. ibi *n.* 3492. & 3511. allegatam, quia videlicet Episcopi super hujusmodi censuris quatenus occultæ sint polleant absolvendi potestate vigore Tridentini *sess.* 24. *Cap.* 6. *de reform.* de quo diximus alibi, sed quia censura expressa contra casus publicos minime extendi deberet ad casus occultos sistendo super verbis allatæ Bullæ & vi illius: juxta doctrinam Card. Fusc. *tom.* 8. *lit. V. concl.* 89. *in princ.* Marci Ant. *var. resol. lib.* 3. *resol.* 9. *n.* 4. Barbos. *axiom.* 166. *tr.* 1. Reinffest. *de Constit.* §. 16. *n.* 38. *& seq.* At si casus sit publicus sustinet merito non posse ab eo & ab adnesa censura absolvere Episcopos idem qui supra Felix Potestas *n.* 3512. *& seq.* non obstante ratione in contrarium adducta a Pellizario & aliis, eo quod ipsæ nimirum Moniales sint perpetuo impeditæ adire Apostolicam Sedem propterea non debeant destitui absolutionis remedio non minus ac Sæculares illi qui propter perpetuum impedimentum adeundi Summum Pontificem beneficium absolutionis ab aliis consequuntur etiam in casibus Bullæ Cœnæ. Hæc inquam ratio non obstat, eo quia hoc impedimentum Monialium inclusarum Sanctum Pontificem minime latebat, & tamen contra ipsas inclusas, utpote clausuræ violatrices expresse & specifice excommunicationem reservatam tulit, ideoque non posse illas per Episcopum absolvi in casu, sed teneri per Epistolas saltem, ut communis dictat praxis ad Romanam Sedem habere recursum. Cum alias quatenus ratio in casibus etiam peculiaribus valeret, aut non possent mediis censuris Pontifices summi Monialium cohibere licentiam aut frustraneam exercerent potestatem. Id autem quod addit diligens Doctor posse Moniales publice egredientes absolvi saltem in foro conscientiæ a Confessario Regulari alias ad audiendas earum Confessiones approbato, apud me difficultatem patitur in casu proposito. Eo quia Sanctus Pontifex in præfata Bulla *Decori*. Moniales specificet quascumque subjectas ultra quam Episcopis locorum, *cuicumque etiam alteri Superiori*: & satis clare indicat subjectas etiam Prælatis Regularibus: nec non Superiores ipsos licentiam exeundi præbentes præter formam in Constitutione præscriptam, vel sint Sæculares, vel Regulares excommunicationi subjicit, quam sibi uni reservat præterquam in mortis articulo additis Generalibus & solitis derogatoriis. Videtur ergo indirecte saltem cuilibet alteri Confessario licet Regulari facultatem activam & passivam Monialibus etiam sub regimine Regularium degentibus absolutionem vel dandi vel recipiendi auferre, hujusmodi autem specifici termini circa egredientes hic adhibiti tum Moniales tum Prælatos afficientes, in aliis Constitutionibus ingressum vetantibus nequaquam leguntur. Quidquid autem sit de hoc. In suppositione, quod vigeat ratio non ligari Regulares in hujusmodi casibus a Constitutionibus reservantibus potestatem absolvendi, nisi expresse horum privilegiis in ea parte derogetur pro quo legendus Lezana *tom.* 5. ad Mare Magn. Minor. *n.* 43. *& seq.* veluti alibi insinuavimus *dub.* 19. *sect.* 1. *n.* 10. Supposito itidem, quod absolutio censuræ data in foro conscientiæ non eximeret fontes a sententia & declaratione juridica nec a punitione probati delicti deducti in foro fori: ut pluries tactum est, ex adducta sæpe Bulla Clementis X. *Superna* §. 6. Quantum ad præsens spectat animadvertere tenemur: Bullam Sancti Pii in casu, ut mox fuit adnotatum percutere si bene consideretur publice delinquentes, scilicet ad evitanda scandala & ad ea punienda quatenus exoriantur. Atque ex altera parte sustineri ab Auctoribus relatis apud Felicem Potestatem *n.* 3492. & 3511. posse absolutionem impertiri Monialibus per Confessarios Regulares approbatos in foro conscientiæ tantum, quoties etiam publicum foret delictum, ut secundum allegata ibi. Unde stare semper firmam dispositionem Bullę quod ad tollenda scandala in absolutione censuræ publicæ incursæ & publice declaratæ nequeat Confessarius Regularis se immiscere.

45 Eo distinctius pariter advertendum quod alia sit potestas competens Prælatis Regu-

gularibus absolvendi Moniales sibi subditas eo modo quo valent absolvere subjectos Religiosos ab omnibus casibus & censuris Papæ reservatis, exceptis excipiendis prout dubit. 19. comperium est sect. 11. *n.* 22. Et hac facultate potiuntur Prælati iidem virtute Bullarum, quæ Mare Magnum appellantur apud Lezanam *tom.* 1. *Cap.* 25. *num.* 42. *& tom.* 5. in Mari Magno Carmelitarum *n.* 371. *&* 372. Sicuti privilegium passivum quod per dictos Prælatos possint absolvi ab omnibus reservatis a quibus absolvi queunt Religiosi viri ejusdem Ordinis respective possideant etiam expresse Moniales in Bulla Aurea Sixti IV. *n.* 7. apud Lezanam *tom.* 5. concordantibus D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 55. *art.* 13. *&* 14. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 1. *disp.* 17. *qu.* 1. & de jur. Abbatiss. *disput. item* 17. *per tot.* Ex quo colligunt auctores non posse Prælatos Monialesque ipsas hoc eodem privilegio spoliari, nisi in expressis cum speciali derogatione, juxta replicatam doctrinam laudati Lezanæ *tom.* 4. *V. Privilegium n.* 19. *ad* 23. *& tom.* 5. in Mari Magno Prædicat. *n.* 170. *& seq.* Alia vero sit facultas seu aliunde sumatur, quæ dicitur super hoc competere Confessariis simplicibus Regularibus. Deducitur hæc siquidem ut innuebatur superius n. 36. ante §. un. ex privilegio Pauli III. Patribus Jesuitis collato, in quo communicare supponuntur cœteri Regulares, videlicet, quod valeant absolvere omnes & quoscumque Christifideles utriusque sexus ad eos advenientes ab omnibus criminibus & censuris, quantumvis Sedi Apostolicæ reservatis exceptis iis, quæ in Bulla *Cœnæ* continentur, ut refert ad literam Passerin. de elect. *Cap.* 26. *n.* 41. necnon Felix Potestas *n.* 3459. & proinde etiam extendi sustinent Auctores Donatus signanter & Pelizarius ad absolvendas a quibuscumque reservatis Moniales, exteras tamen & Religionis diversæ, propter verba privilegii, ubi habetur facultas audiendi Confessiones *Fidelium utriusque sexus* undequaque accedentium & absolvendi &c. Accedentes autem undequaque nimirum e locis dissitis supponuntur exteri. Quod attamen nomine fidelium utriusque sexus generice enunciatorum veniant etiam Moniales in materia Confessionis audiendæ, & absolutionis impendendæ licet Confessarius supponeretur etiam pro ipsis approbatus, aliqualiter dubitarem. Verumtamen meliori judicio super hoc articulo proprium subjicio. Debent recoli quæ explicavimus *sect.* 3. *dubitat. præcedentis n.* 26.

46 Verum equidem est ad propositum quod si egressus Monialis è Monasterio utpote publicus ad forum contentiosum deducatur, nec Episcopus nec Regularis Prælatus possit absolvere in foro fori respectivam subditam sed necesse sit Sedem Apostolicam implorare: sic exigente reservatione expressa in ipsa Bulla *Decori*: ex regula generaliter servanda, quod in cen suris Papæ reservatis quatenus ad forum contentiosum deducantur possit esse Judex solus ipse Pontifex, vel ab eo deputatus, quibuscumque privilegiis non obstantibus. Sanctor. *Constit. Cap.* 2. *statut.* 14. *V. Dico septimo*, Gonzalez in Reg. Cancell. *qu.* 14. *n.* 8. aliique. Quoties item procedat Episcopus ut specialiter delegatus in materia clausuræ vigore Concilii Tridentini & Bullæ *Inscrutabili* Gregorii XV. neque est dubitandum: quoad cognitionem causæ in foro fori, tantominus quoad absolutionem a censuris per ipsum latis aut declaratis, nullatenus posse se immiscere Prælatum Regularem, ex aliunde deductis, attento ejusdem Tridentini decreto in cit. *sess.* 25. *Cap.* 5. *de Regular.* & tenore dictæ Bullæ ex adnotatis item per Pasqualig. *part.* 2. ad Lauretum de Franchis *qu.* 6. & in praxi Magni Jubilœi *qu.* 298. *n.* 5. Arg. Cap. pervenit II. qu. 1. & Arg. *Cap. Prudentiam* §. 6. *de Offic. Jud. deleg. & Cap. Pastoralis* §. *Praterea de Offic. Jud. Ordin.* Ultraquamquod per Gregor. XV. in allatamet Bulla omnibus privilegiis Regularium quoad hoc expresse derogatur. Sed nec Prælatus Regularis absolvere possit Monialem delinquentem in materia clausuræ, licet sibi subditam per se ipsum aut alium Confessarium approbatum in solo conscientiæ foro, quoties Episcopus pronuntiasset excommunicationem latæ sententiæ in edicto sibi reservatam, facta tamen mentione Monialium in dicta reservatione, ut per Decretum S. C. C. in Viterbien. 26. Julii 1627. supra relatum *n.* 39. Quamvis regulariter hujusmodi excommunicationem ipso facto latæ sententiæ imponi per Episcopos in hac materia reprobaverit S.Cong. apud ipsum Monacellum *tom.* 3. *pag.* 91. *n.* 4. & in præludio ejusdem *tom.* 3. *pag.* 13. *n.* 59. & latius explicamus dubit. præcedente *sect.III. n.* 53. & etiam paulo ante dicto *n.* 39. Ex præhabitis proinde signanter ibi dicta *sect.* 3. manifeste constat vanum esse conatum prætendentium eximere in materia clausuræ Monialium a censuris ferendis per Episcopum Regulares, qui ha-

habent privilegium, quod non possint ab Episcopis excommunicari, apud Lezanam signanter *tom. 3. tit. Exemptio Regularium n. 11.* Ubi ex Rodriguez & Suarez recensetur decretum S. Congregationis Episcop. de anno 1587. 9. Aprilis sub his verbis -- *Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi incidant in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit: Nisi Regulares illi haberent ex privilegio quod non possint excommunicari & tunc deberent puniri a suis Superioribus alia pœna.* Vanum inquam fore constat hujusmodi conatum Lezanæ & aliorum quamvis doctrina alias egregie in dicto tit. & numero 11. contineatur, nam in celebri, & sæpius repetita Constitutione Gregorii XV. *Inscrutabili* clare exprimitur: ibi. *Quod tam Regulares, quam Saculares hujusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties & quando opus fuerit puniri & corrigi valeant* ibi §. 4. Et inferius replicatur in specie quoad censuras: ibi. *Itaut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatis personis in præmissis omnibus & singulis aut circa ea quomodocumque delinquentes, quoties & quando opus fuerit etiam extra Visitationem per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas uti ejusdem Sedis delegati procedere omnemque jurisdictionem exercere libere & licite valeant.*

47 Quatenus ergo Episcopus his casibus spectantibus signanter ad Clausuram in quibus habet potestatem a Sancta Sede delegatam censuras jungeret sibi reservatas; Regulares Monialesque incurrentes in eas a quibus absolutionem consequi deberent? Respondetur itidem, quod inspecta Bulla signanter *Inscrutabili* mox citata & declaratione S. C. C. in Viterbien. pluries allegata in suppositione dicta, quod Episcopus excommunicationem reservaret & in reservatione de Regularibus atque Monialibus comprehensis mentionem faceret, tunc nequaquam aut Regulares aut Moniales Regularibus licet subjectæ a propriis Superioribus absolvi possent, ideoque Regulares primum ipsi delinquentes per se ipsos nec mediis Confessariis in necessitate constitui, concludere oporteret, petendi absolutionis beneficium ab Episcopo reservante, nisi Superior ipse Regularis facto verbo cum Episcopo ab eo hujusmodi licentiam in genere obtineat. Quamvis rarissimus ab Episcoporum prudentia possit contingere casus, ex non una vice animadversis: quod si delictum replicaretur scandalumque pareret, expediens profecto foret ut Religiosus delinquens e loco sive Conventu removeretur certiorata etiam S. Congregatione, quoties in hoc Superiores desides invenirentur. Pro absolutione dehinc impertienda Monialibus licet sub regimine Regularium degentibus in casu censuræ ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato impositæ & sibi reservatæ, consulendum pariter esse Episcopum ipsummet pro necessaria licentia absolvendi, docent Clericatus *decis. 42. n. 6. de pœnit.* Donat. in prax. *tom. 4. tr. 13. qu. 33.* Casped. de exempt. Regul. *Cap. 23. dub. 357. n. 4.* Pelizar. de Monial. *Cap. 10. sect. 1. sub sect. 2. n. 48.* Felix Potest. *n. 3436.* Propter Decretum signanter pluries repetitum S. C. C. in Viterbien. de anno 1627. cui consonat alia resolutio ejusdem C. C. in Colonien. 16. Novembris 1720. ubi proposito dubio secundo in ordine = *An Confessarii Monialium exemptarum & Prælatis Regularibus subjectarum possint easdem etiam extra mortis articulum absolvere a casibus Episcopo reservatis in casu?* Rescriptum prodiit. *Affirmative præterquam, quoad casus, quos Episcopi sibi reservaverint in materia clare spectante ad jurisdictionem Delegatam.* Quæ sane jurisdictio delegata perspicue significatur & specificatur in Concilio Trident. *sess. 25. Cap. 5. de Regul.* necnon in dicta *Inscrutabili*. Quoad casus nimirum spectantes ad Clausuram vel pro materiali vel pro formali, ut initio hujus dubitationis fuit declaratum & apud Card. Petram *tom. 5.* edit. Venet. *pag. 78. n. 143.* In mox citata tamen Colonien. advertendum obiter duco, quod cum Sacra Cong. ultro rescripserit non teneri Moniales Regularibus subjectas ad reservationem casus ab Archiepiscopo Coloniensi in edicto appositam. *Quod Confessarius Regularis Monialium exemptarum nequiret absolvere Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi*, nisi quatenus sit *violata clausura*, ut in responsione ad IV. Hisce temporibus contrarium omnino vigere mandatum propter facultatem sublatam & ademptam universaliter quibuscumque Confessariis tum Sæcularibus tum Regularibus absolvendi complicem in criminibus spectantibus ad sextum Decalo-

calogi præceptum, præterquam in mortis articulo, quando non adsit alterius præsentia Sacerdotis sub pœna excommunicationis ipsi Papæ reservatæ incurrendæ ipso facto a Sacerdote absolvere audente, per Constitutionem novissimam Sanctissimi Regnantis Pontificis BENEDICTI XIV. incipien. *Sacramentum Pœnitentiæ* die 1. Junii 1742. Addita deinde aliquali moderatione circa validitatem absolutionis in casu veræ necessitatis: videlicet, quod in mortis articulo, si absque scandalo aut alio urgente motivo nequeat se retrahere Sacerdos complex & alius interesse Sacerdos, possit absolvere. Si autem ipse se ingerat malitiose, absolutio quidem sit valida, sed obnoxius is maneat pœnis excommunicationis &c. in Constitutione citata *Sacramentum pœnitentiæ* expressis. Ita in declaratione posteriore: incipien. *Apostolici muneris* 8. Februarii 1745. Et hoc sit ex incidenti enunciatione pro universali notitia.

48 Quia item alias notavi, non teneri Episcopum ad legem conditam per Decretum sub Clemente VIII. declaratum per aliud decretum S. C. C. Urbano VIII. approbante *sub die* 21. *Septembris* 1624. Nimirum quod si Confessarius Regularis a Prælato suo peteret facultatem absolvendi reum reservati criminis, quamvis non obtineret, tamen pro illa vice valeret absolvere: inquiratur proinde, an quoties Episcopus, esto non ligatus declaratione Regularibus proprie directa; petenti Superiori aut alteri Confessario Regularium facultate absolvendi Religiosum aut Religiosam exemptam a casu in materia Clausuræ reservato, afficiente etiam Regulares & Moniales propter specialem mentionem, licentiam absolvendi denegaret; quid foret tunc agendum? Improbo responsum in casu nimis temere audentium, quod tum Religiosi tum Moniales in perditionem utique abire sinerentur & diutius in criminibus non dimissis & censuris non sublatis perseverare. Numquam itaque supponerem Episcopos quibus facultas etiam hæc delegata esse a Sancta Sede in ædificationem & non in destructionem, juxta sapientissimam dispositionem Tridentini *sess.* 14. *Cap.* 7. de casuum reservatione, & attento decreto Clementis de anno 1601. in præfata denegatione perstituros. Attamen in casu fere impossibili, principia communia a Sacris Canonibus & Doctoribus assignata pro omnibus indifferenter militare proculdubio censendum foret, & sinum Ecclesiæ matris atque Apostolicæ Sedis potestatem etiam Regularium recursibus patere. Similiter adnotandum est quod licet S. C. C. in supradicta Viterbien. de anno 1627. declaraverit ad hoc, ut reservatio casus ab Episcopo edita in spectantibus ad Clausuram, Moniales Regularibus subjectæ ligaret, necessarium fore ut de iis in edicto aut in reservato casu fieret specialis mentio, specialis tamen dicta mentio nequaquam requireretur quoties idem casus a Prælato Regulari ad normam decreti Clement. VIII. contingeret in genere reservari ex. gr. Si casus reservatio exponeretur his terminis: *Violatio quæcumque clausuræ Monialium etiam qua ad allocutiones, & colloquia ad Crates* non facta ibi speciali mentione Monialium, casui nihilominus subjacerent sine dubio tum Religiosi subditi tum subjectæ Moniales, ex quo respectu horum Prælati Regularis est Ordinarius & directe illos & illas afficerent ejus generica mandata: ex Pellizario *de Monial. Cap. supra cit.* 10. *sect.* 1. *sub sect.* 2. *n.* 49. Clericat. item *decis.* 41. *n.* 13. quos sequitur Cardinalis Petra *tom.* 5. *ad constit.* 19. *Sixti IV. n.* 183. Cœtera vero in hac materia possunt sufficienter colligi ex discussis quantum ad Episcopos *Dub. XV. sect.* 4. & de Prælatis ipsis Regularibus dubitat. præcedente XIX. sect. 1. & 2.

49 Hac eadem capta occasione occurrit affine dubium. An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos qui admittant Mulieres intra Claustra? Cui respondet cit. Pater Matteucci in *Cap.* 16. *Offic. Cur. n.* 11. *Non posse* propter Decretum Sacræ Congregationis quod citat apud Patrem Lantuscam in Theatr. Regular. *V. Clausura Conventuum n.* 1. Subditque hoc esse certum propter Stylum Romanæ Curiæ cujus praxis est, ut Religiosi admittentes Mulieres intra septa Conventus petant & obtineant a Sacra Pœnitentiaria absolutionem ab excommunicatione suspensione a Divinis & rehabilitationem ad officia; *Stylus autem curiæ facit jus & praxis Romana inducit regulam.* Sic ille iterum in Off. Cur. *Cap.* 38. *n.* 28. Verumtamen Decretum allegatum Sacræ Cong. si attente consideretur, invenietur esse declaratio Cardinalis Matthæi tunc Protectoris Ordinis Minorum in modum Epistolæ *sub die* 4. *Decembris* 1588. directe Congregat. generali ejusdem Ordinis de mente quidem S. C. cujus P. Lantusca citat Decretum emanatum *die* 13. *Octobris* 1583. & minime literaliter refert. In Epistola autem Cardinalis Matthæi ad propositum habetur quod Mulieres ingredientes clausuram

suram Conventuum sint excommunicatæ, & fratres tum Prælati tum subditi introducentes eas incidant pariter in excommunicationem Papæ reservatam & remaneant ipso facto officiis privati & ad illa inhabiles in futurum, ut ibidem apud P. Lantuscam a quo laudatus Matteucci transcripsit citatis locis. Porro deducitur excommunicatio de qua agitur esse reservata vigore Bullæ Sancti Pii *Regularium personarum, sub die 24. Octobris* 1566. declaratæ & ampliatæ ad mulieres ingredientes etiam sine prætextu licentiarum per eumdem Sanctum Pontificem in alia Constitutione *Decet Romanum Pontificem, sub die 16. Julii* 1570. Epistola siquidem Cardinalis præfati de mente S. Congregationis eamdem Bullam & decisionem Sancti Pii aperte citat. At privilegium Prælatorum erga suos subditos sed nec Regularium approbationem ad audiendas Confessiones nequaquam abrogari observat cum Donato adducente plurimos *tom. 1. part. 2. tr. 4. qu.* 33. *&* 34. Peyrin. ad Const. 6. S. Pii V. *pag.* 203. *n.* 41. Item ad *Const. 6. Julii* II. *& tom. 1. de subd. in fin. Operis in appendice* Felix Potestas *n.* 3492. Nec Decretum S. Congregationis aut Epistola Cardinalis Matthæi tollit facultatem *Prælatis Regularibus ab eadem excommunicatione licet Papæ reservata proprios subditos absolvendi*; nec legitur ibi clausula: *Non obstante quocumque privilegio concesso Prælatis Regularibus in ordine ad proprios subditos*; Quæ clausula vel æquivalens sic necessarium est superaddatur ad hoc ut privilegia Regularium signanter confirmata motu proprio & ex certa scientia post Urbani VIII. Constitut. incipien. *Cum sicut die 5. Octobris* 1631. juxta animadversa *Dub. XIV. sect. 1. & Dub. XIX. sect. 2. n.* 16. circa med. dicantur omnino aboleta, præsertim si sermo sit de facultatibus Prælatorum erga proprios subditos videtur etiam quod debent explicari vel ejusdem clausulæ supposito indicare in Decretis Sacrarum Congregationum earumdem Constitutionum declarativas, cum alias remaneant Constitutiones Pontificiæ in suo robore: ad text. in l. *præcipias C. de Appellat. L. Satius C. de testam. Cap. ex parte de Capell. Monial.* Felin. *in Cap. Nonnulli n. 2. de rescript.* Rot. cor. Cavaller. *decis.* 101. *n.* 2. *decis.* 128. *n.* 4. *decis.* 601. *per tot.* & cor. Buratt. *decis.* 463. *n.* 4. *&* 5. Pater item Lantusca a Patre Matteuccio citatus sustinet aperte cum Suarez & Sanchez esse Regularem admittentem Mulieres intra septa Conventus a propriis Prælatis vel Delegatis per eosdem absolvi in foro conscientiæ quoad culpam, etiamsi delictum foret deductum ad forum contentiosum; non tamen in tali suppositione quoad pœnam postquam hoc idem asserit de Religiosis intrantibus clausuram Monialium ad malum finem in Theatr. Regul. V. *Clausura Monialium n.* 16. post Sanchez etiam ibi cit. *lib. 6. in decal. Cap.* 17. *n.* 43. & Peyrin. de privileg. Regular. *fol.* 117. *n.* 20. *& seq. & fol.* 167. *n.* 42. Ex qua immo allata doctrina deducunt Auctores posse Confessarios Regulares absolvere dictas Mulieres ingredientes Monasteria Virorum. Eo quia S. Pius reservans sibi excommunicationem in Bulla incipien. *Regularium personarum* privilegiis Regularium minime derogat, super quo potest legi Peyrinus in appendice ad *tom. 1. de subdit. quæst. nempe IV. Cap. X. §. un.* ubi sedulo advertit casus a quibus nequeant absolvere Confessarios Regulares personas exteras utriusque sexus ad se advenientes, declarari & assignari in Decreto S. C. sub Clemente VIII. de anno 1602. puta casus Bullæ Cœnæ & illos sex recensitos in Decreto eodem extra Urbem & intra Italiam, inter quos non numeratur ingressus Mulierum intra Claustra Virorum etiam ad malum inhonestum finem; non enim comprehenditur iste casus in illis recensitis inter sex *Violationis* scilicet *Clausuræ Monialium ad malum finem*, ut advertit pariter diligens Felix Potestas *d. n.* 3491. Nisi tamen aliquis alter casus vel alia censura ita reservetur & cum clausula *non obstantibus privilegiis, etiam Regularibus concessis absolutio ab eodem* in Constitutionibus Pontificiis emanatis vel emanandis vel S. C. Decretis inhibeatur, ut observavit Toletus *lib. 1. Cap.* 41. *n.* 7. & sustinent Doctores passim. Cum advertentia item replicata quod etsi privilegia Confessariorum Regularium in ordine ad personas exteras & Sæculares revocentur, non per hoc remaneat derogatum privilegiis Prælatorum ipsorum Regularium in ordine ad proprios subditos nisi de his etiam fiat saltem implicita mentio in derogationibus, ut alibi abunde fuit demonstratum signanter quoties privilegia sint de novo in forma specifica a Summis Pontificibus confirmata *ut in dub. citata XIX. sect. II. n. 16. & alibi*. Hunc pariter articulum solide pertractat laudatus Gueber atque examinatis hinc & inde documentis, signanter duabus Constitutionibus S. Pii videlicet ea quæ incipit, *Regularium Personarum sub die 24. Octobris* 1566. & alia incipien.

Decet Romanum Pontificem 16. *Julii* 1570. concludit cenſuras quidem eſſe reſervatas contra delinquentes, ſed Prælatum Regularem reſpective ſuos poſſe ab iis ſubditos abſolvere propter antedictas rationes: ſic loc. iam cit. *pag.* 558. *n.* 34. Laudatus item Didacus Aragonienſis brevi ſe expediens methodo tum ab ingreſſu in Monaſteria Monialium &c. tum ab introducentibus Mulieres in Monaſteria virorum, concludit & ipſe poſſe Prælatos beneficium abſolutionis ſubditis impertiri; prius Generales *tr.* 2. *Cap.* 5. *n.* 15. dehinc Provinciales *tr.*3. *Cap.*5. *n.*16. quod replicat de Superioribus localibus *tr.* 4. *Cap.*4. *n.*18. Et hoc virtute privilegiorum conceſſorum a Clemente uſque IV. & deinde a Syxto pariter IV., abſque eo quod ſuper Bullas noviſſimas aut allegata in contrarium Decreta cum Matteuccio aut alio velit diſputare.

50 Ad ſtylum adductum Curiæ jam reſponſum eſt *dub.* 14. *ſect.* 1. & in hac ipſa ſectione ſuperius n. 39. ſed quia ſuper hoc vim ſuæ rationis etiam hic videtur totam fundare laudatus Auctor Matteucci, repetendum obvenit quod ſtylus S. Pœnitentiariæ in caſu plene convinceret, quoties pro Prælatis Regularibus non eſſet clara lex in contrarium, quæ utique viget adhuc in Religionibus in quibus ſubditi conſtitutionum non inſcii paſſim ad proprios reſpective Prælatos habent recurſum vel per ſe ipſos vel mediis Confeſſariis ad hoc ut abſolutionis beneficium ſive facultatem obtineant, quoad caſus rariſſime occurrentes in quibus ad Tribunal Supremum ſolent ſæculares aut volunt recurrere alii indocti; ſtylus quippe Curiæ facit legem quidem ut vult Ridolphus in praxi part. 1. cap. 1. n. 79. & ſeq. & Amigid. de ſtylo Datariæ (pro qua principaliter militat axioma) cap. 38. n. 7. ſeq. Nihilominus habetur communiter veluti ſupplementum legis & ut potius declaratio ipſius ubi lex non adeſt expreſſa vel ubi ſit dubia, vel facit legem facultativam in favorem illius Tribunalis pro quo impugnatur, ſed non neceſſitantem in præjudicium alterius pro quo alioquin lex clare eſt edita; ex. gr. in ſubjecta materia caſuum reſervatorum ſtylus viget quod Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal Regularibus ad ſe confugientibus abſolutionem impertiatur in caſibus fere omnibus, etiam ad normam Decreti Clementis VIII. *Sanctiſſimus noſter* ſub die 26. Maii 1593. reſervatis intra Religionum clauſtra, ut in caſu abortus percuſſionis adulterii cum damno prolis & ſignanter Apoſtaſiæ ut jamprimum n. ſuperius 38. fuit adnotatum. Et cum S. Pœnitentiaria in abſolvendo ab hiſce caſibus jure proprio utatur, non eſt dubium quod ſtylus ſic abſolvendi in favorem ipſius faciat legem, at non legem neceſſitantem quæ adimat Prælatis ipſis auctoritatem cognoſcendi in dictorum delictorum cauſis ex officio & abſolvendi a cenſuris per eadem delicta incurſis non ſolum in foro conſcientiæ ſed etiam in foro fori. Alias actum eſſet de facultate Regularium Prælatorum quoad omnes caſus exceptos. Concedo equidem quod quotieſcumq. per Sac.Pœnitentiariæ Tribunal aliquid ſpeciale in favorem recurrentium ſtatuatur non poſſit per Prælatos Religionum alterari decretumque illius prævaleat cuicumque determinationi eorumdem Regularium Prælatorum; ſe habent namque tunc Prælati Regulares veluti minoris entitatis & juriſdictionis reſpectu poſſidentis ampliſſimam: Clement. *Ne Romani* de elect. &c. Tantummodo prætenditur quod niſi præventio fiat vel aliud a Tribunali præfato etiam in decurſu cauſæ ſtatuatur, intacta maneat Prælatorum Regularium facultas cognoſcendi plene in multis & quoad utrumque forum abſolvendi, quatenus opus ſit: in aliiſque pluribus ſaltem in foro conſcientiæ, quatenus ad forum externum duducantur Sanctæ Sedis, quæ caſus reſervaverit aut pœnas impoſuerit reſervatas; privilegiis claris & numquam revocatis ſuffragantibus. Ad quod propoſitum valde valeret doctrina Patris Sanctori ſuper Conſtit. *Cap.* 2. *ſtatut.* 14. ſub dicto quarto. ℣. *Tertia concluſio* & Cardinalis de Luca generaliter inſinuantis in hujuſmodi materiis attendendum eſſe legi claræ non revocatæ & deinde conſuetudini. De canon. diſcipl. *diſc.* 33. *n.* 9. Nec reticenda brevis replica, quod ideo Regulares inter cœteros callidi ad Tribunal S. Pœnitentiariæ confugiunt, non ex eo quod noverint Prælatis propriis deeſſe facultatem abſolvendi in caſu, ſed ut pœnas evadant a Pontificiis Sanctionibus taxatas vel a ſtatutis ipſius Religionis impoſitas, privationem præcipue vocis inhabilitatemque ad Officia, quas Prælati prædicti procedendo declararent a notoriis & publicis ſignanter delinquentibus incurſas, quod evidenter conſtat paſſim in Apoſtaſiæ rei ex jam repetitis. Et ego novi revera nonnullos in propria Religione quoad forum conſcientiæ jam abſolutos recurſum habuiſſe nihilominus ad Sacram Pœnitentiariam pro abſolutione a pœnis crimini commiſſo per leges

ges assignatis. Super quod Sanctorus de pœn. *Cap.* 18. *qu.* 3. ℣. *Primus est*: necnon P. Donatus *tom.* 1. *tr.* 13. *qu.* 17. *n.* 26. Cœterum in hisce iisdem materiis, quoties Decretum afferatur etiam Sacrarum Congregationum authenticum per quod omnimoda Prælatis Regularibus etiam respectu propriorum subditorum facultas adimitur, non obstantibus quibusc cumque non dissentirem utique & præmissa quæcumque veluti non scripta declararem.

51 In iis quæ concernunt violationem Clausuræ Monialium consequenter ad præfata in hac eadem sectione, invenio peculiaria statuta pro Minoribus, quæ pro notitia Prælatorum in nostra Religione duxi non superfluum aliqualiter examinare. Nimirum probibetur accessus ad Monasteria Monialium Religiosis, nisi urgente necessitate & impetrata licentia sub pœnis expressis *Cap. XI.* §. 3. Compil. Sambuc. prohibenturque ipsis amicitiæ & collocutiones cum Monialibus sub pœna privationis vocis activæ & passivæ ac perpetuæ inhabilitatis ad omnia Ordinis Officia, ibidem *num.* 6. quod repetitur §. 12. ejusdem Cap. n. pariter 6. & nos alibi jam indicavimus. At pœnæ hujusmodi addimus hic quod nequaquam taxantur ipso facto incurrendæ, ideoque apparent comminatæ tantum & sententiæ ferendæ & exigunt per consequens processum & juris ordinem attenta gravitate ex alias probatis apud P. de Ameno pract. crim. *tit. ult.* §. 7. *n.* 62. Præscribitur item modus ingrediendi in Monasteria Confessariis & Superioribus §. 4. *n.* 11. & 12. Quia tamen in aliquo veniat idem modus ab assignato per Constitutiones Apostolicas post statuta editas; servanda ideo est omnino Bulla Alexandri VII. *Felici* recensita per P. Matteucci in Offic. Cur. *Cap. XI. n.* 2. *seq.* ex generice item adductis in sect. I. hujus dubitationis quantum ad Monasteria Ordinis existentia intra Italiam Insulasque ejus; contra ingredientes etiam sub prætexto licentiarum intimantur pœnæ per Apostolicas Sanctiones præscriptæ & ultro aliæ, pariterque contra Moniales admittentes in dicto §. 4. *n.* 5. Statuitur peculiariter *ibi n.* 9. ad propositum nostrum, quod Monialis quæ masculum aut fœminam cujuscumque ætatis absque licentia intra Claustra admiserit, *excommunicetur, privetur velo & carceribus mancipetur vel gravius puniatur Superioris arbitrio*; quibus pœnis subjaceat Præfecta Janitrices & Rotis præpositæ si ad hoc earum consensus accesserit. Ex quo tamen constat ejusmodi pœnas esse quoque comminatas nec posse infligi nisi per sententiam atque auditis Monialibus reis. Ad tradita generaliter per Cap. *Reprehensibiles n.* 2. *de Appell.* Cler. *qu.* 31. ℣. *Standum* & reliquos criminalistas. Inhibetur pariter egressus e Monasterio cuilibet Moniali sub pœnis in Apostolicis Constitutionibus contentis, præscriberturque terminus Clausuræ ultra quem nequeant Moniales progredi sub iisdem pœnis §. 5. *a n.* 1. Ubi etiam Superioribus Clausuræ custodia districte jubetur, atque signanter expresse *præcipitur per sanctam Obedientiam & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tam Matribus Abbatissis aut quovis nomine Præfectis Monialibus, quam earum Patribus Confessariis, ut nullo modo aperiant aut aperiri permittant Craticulas seu fenestrellas, e quibus Moniales Sacratissimum Domini Corpus suscipiunt, nisi tantum pro sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ aut pro prædicationibus aut pro electionibus Abbatissæ faciendis aut pro professionibus emittendis, quibus actionibus finitis sine ulla mora dictæ fenestrellæ occludantur & clavibus muniantur*, binæque portæ pro fenestrellis obserrandis jubentur cum duabus clavibus & una earum in manibus Confessarii qui per seipsum aperiat, sit reponenda. Ex quo patet excommunicationem in casu, utpote latæ sententiæ statim incurri in foro conscientiæ, quamvis in foro fori esse necessariam semper declarationem, ut alias notavimus, sustinet cum aliis a se citatis P. de Ameno in pract. crim. *tit. sententia* §. 7. *n.* 60. 61. & 62. Verumtamen hæc censura non legitur reservata; prout aliæ quæcumque pœnæ in hac materia usque nunc recensitæ non aliam habent adnexam reservationem in statutis, ultra eam quæ in Apostolicis Sanctionibus pro hujusmodi signatis delictis forte sit expressa; ideoque circa absolutionem & dispensationem super iisdem eodem pacto ac præmissum est de Regularibus in genere dubit. præced. XIX. sect. II. Et de Monialibus omnibus subdemus infra, remanet concludendum. Plura itidem quæsita movet P. Sanctorus super præfatis & erudite resolvit super Constit. *Cap. XI. stat. VII.* sed advertendum novas contra laudati Auctoris asserta plura prodiisse declarationes, quas locis propriis dudum assignavimus; signanter circa tradita per eumdem quoad licentias ingrediendi Clausuram, ibi. *Dicto secundo qu.* 1. quoad moram intra Clausuram, *quæsito secundo*;

quoad ingressum Superioris occasione electionum *quaest. 6.* & quantum ad custodiam Clausurae ℣. *Dico quarto*, ibi legenda. Attenta semper Bulla Felici & ejus obligatione intra Italiae fines.

52 Addo hic circa materiam affinem de introductione scilicet Mulierum intra septa Religiosorum, ultra dicta de Regularibus omnibus *n*.49. adesse peculiare pro Minoritis statutum amplians poenas & extendens easdem ad illos pariter, qui introducant Mulieres in aediculas pro Confessariis Monialium deputatas. *Cap. eodem XI. §.7. n.* 8. ibi = *Quae vero Pius de Mulieribus in Monasteria Conventusque Regularium non admittendis statuit, inviolate serventur & qui eantrafecerit ultra poenas Apostolicas carceribus etiam mancipetur Superiorum arbitrio. Quas poenas etiam subeant, qui Mulieres intra aediculas pro Confessariis Monialium deputatas quovis praetextu admiserint.* In quo statuto etiam dignoscitur nullam admitti reservationem praeter illam quae in Apostolicis Sanctionibus Sancti Pii signanter incipientis *Regularium personarum* 23. *Octobris* 1566. & altera ampliativa ejusdem *sub die* 16. *Julii* 1570. incipien. *Decet Romanum Pontificem*, continentur. Quapropter circa potestatem absolvendi ab hujusmodi delicto & poenis nil ultra resolvendum superest praeter dicta de Regularibus quibuscumque loc. cit. Nota similiter, poenam carceris additam in statuto esse arbitrariam Superiori, sed revera infligendam fore, quoties intervenerit scandalum, cum vanum esset alioquin condere leges, si nullatenus executioni demandari deberent. Videndus Sanctorus ad hoc propositum de poen. *Cap.* 8. *quaest.* 7. ℣. *Sed demus casum &c.* Ampliatio autem poenarum earumdem, quam superaddit Statutum ipsum ad introducentes mulierem aliquam intra domunculas Confessarii dictarum Monialium, subderem ego, quod poenas equidem comprehendit impositas a Sancto Pontifice, sed minime reservationem soli Pontifici in casu, adeout non posset Reus a Praelatis non tantum, sed a quolibet suae Religionis Confessario in foro conscientiae saltem beneficium absolutionis obtinere, eo quia sumus in odiosis: ex notissima regula juris *n.* 15. nam quamvis possit Religio facultatem absolvendi ab aliquo graviori delicto a se abdicare & totaliter Summo Pontifici abrenuntiare, ex iis, quae tradit Navarr. de Episcop. *qu. for.* 66. *n.* 1. & 15. Passerin. de elect. *Cap.* 26. *n.* 183. Doctrina tamen non est praesentis suppositionis, cum nec in Bullis habeatur mentio de introducentibus Mulieres in domos *Confessariorum*. Nec mentio reservationis superaddatur in statuto. Apud Reformatos, contra hujusmodi introducentes injungitur poena carceris ad arbitrium Superioris nullis aliis memoratis poenis stat. *Cap. XI. n.* 6. Ut igitur censeretur reservatus iste casus introductionis Mulierum in domunculas Confessariorum, deberet sine dubio statui talis in Capitulis generalibus vel Provincialibus respective pro toto Ordine vel peculiari Provincia, juxta praescriptum Decreti satis noti & alias replicati Clementis VIII. de anno 1593. 26. Maii apud Felicem Potestatem *tom.* 1. *part.* 4. *Cap.* 5. *a n.* 3299. *ad* 3309. Quantum dehinc ad reliqua in praehabito statuto consideranda, quatenus ad praesens propositum pertineant potest adhiberi Patris Sanctori expositio. Constit. *Cap. XI. stat.* 5. *per tot.*

53 Sed quia Auctor hic ipse exponendo dictum statutum asserit esse stylum Sacrae Poenitentiariae absolvere Religiosos introducentes Mulieres in Conventum quomodocumque, etiam sine praetextu licentiarum, neque ad malum finem; immo quod sacrum idem Tribunal Officiis privet illosmet & imposterum rehabilitet, facultatemque absolvendi adimat minoribus Poenitentiariis in casu: ibi ℣. *In qua etiam Constitutione &c.* Absque eo quod inde resolvat. An, hoc non obstante Praelatis Regularibus absolvendi subditos dispensandi cum eis & rehabilitandi in casu sit ablata facultas. Propterea aliqua incidenter quantum ad hoc claritatis majoris gratia cogor adhuc repetere. Quod revera per haec dicta Auctoris alioquin eruditi nequaquam debeat intelligi Praelatis Regularibus absolvendi dispensandi & habilitandi sublata erga eorum subditos potestas, inhaerendo doctrinae ipsiusmet clarissimae signanter in *Cap.* 2. Constit. *stat.* 14. §. 1. *object.* 3. *per tot.* Nec reassumere piget, quod stylus Curiae non inducit abolitionem privilegiorum, praesertim quoties non fert secum privationem & eorumdem privilegiorum absolutum ac voluntarium non usum. Viget ex. gr. Stylus, quod Dataria pro qua regula haec maxime militat expediat dispensationem pro ordinandis extra tempora, ut testatur Corrad. in prax. disput. de tempor. ordinand. accedente decreto peculiari sub Innocent. cl. mem. XII. ubi fit mentio de forma concedendi similia indulta Regularibus: dat. die 4. Decembr. 1693. At quia non erat antea coniunctus stylus cum pri-

privativa & non usu privilegii quod super hoc prætendebant Regulares pro se ipsis perdurare; semper per plures Episcopos ponebatur in praxi etiam prius ad decisionem Concilii Lateranensis sub Benedicto sanctæ mem. XIII. celebrati de an. 1730. *tit. V. Cap.* 2. Ideo per stylum præfatum nequaquam privilegium idem Regularium aboleri potuisse, seu nullatenus stylum contra privilegium prævaluisse egregie resolvit Emin. Petra *tom. V.* ad Const. 7. Pii II. *n.* 30. *&* 31. Ad propositum igitur quamvis afferatur stylus Pœnitentiariæ absolvendi Religiosos, qui Mulieres intra septa Monasterii excipiunt & cum eis dispensandi &c. Quia tamen adhuc Prælati Religionum facultate sibi concessa utebantur & utuntur attentis privilegiis non abrogatis in casu, in foro conscientiæ loquendo & quatenus delictum non sit deductum ad forum contentiosum per modum procedendi judicialem. Quod si non utantur, vel ex ignorantia privilegiorum, vel quia subditi transgredientes nequaquam ad ipsos recursum habeant, hoc contingit. Idcirco non posse concludendum est ex eodem nudo stylo abolitionem privilegii in præsenti & similibus casibus absolute deduci, ut ingeniose ratiocinatur Peyrinus in appendice ad calcem *tom.* 1. *de subd. qu. X.* §. 1. Alia apud Sanctorum *Cap.* 2. Constitut. ubi supra perlegantur. Et quantum ad ipsum forum contentiosum cenccderemus item non esse prohibitum Superioribus Regularibus cognoscere causam & declarare reum commisisse delictum & incurrisse pœnas contra introducentes in casu, licet absolutio & dispensatio atque rehabilitatio ad solam Sanctam Sedem pertineret attenta super hoc literali dispositione Bullarum, nisi per Sanctam Sedem alter delegaretur Judex.

54 Occurrunt nonnulla alia quæsita de potestate Prælatorum absolvendi a casibus specialiter controversis Moniales subditas eo modo quo dubitatur, an valeant absolvere subditos Religiosos. Signanter dubium insurgit circa potestatem absolvendi Moniales se invicem percutientes. Ubi primum supponitur pro certo, quod Monialis aliam percutiens incidat in excommunicationem Canonis 17. *qu.* 4. ibi: ***Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum manus violentas injecerit.*** Nomine namque Monachi in casu venire Moniales tam Choro addictas quam Conversas Mulieres item Tertiarias in privatis domibus vitam ducentes: juxta formam traditam in primo *tom. dub. xi. sect. VI. n.* 37. & repetitam in hac ipsamet *dubit. sect.* 1. *n.* 1. §. *un.* Mulieresque quæ Monialibus ipsis inserviunt cum habitu Religioso & pro ipsis eleemosynas quæritant, dummodo prope Monasterium vitam agant & ipsæ Religiosam, ut DD. passim Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3560. Limitando itaque sermonem ad Moniales quarum una percutiat alteram a contracta excommunicatione per quem debeat absolvi? Non a simplici Confessario, cum censura sit ex specialiter Sanctæ Sedi reservatis præcipue si percussio foret gravis, prout discussum est *dub. xix. sect.* 2. *n.* 22. *&* 23. ubi satis de qualitate reservationis in Ordine ad Religiosos viros; a quo alio igitur absolutio obtinenda? Porro Monacellus *tom.* 3. *fol.* 182. *n.* 2. vult hanc potestatem Episcopis appropriare *ex Cap. de Monialibus* juncta Gloss. de sent. excom. allegans etiam Bellettum *disq. Cleric. part.* 3. *de favor. Cler. Can.* §. 3. *n.*4. Ampliatque facultatem dictam in Episcopis etiam ad Moniales exemptas quod repetit *tom.* 4. *pag.* 104. *n.* 148. nil aliud ibi addens, nisi auctoritatem pro se Riccii in collect. *n.* 22. 23. ℣. *Ut fecus* non audet tamen proferre in favorem Episcopi privativam, quamvis a se adducta glossa eam videatur concedere. At noluit perpendere hic Auctor Constitutiones Summorum Pontificum plurimas post dictum *Cap. de Monialibus* emanatas, quæ Monialium curam Regularibus Prælatis sub quorum Ordinibus respective degunt omnimode demandarunt, eisque Moniales regimini ipsorum privative subdiderunt: præterquam in expressis deinde per sanctiones recentius editas signanter quoad clausuram in quibus Episcopi declarantur Sanctæ Sedis specialiter delegati, ut sæpius in Bullis Mare Magnum nuncupatis, signanter quantum ad Moniales Sanctæ Claræ in Bulla Gregorii IV. incipien. ***Ordinis tui*** de an. 1441. die 5. Februarii in Orbe Seraph. *tom.* 2. *pag.*676. & in alia Leonis X. incipien. ***Cum sicut accepimus*** sub die 1. Julii 1518. ibidem per extensum *tom.* 2. Orb. Seraphic. *Cap.* 7. *pag.* 680. Et apud Wadingum primævæ impress. *tom.* 8. Uniformiter ad Concilii Tridentini generalem dispositionem alias adductam, *sess.* 25. *de Regul. Cap.* 9. ibi: ***Moniales quæ a deputatis in Capitulis generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur sub eorum cura, & custodia relinquuntur.*** Et ulterius ad propositum quomodo Moniales sub cura Regularium viventes omnibus & singulis privilegiis quæ Religiosis viris ejusdem Ordinis sunt concessa,

sa libere & sine contradictione debeant frui, ut probat Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 8. *num.* 4. Piasec. prax. *part.* 2. *Cap.* 3. *art.* 7. *n.* 1. & egregie præ cœteris Emin. Petra *tom.* 4. *edit. Ven. pag.* 111. *n.* 27. ex Bulla aurea præsertim Sixti IV. cujus fragmentum refert ad verbum Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3581. ubi alias similes declarationes allegat pro Monialibus Sanctæ Claræ Leonis X. Gregorii XIII. & Sixti V. sed in terminis absolutionis earum per Prælatos proprios ab omnibus reservatis inter cœtera collata privilegium expressum Sixti IV. in Bulla incipien. *Æterna Beatitudinis de an.* 1472. *quinto Idus Julii*: ibi: *Ut omnibus & singulis privilegiis & gratiis fratribus Minoribus & Minorissis hactenus concessis & imposterum concedendis etiam libere frui & illis uti, ac gaudere possint & valeant sicut & ipsi gaudent utuntur & fruuntur, gaudere & frui poterunt quomodolibet in futurum. Præterea ipsis Ministris Visitatoribus, & Confessoribus quod ipsas Sorores præsentes & futuras sub regulari observantia ut præfertur degentes ab omnibus criminibus sententiis censuris & pœnis Ecclesiasticis etiam Sedi Apostolicæ reservatis quatenus opus fuerit absolvere possint &c.* Per extensum apud Patrem de Gubernatis *in O b. Seraph. tom.* 2. *pag.* 749. Quod privilegium ad alias Moniales per communicationem ampliatum debere tamen ad praxim reduci non nisi cum moderationibus & declarationibus postea emanatis, concedere sane tenemur. At moderationes & declarationes a Sancta Sede seu Sacris Congregationibus necesse est ut prodeant, nec usque adeo se extendit privati cujuspiam Doctoris præsumpta auctoritas. Colligitur ergo ex dictis inesse Prælatis Regularibus potestatem absolvendi Moniales eis subditas in casu ab excommunicatione Canonis incursa ob percussionem alterius Monialis sive Conversæ sive in data occasione alicujus Clerici &c. ut concedit Matteuccius *Cap.* 39. *Off. Cur. n.* 19. & 20. non tantum in percussione levi mediocri, sed etiam enormi; tum quia Monialis recensetur inter personas adire Romanam Curiam vere impeditas, ut probant Doctores apud Felicem Potestatem n. 3347. (sed ista etiam omissa ratione) eo quia privilegia concessa Prælatis dictis in ordine ad subditos inter quos comprehendi Moniales mox probavimus, ad percussionem etiam enormem extenduntur. Lezan. *tom.* 1. *Cap.* 18. *n.* 3. Layman. Theol. mor. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 7. *num.* 20. Tambur. de jur. Abbat. *tom.* 2. *disp.* 14. *qu.* 10. *n.* 6. quos sequitur cum P. Matteucci loc. cit. Felix Potestas n. 3578. seq. & nos tradidimus *Dub. XIX. sect.* 2. *n.* 22. *seq.*

55 Si Monialis procuret in se abortum ratiocinandum est uniformiter ad datam doctrinam in dicta dubit. XIX. sect. 2. & quomodo subsit casui reservato seu reservabili in Religione cujus est professa, quia ipsi casus est adaptabilis, quamvis tum in hoc tum in aliis statui ipsarum non repugnantibus debere sufficienter & prudenter provideri quoad absolutionem per Prælatos proprios occurrente motivo & necessitate quatenus sub reservatione cadant, autumant D.D. cum Bordono resol. 34. n. 6. Verum movet dubium super hoc D. Monacelli *tom.* 3. *pag.* 142. *n.* 3. An Monialis quæ potione pharmaci aut scissura venæ excitat in se concepti fœtus abortum incidat in excommunicationem Canonis: *Si quis suadente* &c. Ubi animationem fœtus supponit. Et asserit posse sustineri sententiam negativam Cajetani quod licet Monialis veniat nomine Monachi, tamen non contrahat excommunicationem in casu quam incurreret Clericus animo irato percutiens se ipsum. Eo quia pharmacum adhiberet Monialis aut venam pateretur aperiri non animo injurioso se ipsam offendendi, sed potius ad defensionem proprii honoris & infamiam vitandam, & potest addi eo ferme pacto quo Clericus & Religiosus patitur mutilationem membrorum aliquoties pro evitanda morte: ita loc. cit. n. 4. & repetit tom. 4. pag. 105. n. 150. addendo rationem quia Monialis dicta non sibi sed fœtui injuriam irroget, quamvis fœtus sit animatus: cum idem nequeat venire tunc nomine Clerici aut Monachi ex Sayr. de censur. lib. 3. cap. 29. num. 17. Hanc profecto doctrinam in terminis quantum ad non incurrendam excommunicationem *Canonis* etiam ego probabiliorem duco: doctrinam nihilominus quam addit Monacellus ipse tom. 2. fol. citat. 182. n. 4. & 5. opporteret reducere ad sanum sensum. Quamvis enim velit ibidem laudatus Auctor præscindere a peccato & censura alia incursa ob animati fœtus abortum per Bullas Syxti V. 47. & Gregorii XIV. 8. Verba tamen illa ibi exarata. *Quod sicuti pro defensione vitæ licitum est Clericum aggressorem repercutere & etiam occidere sine incursu excommunicationis ita ad tuendum honorem qui est defendendus sicut vita poterit Monialis fœtum etiam animatum qui honorem vult tollere interficere, quia infamia propria in hoc re gra-*

gravi aequiparatur morti & praeponitur cuicumque praecepto juris positivi. Haec inquam eadem ratio seu verba hujusmodi veram superaddeotia rationem censurae nequeuot non exponi; oimis siquidem probarent pro omnibus & quibuscumque mulieribus, quod praevaleret scilicet conservatio proprii hooris occisioni foetus innoceotis io proprio utero, eo quia falso supponitur & perperam autumaretur iosantulus idem ionocens aggressor & attentans tollere Monialis honorem. Considerentur propositiones proscriptae ab Alexandro VII. o. 17. & 18. & ab Innocentio ven. mem. XI. n. 30. & signanter n. 34. Non qood Aothor alioquin zelans has apeite defendat, at doctrina ratioque ab ipso allegata ooo potest negari quod reprobatis ibidem sententiis non parum faveat.

56 Non est omittendum dubium quod alibi motum est signanter hac ipsa dobitatione *sect. 1. n. item primo §. un. & in sectione praesenti n. paulo ante* 54. *init.* Sed non adhuc pleoe & formiter solutum, quamvis solutio qoam dabimus ounc sit pluries supposita. An videlicet Moniales generaliter veniaot nomine Monachorum sicuti jam diximus paulo ante venire quoad privilegiom immunitatis personalis, & sic profitentes in una aliqua Religione intelligantur sub vocabulo Religiosorum illiusmet, quoties de Monachis Religiosis sive fratribus in ea aliquid statuitur. Profecto unicuiqoe erit abusa distinctio quod dubium moveatur, vel in favorabilibus vel in odiosis. Quapropter hac distinctione pariter supposita afferam prius sententiam Monacelli, quae alioquin reprobata fuit alibi, paucis & absolutis verbis prononnciantis. *Quod Moniales non veniant nomine Monachorum, nec gaudeant privilegiis Monachis concessis quamvis sint ejusdem Ordinis part. 1. pag.* 244. *in fin. n.* 9. Ubi saltem distinxisset & limitasset propositionem ad casus quando Summi Pootifices in editis Constitutionibus privilegia Monachorum & fratrum ad Moniales & Sorores clare non extendunt, cujus oppositum palpabiliter demonstratom est mox *n.*54. Videlicet praegnantibus & perspicuis verbis pluries Pontifices Summos privilegia Religiosorum ad Religiosas professas signanter per jura expressa in favorabilibus ampliasse. Et revera non capio quomodo laudatos Auctor neget loc. cit. comprehendi Moniales sub oomine Monachorum in favorabilibus & deinde *tom.* 3. *pag.* 181. *n.* 3. *& seq.* conteodat quod nomine Monachorum eorumdem Regularium & Ecclesiasticorum veniant io odiosis. Respondetur itaque cum communi in favorabilibus sub oomine Monachorum Regularium & respective fratrum intelligi etiam respective Moniales, praecipue si sermo sit de privilegiis qoae sexui & statui earumdem accommodantur. Tamburio. de jur. Abbatiss. *disp.*12. *qu.* 8. *& caeteri adducti signanter repetito n.* 54. quibus potest addi cum juribus & Doctoribus per se congestis Passerinus de elect. Caoon. *Cap.* 40. *n.* 46. Esto autem oon desint asserentes, quod etiam in favorabilibus Moniales non comprehendantur in dispositionibos respicientibus mendicantes apud Barbosam appellat. 147. *n.* 13. Nihilominus attentis privilegiis ad illas extensis per verba oon ambigua uti supra agendo signanter de Mendicantibus in specie Ordinis Mioorum appellatione Mendicantium in geneie accipi etiam Moniales, communiter Doctores concordant. Et quidem sub generalissimo nomine Monachorum intelligi etiam Moniales in favorabilibus quoad proportionabilia eis, asserit absolute idem Barbosa appellat. 154. *n.* 4. com aliis. Quaenam deiode io favorabilibus sexui & conditioni Monialium ceosentur non aptari tactom est superius & infra replicabitur n. subseq. 57. Respondetur item secundo nomine Monachorum Regularium & Ecclesiasticorom nequaquam intelligi Moniales in odiosis regulariter loquendo, nisi vel explicite comprehendantur, vel rationabiliter deducatur fuisse Legislatoris mens eas comprehendere. Assertum probatur prius ex regulis generalibus, quod sub vocabulo Monachi non comprehendantur io odiosis signanter foeminae. *l. Quisquis §. Ad filios.* C. *ad l. Jul. Majest.* Tiraquell. *in tract. conf.* §. 1. Gloss. 9. *n.* 189. *&* 200. Rodriguez *tom.* 2. *qu.* 56. *art.* 2. Tusch. *lit.* M. *concl.* 101. *n.* 9. Ex qoo ioferunt ad rem non comprehendi de facto Moniales sub nomine Religiosi generis masculini in odiosis, praesertim Passer. *Cap.* 6. *de elect. Can n.* 41. post Portell. quoque *dub. Reg. de Offic. Ordinis in addit. n.*19. & Peyrin. *tom.* 3. *de privil. Cap.* 10. *n.* 3. At in specie appellatione Fratrum Minorum non venire Moniales Sanctae Clarae in odiosis docuerunt Bart. *in l. Quicumque n.* 17. *C. de fugitivis* Fagn. *in Cap. Non amplius n.* 14. *in fin. de instit. Et Cap. Ut filii n.* 29. de fil. Praesbyt. Rot. *dec.* 48. *n.* 8. cor. Zarat. Et quamvis aliquando Moniales etiam in odiosis venire oomine fratrum dixerint nonnulli apud Fagnanom. *Cap. d. Ut filiis* tamen con-

conveniunt DD. sub nomine fratrum numquam eas comprehendi, quoties ratio dispositionis non æque convenit Mulieribus ac Religiosis Card. in *Clement. 1. num. 5. qu. de rescriptis*. Dec. in *l. Fœmina n. 110. ℣. Sed tamen ff. de Reg. jur.* Fagnan. *cit. n. 41.* Tambur. de jur. Abbatiss. *disp. 4. qu. 9. n. 14.* quod clarius infra num. subseq. patebit. Cœterum quoties Auctores nolint in materia odiosa sub nomine Monachorum venire Mendicantes aut alios Regulares, apud Barbos. *appellat. 154. n. 5.* a fortiori tenentur concedere sub eodem nomine in odiosis, nequaquam cumprehendi Moniales saltem eas, quæ sub regimine Mendicantium aut aliorum Regularium degentes eorum fruuntur privilegiis, ad sæpius tradita signanter n. superius 53.

57 Quoad conditionem deinde antecedente n. additam. Videlicet: *Nisi* explicite comprehendantur, aut nisi rationabiliter deducatur fore Legislatoris mentem eas includere, non est dubitandum, quod si lex edictum, statutum, prohibitio explicite contineat & afficiat Religiosos aut Regulares *utriusque sexus* aut sub his enunciatur terminis, Monialibus etiam inclusis sive æquivalentibus, tunc Moniales nequeant a lege præcepta &c. eximere etiam in odiosis. Card. Tusc. *lit. V. conclus. 121. n. 9.* Card. Petra *tom. 3. pag. 292.* impres. Venet. *n. 2. & seq.* cum communi. Verum difficultas potest emergere quoad aliam partem: Quando non deducatur videlicet fuisse Legislatoris mentem ipsas includere si in specie non exprimantur? Et revera fateor opinionem esse fundatam, quod includantur de mente Legislatoris in odiosis quoque, quotiescumque lex in generalibus terminis sit edita ex. gr. cum hisce dictionibus. *Omnis*, *Quisquis*, *Quivis*, *& Si quis &c.* Quæ quidem dictiones in proprio sensu masculinum comprehendunt sexum simul & fœmininum; juxta textus Doctoresque relatos præcipue a Barbos. dict 241. n. 2. 324. n. 2 325. n. 3. 373. n. item 2. Quia nihilominus dantur casus, quod contra generalitatem legis militet privilegium, & etiam quod in lege obligante Ecclesiasticos ipsasque Moniales & Regulares, contineatur aliquod statui sive conditioni Monialium repugnans aut improprium vel propter inclusionem Monialium sequatur aliquod speciale absurdum. Non posse propterea in ipsis terminis generalibus fundari regulam firmam, tenemur adiicere: juxta Auctores apud laudatum Barbosam in dict. 241. num. 19. & axiom. 222. n. 39. Inde reassumendo quæsitum n. præcedenti memoratum, quinam sint casus statui & conditioni Monialium ad propositum non aptabiles aut in quibus revera dispositionibus Summorum Pontificum mandantibus aut prohibentibus non comprehendantur Moniales, fere omnes Doctores non comprehendi Moniales in Bullis Summorum Pontificum de recursu non habendo ad favores exterorum pro dignitatibus officiis & gratiis, quamvis sermo ibi instituatur de Regularibus omnibus, quia proprie respectu Monialium præfati recursus non sunt verificabiles sicuti respectu Religiosorum, apud eumdem Passerinum *Cap. d. 6. de elect. n. 41.* Ideoque neque adhæreo Monacello *tom. 3. pag. 81. excom. VII.* subjicienti Moniales censuris & pœnis contra Clericos Sæculares Negotiantes: materia siquidem negotiationis evidenter statui Monialium est impropria, ex Doctrina apud allegatum Barb. in dict. 141. n. 20. Excommunicationem pariter contentam in Extravag. *Ambitiosæ de rebus Ecclesiasticis non alienandis*, licet in terminis generalibus seu cum dictione significatum generale importante. *Si quis* in dicta Extravaganti Pauli II. pronuntiatam, autumant non pauci nequaquam percutere æqualiter Moniales sicut cœteros Clericos & laicos, eo quia non æque capaces sint alienandi Moniales res ipsas sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ sive Laicæ, cum in contractibus & hujusmodi actionibus Monialium etiam Abbatissarum semper debeat intervenire Superior vel Confessarius sive alter deputatus, ad normam Constitutionum ac Regularum quas Moniales observant fere omnium, prout vidi & pro degentibus sub regimine Fratrum Minorum ordinant statuta generalia *Cap. xi. §. 7.* fere *per tot.* Unde in materia alienationis rerum Monasterii seu Ecclesiæ non valent adeo malitiose & propria voluntate delinquere, ut incidant in excommunicationem latam in eadem Constitutione contra eos *qui præsumpserint alienare*, prout consideranti constabit. Nec sane debere ligari Moniales vinculis, quibus rationabiliter extricari possunt, consulto advertit P. Sanctorus *Cap. XI. stat. 7. ℣. Respondeo decimo.* Tamen in hac materia Electionis, quatenus Abbatissa Præfecta aut alia Monialis, præpotens specialem contractui in casu impulsum dederit & consensum cujuscumque alterius necessarium procuraverit, non est mei sensus a clara dispositione Extravagantis citatæ ipsam excludere. Porro loquendo de quibuscumque

que

que in genere censura lata in eadem extravaganti absque ulla reservatione confirmata & renovata habetur cum reservatione adnexa per Concilium Tridentinum *Cap. XI. sess.* 22. de Reform. ubi declarantur magis & specificantur inobedientes personae, quae excommunicationi sic reservatae obnoxiae sint & dicantur ab ostendente Monacello ipsomet d. *tom.* 3. *pag.* 181. *excom. vi. n.* 2. Legenti autem & perpendenti dictum caput Concilii in quo standum est deinceps, satis obvium patet non comprehendi ibi Moniales neque Abbatissas, cum prohibitio feriat Clericos & Laicos ibi; *si quis Clericorum, & Laicorum &c.* Et ad statum & nomen Clericorum etiam Mulieres Deo dicatas sive professas trahere quis praetendat; explicat & addit literalis dispositio Concilii, quod Clericus ultra excommunicationis reservatae poenam; *beneficiis obtentis privatus remaneat, & ad alia inhabilis & ab Ordinum suorum executione Ordinarii arbitrio suspendatur*. Et quae beneficia amittere debeant a quorum Ordinum executione remaneant suspensae Moniales & Abbatissae? Quod denique addit in casu Monacellus in d. Excomm. 6. *n.* 5. & excom. 7. *n.* pariter 5. Monendas esse Moniales in Synodo, ne possint allegare ignorantiam excommunicationis & poenarum &c. de prohibita alienatione & negotiatione sub dictis poenis (praescindendo etiam ab impropriétate poenarum) pro certo intelligit de Monialibus Ordinario subjectis; nam exemptas & a Regularibus directas noverit ipse legibus & statutis Synodi nequaquam ligari; veluti probatum est de Regularibus *dub. XX. sect. III. n.* 20. *§. II.* Immo nec legibus edictis aut ordinationibus Episcopi subjacere dictas exemptas, nisi in concernentibus Clausuram tum pro materiali tum pro formali, ad normam dicti Tridentini & Bullae *Inscrutabili*, cum adjectis resolutionibus & non ultra, ut sapienter ratiocinatur laudatus Petra *tom.* 4. *impress. Ven. pag.* 307. *n.* 4. *seq.*

58 Caeterum jam satis ostendimus posse Moniales per proprios Praelatos absolvi a quibuscumque censuris, quatenus Papae sint reservatae a quibus absolvi queunt Religiosi viri, virtute privilegiorum. Idem pronuntiare in genere debemus quoad dispensationes; quod nempe valeant Praelati Regulares dispensare cum Monialibus proprio subjectis regimini in omnibus iis, in quibus facultatem dispensandi possident cum caeteris sibi subditis Religiosis. Verum incidit hic dubium: An indigeant revera dispensatione adhoc ut eligantur in Abbatissas & Priorissas Moniales illegitimae vel maculato semine descendentes, simul Viduae aut bigamae? Pro quo negativa opinio videtur prima fere praevalere: attenta ratione generaliter allegata per Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 10. *art.* 21. & 22. & *qu.* 14. *art.* 14. Mirandam *qu.* 6. de Monial. *art.* 2. & 3. Portell. dub. Regul. *V. Novitia n.* 2. & *V. Abbatissa n.* 6. signanter quoad qualitatem illegitimitatis & originis maculatae. Quia, videlicet leges & Summorum Pontificum Bullae latae pro viris nullam mentionem miscent foeminarum; tanto magis quod in favorem illegitimarum adducit Decretum S. Cong. sub anno 1592 nimirum; *quod non excludantur, quominus Abbatissae possint eligi*: Gavantus. *V. Monialium Officiales n.* 7. & concordat Tamburinus plures citans de jur. Abbatiss. *disp.* 28. *quaest.* 11. *n.* 2. Quod adhuc fortius relevat quantum ad bigamiam, cum haec sit propriae irregularitas in ordine ad potestatem spiritualem & Altaris Ministerium, cujus foeminas esse incapaces evidenter constat: Unde hujusmodi impedimento nequaquam possumus concludere quod Sanctimoniales subjaceant quominus in Abbatissas eligantur: ex Hieronymo Rodriguez *V. Abbatissa n.* 23. Quod deinde absque dispensatione ulla possit eligi in Abbatissam &c. Monialis, quae in saeculo Maritum habuit, &, vel eodem Vidua remansit, vel animo concordi servatis servandis ab eo separata Monasticam vitam elegerit, quod & idem importat perinde ac si Vidua foret probat enixe Portella in dub Regul. V. *Abbatissa*, proposito formiter quaesito, cujus evincentes rationes apparent: quia Tridentinum *Cap.* 7. *sess.* 25. *de Regular.* assignans qualitates in eligendis Abbatissis necessarias Virginitatem silet. Et quia revera talis fuit & est communis praxis -- Dictis tamen non obstantibus probabilitate non potest negari saltem in parte haud carere opinionem contrariam. Nempe primum illegitimas signanter dispensatione indigere revera ad hoc ut ad munus Abbatissae aut Priorissae promoveri queant, quia idem munus aliqualem videtur importare Praelaturam, ut pluribus rationibus & Doctorum placitis ostendere contendit Passerinus *Cap.* 75. *n.* 163. & *Cap.* 40. *a n.* 41. *de elect.* Pro qua sententia nec deesse aut declarationes S. C. ex Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *part.* 1. *n.* 659. Confirmatque Monacellus *part.* 3. *pag.* 190. de irregul. 1. *num.* 1. & *seq.*

Quamvis iste Doctor sententiam contrariam prius approbaverit *tom.* 1. *tit. XI. form.* 22. *n.* 13. Idemque asserit Passerinus ipse de Viduis & multo magis de corruptis extra matrimonium, licet nequaquam si defectus sit occultus: ibidem a *n.* 47. *ad* 52. Doctores classicos ac jura conglomerans, quibus subscribit Monacellus etiam d. *part.* 3. *irregularit.* 2. *n.* 1. *ad* 5. Et de facto de notorie corrupta extra Matrimonium concederem absolute ejus electionem & promotionem, utpote contra decorem gradus & Superioritatis, quo nequit spoliari Abbatissatus fore improbandam. Verumtamen contra bigamas considerata bigamia in propria ratione, conveniunt quidem fere omnes non constare de ineligibilitate cum Rodriguez ubi supra, Barbos. *lib.* 1. *de jur. Eccles. Cap.* 45. *n.* 22. Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *part.* 1. *n.* 695. Tambur. de jur. Abbat. *disp.* 28. *qu.* 13. Pelizar. de Monial. *Cap.* 8. *n.* 46. *&c.* Idemque de descendentibus ex Mauris Saracenis vel alio maculato genere, attenta præcipue consuetudine & praxi contraria ut notat Passerinus *Cap. cit* 40. *n.* 55. At videntur omnimode excipiendæ filiæ hæreticorum intra terminos *Cap. Quicumque & Cap. Statutum de hæret. in* 6. quod nimirum nequeant eligi in Abbatissas & Priorissas: quamvis neque Abbatissatus & Prioratus sive Præfectura non sint proprie Dignitates, sunt tamen Officia publica, ad quæ filiæ hæreticorum habilitatem præseferre nullatenus defendi possunt: juxta allegata per laudatum Passerinum præcipue *Cap.* 25. *n.* 34. *& seq.* tum explicata per Monacellum *d. tom.* 3. *pag.* 192. Irregular. 3. *n.* 1. *ad* 5.

59 His itaque præmissis. Qualibet sententia teneatur, etiam de necessitate dispensationis respective; posse Moniales illegitimas primum & quatenus opus sit, ex Mauris Saracenis Hæbreis &c. descendentes ad gradum Abbatissæ Priorissæ &c. consequendum dispensari per proprios Prælatos distinctius replicamus, eo quia privilegia pro Religiosis viris in hisce casibus ad ipsas extenduntur: cum Doctoribus Rodriguez *tom.* 1. *qu.* 10. *art.* 21. *&* 22. *& qu.* 14. *art.* 13. Portell. dub. Regul. *V. Abbatissa* & cum coacervatis per ipsum Passerinus d. *Cap.* 40. *n.* 46. & indirecte consentit Monacell. *part.* 3. *irregular.* 1. *n.* 4. *pag.* 190. Quod pariter asseri debet de Viduis & corruptis, quatenus sustineatur has quoque dispensatione indigere; non enim apparet unde hæc Potestas Prælatorum in casu quantum ad privilegia dispensandi cum propriis subditis restringatur; licet quoad publica & notoria corruptione vitiatas ratio dispensationis cessaret attento Religionis & gradus decore: ex generalibus regulis & conditionibus quæ debent concurrere ad dispensationem. Lezana *tom.* 2. *V. Dispensare n.* 23. cum aliis; de dispensatione inde concernente filias hæreticorum, concludendum est uniformiter ad Regulares viros eligendos ad Superioratus & Dignitates, de quibus, quantum ad dispensationem ab omnibus irregularitatibus, præter formiter exceptas, agit erudite Passerin. de election. Canon. *Cap.* 27. signanter *qu.* 21 Addita tamen necessaria advertentia, quam item alibi insinuavimus. Quod dispensatio majorem potestatem præsefert, quam absolutio, prout tradit inter alios Passerinus ipse de elect. Can. *Cap.* 28. *n.* 16. Unde licet detur Confessariis simplicibus potestas absolvendi a casibus reservatis Papæ, ut dari diximus Regularibus per Episcopum alias approbatis respectu exterorum virtute privilegii concessi a Paulo III. Patribus Societatis & cœteris Regularibus communicati: ex probatis alias & Felice Potest. *tom.* 1. *part.* 4. *n.* 3459. & ulterius cum dispensatio sit stricti juris, eo modo dumtaxat & non ultra potest reduci ad praxim, quo exprimitur in privilegio: hinc quatenus colligatur ex verbis privilegii præfati facultas in Confessariis Regularibus dispensandi in pœnis & commutandi vota, quod importat dispensationem quamdam imperfectam respectu Sæcularium *& exterorum adventantium*: non per hoc potest exequi respectu Regularium ipsorum proprii Ordinis, præter Constitutionis tenorem, ut ostensum est breviter dub. XX. sect. I. n. 7. Insuper tamquam generalis regula debet præfigi, quod quæcumque potestas collata per indulta & privilegia Confessariis Regularibus absolvendi & eo magis dispensandi respectu Religiosorum ejusdem Ordinis etiam virtute Bullæ Cruciatæ, dependeat semper a voluntate & approbatione Superiorum respective, nec alias licite & valide exequi possit; ut præclare docet inter alios Pater Lezana *tom.* 1. *Cap.* 19. *num.* 27. *sequ.* atque firmavit in Constitutione Novissima incipien. *Apostolica Indulta* absque exceptione per generale mandatū BENEDICTUS Petri Successor XIV. sub die V. Augusti 1744. Quapropter potestatem dispensandi cum Monialibus in præfatis casibus *& impedimentis*; sic aptius dicemus præter quam in *irregularitatibus*, qua-

rum

rum fœminas esse incapaces non controvertitur, tenemur limitare ad solos Prælatos illarum Religionum, quibus Moniales respective subsunt: attentis videlicet privilegiis Summorum Pontificum facultatem in genere dispensandi cum propriis subditis eis elargientium, quæ privilegia ad Sanctimoniales ipsas extendi pluries fuit demonstratum. Supposita igitur hac privativa potestate in Prælatis Regularibus, aut in delegatis per ipsos dispensationis beneficium elargiendi, quatenus opus sit, in allatis casibus, quinam veniant nomine Prælatorum ad propositum, ex pluries dictis satis colligi potest & apud Passerinum *Cap. 27. qu. 6. n. 87. & seq.* Nempe Generales Provinciales & respective Locales, nisi municipaliter excludantur.

60 Ultimo difficultas cadit super Abbatissas easdem seu Priorissas &c. An potestatem habeant ipsæmet a censuris absolvendi dispensandi & si quam aliam? Respondetur primo Abbatissæ &c. nullatenus competere potestatem absolvendi cum sit hæc potestas clavium, cujus incapacem supponunt generaliter Doctores. *Ex Cap. dilecta de Major. & obedient. Cap. Nova quædam:* juncta Gloss. *de pænit. & remiss. peccat. & in Cap. de Monialibus. ℣. Per Episcopum de sent. excomm.* Quamvis Monialem subditam possit pronuntiare absolutam a Superiore quoties censuris fuerit irretita: hoc enim non est absolutionem dare, sed datam ministerialiter publicare. Propter eamdem rationem dicitur non posse dispensare, dispensatio siquidem pertinet ad jurisdictionem spiritualem quæ sexui muliebri est impropria: attentis mox allegatis capitibus: ex Sanchez item *lib. 6. in decal. Cap. 1. n. 24.* Attamen dispensandi ministerium, seu ministerialis dispensatio non negatur Abbatissis &c. de Superiorum legitimorum mandato: vel tantum, prout gubernium temporale & aliquo modo etiam spirituale subditarum gerentes judicant de causa & necessitate dispensationis: Superiore ipso secundum implicitum pactum vel lege Religionis revera dispensante: Lezana *tom. 3. V. Abbatissa* Petra *tom. 3. ad Const. VII.* Urbani IV. *n. 9.* Atque in hoc sane sensu intelligenda est facultas quam ex Rodriguez refert Portella collatam Abbatissis sive Præfectis Monialium Sanctæ Claræ dispensandi cum eis super jejunia Regulæ & esum carnium ob debilitatem & aliam legitimam causam, ad tollendos scrupulos, videlicet quod non sit in casu vera dispensatio, sed declaratio necessitatis, in qua dispensat Papa. Sic laudatus Auctor Verb. *Abbatissa* in addit. *n. 3.* & confirmat Barbos. de jor. Eccles. *Cap. 45. n. 39. & 40.* De qua potestate etiam quæ potest dici spiritualis secundum quid & jurisdictio diminuta, differit erudite more suo Card. Petra loc. cit. *pag. 198. num. 16.* Prout etiam si loquamur de votis Monialium super iis nequeunt quidem dispensare Abbatissæ ob carentiam jurisdictionis spiritualis Lezana *loc. cit. n. 14.* Felix Potest. *tom. 1. part. 2. Cap. 3. n. 1969.* valet autem eadem irritare ut Mater fam ilias & habens potestatem dominativam potestate parentum præstantiorem; itaut sine ejus licentia nequeant subditæ vota emittere: harum siquidem voluntas per professionem in voluntatem Matris Abbatissæ aut Superiorissæ censetur translata, per ea quæ docent Sylvester, Sotus, Tamburinus, Pasqualigus, apud Patrem Cajetanum de Alexandris in opere, cui titulus *Confessarius Monialium Cap. ii. §. 1. qu. 5.* Quin' immo Doctores ajunt, posse Abbatissam irritare votum, quod emiserit subdita transeundi ad arctiorem: hujusmodi namque votum ante executionem non minuit subjectionem Monialis erga legitimas Superiores, attento prius emisso obedientiæ voto solemni. Esto pariter subdita votum aliquod emiserit de ipsiusmet Abbatissæ consensu, addunt posse illud ab Abbatissa annullari, non enim per votum sic emissum tollitur in hac Superioritas pristina & in illa subjectio debita: Cajetanus Sylvester Armilla citati ab eodem P. Cajetano de Alexandris *Cap. ii. §. 1. qu. 6.* Servata tamen conditione quod ad irritandum votum editum a subdita cum Priorissæ &c. beneplacito justa requiratur superveniens causa, cum alioquin peccaret Superior impediendo obsequium modo Religioso & rationabili Deo promissum: Panormitanus, Cajetanus Rodriguez apud eumdem Auctorem. Licet vota emissa absque suo consensu posset irritare etiam absque causa, attenta dumtaxat propria Superioritate, ex alibi discussis: Pasqualig. allegatus in dicta *qu. 6.* Porro non currunt hæmet rationes pro Novitiis quarum voluntas non est adhuc ligata Superiorum placito, ideoque earum vota minime poterit Abbatissa irritare bene quidem eorumdem executionem suspendere quatenus statui & exercitiis Novitiatus adversentur: juxta doctrinam Navarri in Manuali *Cap. 12. n. 63. &c.* Nequeunt similiter Abbatissæ, secundum communem Doctorum sensum benedictionem publice impertiri suis Monialibus eo quod

quod munus benedicendi publice supponat clavium potestatem atque propriam jurisdictionis spiritualis rationem, propter quod neque aquam, neque coronas, aut habitus, Ova, similiave benedicere ipsa quibit ex Cap. *Nova quædam de pœnit. & remiss.* ex animadversis per Card. Petram *tom.* 3. *cit. pag.* 198. *n.* 11. Hoc non impedit tamen, quin privatim possit benedicere quamlibet subditam & spiritualem filiam, ut pia Mater sicut & per modum crucis benedictionem ferre super habitum, quo indui velit Monialis de novo, & super quidquid aliud sibi præsentatum. Sylvest. *Verb. Abbatissa* 3. *n.* 8. Mirand. *de Monialibus qu.* 6. *art.* 5. *concl.* 2. quibus subscribit Lezana *Verbo Abbatissa n.* 15. Consentiunt itidem Anctores posse benedicere etiam publice modo deprecativo: non imperativo: ex. gr. *Benedicat nos Omnipotens Deus &c.* nequaquam *vos* ex P. Richeider in prax. conscientiæ pro Religiosis Claustralibus *tr.* 21. *n.* 24. Insuper sustinetur communiter non posse Abbatissas formiter concionari, cum sit officium mulieribus indebitum. Monacell. *part.* 3. *pag.* 197. *n.* 12. *ex d. Cap. Nova quædam de pœnit. Cap. Mulier. de consecr. dist.* 4. Hortari tamen Moniales ad observantiam Regulæ & præscriptorum in Constitutionibus, necnon in concernentibus perfectionem Religiosam non solum poterit sed laudabiliter id præstabit, immo aliquando adimplere tenebitur, cum pro dicta observantia & perfectione Religiosa debeat invigilare & admonendo & corrigendo & puniendo. Vasquez cum aliis *tom.* 2. *disput.* 166. *Cap.* 4. Trullench & plures quos refert Bartholomæus a Sancto Fausto *qu.* 152. *num.* 3. At pro Abbatissis Ordinis Sanctæ Claræ sunt statuta generalia in Orb. Seraph. *tom.* 4. *Cap.* 9. *pag.* 65.

61 Quamvis ex præfatis plurima potestatem dispensandi directe non respiciant, nihilominus potestatem affinem important æqualiter controversam in exercitiis aliis, quæ claves possunt supponere vel Prælatitiæ dignitati convenire. Hinc antequam terminemus tractatum impræsentiarum nonnulla alia recensebimus, quæ potestati dominativæ saltem Abbatissarum vel per jura vel consuetudinem competere sustinentur. A jure primum habent potestatem ineundi contractus pro utilitate Monasterii, bonaque ipsius administrandi. Ad textum *in Cap. Continebatur de iis quæ fiunt a Prælato &c.* Gloss. *in Cap. Dilecta de major. & obed.* Donat. *prax. tom.* 4. *tr.* 8. *qu.* 18. *per tot.* Lezana *tit. Abbatissa n.* 17. Attamen potestas hæc regulatur ut in plurimum a statutis addita necessitate præsertim consulendi Episcopos aut Superiores alios, ut bene Sanchez *lib.* 7. *de præcept. decal. Cap.* 19. *n.* 44. Pelizar. de Monial. *Cap.* 10. *n.* 146. Card. Petra *tom.* 3. *pag.* 199. *num.* 17. Prout, quantum ad Moniales subditas Minoritis tetigimus nos supra. *sect. III. n.* 24. Concedunt etiam Abbatissæ, sive Prefectæ Monialibus subditis licentias utendi livellis sic dictis & retinendi peculia redditusque ipsis permissos, sed in quantitate discreta & sufficiente ad usus civiliter necessarios attenta declaratione Clementis VIII. de ann. 1602. allata per Quarantam in sum. Bullar. *V. Monasteria Monialium sub n.* 51. Donat. in pras. *tom.* 1. *tr.* 3. *qu.* 5. Cum nullus Superior concedendo ultra usus civiliter necessarios habeat potestatem constituendi subditos proprietarios. Verum in hac materia perpendendæ sunt Constitutiones Monialium & Monasteriis propriæ, & adhibendæ cautelæ quas assignat cum aliis prudens Lezana *tom.* 1. *Cap.* 6. *a n.* 21. *& Cap.* 25. *n.* 7. Sicuti pro Monialibus sub regimine Fratrum Minorum vigent aperta statuta in Orb. Seraph. *tom.* 4 *Cap.* 5. *pag.* 60. *&* 61. & in Compil. Sambuc. *Cap. XI. §. II. n.* 1. *& seq.* Potestas iidem exercetur de facto ab Abbatissis, quoties præcipue Monasteria quibus præsunt habent beneficium Curatum ad eorum Parochos præsentandi, Clericos inservientes instituendi, & beneficia atque Capellas conferendi ad instar aliorum Prælatorum. Propter quod jurisdictionem in Clericos jure consuetudinis legitime præscriptæ tribuat eis Pirrhing. in jus Canonic *lib.* 5. *tit.* 31. *n.* 34. *℣. Notandum tertio.* Non obstante hoc securius dicitur quod designent tunc materiam vel personas quibus beneficia conferuntur &c. absque eo quod actus jurisdictionis exerceant: ex Suarez *tom.* 3. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. pro quo allegantur binæ quoque decisiones Rotæ coram Buratto, Lezan. *tom.* 1. *cap.* 26. *n.* 12. In quibus item terminis habetur resolutio S. C. C. in Mediolan. 17. *Septembr.* 1701. *decret. lib.* 51. Non enim dicitur hujusmodi provisio esse collatio, sed institutio potius collativa quæ jurisdictionem spiritualem non signat, acquiriturque privilegio consuetudine ac præscriptione ex Tambur. de jur. Abbatiss. *disp.* 32. *qu.* 12. *n.* 1. Pasqualig. ad Lauret. tit. de Abbatiss. *qu.* 14. *n.* 739. *&* 740. quos sequitur Monacell. *tom.* 4. *pag.* 104. *n.* 151. Differt autem

multum

multum hujusmodi institutio ab institutione authorizabili quæ a jurisdictione vere Episcopali inseparabilis est & de qua egimus *tom.* 1. *dub. XII. sect.* 2. *n.* 13. *& sect.* 3. *n.* 42. Importat namque hæc authorizabilis institutio non titulum & possessionem tantum, sed approbationem respectu populi cujus Episcopus est Pastor legitimus. Rot. *dec.* 93. *n.* 6. *pag.* 161. *recent.* & in Leodien. 11. *Aprilis* 1678. cor. Molin. Prout etiam ad confusionem evitandam non potest omitti distinctio inter beneficium seu Ecclesiam cui juncta non est cura animarum & beneficium curatum, qua supposita distinctione beneficiorum primi generis contendunt Auctores posse Abbatissas sustineri Patronas non tantum, sed veras collatrices, non sic de Curatis: erudite inter alios Card. Petra *tom.* 3. *ad Const. VII. Urbani IV. n.* 26. *& seq.* Ubi quod Abbatissa sit prorsus incapax curæ habitualis exercendæ per Curatos amovibiles n. 34. licet possit nominare Curatos & amovibiles & perpetuos, in quos transit jus curæ modo a nobis paulo ante & ibi explicato usque ad nom. 36. Item tertio Abbatissæ conceditur passim professiones Monialium in propriis manibus earumque vota solemnia obedientiæ præsertim excipere de auctoritate quidem Apostolica. Propter quod videatur spiritualem jurisdictionem acquirere in hujusmodi functionibus quæ mere spiritualia respiciunt, saltem spiritualis potestas aliqua in hujusmodi exercitio non potest negari quod adimpleatur, ut ait P. Felix *tom.* 1. *part.* 1. *n.* 210. Cœterum utcumque Abbatissæ professiones Monialium excipiant juxta leges privilegia & consuetudines Religionum, actus hujusmodi non jurisdictionis sed aptius cujusdam peculiaris superioritatis dicendus erit, juxta Azor. *lib.* 12. *instit. mor. Cap.* 5. *qu.* 6. Sanchez *lib.* 5. *de præcept. decalogi cap.* 4. *n.* 76. *&c.* Et simul recolendum cadit quod præmisimus in hac eadem Dubit. n. 31. quomodo multa agat Abbatissa sive Priorissa seu Præfecta non principaliter sed ministerialiter quasi & per commissionem. Quod si quandoque Abbatissa habeat assistentiam juris recipiendi obedientiam & reverentiam etiam per actus externos, nedum a Monialibus, sed etiam a Clericis quibusque sibi subditis, ut adducit Card. Petra *tom.* 3. *pag.* 102. *n.* 49. *& seq.* citans Abbat. in Cap. *His quæ* 11. *de major. & obed.* Rot. *decis.* 236. Rot. n. 13. cor. Herrera Jun. & in terminis Abbatissæ dec. 827. coram Buratto tamen sufficienter excluditur ratio veræ jurisdictionis spiritualis per moderationem quæ legitur ibidem a ljuncta a S. Congregatione Episcop. in Nullius Castellanæ seu Conversanen. 11. *Maii* 1708. nimirum quod talis obedientia & reverentia debeat esse decens *& accommodata sexui muliebri*.

62 Ultimo tribuitur Abbatissæ alicui privilegiatæ inter cœteras & potestas constituendi territorium separatum cum qualitate vere nullius per testamentum, collationem Summi Pontificis, privilegium nativum &c. & sic acquirendi jurisdictionem in Clerum & populum quantum ad temporalia & spiritualia. *Ad textum in Cap. Dilecta de major. & obed. juncta gloss.* Et sane capacitas jurisdictionis quoad temporalia replicatur in text. cap. 1. §. *verum de stat. Regul. in* 6. ubi quod possit habere vassallos & castra ut est in praxi nonnullibi cum concordantiis. At tota fere difficultas reducitur in casu ad jurisdictionem in spiritualia. Quemadmodum nempe territorium separatum & vere nullius possidens, dicitur per jura & Doctores jurisdictione potiri in Clerum & populum non secus ac Episcopus in propria Diœcesi, juxta dicta *tom.* 1. *Dub. XII. sect.* 1. *&* 2. & perfunctorie reassumpta a Card. Petra loc. supra citato n. 39. Ita concesso antecedente nempe Jure possessionis territorii vere separati Abbatissæ, videtur non posse negari id quod necessario consequitur, nimirum jurisdictio in temporalia & spiritualia accedentibus regulis notis juris in 6. num. 42. & 46. &c. Ut verba itaque evitemus & rem distinguamus a nomine; quatenus jurisdictio spiritualis seu in spiritualia quoad nomen confundatur a non paucis cum potestate spirituali, quæ magis revera extenditur quam jurisdictio in stricto rigoris: dicimus primo in casu Abbatissam cui de jure competit Territorii vere nullius & separati possessio & dominium, posse revera totum id seu omnia illa exercere quæ conditioni muliebri non repugnant, ita ut salvetur dispositio juris in cap. mox cit. *Dilecta de major. & obed.* ℣. *Jurisdictionis* ubi Gloss. & Barbos. n. 2. & Gonzalez n. 8. circa fin. Item *in Cap. Nova quædam de pæn. & remiss.* ubi *pariter gloss. & DD.* Verum ad explenda ea quorum non est capax, possit & teneatur deputare Vicarium, qui videlicet exerceutes curam animarum in supposito approbet Confessariosque similiter approbet atque instituat muneraque hujusmodi Prælatis competentia tum visitando tum extra visitationem adimpleat: ad congesta per

Car-

Card. Petram in dicta Constit. VII. Urbani n. 40. Absque eo quod relevet quod incapax exercendi actus similes per se, ipsam nequeat conferre potestatem alteri scilicet Vicario adimplendi eadem, resistente regula juris in 6. *Cap. Qui per alium facit &c. n. 72. &c.* etenim in casu Abbatissa deputaret quidem Vicarium at eidem Vicario jurisdictionem conferret Papa. Unde licet Vicarius Abbatissam representaret veluti principalem quoad titulum & independens dominium, tamen in jurisdictione exercenda potius se haberet ut Delegatus Papæ qui Abbatissæ conferret præcise potestatem deputandi *Cap. Ut famæ* de sent. excom. Card. de Luca *discus. 9. de benefic. n. 11. & 12.* Pignatell. *consult. 46. n. 7. tom. 2.* Rot. *decis. 267. n. 19:* cor. Bichio & *dec. 584. n. 17. part. 5. tom. 2. rec.* Ex quo tamen clare constat in vanum laborare Eminentissimum Petram ad Const. VII. tom. 3. n. signanter 47. sustinendo & repetendo plenariam jurisdictionem Ecclesiasticam ad propositum in Abbatissa habente territorium cum qualitate nullius, quæ jurisdictio obtineatur per privilegium Apostolicum verum vel legitime præsumptum. Si namque nullam jurisdictionem in casu conferre queat Vicario a se præcise deputato qui totam eam obtineat a Papa quomodo potest asseri Abbatissa eamdem jurisdictionem principaliter possidere. Verius ergo concludatur habere potestatem; quam a jurisdictione distinctam diximus & equidem amplam etiam circa spiritualia inter quæ numeratur & relevat præcipue eadem Vicarii deputatio, sed salvis semper juribus quæ veram jurisdictionem in proprio sensu absolute negant. Conceditur autem quatenus Territorium vere separatum cum hujusmodi ampla potestate super Clerum & populum independenter ab Episcopo possideat simul cum jure conferendi, jus etiam habere destituendi mulctandi videlicet Clericos & beneficiatos & visitandi per deputatum Ecclesias subjectas sive Monialium sive Sæcularium attenta ratione & forma privilegii id concedentis, excluso etiam Episcopo, quoties inquam sit sermo de Territorio vere avulso. Cum alioquin hujusmodi actus vel Diœcesano conveniant, vel non sine dependentia & reservatione quoad aliqua exerceri valerent; Card. Petra ibidem n. 48. At Abbatissæ in quacumque suppositione non possent non competere modo dumtaxat usque nunc explicato.

FOR-

FORMULARIUM
VISITATIONIS GENERALIS PATERNÆ
A Prælatis Regularibus faciendæ.

Satis jam de *Prælato Regulari Visitante*, deque illius jurisdictione ac potestate, cum in actu visitationis, tum extra visitationis actum, hoc secundo tomo disputatum est. Id unum restat, ut formulam exhibeamus ab ipso præstandam in actu visitationis; quam quidem huic Operi, si non necessariam, utilissimam certe arbitrati sunt ii omnes, quibuscum consilium nostrum communicavimus. Id autem eo libentius facimus, quod eorum plurimi, qui prioris tomi copiam sibi usumque fecerunt, hanc formulam se vehementer optare non semel testati sunt. Quorum votis non satis facere nobis visum est iniquum. Quamobrem *Formularium*, ut ajunt, hoc loco apponimus visitationis Generalis Paternæ a Prælatis Regularibus faciendæ. A *Prælatis*, inquam, *Regularibus*; nam de Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Præsulum visitatione, formulas hic attexere nimis longum esset, ac fortasse etiam, ut multis visum est, non ita necessarium: cum ex passim apud clarissimos Auctores bene sapienterque perscriptæ inveniantur. Hunc porro in hisce formulis describendis sequimur ordinem. Primum exhibemus formulam Visitationis generalis paternæ a Prælatis sive Generalibus, sive Provincialibus faciendæ. Alteram deinde tradimus huic ferme similem a Commissario Delegato in visitando præstandam. Quibus & formulam addimus absolutionis illius in Religiosis Ordinibus adeo celebris, quæ impartiri solet in fine Visitationis. Postremo varias Decretorum formulas complectimur, quæ a Visitatoribus fieri aliquando contingunt. Quæ omnia, ad confusionem vitandam, adjectis numeris distinximus, brevibusque animadversionibus illustravimus, ut in Visitatorum luce atque oculis, sub uno veluti aspectu, ponantur, quæ fuse lateque in hoc Opere tradita & præcepta sunt ad Visitatorem optimum formandum.

I.

Forma Visitationis Generalis Paternæ a Prælatis sive Generalibus sive Provincialibus facienda.

SUB uno eodemque numero hanc formulam complectimur, cum eadem perinde sit, sive a Prælatis Generalibus Visitatio fiat, sive a Provincialibus; hoc solum discrimine, quod Generales in toto Ordine, Provinciales vero in propria Provincia, ordinariam jurisdictionem habeant, proindeque visitationem instituere possint. Instituitur autem hoc ferme pacto.

In Nomine Domini, Amen.

„ HÆc est Visitatio generalis, quam secundum Concilii Tridentini decreta, Constitutiones Apostolicas, Ordinisque statuta, facere intendit N. N. (*apponatur hic nomen cum titulis uniuscujusque Ordinis instituto propriis.*) „ Generalis „ seu Provincialis Provinciæ N. in Monasterio seu Conventu N. Die .... „ Mense.... Anno....

„ Convocatis in Capitulo *Monachis* seu *Fratribus*, verbum Dei iis proposuimus „ ac Visitationem denuntiavimus; omnes & singulos cum *Sanctæ Obedientiæ* „ *merito* in Domino monentes ut dicerent quæ de jure dicenda venirent, neque odio aut prava animi affectione, „ sed sola charitate ac regularis Observantiæ zelo ad dicendum moverentur.

„ Postea visitavimus Ecclesiam, incipientes a Sanctissimo *Eucharistiæ* Sacramento, quod religiose servatum ac decenter custoditum invenimus (*si ita revera sit.*) Deinde absolutionem fecimus „ Fratrum defunctorum.

Absolutionis hujus praxim Visitatoribus omnibus plurimum commendamus; eo vel maxime quod a multis ignoratam aut forte etiam neglectam vidimus. Quamobrem, ut in usum recipiant omnes, ad quos Visitatio spectat impense rogamus.

„ Tum Altaria visitavimus, Oleum Sacrum, Reliquias SS., Sacella, Confessionalia, Sepulcra, Sacrarium cum „ Vestibus & Vasis Sacris, Onerum „ Missarum libros; Bibliothecam demum, „ Officinas Monasterii seu Conventus, „ cum Cellis Fratrum. Invenimus autem .... (*describatur integre status, in quo hæc omnia reperta sunt, & Decreta itidem formentur, quæ pro eorum renovatione, ac reparatione constituerit solers Visitator, quorum formulas vide num. IV.*)

„ Tandem vocatis singillatim *Monachis* seu „ *Fratribus*, a novissimis ordientes, eo„ rum singulos diligenter interrogavi„ mus super generali observantia nostræ „ Regulæ ac statutorum Ordinis.

SUMMA CAPITUM.

Super quibus fieri potest interrogatio.

1. AN in Divino cultu peragendo religiosa pietas fulgeat, sacrique ritus serventur.
2. An ad Chorum, Divinaque Officia, omnes diligenter conveniant.
3. An quis in Ecclesia irreligiose versetur.
4. An vita, victusque communis servetur a singulis.
5. An votorum & Regularium præceptorum violationes notabiles sint.
6. An factiones, simultates, odiaque ferveant fraterno nomine prorsus indigna.
7. An quis reperiatur proprietarius: aut ita indecore vivat ut cœteris sit scandalo.
8. An Superior localis officii sui parte fideliter, diligenter, sancteque impleat.
9. An Constitutiones Apostolicæ, Ordinisque statuta, statis temporibus legantur atque serventur.
10. An juniores pietate, litteris, ac regularis disciplinæ studio imbuantur: *Et cætera ejusmodi secundum cujusque Ordinis statuta & praxim.*

„ Vocatus itaque primum fuit N. N. Laicus sive Conversus, ætatis, ut dixit, „ annorum —— Religionis vero —— & „ interrogatus de singulis, respondit .... (*hic brevi, fideliterque scribantur ad fidat interrogationes responsa.*) „ suæque „ depositioni subscripsit.

N. N. confirmo ut supra.

Quod si scribere nesciat, ita ponatur: „ & „ cum nesciret scribere, suæ depositioni „ signum Crucis apposuit ✠.

„ Deinde vocatus fuit N. N. Clericus, sive „ Sacerdos, ætatis annorum —— Reli„ gionis vero —— *atque ita deinceps*, „ *donec singulos visitaverit.*

„ Ad extremum vocatus fuit N. N. Prior „ seu Guardianus, *qui & ipse interroge„ tur ut supra.*

„ Visitatis itaque omnibus & singulis, eos„ dem iterum in Capitulo congregatos de

„ de Votorum observantia, & regularis „ disciplinæ studio monuimus; quorum„ dam defectus (*privatim* seu *publice*) „ correximus, & ad majorem regularis „ observautiæ custodiam, & Religiosorum „ profectum, quædam ordinavimus; vi„ delicet,

Quod *Sanctæ Orationis studium a multis neglectum cum majori cura & sollicitudine frequentetur in posterum*;

Quod *Sæcularibus indiscriminatim non ita facilis pateat aditus ad Officinas Monasterii, interiora Claustra, ac superiores recessus: aliaque id genus, quæ pius prudensque Visitator regularibus institutis resarciendis, malisque usibus exstirpandis, magis opportuna judicaverit*. „ Et data omnibus absolutio„ ne, visitationem nostram complevi„ mus. Die.... Mense.... Anno....

Locus ✠ Sigilli.

N. N. Generalis,
seu Provincialis:

ANIMADVERSIO I.

AD Visitationem rite instituendam, sermonem prævium, piamque exhortationem a Visitatoribus Regularibus fore præmittendam, constans est Doctorum sententia. Hujus forma esse potest, visitandos subditos ad virtutis amorem, vitiorum fugam, vitæque sanctimoniam accendere: eosque serio hortari, ut semoto odio, fideliter ac sincere denuntiare velint, quæ pro Dei gloria, animarum salute, ac Religionis incremento, paterna Visitatoris admonitione, correctione, reformatione aut punitione indigere cognoverint. Quod ut facilius feliciusque præstet sollers Visitator, tria quam maxime sibi cavere debet. Primum, ne verbis durioribus Visitationem ordiatur, severique judicis potius, quam Patris amantissimi personam induat. Alterum, ne acceptator personarum sit in iis, quæ sunt sui muneris. Postremum, ne ea, quæ sibi secreto revelantur a subditis, aliis facile detegat. Nimia quippe Visitatoris severitas errantes terret, nec *sanam correctionem recepit unquam, nec salutem* [Cap. *licet*. Cap. *disciplina*.] Personarum vero acceptio cœteros, qui minus comiter suscipiuntur, diffidentes facit: invidiam conflat maximam, suspiciones addit, gravesque querimonias. Secreti demum contra jus omne malitiosa violatio id tandem efficit, ut visitandi vel aperte mentiantur, vel fratrum suorum vulnera minus certe confidenter aperiant. Vide *Dubit.* 14. hujus Operis *sect.* 3. *n.* 28. *& seq.* Quæ mala ut caveat pius sollersque Visitator, ita prudenter se gerat oportet, *ut nemo præ nimia confidentia insolescat, nemo præ diffidentia desperet: memineritque se commun em curam, communisque Patris personam gerere: ac propterea ne personarum acceptator nullius personam respiciat, sed paterna charitate omnes amplectatur, omnes æque diligat*. (Stat. Sambuc. Cap. 8. §. 56.)

ANIMADVERSIO II.

AN verò exhortationi præviæ *præceptum formale Sanctæ Obedientiæ* adjungi debeat semper, semperque expediat, eorum certe sententia verosimilior nobis semper visa est, communique juri conformior, quæ docet, id aliquando expedire quidem, sed non semper. Jura quippe visitationis paternæ formam a Prælatis omnibus servandam præfinientia generatim pronuntiant, ut *subditi visitandi liberè deponant absque ulla coactione* (Cap. *Romana*, de *censibus* in 6.) Libere autem non deponerent, si præcepto aliquo cogerentur. Et quamvis laudato in Canone apponatur clausula; *salvis rationabilibus & approbatis Religionum consuetudinibus*: apertissima tamen juris sententia est verbis disertissimis expressa, *visitationem paternam ex natura sua coactionem quamlibet debere excludere, cum subditorum emendationem intendat per salubria monita tantum sive lenia, sive aspera prudenter* (ibidem.); contra quam Regularia Statuta præscribere haud possunt. Quare, attento juris ordine, ratioueque habita visitationis paternæ, hujus formulam paulo ante describentes, *præcepti* loco, *Sanctæ Obedientiæ meritum* posuimus. Gravi tamen intercedente caussa, quando scilicet rumor non levis est delictorum notabilium in aliqua Communitate; tunc potest, immo debet Regularis Visitator præceptum ejusmodi visitandis imponere. Quo in casu conciliari facile possent & statuta Regularia tale præceptum imponentia, & jus Canonicum *coactionem* vetans in visitatione pure paterna. Statuta quippe forent rationabilia, & visitatio, licet paterna *in re*, esset *initiative* ut aiunt judicialis, cum ad judicialem ordinaretur. Nunquam tamen expedit in visitatione pure paterna juramentum a visitandis exquirere; multoque minus ipsos cogere, ut judicialiter, quæ sciunt, denuntient. Id namque immutaret prorsus ratio-

tionem visitationis paternæ, quæ secundum Canones *coactionem quamlibet*, & *exactionem juramenti* debet excludere, eamque cum judiciali omnino confunderet. Legenda hic consulo, quæ *Dubit.* 14. *sect.* 3. *num.* 32. & *seq.* hac super re disputata sunt; ubi id etiam animadversum, quod Regularis Visitator, quoties *præceptum Sanctæ Obedientiæ* visitandis imponit, iisdem toties declarare tenetur, quod tale præceptum eos non obliget ad revelanda *occulta*; ne simpliciores scilicet ac rudes, audita semel præcepti voce, obligari se per errorem inscitiamve putent, ad ea quoque publicanda crimina, quæ silentium natura sua exigunt, postulantque.

ANIMADVERSIO III.

ET certe *occulta*, generatim ac per se loquendo, neque a Visitatoribus inquirenda esse, neque etiam a subditis, esto præcipiantur, revelanda, asserere non dubitamus. Lex enim naturalis, quemadmodum & Evangelica aperte vetant, lædendam haud esse proximi famam, supra quam jus adhuc retinet. Ille porro, cujus delictum occultum est, jus adhuc retinere dicitur ad integritatem suæ famæ, quæ certe læderetur vel maxime, si crimen quod adhuc latet, injusta prorsus inquisitione aut revelatione, palam notumque fieret. Hinc præter jura id aperte prohibentia, severissima quoque lege apud Minoritas cautum est, *ne Visitator in generali inquisitione* (hoc est Paterna) *de delicto occulto perquirat: quod si fecerit, ultra mortalem culpam, quam committit, Officio destituendus est, & subditus, quibusvis præceptis adactus, respondere non tenetur, utpote non juridice interrogatus* (Pract. Crimin. tit. *Inquisitio.*) Excipiuntur tamen ab hac lege casus aliqui, in quibus occultorum revelatio perinde ac inquisitio consultissima foret, quin imo necessaria: puta si delictum quamvis occultum, vergeret in grave damnum Communitatis, aut famæ alicujus innocentis. Quo in casu, & Visitator inquirere, & subditus revelare teneretur: cum jus Communitatis, aut famæ alicuius innocentis, graviter ut supponitur læsum, præferendum sit illius juri (si jus quidem dicendum est) qui injuriam fecit. Hæc vel leviter indicasse nobis sufficiant, quorum accuratam explicationem videsis in hoc Opere *dub.* 14. *sect.* 4. & 5. Itaque ut occultum fratris crimen temere effutire, aut etiam inquirere, non modo vanitas est, sed iniquitas plane, atque adeo summa injuria: ita contra, tunc occultum reticere crimen, aut non perquirere, quando in perniciem cadit graveque damnum aut Societatis, aut cujuspiam innocentis, turpissimum quoddam proditionis genus est.

ANIMADVERSIO IV.

CApita porro, super quibus fieri potest interrogatio, uniuscujusque Ordinis instituto & praxi numeranda relinquimus. Nos enim generalia tantum indicavimus. Duo tamen hic specialius inquirenda volumus, mutuam nempe *fraternitatis charitatem*, atque *hospitalitatem*, quam adeo commendat Apostolus ad *Rom.* 12. & *Juventutis* institutionem, a qua una totius Religionis spes maxima pendet, decus, atque ornamentum. Quibus libenter consultoque addimus diligentem inquisitionem a Visitatoribus faciendam, non solum de vitiis, vitiosisque in genere: verum etiam de virtutibus, atque in virtute præstantibus Viris, ut in Officiis inde partiendis, Ordinisque Præfecturis designandis, Virtuti etiam, Probitati, bonisque studiis, quæ neglecta plerumque jacent, atque utinam non semel invisa, aliquis locus sit ac merita prorsus remuneratio. *Legibus* namque ut præclare ait *Cicero* 1. de Orat. *& præmia proposita sunt virtutibus, & supplicia vitiis*. De *vitiis*, inquam *vitiosisque* in genere: nam de speciali persona, specialique crimine, nulla adhuc existente infamia, in generali inquisitione perquirere, omnino prohibetur. Excipiendi nihilominus sunt Superiores sive Locales, sive etiam Provinciales, quemadmodum & Officiales reliqui, de quorum fideli administratione potest, imo debet Visitator inquirere; quamquam ad illorum vitam & mores speciatim descendere haud debeat. Vide *Dubit.* 14. *sect.* 4. *n.* 46. 47. & 48.

ANIMADVERSIO V.

QUod si delicta invenerit Visitator correctione ac punitione digna, ea certe corrigat puniatque necessum est, sive privatim, sive publice, prout delicti ratio exigit. Apostolus namque monet 1. *ad Tim.* 5. publice peccantes palam esse corrigendos, *ut & cæteri timorem habeant*. Et recte quidem. Jus enim atque æquum est, ut quos exemplo suo ad malos mores provocarunt, publica etiam pœnitentia, publicæque emendationis testimo-

ftimonio ad rectam revocent vitam. Ea tamen semper in corrigendo puniendoque ejusdem Apostoli servanda præceptio est, quam Visitatoribus omnibus merito commendat Tridentina Synodus *sess.* 13. *Cap.* 1. *de Reform.* ut eos scilicet, quos per humanam fragilitatem deliquisse viderint, *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia*: quos vero per malitiam peccasse cognoverint, severa quidem animadversione castigent; ita tamen, ut *cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibeatur*. Quam certe lenitatem, misericordiam, animique erga errantes mansuetudinem præscribunt etiam Regularium institutorum Parentes optimi; quos inter, filio Patrem appellare liceat, qui *Cap.* 7. *Regulæ* id stricte mandat Ministris, ut *fratribus peccantibus cum misericordia injungant pœnitentiam* & Cap. 10. ut *visitent & moneant fratres suos, & humiliter & caritative corrigant eos*. Hic autem cavendum quammaxime est, ne mansuetudo, animique clementia in facilitatem ac indulgentiam nimiam degeneret; neve Visitatorum ora adeo clausa & muta sint, ut latrare non valeant, eorumque manus ita remissæ, ut percutere haud possint. Cavendum est etiam, ut præclare monet *Tullius* 1. de Offic. *ne major pœna, quam culpa sit; & ne iisdem de caussis alii plectantur, alii ne appellentur quidem*. Vitium certe utrumque: pejus tamen illud, quod ex facilitate nimia, studioque partium, quam quod ex severitate venit. Attendenda demum delinquentis conditio, occasionis datæ provocatio, peccati qualitas, tempus, locus, adjuncta, atque id genus alia, quæ fuse lateque explicata reperies *Dubit.* 15. *sect.* 3. *Arguere* igitur *& increpare*, ita Prælatos omnes hortatur *S. Bernardus* de corrept. cap. 61. *interdum necesse est. Perveat ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Est enim consentire, silere, cum arguere possit.*

ANIMADVERSIO VI.

NEc audiendi, qui ut pœnas sibi a Visitatoribus inflictas vitent, repellantque, falsa & commentitia gravamina caussati, *appellationes* interponunt. Has quippe rejicit meritoque improbat Synodus Tridentina *sess.* 22. *Cap.* 1. *de Reform. & sess.* 24. *Cap.* 10. ubi statuit, decernitque; quod *in caussis Visitationis, & correctionis morum*, nullus sit appellationi locus; nec appellatio qualitercumque interposita sententiam latam impediat, suspendatque. Idipsum etiam vetant Romanorum Pontificum Constitutiones hac de re semel, atque iterum, ac sæpius editæ. Quas inter præclarissima exstat BENEDICTI XIV. fauste prospereque Regnantis Constitutio *Dubit.* 16. hujus secundi tomi, *sect.* 1. *num.* 28. per integrum exhibita. Quoties tamen gravis contingat excessus sive in quantitate, sive in qualitate pœnæ, tunc certe appellationi deferendum esse jura concedunt. Qui porro dicendus sit excessus nimius, quod gravamen, quantum & quatenus *excessivum*, ut ajunt, & *irreparabile*; quis demum ordo in appellando servandus, legesis *Dubit.* mox laudatam *sect.* 1. *n.* 4. *& seq.* Unum tamen hic prætermittere haud possum, quod circa appellationum usum pie, sapienterque animadvertit doctissimus *Sotus* lib. 5. de *Justitia* & *jure*, quæst. 6. art. 3. *Etsi fortasse*, inquit, *accidere quandoque possit, ut Monachus aliquis injuria læsus affligatur, tamen ex alia parte talia damna (quæ rarissime contingunt) pace & quiete compensantur. Nervus enim & decus Religionis in hoc maxime consistit, ut altissimo inter se silentio omnia veluti inter fratres, quæ sua est professio, planiter tractent & transigant. Etenim, ubi primum Religionis caussæ Claustrorum metas exierint, actum de illis est.* Videant igitur, idque sedulo attendant velim, qui aut repellendæ, aut differendæ justæ sententiæ caussa, ad Sæcularia Tribunalia, maximo Religionis damno atque ignominia quotidie appellant: caveantque, *ne remedio, ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem, abutantur*. (Synod. Trid. *sess.* 13. *Cap.* 1. *de Reform.*)

ANIMADVERSIO VII.

QUamvis porro, ut superius notatum est, nequeat Visitator in Visitatione ordinaria seu paterna visitandos cogere ad ea, quæ deferunt, judicialiter denuntianda; potest tamen, immo debet a visitatione paterna ad judicialem descendere, quoties vel *accusationes* vel *denuntiationes juridicæ* sibi exibeantur; vel delicta inveniat Regularibus institutis, societati, tertiæve personæ valde noxia: eoque magis, si alias paterne correcta, sine ulla emendatione perseverent adhuc, vigeantque. Vide *Dubit.* 15. *sect.* 4. *num.* 72. *& seq.* Quo autem pacto, qua ratione ac methodo inquisitio *judicialis* instituenda sit, aliorum opus ac labor esto. Consulantur hac

hic in re *Ludovicus ab Ameno*, *Anacletus Reinffelael*, *Victorinus Mansus*, aliique, qui præclaras institutiones ediderunt modi procedendi in caussis Regularium. Illud interim monemus, ac Superiores omnes impense precamur, quod, ut ad urendum & secandum, sic ad hoc genus castigandi raro invitique veniant; nec unquam, nisi necessario, si nulla reperiatur alia medicina: optamusque demum, ut ii, qui judiciis ejusmodi præsunt, legum similes sint, quæ ad judicandum, puniendumque, non iracundia, aut cupiditate, aut perturbatione aliqua, sed sola æquitate, ac veritate ducuntur.

I I.

Forma Visitationis Generalis Paternæ faciendæ a Visitatore delegato a Superiore Generali ad visitandam Provinciam.

PRincipio debet Commissarius Visitator delegationem sibi demandatam significare per litteras Provinciali illius Provinciæ, quam visitandam ingreditur, qui statim mittet ad eum unum ex sigillis Provinciæ. In primo autem Conventu, ad quem pervenerit, congregatis in Capitulo omnibus ac singulis Fratribus, palam legendas faciet litteras suæmet delegationis, quibus lectis, visitationem instituere poterit, eamque describere, ut sequitur.

In Nomine Domini, Amen.

„ Hæc est Visitatio generalis, quam secundum Concilii Tridentini Decreta, „ Constitutiones Apostolicas, Ordinisque „ statuta, facere intendit N. N. Visitator delegatus a Reverendissimo N. N. „ ad visitandam hanc Provinciam N. in „ Monasterio seu Conventu N. Die.... „ Mense.... Anno....

„ Mandatis itaque a Reverendissimo N. N. „ susceptis de visitatione hujus Provinciæ N. a Nobis facienda, nos ipsos „ contulimus ad Monasterium seu Conventum N. ut quod erat nobis munus „ demandatum exequeremur. Quare „ convocatis de more in Capitulo Fratribus, verbum Dei iis proposuimus, „ ac visitationem denuntiavimus: omnes „ & singulos cum *Sanctæ Obedientiæ me-* „ *rito* in Domino monentes, ut dicerent „ quæ de jure dicenda veniunt, neque „ odio, aut prava animi affectione, sed „ sola charitate, ac regularis observantiæ „ zelo ad dicendum moverentur.

„ Postea visitavimus Ecclesiam &c. *atque ita deinceps secundum formulam a nobis traditam Num. I. quam quidem repetere, atque huc transcribere, nihil attinet.*

ANIMADVERSIO I.

REcolenda hoc loco sunt quæ hactenus disseruimus de Visitatione agentes a Prelatis, sive Generalibus, sive Provincialibus, facienda. Quibus aliqua etiam addimus Visitatoris delegati officio magis propria. Et primum quidem, præter generalia interrogationum capita, quæ jam numeravimus, id sedulo inquirat oportet, num scilicet Provincialis suo muneri satisfecerit; vitiosos indifferenter castigaverit; dignos promoverit ad Officia, indignos abdicaverit: Regulari observantiæ promovendæ, malisque usibus exstirpandis studuerit; Provinciam demum statis temporibus visitaverit. Inquirere etiam debet, num Visitator, qui ipsum præcessit, jus atque æquum coluerit; partibus, seu factionibus adhæserit; aliquos injuria forte vexaverit: vitia demum, ac Regularium statutorum violatores pro officii sui debito punierit. Ad postremum inquisitionem agere non prætermittat de his, qui ad Provinciæ regimen probabiliter sunt asciscendi; num scilicet moribus ac scientia polleant, quæ tanto muneri obeundo necessaria sunt.

ANIMADVERSIO II.

ILlud etiam summopere attendat velim, quo animo ac fine visitandi subditi fratrum suorum vitia detegant. Quamvis enim prima facie videantur regularis observantiæ zelo ea Visitatori revelare, aliquando tamen pietatis bonique zeli speciem simulantes, malitioso nocendi animo ad ea revelanda moventur. Quamobrem sollers Visitator diligenter inquirat, num is, qui fratris vitia detegit, de iisdem primum Superiorem localem monuerit, tum Provincialem; quod si ea malitiose tacuisse deprehenderit, non audiatur, quin imo Regularium statutorum pœnis plectatur. Secus tamen dicendum, quoties Visitatori constet, Superiorem sive localem sive Provincialem de vitiosi cujuspiam defectibus semel atque iterum monitos, negligentes fuisse in corrigendo, puniendoque.

ANI-

ANIMADVERSIO III.

QUod si Visitator delegatus, aut ratione infirmitatis, aut Conventuum a se distantium longitudine, aut aliis demum distentus curis, omnes Coventus Provinciæ sibi demandatæ personaliter visitare nequeat, poterit certe ad aliquem eorum, vel Secretarium suum vel alium quempiam destinare. Caveat tamen, ne quemquam deleget minus idoneum ad id munus exequendum. Oportet enim ut is, quem loco suo Visitationis negotio præficit, ætate, doctrina, morumque probitate conspicuus sit. Ipsum demum moneat, quod si aliquod grave crimen invenerit, quod juridicam animadversionem exigat, ab illius inquisitione abstineat: hujus namque inquisitionem sibi reservare debet princeps Delegatus. Hæc, idque genus alia, animadvertere etiam debent Provinciales, quando ratione infirmitatis, aut alterius impedimenti, visitationem alicujus Monasterii alteri delegant. In omni quippe negotio magni refert, quales sint expendere, quibus gerendæ rei creditur auctoritas.

III.

Formula Absolutionis dandæ a Prælatis Regularibus in fine Visitationis.

COmpleto sermone, quem Regularis Visitator facere consuescit in fine visitationis, omnes Fratres in medio Capituli genua flectant, ac devote recitent,

Confiteor Deo Omnipotenti &c.

Quo finito, Visitator suo loco surgat & dicat;

Misereatur vestri &c.

„ Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis majoris vel minoris, suspensionis, vel interdicti, in quantum se extendunt gratiæ & privilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa; Absolvo vos, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, communioni & unitati fidelium, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

„ Item eadem auctoritate dispenso vobiscum super irregularitatibus, inhabilitationibus, aliisque pœnis Ecclesiasticis, si quas contraxistis, in quantum possum & valeo. Aboleo etiam a vobis omnem maculam infamiæ undecumque contractæ, & habilito vos, & restituo executioni Ordinum & officiorum vestrorum, nec non ad omnes actus legitimos tum Ordinis, tum jurisdictionis, ac Religionis nostræ beneficia, prout nostra se extendit auctoritas. Demum eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ, Constitutionum, Ordinationum & admonitionum Majorum nostrorum; ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris; de illis concedendo vobis indulgentiam plenariam juxta formam S. Romanæ Ecclesiæ consuetam. In Nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

„ Ite in pace, nolite amplius peccare, & orate Deum pro me.

ANIMADVERSIO.

ABsolutionis hujus in Religiosis Ordinibus adeo celebris non est cur dotes hic referam, amplitudinem ac privilegia. Id unum tantum ad rem nostram annotasse sufficiat, absolutionem hanc a Prælatis Regularibus in fine visitationis Religiosis subditis impertiri solitam, multum iisdem prodesse in *foro interno*, non solum pro censuris & irregularitatibus dubiis, oblitis, atque ignoranter incursis, de quibus non est dubitandi locus; verum etiam pro censuris, & irregularitatibus certis, dummodo tamen *occultæ* sint. Verba enim illa *absolvo vos*, *restituo vos*, *dispenso vobiscum*, pie sane videntur favorabiliter amplianda ad ea omnia ad quæ se se extendit Prælatorum potestas, quam quidem extendi ad casus etiam certos, *occultos* tamen, satis probabiliter docent Auctores. *Vide Dubitat. 15. sect. 5. n.* 82. Dixi in *foro interno* & quatenus censuræ ac pœnæ *occultæ* sint: nam in *foro externo* & *contentioso* nihil valet prorsus; in criminibus scilicet, seu pœnis ad dictum forum deductis, aut publice deducendis (ibidem *num.* 83.) Quia tamen præter dictam absolutionem solent etiam Regulares Prælati Religiosis sibi subditis Indulgentiam plenariam ultimo impartire, ex concessione *Leonis X.* pro Fratribus Minoribus, & *Gregorii XIII.* pro Visitatoribus Societatis Jesu, ut scribunt *Lantusca* in Theat. Regul. tit. *Commissarius* & *Em. Rodriguez* tom. 2. *q. q. regular. q.* 86. *art.* 2. idcirco eos monere debent pro consecutione indulgentiæ ejusmodi.

I V.

Generales Decretorum formulæ, quæ a Visitatoribus fieri aliquando contingunt.

ACcidit namque, ac sæpe quidem, ut in visitatione Ecclesiarum & Monasteriorum aliqua inveniat Visitator, aut sacris usibus minus apta, aut Religiosis domibus minus certe commoda; quorum reparationem, si officio suo fungi velit, negligere haudquaquam potest. Damus itaque hoc ultimo loco generales formulas *Decreta* faciendi pro eorumdem restauratione. Et primum quidem,

Pro renovatione Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti Altaris, seu Sacræ Pyxidis.

IN Visitatione Ecclesiæ S. N. Ven. Monasterii N. inter alia visitavimus Sanctissimum Altaris Sacramentum: invenimus autem vestem interiorem *Tabernaculi* laceram omnino esse, *seu* mucorem ex vetustate contraxisse: *vel Sacram Pyxidem* intus non bene inauratam. Quamobrem ut *Tabernaculum* vestiatur intus serico panno: *vel ut sacra Pyxis* iterum inauretur, sub pœnis &c. mandamus &c.

N. N. Visitator.

Pro reparatione alicujus Sacelli seu Altaris.

IN Visitatione Ecclesiæ S. N. Ven. Conventus N. inter cætera visitavimus *Sacella*, & *Altaria*: invenimus autem *Sacellum* N. ruinam prope minitari; *Altaris* item *lintea* omnino lacera, sordidave; *Crucem* etiam, & *Candelabra* vetustate jam consumta. Quare ut *Sacellum* reparetur; *Altaris* vero ornamenta amoveantur, purgentur, renoventur, sub pœnis &c. ordinamus &c.

N. N. Visitator.

Pro suspensione, aut renovatione Vestium, seu Vasorum Sacrorum.

IN Visitatione Ven. Monasterii N. inter alia visitavimus *Sacrarium* cum *Vestibus*, & *Vasis Sacris*: invenimus autem *unam*, aut *plures Planetas* omnino laceras, quas suspendimus: *Corporalia* itidem, *Purificatoria* (*& si quæ sint alia*) immunda prorsus, longoque usu detrita, quæ laceravimus: *Calices* demum [*exprimatur numerus*] cum *Patenis* totidem, non bene inauratos, quos denuo inaurari mandavimus.

N. N. Visitator.

Pro restauratione, majorique cura Bibliothecæ.

IN Visitatione Ven. Conventus N. inter alia visitavimus *Bibliothecam*: invenimus porro magnam librorum copiam blattis tineisque abrosam. Quamobrem ut libri restaurentur, majorique cura ferventur in posterum, mandamus, ut aliquis semper *Bibliothecæ* curandæ præpositus sit, qui virtute, probitate, librorumque peritia polleat.

N. N. Visitator.

Ad hunc modum, si quæ alia *Decreta* fieri contingant, condi poterunt. Sed hæc satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit.

F I N I S.

INDEX

INDEX MATERIERUM.

A

sub

Præ-

B

C

ereta

Col-

Con-

cet

sta

D

fit

quid

quod

Edu-

E

ni-

F

in

H

I

te.

In-

Ir-

In-

Iuris

Mo-

N

O

P

rio

Po-

Præ-

Re-

quos-

S

tio-

præ-

sita-

V

na-

soli

L A U S D E O.